UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Dispvtationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creatvrarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

Tractatvs Secvndvs De Opere Sex Diervm, Sev De Vniversi Creatione, Qvatenus sex diebus perfecta esse, in libro Genesis cap. 1. refertur, & præsertim de productione hominis in statu innocentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-93575

Visual Library

TRACTATVS SECVNDVS
DE
OPERE SEX DIERVM,
SEV
DE VNIVERSI CREATIONE, QVATENVS sex diebus perfecta esse, in libro Geneseos cap. 1 refertur, & præsertim de productione hominis in statu innocentiæ.

Præsentis tractatus consequentia ad præcedentem, eiusque partitio.

POST præcedentem tractationem de Angelis, in qua posteriorem partẽ summæ Theologiæ de Deo Creatore auspicati sumus, è vestigio sequitur altera de inferiori ac sensibili mundo. Nam hæc etiam contemplatio ad perfectiorem Dei cognitionem, & mysteriorum fidei declarationem, necessaria est, ac sub ea ratione ad Theologiam spectat. Disputantque de illa D. Thomas sua 1 *par. à quæst. 65 vsque ad 74.* & Scholastici cum Magistro *in 2. distinct. 12. & sequentib.* & eorum aliqui *dist. 3. & 4.* Alens. *part. 2.* Fundamentum huius tractatus est principium libri Geneseos, in quo historia creationis mundi continetur, quam exponunt Patres qui super eum librum commentaria, aut exaemeron, aut alios libros vel tractatus scripserunt. Estq; argumentum graue ac difficile; tum propter diuinorum operum excellentiam, tum maxime propter historiam Geneseos, quæ in illo initio adeo obscura est, vt ob eam rem olim in Synagoga, non nisi hominibus prouectæ ætatis, & in lege doctis permitteretur, vt referunt Origenes *in prologo ad homil. in Cant.* & Hieronymus *in proœmio ad lib in Ezech.* Sequentes autem Patrum vestigia, quoad fieri possit, materiam hanc diuina gratia adiuti illustrare conabimur. Hunc ergo tractatum trifariam diuidemus. Nimirum creationem propriam Vniuersi quatenus vno momento, & à solo Deo ex nihilo facta est, primo libro complectemur, explicabimusque illa verba priora Geneseos, *In principio creauit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Deinde de singulorum sex dierum operibus toto libro secundo agemus, ac fere reliquam primi capitis partem, excepta hominis creatione exponemus. Denique per tres vltimos libros de creatione hominis & statu, quem ante peccatum habuit, eiusque amissione dicemus, quem etiam habuissent posteri, si Adam non peccaret, obiterque fere secundum, & tertium caput Geneseos declarabimus.

ELENCHVS

CAPITVM LIBRI PRIMI.

CAP. I. VTrùm mundus per veram creationem esse cœperit.

II. An Deus in principio temporis cœlum & terram creauerit.

III. An cœlum æthereum in principio temporis creatum fuerit.

IV. An sub cœlo in principio creato comprehendatur cœlum Empyreum.

V. Dubium incidens de natura cœli Empyrei.

VI. An in verbis illis: In principio creauit Deus cœlum, creatio etiam Angelorum comprehensa sit.

VII. An aër fuerit simul cum cœlo creatus, & sub nomine cœli comprehensus.

VIII. An in principio temporis simul cum cœlo elementa terræ & aquæ creata sint.

IX. Vtrum cum cœlo, terra, & aliis elementis tempus etiam fuerit concreatum.

X. An omnia corpora, etiam mixta, totaq; vniuersi dispositio eodem momento simul cum cœlis, & elementis facta sint.

XI. An sex dies creationis mundi naturales, seu materiales, an spirituales, seu intelligibiles fuerint.

XII. An dies naturales creationis mundi reipsa sex fuerint, sicut in Genesi numerantur.

LIBER



LIBER PRIMVS

DE VNIVERSO, QVATENVS PER VERAM, AC PROPRIAM CREATIONEM à Deo factum est.

Vpponimus in hoc tractatu generalia de creatione principia. Qualia sunt in primis, creationem fuisse necessariam, vt hic mundus existeret. Itē quid sit, nimirum, esse productionem ex sola omnipotentia facientis absq; præsupposito subiecto, seu materia, ac proinde ex nihilo. Item rem, seu essentiam increatam, & ab intrinseco, ac essentialiter actu existentem, vnicam tantùm esse, & ab illa omnium aliarum rerum naturas originem duxisse. His autē suppositis, quæ post factam rerum creationem, ex effectibus, quos experimur, per naturalem discursum colligi possunt, hic præcipuè agimus de creatione mundi, prout facta est, & de modo, ac circumstantijs eius, quæ quidem cùm ex libera voluntate Dei determinatæ fuerint, ipsius reuelatio nobis necessaria fuit, ipsius reuelatio nobis necessaria fuit, vt certam de his rebus notitiam habere possemus. Non enim demonstratione, sed (vt ait Paulus) *fide intelligimus, aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent.* Sciendum est autem ex rebus vniuersi quasdam factas esse ex alijs præexistentibus rebus tanquam ex materia, vt herba ex terra, pisces ex aqua, volatilia ex aëre: alias verò sine præiacente materia necessariò fieri debuisse. Quia cùm non fit processus in infinitum, in aliquo genere causarum etiam materialis, si vna res facta est ex alia, quærendum est, an illa, ex qua posterior facta est, ex alia priori facta fuerit, & sic tandem in aliqua sistendum erit ex nulla alia re facta, nec etiam potuit esse improducta, vt conuincitur ex illo principio, quòd vnum tantùm esse potest ens improductum. Quia ergo creatio propria est productio ex nulla præsupposita materia, ideo vniuersum propriè creari dicitur, quatenus ex illis verbis constat, quę ex nullo subiecto fiunt, & de illo sub hac ratione hic agimus, dicturi postea de ornatu, & quasi complemento creationis eius, quæ per aliam actionem ex subiecto fit.

CAPVT I.

Vtrum mundus per propriam creationem esse acceperit.

1. Ratio dubitandi in primis est, quia hic præcipuè de hoc mundo visibili, & corporali tractamus, huc in eo Angeli tanquam partes in toto continentur, siue non, de quo postea nonnihil attingemus. At verò corpora nō potuerunt per propriam creationem fieri: ergo nec mundus. Consequentia nota est, quia esto concedamus, res spirituales fieri per propriam creationem, vt suprà visum est, id non est satis, vt mundus creari dicatur. Sicut licet anima rationalis per propriam creationem fiat, id non est satis, vt homo creetur, ita enim est visibilis mundus, sicut homo. Probatur ergo minor, quia omnia corpora materia, & forma constant, sed ex illis duabus partibus neutra potest fieri per creationem: ergō nec totum. Consequentia videtur nota, quia totum non distinguitur à partibus: ergo si ambę partes non possunt creari, nec totum poterit. Maior ex Philosophia supponitur. Minor autem probatur primò de materia, quia materia secundum se, est pura potentia, & non habet esse, nisi à forma, vel per formam, seu dependenter à forma: ergo secundum se non potest esse terminus creationis, cùm creatio per se tendat ad dandum esse, & entitatem actualem constituendam. De forma verò probatur, quia formæ corporales per se pendent in fieri, & esse à materia: ergo non possunt creari, sed educi de potentia materiæ. Vnde argumentor secundo, quia in narratione Gen. 1 nihil est, quod nos dicere cogat, Deum per propriam creationem mūdum hunc visibilem creasse: nam si aliquid esset, maximè illud, *In principio creauit Deus cœlum & terram.* At ibi verbum *creauit*, non significat propriam & rigorosam productionem ex nihilo: ergo. Probatur minor, tum quia illud verbum de se generale est ad quamcunque productionem alicuius operis, præsertim noui, & eximij, vt notauit Hieronymus in id ad Ephes. 4. *Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est*: tum etiam quia in operibus omnium illorum sex dierum eodem verbo creandi Moyses vtitur, cùm tamen constet, non omnia illa facta esse per propriam creationem, vt videbimus. Vnde etiam indifferenter vtitur verbo *fecit*, & verbo *creauit*, & Septuaginta in illis locis idem verbum, ἐποίησεν ponunt, & in versione Latina eorundem Septuaginta semper verbum *fecit* tam in illis primis verbis, quàm in cæteris ponitur: ergo.

In hoc puncto varij errores referri, & refutari possunt. Primus est antiquorum Philosophorum, qui ex nihilo nihil fieri posse crediderunt. Vnde tulit Aristot. 1. Physic. text. 33. & 3. de cœlo text. 35. mundum esse æternum, & per solam generationum, & corruptionum successionem conseruari:

2. *Quid Arist. circa mundi existentiam sensisse putetur.*

vnde autem esse habuerit in æternitate, nunquã explicauit. Et ideo multi putant, consequenter sensisse, mundum non fuisse factum, vel productũ ab alio, sed ex se sempiternum esse habuisse. Alij vero credunt, eum non ignorasse dependentiam æternam totius vniuersi ab auctore Deo tanquam à principio, à quo veluti per naturalem emanationem profluxerit. Plato vero, vt testes sunt Athanas. lib. de Incarnat. verbi in princip. & Epiph. hæres. 6. dixit, Deum ex materia præiacente, & infecta mundum condidisse, ac subinde non per propriam creationem, sed per quandam formationẽ (vt sic dicam) mundum produxisse. Quod ex eodem principio quod ex nihilo nihil fit intulisse videtur. Ex quo fit etiam consequens, vt Angelos posuerit eodem modo factos, ac subinde materiales, & corporeos, vel si immateriales esse credidit, increatos, & à se habẽtes esse illos cogitasse. Idemque de anima rationali iuxta illum errorem dicendum esset.

Quid item Plato.

3 Sed contra hunc errorem in Metaphysica satis à nobis dictũ est, in primis disp. 20. sect. 1. vbi necessitatem creationis ostendimꝰ, & n. 23. de Aristotelis sentẽtia nonnulla diximus, ostendentes ipsum lubricè, vel etiam inconstanter fuisse loquutum. Quia principium illud, *Ex nihilo nihil fit*, cum vera creatione siue liberè, & in tempore facta, siue ęterna, & per quandam naturalem emanationem cogitata, subsistere non potest. Vnde aliqui dicunt retractasse Aristotelem principium illud, *Ex nihilo nihil fit*, in quodam opusculo de Xenocrate, Zenone, & Gorgia. Sed inter opera Aristotelis, quibus vtor, illud non continetur, nec videre illud potui, existimoque Aristotelis non esse. Illo vero admisso fortasse dici posset, vel dubitando, & problematice disputando dixisse, posse principium illud negari, vel certe negasse illud quoad emanationem naturalem, etiamsi in cæteris proprijs actionibus illud admiserit: quod qua consecutione posit dici, vel qua ratione subsistere possit, non video. Deinde disp. 13. sect. 4. nu. 15. contra Platonem ostendimus materiam esse factam à Deo. Vnde Marsil. Fici. in Compẽd. Timæi Platon. c. 9. & seq. excusare conatur Platonem ab illo errore, dicens, Platonem docuisse, materiam esse factam à Deo immediatius, quam res cæteras. Sed magis credendum est Athanasio, & alijs antiquioribus Patrib. quos dict. disp. 13. & in disp. 20. sect. 1. nu. 17. allegaui, qui non solum Platoni, sed etiam alijs Philosophis Platone antiquioribus, & posterioribus sectatoribus errorem illum tribuunt: ibique in numeris sequentibus contrariam veritatem ratione, & auctoritate Patrum confirmauimus.

Authoris iudicium de Aristotelis doctrina in præsenti quæst.

Opusculum Aristotelis falso ascriptum.

Ficinus vt Platonem excusat.

Athanasius & alij Patres potius damnant.

4 Secundo loco, quia mundus spiritibus, & corporibus constat, referri potest error, dicentium, res spirituales, quales sunt Angeli, non esse à DEO creatas, quod antiquos Philosophos sensisse probabile est, & præcipue tribui solet Commentatori. Ex nouis autem hæreticis hunc errorem docuisse Hermannum, referunt Castro *v. Angelus* & Prateol. l. 8. de sect. hęret. c. 10. Fundabatur hic hæreticus solum in hoc, quod in narratione Geneseos, vel in Scriptura nulla fit mentio creationis Angelorum Sed distinguenda est veritas certa à quæstione dubia. Quod enim Angeli creati à Deo sint, non solum est de fide certum, sed etiam inter articulos fidei in Symbolo fidei Nicæno omnibus ad credendum propositum in illis verbis, *Visibilium omnium, & inuisibilium*, nam inuisibilium nomine substantiæ intellectuales præcipue intelliguntur, vt recte sensit Sophron. in sua fidei professione, quæ in VI. Synod. Constant. act. 11. habetur, & Cõcilium Lateran. in c. firmiter expresius dixit, *Vtranque spiritualem, & corporalem creaturam de nihilo condidit*. Quod passim etiam omnes Patres docent, quos in superiori tract. l. 1. à cap. 2. late retuli. Cũm ergo dogma hoc indubitatum sit, dubitari potest, an in verbis illis Moysi: *In principio creauit Deus cælum, & terram*, comprehensum sit. Et de hoc postea videbimus, interim supponentes, quicquid sit de illo Geneseos loco, non esse dubium, quin in alijs Scripturæ locis expresse illa veritas tradita sit, vt Psalm. 103. & 148. ad Colos. 1. & ad Hebr. 1. & alijs, quæ in dicto ca. 2. l. 1. præcedentis tractatus expendimus. Vnde satis & dictus error, & fundamentum eius improbata sunt.

Secundus error circa substantiarum spiritualiũ productionẽ.

Prædicti erroris fundamentum reiicitur.

5 Tertio circa mundi visibilis, seu corporum creationum opportunum erit hic breuiter antiquos errores, qui in hac materia fuerunt, commemorare, tum quia tractando de creatione in Metaphysica, id in Theologiam remisimus, tum etiam quia huius loci proprium esse videtur, in quo de creatione mundi visibilis præcipue tractamus. Primo ergo Manichæus duo posuit prima principia imꝓducta, & æterna, quę bonum & malum Deum appellauit, & malum Deum corporum fecit auctorem. Ita sumunt aliqui ex August hæres. 46. Ille vero solum dicit, Manichæum dixisse, mundum esse bonis, & malis rebus, seu substantijs commistum, & bonas esse à bono Deo, malas vero à Deo malo, qui per admistionem malarum bonas maculauit. Clarius Epiph. hæres. 66. ait Manichæum corpora esse creata à malo Deo tradidisse. Et idem indicat Theod. l. 1. hæretic. fabular. ca. vlt. apertius Theoph. in cap. 6. Ioan. in princ. Et idem significat Concilium Bracharen. per plures canones, in quibus Manichæo fere semper Priscillianum coniungit. De quo ait Isidor. l. 8. Orig. ca. 5. ex Gnosticis, & Manichæis nouum dogma in Hispania composuisse. Quod etiamsi sumitur ex Leone Pap. ep. 91. alias 93. ad Toribium, vbi vtriusque damnat errorem. Eundem errorem postea excitarunt, Albanenses, vt refert Anton. 4. p. Theolog. tit. 11. §. 5. & dubitat an isti sint ijdem, qui Albigenses, qui tempore Innocentij III. orti sunt Tolosæ, & à sancto Dominico expugnati, vt idem latius refert 3. part. Hist. tit. 19. c. 1. eisq; hic error communiter tribuitur, vt patet ex Prateolo, Sandero, & alijs, qui referunt, istos distincte dixisse, malum Deum creasse omnia corpora, sicut bonum omnes animas. Additq; Anton. postea eundem errorem in Italia repullulasse, eiusque occasione B. Petrum martyrem occisum fuisse.

Primus error circa productionem rerum visibilium.

6 Ante hos vero omnes fuit Cerdon, qui etiam duos Deos introducebat, bonum, & malum, & hunc non tantum corporum, sed etiam creaturarum omnium auctorem faciebat, vt videre licet in Irenæo libr. 1. c. 28. Tert. de præscript. c. 51. Euseb. l. 4. hist. c. 10. Epiph. Aug. & alijs. Et idem docuit Apelles, solumque differebat, quia malum Deum à bono esse factum, postea vero malum sine bóni cooperatione mũdum visibilem fecisse asserebat. Ita referunt Epiph. hæres. 44. & August. in 23. Ante hos fuerunt Gnostici, qui licet dicerent, Deum rãi creasse Angelos, nihilominus mundum hunc visibilem creatum esse ab Angelis asseruerunt. In quo errore conuenerunt Simon Magus, Basilides, Saturninus, (alias Saturnilus) Carpocrates, & Cherintus, horumque sectatores, licet illum errorem confinxerint varijs modis omnino fabulosis, in quibus enarrandis immorari superfluum duco. Legatur Iren l. 1. c. 20. & seq. Tert. l. de præscrip. hęr. c. 46. & seq. Eph. hæres. 20. & seq. Theod. lib. hæret. fabular. Aug. Damasc. Isid. Philastr. & alij, qui catalagos hæresum scripserunt, & Euseb. l. 2. histor. cap. 12. & lib. 3. cap. 20.

Secundus modus.

7 Contra priorem errandi modum, de duobus principijs bono & malo disputare, aut eum impugnare superuacaneum videtur, tum quia est meꝝ fabula, & deliramentũ sine vllo fundamento, tum

Primus modus.

tium etiam quia à prædictis Patribus copiosissimè refutatur. Videri potest Aug. l. 1. de Gen. contr. Manich. per totum, præsertim c. 16. & 21. & l. de natur. boni, vbi ostendit, quicquid est, quatenus est, aliquid boni esse, & ideo non nisi à summo bono esse posse, vt c. 12. concludit, & optime l. 1. de Ciuit. à c. 16. vsq; ad 22. & tract. 1. in Ioan. exponens illa verba, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: & optime Ambr. lib. 1. Exaem. c. 8. & l. 3. cap. 9. & Cyrill. Hierosol. cateches. 6. illuminator: vbi rectè dicit, in verbis repugnantiam inuoluere, qui aliquem Deum, & malum dicunt, cum summa bonitas sit de ratione Dei. Contra alios verò errores eorum, qui Angelos faciunt proximam creationis corporum causam, disputat bene Cyrill. l. 2. contr. Iulian. circa fin. & aliquid de hac re dictum est in superiori tract. l. 4. tractando de potestate Angelorum ad immutandam corporalem creaturam. Et in Metaph. disp. 20. sect. 2. ostensum est, creaturam non posse habere propriam creandi virtutem. Adde, nullam esse rationem fingendi, creationem corporum potius quam spirituum per angelos factam esse, vt in sequentibus dicemus.

8 Quarto & vltimo notari hic potest error Origenis, quem Augustin. dicto libr. 11. de Ciuit. à cap. 23. proxime post præcedentem Manichæi errorem confutauit. Dixit enim Origenes, Deum non per se, nec ex primaria intentione corpora, & visibiles creaturas produxisse, sed prius creasse animas, & spirituales creaturas, & occasione peccati illarum corpora creasse, quæ essent veluti ergastula, & carceres, in quibus animæ, & spiritus peccantes detruderentur, vt ibi punirentur, vel purgarentur. Hunc errorem de animabus, & aliquibus aliis spiritibus tradit Origen. lib. 1. Periar. ca. 7. & 8. vbi ait animas esse ante corpora, & pro diuersitate meritorum diuersis corporibus infundi, quod etiam de spiritibus informantibus sydera iuxta suam opinionem affirmat. Et in lib. 2. c. 8. & 9. iuxta merita vitæ prioris dicit animas diuersis corporibus in præsenti vita mancipari, quod iterum l. 3. ca. 1. repetit. Et ita hunc errorem præter Augustinum loco citato tribuunt Origeni Sophron. in epist. probatain VI. Synodo act. 11. Epiph. in epist. ad Ioan. Episcop. Hierosolymit. quæ in eius operibus legitur, & inter epistolas Hieronymi est 60. & Cyrill. Alexandr. in libr. 1 in Ioan. cap. 9. & Theophylus, Alexandrin. epist. 1. Paschali, Anastasi. Synai. lib. 11. Exaemer. circa finem, vbi refert Methodium varijs Scripturę testimonijs illum errorem impugnasse. Idem Origeni tribuit, & penè explicat Leont. lib. de Sectis act. 10. tom. 4. Biblioth. Hieronymus etiam, licet alijs locis, tacito nomine Origenis, hunc errorem referat, vt epist. 8. ad Demetriad. in fin. & ep. 27. quæ est epitaphium Paulę, circa finem, & epist. 139. ad Cyprian. & epist. 150. ad Hedibiam q. 10. vbi ait, hoc esse Pythagoræ, Platonis, & Gentilium dogma, quod aliqui sub nomine Christiano in Ecclesiam introducere tentarunt. Et simili modo idem attigit in id ad Galat. 1. *Cum placuit ei, qui me segregauit ex vtero*, &c. Nihilominus in Apolog. contr. Ruffin. quæ est epist. 66. ad Pammach. post medium aperte declarat, illud fuisse dogma Origenis, quod alijs locis sine inuidia nominis eius improbauit. Vnde Ierem 28. Origenem intelligit, cùm dicit, *Dehrat hoc loco allegoricus interpres*. Et reiecto errore, propter calumnias Ruffini subiungit, *Compulit me tractator indoctus, & sectatur calumnia Gruniana aperte ponere aliena vitia, quæ prius cum dissimulatione dicebam*.

9 In hoc vero Origenis dogmate quoddam falsum principium, & multi errores ab Ecclesia damnati continentur. Principium falsum est, spirituales creaturas ante corporales fuisse à Deo conditas, quod licet ad dogmata aperte damnata non pertineat; nihilominus iam est improbabile, & à doctrina communiter ab Ecclesia recepta, & approbata alienum, vt in tract. præcedenti lib. 1. cap. 3. latè diximus. Primus autem error est, animas hominum esse eiusdem naturæ cum Angelis, imò non esse nisi quosdam Angelos ex his, qui peccarunt, qui error satis impugnatur ex dictis in eod. lib. 1. Secundus, quod animæ hominum ante corpora creatæ sunt, quod est damnatum in Concilio Lateran. sub Leone X. sess. 8. & in VI. Synod. act. 11. in epistola Sophronij, & refelletur latius in tractatu sequenti. Tertius est, omnes animas, quæ corporibus vniuntur, prius peccasse, quod non solum animæ Christi, & Virginis sanctissimæ iniuriosum est, sed etiam est contra innocentiam primorum hominum ante peccatum, & contra generales locutiones Scripturæ Rom. 9. *Cum nondum quidquam boni aut mali egissent*: & cap. 5. *Regnauit mors etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ*: & Ioan. 9. *Neque hic peccauit, neque parentes eius*, &c. Quartus est, quem Sophronius in dicta epist. intulit, quod *istorum corporum, quib. nunc sumus amicti, impudenter perimunt resurrectionem*, quia potius ad pœnam, quam ad præmium etiam in beatis pertineret. Et alia similia possunt ex dicto errore inferri præter ipsummet dogma de creatione corporum, quod solum occasione peccati, & in pœnam eius facta fuerit, quod somniatum potius quam aliquo fundamento assertum est, & contra Scripturam, vt mox videbimus.

pium continetur, & quadruplex error.
P imus error.
Secundus.
Tertius.
Quartus.

Omissis ergo erroribus, dicimus primo, Deum per veram, & propriam creationem, id est, effectionem ex nihilo mundum hunc visibilem in eius principio condidisse. Assertio est de fide, vt cõmuniter docent Theologi cum Magist. in 2. d. 1. & D. Thom. 1. p. q. 44. art. 1. & 2. & q. 45. art. 1. & 9. & q. 65. artic. 1. Hugo Victor. libr. 1. de Sacram. p. 1. cap. 1. Qui omnes ita intellexerunt verbum *creauit*, in dictis verbis Geneseos. Et probatur primo, quia ita in alijs Scripturę locis explicatur, præsertim 2. Mach. 7. *Peto nate, vt aspicias ad cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus*. Et sic etiam accipiendum est illud Ecclesiast. 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul*: nam creando omnia, non potuit ex aliquo facere, sic etiam dicitur Psalm. 32. *Ipse dixit, & facta sunt ipse mandauit, & creata sunt*, vtique virtute solius imperij sui. *Quia ita vocat ea, quæ non sunt, sicut ea, quæ sunt*, vt ad Roman. 4. dicitur, & ideo ex non ente, seu ex nihilo res in principio produxit, quod est proprie creare. Secundo ita definiuit, & declarauit verbum illud Concilium Lateran. sub Innocen. III. in cap. firmiter, de Deo dicens: *Vtranque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem: angelicam videlicet, & mundanam*. Vbi addendo particulam *de nihilo*, verbum *condidit*, de vera, & propria creatione quasi per definitionem eius explicuit. Et coniungendo vtranque creaturam, id magis declarauit. Est enim euidens, spiritualem creaturam non nisi per propriam creationem potuisse produci, cum nihil eius ante productionem eius supponatur: & eodem modo dicit Concilium, creaturam corporalem ex nihilo fuisse productã.

10 *1 Assertio de fide contra errores eb. losoph.*
Probatur 1. ex Scriptur.
2 Ex Concil. Lateran.

Vnde argumentor tertio, satisfaciendo simul secundæ rationi dubitandi in principio positæ; quia licet verbum creandi generaliter sumptum ambiguum sit, vel communem significationem habeat, nihilominus ex subiecta materia ad determinatum modum effectionis definiri solet, & debet. Vnde est regula Sanctorum, quoties res, quę omnino non erant, creari dicuntur, verbum creandi significare productionem ex nihilo, quia res carens omni esse reali, & actuali, tam totali, quam partiali, non est capax alterius modi productionis: sed hoc modo sumitur, cum dicitur Deus in princi-

11 *3. Ratione, ac simul responsione ad 2. arg. in n. 1.*
Patrum regula notanda.

principio creasse cælum, & terram: ergo, Doctrina est Cyrilli Alexand. l. 5. thesau. cap. 4. vbi inter alia dicit: *Quando nondum producta creari dicuntur, necessario de nihilo ad esse procedere intelliguntur.* Idem optimè lib. 1. in Gen. in princip. & Chrysost. hom. 2. Ruper. & alij. Ac denique Athanas. de Incarnat. Verbi in principio: *Ex nihilo, ac prorsus nunquam extantib. Deum Patrem per verbum suum rerum vniuersitatem fecisse agnoscit, cum ad istum modum loquitur per verbum suum: In principio creauit Deus*, &c. Et in epist. quod Nicæna Synodus decreta sua congruis, & pijs verbis contra hæresim Arianorum exposuerit, non longe à principio. *Itane Deus condit, vt homo? Absit. Deus enim creat, cum vocat ea, quæ non sunt, sine vllius rei aut operæ, aut opera: homines autem*, &c.

12 *Ratio altera qua etiam satisfit primo arg. in nu. 1.*

Quarto probatur ratione, satisfaciendo simul primæ rationi dubitandi, nam si res simplices, & spirituales subsistentes possunt per creationem fieri, à fortiori res corporales subsistentes. Probatur cõsequentia, tum quia ante productionem ita supponuntur nihil esse, sicut res spirituales: tum etiam quia ex parte, qua sunt entia per participationem, non repugnat illis per propriam creationem fieri. Imo quatenus minus perfecta sunt, facilior videtur eorum creatio. Ex ea vero parte, qua sunt entia composita, non repugnat illis creatio: imo repugnat illas aliter fieri saltem in prima, & totali productione sua. Probatur hæc posterior pars, quia ante productionem cœli nihil illius præexistebat: ergo non potuit, nisi ex nihilo fieri, ac proinde creari. Idemque est de quolibet elemẽto, cum primum fit secundum se totum. Altera vero pars non repugnantiæ ostenditur, quia licet in productione talis compositi ex materia, & forma distingui à nobis possit quasi partialis productio materiæ, & formæ, ita vt prior sit per modum creationis, quia licet materia dicatur pura potentia respectu formæ, nihilominus habet suam entitatem, & partialem existentiam, quam non nisi per creationem habere potest, cum prius subiectũ non supponat: posterior autem, scilicet productio formę fit per modum eductionis ex materia ordine naturæ suppositа, & tandem productio totius per modum vnitionis partium, vel per modum productionis integræ, & compositę ex illis partialibus, quæ sit proportionata integro termino cõposito: licet (inquam) hoc totum detur, nihilominus partiales illæ productiones verè non sunt productiones, sed dici possunt comproductiones, solaque integra productio est vera productio, & illa est creatio, quia simpliciter est productio ex nihilo, licet non omnino simplex, sed composita, quod non est contra rationem creationis, ad quam satis est, quod simpliciter sumpta sit ex nihilo. De qua re, & de modo illius actionis compositæ videri possunt, quæ in Metaphysica dixi disp. 15. sect. 3.

Composita physica non nisi per creationem fiunt in prima & totali productione.

13 *2. Assertio contra Origenem.*

Dico secundo, Deum non per occasionem peccati, nec in pœnam spirituum, qui peccauerunt, sed per se ex primaria voluntate ac intentione sua mundum hunc visibilem, & corporalem procreasse. Declaratur distinctione Damasc. l. 2. de fide c. 29. dicentis, Deum quædam velle primario, & ex sua tantum bonitate, & liberalitate inductum: quædam vero secundario, & quasi à nobis compulsum. Sensus ergo assertionis est, creationem mundi visibilis non ad secundariam Dei voluntatem, vt Origenes confinxit, sed ad primariam referendam esse. Quod pertinere censeo ad dogma fidei. Primo quidem, quia contraria assertio necessaria supponit errores contra fidem, & in illis fundatur, vt iam notaui. Secundo, quia per se, & directe repugnat Scripturæ, tum in ipsa narratione Geneseos. Nam cum dicitur Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*, profecto satis indicatur ex primaria intentione, & ex sua bonitate, ac liberalitate hæc fecisse. Præsertim quia statim in discursu singulorum operum, ac dierum declarãtur singula esse facta propter alios fines ad rectum ordinem vniuersi pertinentes, & ideo de singulis subditur, *vidit Deus, quod esset bonum*, & de vniuersis, *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Non ergo respiciens ad malum, nec ad punitionem, sed ad bonitatem, & pulchritudinem singula fecit. Vnde Deut. 4. de cælis, sole, luna & astris dicitur: *Quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt*, & cap. 26. in fine, *Faciet te excelsiorem cunctis gentibus, quas creauit, in laudem, & nomen, & gloriam suam.* Et sic etiam dicitur Prou. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, & Paulus ad Colos. 1. id satis significat, dicens de vnigenito filio Dei, *In ipso, & per ipsum condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia*, &c.

Eius sensus exponitur ex Damascen.

Probatur 1. à contrario. 2. Ex Scriptura.

Tertiò hęc veritas in dicto cap. firmiter, aperte supponitur, cum dicitur, Deum vtramque simul condidisse naturam, spiritualem, & corpoream; specialiter vero quod corpora creata sint in supplicium spirituum, qui peccauerunt, damnatur à Leone I. in dicta epistol. 91. & à Concilio Bracharensi I. can. 6. & in V. Synodo generali, vt refert Nicephor. l. 17. histor. cap. 27. & 28. & in VI. Synodo act. 11. quatenus epistolam Sophronij recipit. Et ita Patres inter errores hæreticorum contrarium dogma recensent, Epiph. hæres. 64. in princ. & infra in fragmento ex Methodio, & in dict. ep. ad Ioan. Episcop. Hierosolymit. Aug. l. de hæresib. in 43. & ex professo illud impugnat l. 11. de Ciuit. c. 16. & seq. & præsertim in 23. & Cyrillus latè, & optime l. 1. in Ioan. c. 9. Gregor. Nissen. libr. de opific. homin. c. 28. & 29.

Quartò possumus ex dictis Patribus ratione ostendere dictam veritatem, primò ab inconuenienti ex Augustino, quia alias non creasset Deus hoc mundo vnum tantum solem per se consulendo pulchritudini, & vtilitati vniuersi, sed per occasionem, quia vna tantum anima sic peccauit, vt tali corpore mereretur includi. Quod cum proportione dici potest de luna, & de numero cælorum, ac elementorum: quod profecto, & per se statim apparet absurdissimum, & repugnat Scripturis supra allegatis, quæ longe aliter creationem, & dispositionem huius mundi visibilis, & omnium partium eius, & finium, ac vtilitatum illarum describunt. Quam cum elegantissime proposuisset Dauid Psal. 103. concludit, *Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.* Et ideo dixit Sapiens c. 13. à magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter posse creatorem horum videri, quia ipsa vniuersi ordinatissima constitutio, & pulcherrimus ordo artificis sapientiam, & certam intentionem, qua omnia in numero, pondere, & mensura per se condidit, ostendit. Aliud inconueniens est, quia iuxta illum errorem non corporalis mors, sed potius vita esset pœna peccati, contra illud Sap. 1. *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuentium, creauit enim, vt essent omnia*, & contra Paulum Rom. 5. & 1. Cor. 15. Vnde optime argumentatur Cyrillus, si anima corpori vnitur in pœnam, inepte & iniuste malefactores supplicio mortis afficerentur, nam hoc modo non punirentur, sed à pœna, & carcere liberarentur. Et è contrario deberent baptizati, qui plenam remissionem peccatorum consequuti sunt, statim à corporibus liberari. Nec Christus suscitando Lazarum, illi beneficium contulisset, sed pœnam. Quod argumentum cum aliis ibi latè prosequitur.

A priori vero ratio sumitur ex illo principio, quod creatura corporalis per se bona est, & Dei etiam bonitatem, sapientiam ac potentiam manifestat: ergo per se, ac primario propter hunc finem

facta est vel mediate, vel immediate. Vniuersum enim, vt est quoddam totum optime constitutũ, ad sapientiam, & bonitatem diuinam manifestãdum creatum est: singula vero corpora ad optimã eius constitutionem proximè ordinata sunt, & consequenter cum sint partes vniuersi, cum ipso toto propter eundem finem per se sunt intenta. Vnde est illud Eccles. 39. *Opera Domini vniuersa bona valde*, quod de operibus circa corporum conditionem postea explicatur. Præterea homo vt animo, & corpore constat, per se creatus est propter DEI gloriam, cuius signum est, tum quod ex Dei intentione factus est, vt semper viueret, & nunquam moreretur, tum etiam quia licet propter peccatum moriatur, postea in æternum victurus resurget: non ergo sola anima, sed totus homo animo, & corpore constans per se propter gloriam Dei creatus est: ergo corpus hominis non est creatum in pœnam animæ. Multo ergo minus alia corpora cœlestia, vel terrestria. Quia nec informantur animabus rationalibus, vel spiritibus intellectualibus, iuxta catholicam sententiam, nec etiam facta sunt in supplicium, sed in commodum hominum, sicut de cœlis dicitur in loco citato Deuter. 4. & de terra dicitur Isaiæ 45. *Ipse Deus formans terram, & faciens eam, ipse plastes eius, non in vanum creauit eam, vt habitaretur formauit eam.* Et hac ratione videtur dicere Paulus 2. Cor. 3. totum mundum esse hominum, quia ad eorum vsum, & commodum creatus est: ergo de primo ad vltimum, non solum spiritus, sed etiam corpora tam humana, quam reliqua mundana per se propter Dei gloriam facta sunt: non ergo per occasionem peccantium spirituum, nec vt ergastula eorum condita sunt, *sed omnia creata sunt, vt essent*, sicut dicitur, Sap. 1. vtique vnumquodque in genere suo, & propter bonum vnum, seu ministerium suum.

16 Obiici vero potest pro Origene illud Eccles. 39. *Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt. bestiarum dentes scorpij, & serpentes, & romphæa in exterminium impiorum.* Et huc etiam maximè spectat ignis inferni, *qui paratus est diabolo, & angelis, & his qui eis sunt*: ergo si non omnes, saltem plures creaturæ occasione peccati creatæ sunt. Quo argumento etiam vtebantur Manichæi, vt suaderent, creaturas, quæ videntur esse nociuæ hominibus à malo Deo creatas esse. Sed respondemus ad argumentum in primis, nunc nos præcipuè loqui de creatione mundi visibilis quoad ea corpora, quæ principaliter, & quasi per se ad illius integritatem, & perfectionem pertinent. Nam in mitis aliqua esse possunt adeo imperfecta, vt quasi per accidens resultent, & generentur ex alijs: & eadem ratione potuerunt aliqua in peccatorum vindictam principaliter creari. Nec hoc est à bonitate Dei alienum, cum ad eius iustitiam pertineat. Deinde verbis Ecclesiastici opponimus alia eiusdem Sapientis in eodem capite: *Bona bonis creata sunt ab initio sic nequissimis bona & mala* vtique mala illis, id est, nociua. Et additur, *Initium necessaria rei vitæ hominum aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, panis similagineus, & mel, & botrus vuæ, & oleum, & vestimentum. Hæc omnia sanctis in bona, sic & impiis in mala conuertentur.* Quia vel ex illis sument occasionem peccandi, vel desumet illa Deus vt instrumenta in vindictam eorum. Sic ergo *ignis grando*, &c. dicuntur creata in vindictam, non quia hic fuerit primarius finis creationis eorum, sed quia ex malitia hominum in hunc vsum conuertuntur, & assumuntur à Deo, & ideò ad iniquorum terrorem dicuntur ad illum effectum creata. Et ita etiam respondent Manichæis Ambr. lib. 3. Exaem. c. 9. & Aug. lib. de Genesi contra illos cap. 16. Vnde etiam de igne inferni dicimus à Deo conditum esse propter complementum, & perfectionem vniuersi, & vt de se aptum esset instrumentum diuinæ iustitiæ, non quidem ad vindictam delictorum, quæ ante corporum creationem præcesserant, sed eorum, quæ vel esse poterant, vel certe futura esse præsciebantur. Neq; etiam ita est ille ignis ad pœnam deputatus, vt aliquis spiritus informando illum, in eo puniretur: sed vt sit instrumentum miro modo efficiens, & vt Dei instrumentum torquens spiritus, tam extra corpus, quam in corpore peccantes.

17 Dico tertio, Deus solus fuit primum, & proximum principium creans hoc vniuersum corporeum, quoad omnia illa, quæ per veram creationem fiunt. Loquor tantum de his rebus, quatenus ex nihilo fiunt, quia de his, quæ fiunt ex præsupposito subiecto, postea dicturi sumus. Sic ergo conclusio est contra omnes antiquos errores supra relatos, estque de fide certa, vt tradit D. Thom. d. q. 65. 1. p. a 3. & q. 44. a. 1. & q. 45. a. 5. Et prætermissis Angelis, de quibus est maior ratio, & supra dictum est, & animabus hominum, de quibus infra suo loco dicturi sumus, de corporibus, de quibus nunc agimus, probatur primo, quia Scriptura soli Deo tribuit cœli, & terræ creationem, Gen. 1. Psalm. 8. 145. 148. Ioan. 1. Actor. 4. ad Hebr. 3. Apoc. 4. & alibi passim. Et optimus locus est Isai. 44. *Ego sum Dominus faciens omnia extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Secundo ita profitemur in omnibus symbolis, & fere in omnibus Concilijs, in quibus fidei professio præmittitur, & specialiter in d. cap. firmiter, & Concilio Brachar. I. cap. 13. Tertio tradunt omnes Patres scribentes contra prædictos hæreticos, quos supra retulimus: & mysterium trium personarum diuinarum confirmantes. Inde enim (inter alia) probant, verbum diuinũ esse Deum verũ, quia est omniũ creator: nam *oĩa per ipsum facta sunt*, Ioã. 1. & quia per ipsũ facta sunt secula, *portat q; oĩa verbo virtutis suæ*, vt dicitur ad Heb. 1 Atq; eodẽ modo de Spiritu sancto argumentãtur Iren. l. 1. c. 19. & Ambr. l 1. de Spir. sanct. c. 3. & Basil. l. de Spirit. sanct. c. 16. ex illo Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sũt, &c.* Eodemq; modo argumẽtatur Amb. lib. 2. de Spir. san. c. 5. ex illo Psal. 103. *Auferes spiritum eorum, &c.* Et similia habet Cyril. Dialog. 7. de Trin. cir. fin. & in l. de argum. quod Spirit. sanct. sit Deus in principio. Et hoc argumento sæpe vtuntur Patres contra Arianos, & Sabellianos, Athan. serm. 3. contra Arrian. Basil. l. 4. cont. Eunom. & alij

3 Assertio de fide contra varios errãdi modos positos n. 5. & 6.

Probatur 1. ex scriptura.

2. Ex symbolis, & Cõciliis.

3. Ex Patribus.

18 Quarto possumus ratione argumentari, quia si præter Deũ fuisset alia causa ꝓxima creationis corporalium rerũ, vel illa esset causa principalis ꝓpinqua, vel instrumẽtalis: vtrunq; a. est falsũ. De priori ꝓbatur, qa ꝓxima virtus creãdi per modũ causæ principalis creaturæ capacitatẽ excedit, & ad omnipotentiã Dei ptinet, & ideo Eccl. 1. dicitur. *Vnus est altissimus, creator, omnipotẽs*, & Ier. 32. dicitur, Deũ fecisse cælum, & terrã in fortitudine sua magna, & brachio extento, ꝓ quæ verba infinita Dei potẽtia significatur, & ad creandũ necessaria esse indicatur An vero hoc possit etiã ratione naturali demonstrari, dixi late in Metaph. disp. 10. sect. 2. De altera, seu instrumẽtali causa dixi qdem in dict. loc. sect. 3 id non repugnare de potẽtia absoluta, q̃d nunc etiam probabilẽ esse credo, idq; satis doctè disputat & confirmat Dan. Malon. in 2. d. 1. disp. 3. Nihilominus de facto certissimũ est, Deũ nullo tali vsũ fuisse instrumẽto. Tum quia Scriptura, & Patres soli Deo illam actionem tribuunt, & absolute oẽm aliam causam excludunt. Tum etiã, quia Deus tali instrumento non indigebat, vt per se notum est: quia nulla creatura habet natura sua, quod sit tale instrumentum, vt in citat. loc. ostendi, sed si assumi, aut eleuari potest, vt sit tale instrumentum, id est, miraculorè, & supernaturaliter, Deus autem in rerum creatione modo naturis rerum consentaneo, & sine specialibus miraculis

4. Ex ratione.

Deus de facto non vsus est instrumento ad creandum.

culis operatus est, vt postea etiam dicemus.

19 *Obiectio contra proxime dicta.*

Contra hanc veritatem expendi potest nomen *Elohim*, quod in Hebræo ponitur Gen. 1. vbi nos legimus, *in principio creauit Deus*: nam *Elohim* Deos potius significat. Vnde sub illo nomine comprehendi videntur Angeli tanquam creationis cæli, & terræ cooperatores, in hoc enim sensu solet plurale illud nomen in Scriptura vsurpari. Respondetur neminem vocem illam in dicto loco Geneſis in hac significatione accepisse, vel exposuisse: nec verbum singulare *creauit*, illam admittit, quod ostendit aperte vnum tantum fuisse rerum omnium creatorem, ſicut recte vulgatus interpres vertit. Multi verò ex Catholicis volunt, ibi significatum esse à Moyse Trinitatis mysterium: nam plurale *Dij* positum esse dicunt propter trinitatem personarum, singulare autem verbum *creauit*, propter vnitatem naturæ potentiæ, & voluntatis: interpretem vero non potuisse in Latino idiomate illud mysterium ita significare, quia Latina vox illam Deorum appellationem tribus personis tribuere non permittit. Alij vero nullum putant ibi latere mysterium, sed phrasim illam & modum vsurpandi plurale pro singulari, esse idiotismum specialē linguæ Hebraicæ, in multis alijs sacræ scripturę locis vsitatum, vt late disput. Bened. Pereira circa illa verb. Gen. Quod satis probabile mihi videtur: iuxta vtranq; vero dicendi rationem obiectio soluitur, & nullius momenti esse perspicitur.

Eius diluſio.

CAPVT II.

An Deus in principio temporis æuum, & terram creauerit.

1 *Varii de mundi initio errores.*

IN hoc puncto aliqui Philosophi errarunt, ponentes mundum æternum, ex quibus aliqui posuerunt illum improductum, alij productum per necessariam emanationem: cuius sententiæ præcipuus auctor censetur Aristoteles 8. Physicor. & 2. de gener. & 1. de cœlo c. 10. & 12. Metaph. c. 6. quem Commentator, & alij sequuti sunt. Plures vero antiquiores Philosophi mundum in tempore factum esse crediderunt, vt idem Arist. refert, quamuis errauerint ponendo aliquid æternum, ex quo mundus factus fuerit. Et simili modo aliqui hæretici errarunt, materiam æternam simulq; increatam, & ingenitam, ponentes, quos inferius referemus, & impugnabimus. Aliquid autem esse à Deo creatum, quod sit etiam æternum, nullus hæreticus asseruit. Præmisso autem nunc puncto de creatione materiæ, de quo in sequentibus dicemus, nunc de solo initio mundi, quem à Deo creatum esse capite præcedenti ostendimus, disputamus. Nec inquirimus, an potuerit esse ab æterno, id enim philosophicum potius est, quam theologicū, quia nec ad fidei dogmata pertinet, nec cum illis necessariam connexionem habet, & ideo punctum illud in Metaphyſic. disp. 20. sect. vlt. tractauimus: nunc vero de facto, quod non nisi per diuinam reuelationem sciri certò potest, disputamus.

2 *1. Assertio catholica, & principalis.*

In quo in primis veritas catholica ostendenda est, quæ docet, mundum vniuersum non esse æternū, sed habuisse sui esse, suæque creationis principium. Probatur primo ex Scriptura, quæ docet, Deum fuisse ante mundum, vel quando mundus nondum erat. Eph. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, in re enim æterna non datur esse post non esse, neq; fieri, aut cogitari potest, quod ante illam aliquid præcesserit: ergo si Deus eligens, eiusque eligendi actus fuit ante mundi constitutionem, certe non potuit mundi creatio esse ab æterno, nec mundus ipse æternus. Et eodem modo probat eandem veritatem illud Ioan. 17. *Clarifica me Pater claritate, quam habui, priusquam mundus esset apud te.* id est quam apud te habui antequam mundus esset, seu ante tempus, & ex æternitate, ita enim illa litera construenda, & intelligenda est, vt omnes Patres docent, qui inde colligunt gloriam, & maiestatem Verbi esse æternam, mundum autem non esse æternum, vt videre licet in Chrysostom. & Cyrill. *ibi*, Ambr. 4. de fid. c. 6. & alijs cont. Arrian. scribentibus. Et idem probant verba Sapientiæ Prou. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio.* Nam inde euidenter sequitur, nihil factum esse æternū, quia nihil est ante id, quod est æternum. Et simile est illud Eccl. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.*

Probatur 1 ex Scriptura

Secundò definita est hæc veritas in Concilio Lateran. sub Innoc. III. relato in cap. firmiter, de summ. Trinit. Et in VI. Synodo act. 11. idem tanquam dogma fidei profitetur Sophron. in sua ep. quam Concilium recipit. Et consentiunt Patres omnes, Hilarius Psal. 148. *In creatis nihil admittit æternum.* Idem Cyrill. 12. thes. c. 13. inde colligens, Verbum non esse creaturam. Quod argumentum frequens est apud Patres contra Arrian. Athan. lib. de Decret. Nicænæ Synodi, Basil. libr. 2. cont. Eunom. Damasc. 1. de fide cap. 8. Idem docent Patres exponentes verba Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, vt in vltima par. huius cap. videbimus.

Vt ratione probetur assertio dubitari solet, vtrum veritas assertionis positæ demonstrari possit. In quo in primis distinguendum est inter mundum vniuersum vt est vnum artificiale, ex cælo & elementis partim quiescentibus, partim suis motibus agitatis compositum, & inter singulas res vniuersi. Item distinguendum est inter demōstrationem quod nec mundus, neq; vlla res mundi sit æterna: vel tantum quod probari non possit; rem aliquam creatam esse æternam. Primum ergo dicimus, posse demonstrari fuisse possibile, mundum, & omnes, ac singulas res eius potuisse in tempore creari, ita vt nulla earum fuerit æterna, vel (quod perinde est) posse demonstrari, non esse impossibile, res omnes mundi in tempore incepisse. Hoc quidem est contra Aristotelem, qui putauit se oppositum demonstrasse. Probatur autem, nam inprimis res istæ siue in tempore, siue ex æternitate fiant, debent ex nihilo fieri, vt supra, & in Metaphyſica probatum est, quapropter ex hac parte non magis repugnat fieri in tempore, quam in æternitate, vel è contrario. Deinde fiunt à Deo libere, & non ex necessitate naturali, quia Deus sūmè liber est, & Dominus omnium, ac sibi sufficiēs, neq; ad suam completam beatitudinem creaturis indiget: ergo ex hac parte nulla necessitas fuit creandi res æternas, ac proinde nec repugnantia esse potuit creādi illas in tempore. Deniq; neq; ex parte creaturarum cogitari potest aliqua repugnantia, cum ipsæ de se non habeant esse, ac proinde sint veluti indifferentes, vt illud, quando sibi datum fuerit, recipiāt. Neq; etiam ex parte Dei, quia si aliqua cogitari, vel Aristotelem decipere, potuit maximè quod non posset Deus ex æternitate non creans incipere in tempore creare sine mutatione sui: at hoc falsum est. Quia potuit Deus ex æternitate habere propositum efficax, & immutabile creandi in tali puncto, & ex vi eius, actu, seu ad extra postea creare sine vlla sui mutatione.

3 *Primo*

4 *Dubium*

Primum

Secundum

Tertium

Probatur

Sed instat Auerr. 8. Physic. comm. 15. quia non potest à volūtate antiqua, actio noua prodire, sicut è cōtrario à volūtate noua actio antiqua prodire non potuit. Respondeo, dupliciter intelligi voluntatem esse antiquam, primo vt non tantum sit antiqua, sed (vt ita dicam) etiam antiquata, nimirum, quia fuit, & transijt, & non permanet, neque in se, neque in virtute sua: vel quia voluntas est antiquior actione, non tamen pertransijt, sed perseuerat. In priori sensu vera est assumpta propositio, quia quod non est, iam agere non

5 *Aduersa instantia explicatur*

potest

potest, etiamsi aliquando fuerit. Sed in hoc sensu nequè assumitur in præsenti illa propositio, quia voluntas Dei, etiamsi æterna sit, non est illo modo antiqua, quia non transit, nec est æterna tantum à parte antè, sed simpliciter in æternum permanet. At vero propositio assumpta intellecta de voluntate antiqua isto posteriori modo, euidenter falsa est, quia si voluntas antiqua durat cum actione, quæ de nouo fit, non potest efficacitatem eius impedire, quòd antea fuerit. Imo in creata, & mutabili voluntate, etiamsi antiqua voluntas actus, & formaliter non perseueret, si saltem virtus eius duret, poterit nouam actionem efficere, sicut motio manus in scribente, vel citharizante interdum est à præterita voluntate, cuius virtus perseuerat, quomodo solent Theologi distinguere virtualem voluntatem à formali. Et in motu physico sæpe à contactu antiquo procedit nouus motus per virtutem relictam, seu impetum: multo ergo magis voluntas æterna Dei in se formaliter perseuerans poterit nouam actionem in momento, ab ipsamet ab æterno præscripto, elicere. Et ideo non est similis alia comparatio, quæ fit voluntatis nouæ ad antiquam actionem, nam voluntas eo ipso quod noua est, non potest esse æterna, vel existens in tempore antiquo, & ideo mirum non est, quod ab illa non potuerit actio antiqua prodire.

Sed vrget vlterius Aristot. 8. Physicor. text. 90. & 12. Metaph. ca. 6. quia si voluntas interna est antiquior actione, seu productione externa: ergo causa mundi est prior effectu suo, non tantum natura, sed etiam duratione reali: ergo præcesserit tempore suum effectum, quia realis prioritas in duratione, non potest esse sine tempore, quia tempus non est nisi duratio, in qua prius, & posterius realiter inuenitur: ergo præcessit tempus ante mundum. Hoc autem est impossibile, quia tempus est non sine motu cæli, nec motus sine cælo, nec cælum sine mundo: ergo impossibile est, aliquid esse prius duratione reali, quam mundus: sicut etiam impossibile est aliquid esse prius, quam tempus, quia ipsum *prius*, & *aliquando*, & *fuit* sunt temporis differentiæ. Confirmant hoc Proclus, & Auerr. quia si daretur prius, in quo non esset hic mundus, spatium illud, quod nunc hic mundus replet, vacuum esset: at non potest dari vacuum: ergo non potuit dari duratio, in qua mundus non fuerit, ac proinde non potuit non esse æternus.

7 Respondeo, has obiectiones magis in verbis, eorumque abusu, vel malè intellecta significatione, quam in re consistere. Dico enim, si sermo sit de tempore physico, materiali, ac suo modo corporeo, quod est veluti vniuersalis mensura corporalium motuum: sic potuisse aliquid esse, quando tale tempus non erat, seu prius quam esset: imò statim ostendemus necessariò ita fuisse. Neque inde sequitur, aliquid temporis fuisse ante totum tempus. Primo quidem, quia in illis locutionibus aduerbia illa *quando*, *prius*, & *antequam* indicant quidem aliquam durationem realem, non tamen quæ sit tempus physicum, sed quæ sit æternitas, vel etiam posset esse æuum, vel aliqua duratio permanens, si Deus vellet Angelos, vel cælum empyreum, vel aliquid aliud ante cælum primum mobile creare. Imo de facto ipsummet corpus cæleste primi mobilis fuit prius suo motu secundum aliquam durationem realem, quæ non fuit tempus, nec pars eius, vt infra ostendemus. Secundo, quia illæ particulæ comparatiuæ *prius*, vel *antequam* licet positiuæ videantur, non significant positiuam habitudinem, sed negationem alterius rei simul cum alia coexistentis. Sic enim dicitur Deus esse antequam quicquam faceret, quia in sua æternitate extitit, nulla re alia illi coexistente: & similiter dicitur esse prius quam mundus, quia habuit esse sine alterius rei, seu mundi coexistentia. Quia vero non possumus hanc negationem concipere, aut explicare, nisi per modum positiuæ habitudinis, aut comparationis ad nostrum tempus, ideo vtimur eisdem terminis, quibus differentias, seu partes nostri temporis significare solemus, dicendo *quando*, *ante*, vel *prius*, per quas particulas non reale tempus, sed imaginarium, seu potentiale significamus, nam modo nostro intelligendi concipimus ante reale tempus infinitam quandam imaginariam durationem, in qua tempus reale esse potuisset; re tamen vera nihil est præter diuinam æternitatem, vt in compendio etiam Metaphysicæ Aristot. l. 12. ca. 6. breuiter attigi.

Vnde patet responsio ad confirmationem. Primo enim negamus sequelam, scilicet, vacuum esse debuisse, si mundus aliquando non fuit: nam vacuum dicit superficiem realem aptam repleri corpore, & non repletam, & ita ex parte fundamenti, seu continentis, aptitudine dicit spatium reale: hoc autem tunc non fuit ante mundum, quia nullum corpus, vel realis superficies fuit, sed spatium, quòd imaginarium vocari solet, quod in se non positiuum quid, sed tantum negatiuum est, à nobis autem instar positiui concipitur, & ideo aduerbijs localibus illud significamus. Et sic dicimus, extra mundum nihil esse, neq; vacuum, sed spatium imaginarium: sic enim etiam Aristoteles ipse dixit, extra cælum neq; locum, neq; vacuum, neq; tempus esse. 1. de cælo ca. 9. text. 99. Addimus vero (quod Aristot. non concederet, quia diuinam omnipotentiam non est assequutus) potuisse Deum non solum mundum denuo creare, sed etiam facere, vt ante mundum sensibilem nobis, & ante tempus primi motus vacuum præcesserit, creando, v. g. cælum empyreum solum, & totam eius capacitatem, & concauam superficiem nullo reali corpore replendo. Quia licet hoc non sit secundum naturæ ordinem, non implicat contradictionem, nec defuerunt Patres, qui ita factum esse significauerint, vt postea videbimus.

8 *Ad confirm. ex Procio, &c.*

Secundo dicendum est, posse efficaciter demon 9 strari, mundum hunc visibilem non potuisse esse æternum quoad successiones generationum, & corruptionum, vel successiuas alterationes, aut alias quascunq; discretas mutationes, per quas res aliter se habeant, quam prius realiter, & positiuè se haberent. Nec item, quoad motum physicum cælestem, & consequenter nec quoad tempus eius, quantumuis continuum. Hanc assertionem virtute tradidi in Metaph. disp. 20. sect. 6. vbi ostendi, res permanentes ab æterno creari potuisse, non tamen successiuas. Nam ex hoc principio euidenter sequitur nec generationum, & corruptionum successionem quasi discretam, nec motum continuum primi mobilis, ac proinde nec tempus ex tota æternitate esse potuisse. Quæ fuit etiam sententia Durandi in 2. d. 1. q. 3. quam multi moderni sequuti sunt, aliqui quoad vtranque partem, alij quoad priorem tantum.

1. Pronuntiatum, seu assertio 3 in ordine bipartita.

Solet autem illa pars de successione generatio- 10 num à multis probari ab inconuenienti speciali, quod in specie humana sequeretur, scilicet, quod nunc simul durarent animæ actu infinitæ, quia cum sint immortales omnes, quæ successiuè creantur, simul perseuerant: si autem series generationum fuisset æterna, infinitæ animæ successiuè creatæ fuissent, & consequenter nunc etiam simul permanerent. Propter quod inconueniens aliqui fatentur, fieri non potuisse, vt hominum generationes fuerint per successionem perpetuam ab æterno, quanuis in generationibus aliarum rerum, quarum formæ corruptibiles, vel mortales sunt, admittant illam successionem infinitarum gene-

1 Partem vt quidam probent.

Dissimulet tamen probatio.

rationum, & corruptionum fuisse possibilem. Re tamen vera non loquuntur consequenter, quia si non est impossibile, quod infinitæ animæ equorum fuerint per successionem eductæ de potentia materiæ, & transierint, non est cur sit impossibile animas hominum similiter fuisse creatas successiue in numero infinito, quia non est minor infinitas in vno numero, quam in alio, neque inducit specialem repugnantiam, quod vnus numerus totus simul conseruetur, & non alius: tum quia hoc est materiale ex parte rerum, & ad formalitatem (vt sic dicam) nihil refert, tum etiam, quia posset Deus, si vellet, animas etiam equorum separatas conseruare, neque illi esset difficilius oēs simul conseruare, quam successiuè producere: neque etiam ex parte ipsarum rerum potest in hoc specialis repugnantia assignari. Quare in huiusmodi argumentis, quæ in hoc puncto ex alio de repugnantia infiniti sumi solent, non magnam vim facio, quia sunt lubrica, & incerta, & fortasse non probant, omne infinitum esse impossibile, & hoc saltem verisimum existimo, in numero rerum permanentium non magis repugnare esse infinitum simul, quam successiuè, id enim conuincit ratio facta, & fatetur D. Thom. 2. con. gent. c. 38.

II. *Vera probatio.*

Propria ergo, & efficax ratio illius partis est, quia non potuit species hominum, vel equorum, vel quarumlibet rerum corruptibilium tota trāsire de non esse ad esse, per generationum successionem, sed necessarium fuit, vt in aliquo, vel aliquibus indiuiduis per creationem actualem existentiam acceperit. Hoc secundum fidem certum est tum quia omnes species creatę de se nihil sunt, & ideo non possunt absolute accipere esse, nisi per eductionem ex nihilo, ac subinde per creationem: tum etiam quia perfectiores species rerum immaterialium non possunt aliter existere: ergo nec species corruptibiles: tum denique quia species non accipit esse, nisi in aliquo indiuiduo: nō possunt autem omnia indiuidua alicuius speciei collectiuè sumpta esse per generationem producta, ita vt vnum sit genitum ab alio, & illud ab altero, & hoc ab alio, & sic in infinitum, sed necessario sistendū est in aliquo non genito ab alio indiuiduo illius speciei, ac subinde immediatè creato à Deo. Aliqui non omne esse existētiæ talis speciei ad Deum tanquam ad primum, & proximum fontem totius esse reduceretur, quod est contra essentialem dependentiam omnium creaturarum à Deo, ad quam pertinet, vt tandem omne esse ad ipsum vt ad primam, & proximam causam referatur, vt latius in Metaphysica disp. 29. sect. 1. n. 32. & sequentibus vsque ad 37. ostensum est.

12. *Obiectio cōtra proximam probationem.*

Vt autem magis hæc ratio explicetur, obijci potest, quia de facto videmus, species rerum corruptibilium productas esse in rerū natura sine propria creatione alicuius indiuidui, nam in ipsa specie humana nullus homo etiam primus ex nihilo factus est, sed ex præcedenti materia formatus, & similiter alia mista ex præiacentibus elementis facta sunt, plantæ, herbæ, & bruta terrestria ex terra, pisces ex aqua, volatilia ex aëre: ergo non est necesse, vt species incipiat in aliquo indiuiduo immediate à Deo creata. Respondetur primò, non esse contentiose insistendum in verbo *creandi*, nam in hoc solum efficacia rationis cōsistit, quod non potest in omnibus indiuiduis vnius speciei dari processus emanationis proximæ vnius ab alio, sed necessario sistendum esse in aliquo, qui immediatè à Deo profluxerit, siue per rigorosam creationem immediatam, siue per aliam actionē Dei propriam, quia licet sit ex præiacente materia, est distincta à generationis modo, quo vnum indiuiduum ab altero eiusdem speciei generatur.

Soluitur primo,

Soluitur amplius.

Vnde secundo additur, talem Dei actionem, licet præcise spectata, & condistincta à creatione, & conseruatione non sit rigorosa creatio, vocari nihilominus creationē in Scriptura, quia tota productio illius indiuidui vt à Deo solo est, includit creationem materiæ, & æquiualet creationi totius, ac si in principio simul totum, vna actione composita fuisset productum, sicut de cælis, & elementis in capite præcedenti n. 12. declaratum est.

Vnde si quis instet, quia nonnullæ sunt species rerum corruptibiliū, quæ in nullo indiuiduo immediatè producūtur à Deo, sed vel à sole, aut cæteris alijs, vel alijs astris, vt sunt mineralia, & plures species plantarum, seu herbarum, aut animalium imperfectorum: eadem danda est responsio, seruata proportione. Nam hoc non contingit, nisi in specieb. imperfectis, quæ à causis creatis superioribus per productionem æquiuocam generari possunt. Quæ species in duplici sunt differentia. Aliquæ ita sunt imperfectæ, vt indiuidua earum non habeant virtutem generandi, & ideo in eis nō est emanatio vnius indiuidui ab alio eiusdem speciei per vniuocam generationem, sed ipsa species in omnibus indiuiduis suis à cælo, vel ab aliqua simili causa eminentiori in omnib. suis indiuiduis immediate produci potest. Et tūc reductio ad Deum fit mediāte ipsa superiori causa creata, quia si species mineralium, v. g. vel herbarum incepit immediatè per actionem Solis, virtus ipsius Solis ad superiorem causam referēda est, & in ea reductions tandem sistendū est in causa proxima creata, quæ à Deo solo immediatè manauerit, & talis causa reputatur tanquam primū indiuiduum eminenter continens inferiorem illam speciem. Aliquæ verò sunt huiusmodi species imperfectæ generabilium rerū, in quib. indiuidua vtroq; modo fieri possunt scilicet per vniuocam generationē vnius indiuidui ab alio, & per immediatam productionē æquiuocam causæ superioris. Et in his etiam nō potest procedi in successionib. generationū vniuocarū, quin sistatur in aliquo indiuiduo nō producto per talē generationē, nec ab alio indiuiduo eiusdem speciei, sed vel à Deo, vel à cælo, quod prius à Deo immediate manauerit. Atque ita in omnib. rerum specieb. absolute verum est productionem speciei necessario reducendā esse ad aliq; emanationem, quæ immediatè à Deo fit. Sed quia id facilius cernitur in specieb. perfectis viuentiū corruptibiliū, quarū indiuidua nō possunt naturaliter produci, nisi per generationē vniuocā vnius indiuidui ab alio, ideo de illis maxime loquuti sumus. Est ergo euidēs illud principiū, quia species non fit, nisi in aliquo indiuiduo, non potest a. in omnib. indiuiduis fieri per vniuocā emanationē vnius ab alio: ergo sistendum est in aliquo non sic producto.

Hoc ergo principio posito euidēter cōcluditur, seriem generationū vnius indiuidui ab alio eiusdem speciei, non posse esse æternam. Quia necessario sistendum est in aliqua prima, quæ æterna non fuerit, neq; ab illa vsq; ad vltimā præcesserint generationes infinitæ à parte ante, quia in aliqua prima, & nō æterna necessario sistendū est. Probatur hoc quia necessario perueniendum est ad aliquam generationem factam ab homine, v. g. non genito ab alio, sed immediatè producto à Deo, vt probatum est. Vel igitur homo ille factus est ab æterno, vel in temporis initio, si in tempore omnino tollitur productio æterna: si vero ille creatus ponatur ab æterno, necesse est vt inter creationem illius, & generationem prolis ab ipso productæ æternitas quædam, & infinita duratio imaginaria seu obiectiue possibilis successiue præcesserit: ergo necessario danda est prima generatio propria in tempore facta. Minor probatur facile, quia homo creatus, & alius ab illo genitus non possunt esse simul duratione,

quia

quia generatio hominis non fit in instanti : ergo necessario homo generans , & non genitus antiquior est homine à se genito : ergo præcedit duratione ergo æternitate , si ab æterno ponitur creatus. Quam rationem in citato loco Metaphysicæ latius prosequutus sum. Et æquè procedit , siue vnus tantum homo , siue plures in quocunq; numero ponantur ab æterno creati , quia eadem proportione, si omnes genuerunt , in tempore genuerunt : ac proinde generationum successiones ab hominibus illis manantes in numero tantum finito esse potuerunt , nec potuit illa series , seu successio esse æterna quoad ipsas generationes. Quoad hanc ergo partem non potuit mundus esse æternus.

Nihilominus tamen quoad alteram partem de motu continuo cæli aliqui contendunt , non ita efficaciter demonstrari , non potuisse esse æternum sicut de generationum serie. Quia rationes, quibus id ostendi solet , solui possunt. Ego vero contrarium cum Durando dixi *in dicta disputat. 20. Metaph. sect. vlt. & disp. 29. sect. 1. num. 9.* Et eandem defendit Daniel Malon. loco infrà citando , vbi quibusdam rationibus , quæ supponunt , infinitum esse impossibile, vel non posse pertransiri , vtitur. Sed illis nunc prætermissis, aliæ, quæ ex conditione æternitatis, & productionis in ea factę sumuntur, mihi rem demonstrare videntur non minus efficaciter, quam illæ , quæ de successione æterna generationum factæ sunt. Prohatur ergo primò, quia cælum , v. g. si ab æterno crearetur , deberet necessario in certo situ, & dispositione creari: ergo in illa eadem dispositione, & eodem situ permansurum erat necessario per infinitam durationem: ergo non potuit motus eius ex æternitate incipere , sed initium temporale necessario habere debuit. Consequentiæ sunt euidentes ex dictis in puncto proxime præcedente. Antecedens autem probatur, quia creatio etiamsi æterna , necessario futura est de re definita, & singulari, & secundum omnes conditiones existentiæ determinata , vna autem ex his conditionibus est situs , & vbi definitum : ergo etiam in illo debuit habere certam dispositionem ex vi suæ creationis in loco, in quo creatus est. Ita vt non solum totum in tali loco totali, sed etiam pars eius in definito loco partiali creata sit, vt sol in Oriente, vel in Occidente, vel in aliquo alio certo situ totius sui circuli.

Sed aiunt, hoc argumentum supponere, cælum esse productum per primum sui esse , in aliquo determinato situ, quod repugnat hypothesi de creatione æterna , & petit principium , nam hoc esset probandum. Vnde respondent distinguendo propositionem assumptam, quod cælum debuit creari in determinato situ. Nam vel hoc intelligitur de primo puncto creationis , & sic negatur assumptum , quia non datur tale punctum primum, & consequenter nec determinatum situm admittere necesse est. Vel illud intelligitur de productione cæli absoluta, & sic aiunt , productum esse in determinato situ continuata creatione, & secundum illam in quouis situ fuisse productum. Hæc autem responsio non solum non satisfacit, verum etiam satis concipi non potest. Et in primis falsum est, nos supponere in argumento , cælum esse productum per primum sui esse : solum enim supponimus , debuisse produci per æternam productionem indiuisibilem, & quæ sit tota simul , & hanc dicimus , debuisse necessario in ipsa æternitate terminari ad cælum in determinato situ creatum, & ad definitum vbi , cum ipsa substantia cæli , & ex vi eiusdem actionis concreatum. Quia hoc est de ratione omnis physicæ actionis ad extra : illa autem creatio licet esset æterna : physica, & realis, ac singularis esset. Et hinc inferimus, illum situm debuisse necessario esse primum in tali corpore, non quidem primum per modum primi instantis , seu per existentiam in primo instanti essendi, sed primum per coexistentiam æternam , & per negationem prioris, quia & determinatus esse debuit, & ante illum nullus alius situs precedere potuit. Ex quo tandem concludimus , illummet situm necessario debuisse immutatum permanere per æternitatem , & infinitam aliquam durationem imaginabilem , seu possibilem , ac proinde motum necessario debuisse in tempore incipere. Vnde parum refert, quod illa creatio sit etiam cõseruatio æterna, quia sicut esset creatio, & conseruatio æternæ substantiæ , ita esset concreatio , & conseruatio æterni situs , quod repugnat æternitati motus.

17 *Probatur secundo pars prædicta.*

Secundo explicatur amplius vis huius rationis , quia conseruatio substantiæ cæli , quæ non est nisi continuata creatio , distincta actio est à motione locali cæli, vt est per se notum, tum quia talis motio non sequitur ex vi talis creationis, vel conseruationis , tum etiam quia sunt à distinctis proximis agentibus , nam conseruatio est immediatè à solo Deo , sicut creatio , motus autem localis est immediatè ab intelligentia creata , & à Deo tantum vt concurrente cum illa, vt supponimus , & motum sic factum putauit Aristoteles, fuisse æternum, & dicti auctores putant fuisse possibilem. Contrarium vero probamus ex eo , quòd dum res creatur siue in tempore , siue in æternitate, necessario habet determinatum situm proximè concreatum ab illo solo , à quo res creatur, & per illius intentionem , & voluntatem talem determinationem habentem , neque aliter intelligi potest determinata voluntas creandi aliquid practice, & efficaciter , seu executiuè : ergo situs ille æternus, quem cælum habuit concreatum à Deo, non potuit dari ab Angelo per motum localem: ergo multo minus potuit auferri per motum æternum , quia quicquid concreatur cum re ab æterno creata, æternum est, & consequenter per æternitatem, & durationem aliquam infinitam permanere debet, vt satis declaratum, & probatũ est.

18 *Probatur tertio*

Tertio argumentor in hunc modum, quia proprius motus localis supponit mobile existens in aliquo loco non tantum ordine naturæ , sed etiam ordine realis existentiæ in aliqua duratione indiuisibili , & ita tota simul , siue illa sit instans, siue æternitas. Ergo repugnat motum localem esse æquè æternum , ac ipsum mobile , & consequenter absolutè , & simpliciter repugnat esse æternum. Antecedens notum est in Philosophia , quia motus localis proprius non est transitus à non esse in loco ad esse in loco , sed est transitus ab vno esse in loco ad aliud esse locale, seu ab vno vbi ad aliud. Et hac ratione primus locus, in quo Angelus extitit , non potuit esse per motum localem , nec per voluntatem ipsius Angeli, sed necessario debuit esse per creationem , seu concreationem , & per voluntatem creantis Angelum , vt in superiori tractatu *libro quarto capite vndecimo numero vndecimo* probatum est. Et est verum siue cogitetur Angelus in tempore productus, siue ex æternitate. Et similiter cælum creatum in tempore non potuit incipere moueri ab Angelo , nisi prius saltem per instans existeret in tali loco determinato , quem sibi concreatum à suo creatore haberet : ergo similiter si cælum esset ab æterno creatum, priusquam moueretur habere debuisset certum locum sibi concreatum , & à solo creatore datum : illud autem prius non potuit esse solum transitorium instans , sed indiuisibilis æternitas, in qua supponitur tale corpus creatum : ergo non potuit tale corpus localiter moueri ex eadem æternitate.

19 *Probatur quarto ex comparatione locationis rectæ.*

Tandem declaratur hoc ex comparatione ad alios motus. Et in primis omnes fatentur, motum localem rectum non potuisse esse æternum. Illa autem repugnantia non potuit oriri ex defectu spatij, nam imaginaria spatia infinita sunt, & ex hac parte non repugnat motum rectum esse infinitum, seu in infinitum durare. Vnde si Deus voluisset totum hunc mundum loco mouere extra totum locum, seu spatium adæquatum eius, sine dubio posset id facere, sicut posset alium mundum extra istum creare, & corpus per vacuum mouere. Et eadem ratione posset motum illum totius mundi per infinitam successionem continuare, sicut posset alium, & alium mundum æqualem, vel maiorem in infinitum producere: ergo ex parte spatij, seu capacitatis non repugnabat motum rectum esse æternum. Nec etiam repugnaret ex eo, quod per motum rectum deseritur totus locus, per circularem vero non nisi secundum partes, nam si aliunde ex parte spatij est capacitas ad occupationem noui loci totalis, & desertionem totius loci prioris, impertinens est illa differentia ad inferendam repugnantiam in vno motu potius quam in alio. Ratio ergo repugnantiæ in motu recto solum est, quia corpus mobile motu recto necessario supponi debet præexistens in aliquo certo loco, & consequenter si tale corpus est æternum, aliquem æternum locum concreatum habuit, quem in eadem æternitate amittere non potuit, ac proinde cum per motum localem priorem locum amittat, non potuit ab æterno, sed in tempore ita moueri. Quod æquè procedit in motu circulari, quia licet non sit à toto loco respectu mobilis, fit per amissionem totius situs, & per mutationem vnius cuiusque partis, aut astri, vt Solis, lunæ, & similium à toto loco suo, & ita est eadem ratio.

20 *Item ex comparatione alterationis.*

Idem videri potest in motu intensionis, seu alterationis: nam si homo ab æterno crearetur sine gratia concreata, non posset illam recipere nisi post infinitam durationem, ac proinde in tempore: vel si cum natura reciperet gratiam quasi concreatam, non posset illam nisi in aliquo determinato gradu recipere, quia oppositum repugnat actioni physicæ singulari: talis autem gratia non posset deinceps intendi successiuè per totam æternitatem, non solum quia fieret infinitè intensa (nam hoc, consequenter loquendo, non repugnaret, cum latitudo intensiua gratiæ definita non sit) sed solum quia res facta in æternitate in certo gradu, in eo necessario per æternitatem manet sine diminutione, vel augmento: eadem vero ratio est de situ determinato secundum singulas partes, vt declaratum est. Denique Angelus ab æterno productus cum aliqua cogitatione coexistente simul suæ creationi, non posset illam intendere, vel mutare, aut omittere, & ad aliam transire, nisi post infinitam durationem, solum quia res concreata cum re æterna est etiam æterna, ac proinde per infinitam durationem necessario permanens immutabilis. Idem ergo est de situ concreato ipsi cælo. Ex quo euidenter concluditur, non posse motum localem in corpore ab æterno creato esse æternum. Quoad has ergo duas partes euidenter probatur, mundum non esse æternum.

21 *3. Principium, seu assertio 4. eius ordine.*

Dico ergo tertio. Non potest euidenter, & absolute demonstrari, nullam rem mundi siue spiritualem siue corpoream, siue corruptibilem, siue incorruptibilem esse æternam. Hoc latè tractaui *in dicta disputatione vigesima Metaphysic. sectione vltima*, ostendendo non repugnare, res permanentes ab æterno creari, & per æternitatem conseruari sine vlla mutatione, quandiu Deus illas ita conseruare voluerit: quia de ratione creationis non est, vt nihil, seu non esse rei durationè præcedat creationem, sed satis est, quod præcedat naturæ ordine, quia res de se non habet esse, & nihil esset, nisi ab alio reciperet esse. Quam sententiam bene etiam defendit Vasquez *dicta disput. 177. 1. part. cap. 3.* & Dan. Malon. *in 2. dist. 1. disputat. 7. in 2.* & *3. assertione.* Dicit autem ille cum Durando, res permanentes corruptibiles naturæ suæ relictas non potuisse ab æterno produci. Ego vero licet rem ab eo intentam veram esse censeam, nimirum rem corruptibilem, si crearetur ab æterno, necessario debuisse immunem à corruptione per æternitatem quandam conseruari, quod videtur à natura rei corruptibilis alienum: licèt (inquam) hoc verum sit absolute loquendo, nihilominus ex suppositione quod res corruptibilis sit creata ab æterno, necessario sequitur, vt corrumpi non posit per aliquam durationem infinitam, imo neque annihilari, quia repugnat rationi æternitatis omnis talis mutatio, vt probatum est. Quamuis illa duratio non habeat certum imaginarium terminum à parte post, sed voluntate diuina determinandum sit, vt ibi declaraui, & ideo censui, non esse necessariam illam limitationem, seu conditionē, quia in ipsamet conditione æternitatis intrinsecè includitur.

Vnde dico quarto. Licet non possit absolute demonstrari, omnes res creatas in tempore, & non ab æterno factas esse, nihilominus efficaciter ostendi potest, hoc & conuenientius esse ex parte ipsius Dei, & magis consentaneum naturis creatarum rerum, & secundum extrinseca testimonia, vel indicia credibilius. Prima pars probatur, tum quia res creatæ in tempore euidentius ostendunt dependentiam à supremo ente per essentiam, & indigentiam influxus eius, vt existere valeant, quam si ab æterno semper fuissent: tum etiam, quia hoc modo manifestatur apertius, Deum non ex necessitate naturæ, sed liberè mundum, & omnes res eius produxisse: tum præterea, quia ita clarius constat, Deum non propter suum commodum, sed propter solam voluntatem benefaciendi alijs res procreasse. Cum enim Deus ab æterno statum sibi sufficientem, & summè felicem, ac beatum habuerit sine creaturis, plane ostenditur, illis propter se non indiguisse, sed ex sola bonitate sua illis se, quando voluit, communicasse. Ergo ex parte Dei fuit hic modus creationis conuenientior. Deinde ex parte creaturarum res clara est, quia omnis creata substantia vel est corruptibilis, aut saltem mutabilis, vel secundum locum, vel secundum aliquam qualitatem, & passionem saltem perfectiuam, seu per actum immanētem: nec est consentaneum naturæ eius, vt pro infinita duratione in eodem statu permaneat. Sed status æternitatis necessario secum affert hanc immobilitatem, vt declaraui: non est ergo à parte antè consentaneum naturis creatis æternas esse. Dico autem *à parte ante* quia à parte post non ita repugnat quia infinitas durationis in posterum nunquam actu cōpletur, sicut à parte ante necessario esset asserendum posita æterna creatione. Pro tertia vero parte de credibilitate ex signis, vel testimonijs externis, præter testimonia fidei nostræ, induci possunt testimonia Philosophorum ante Aristotelē, nam, ipso etiā teste *l. 1. de cælo, text. 102. Oēs mundū generant*, imo hic videtur fuisse communis fere cōsensus gentium etiam infidelium. Item historię omnes tam diuinæ, q̄ humanæ iuuant, qa in eis ad summum inueniuntur vestigia antiquitatis mundi quinq̄, aut sex millium annorum, nam historia Moysis hanc antiquitatem non transcendit, & tamen creditur esse antiquior omni humana historia, vt Ioseph. *l. 1. contr. Appionem à principio* eleganter ostendit.

stendit, cuius sententiam Patres confirmât, Clemens Alexandr. *libr. 1. Stromat.* Iustin. *Apolog. 2. pro Christianis versus finem* Tertull. *in Apolog. cap. 19.* Eus. *in Proœm ad Chron & lib. 10. de præpa at. Euang cap. 3.* & August. *lib 18 de Ciuit cap. 8. & 37.*

Vnum verò superest theologicum dubium huius loci proprium, videlicet, an veritas de mundi creatione temporali, & non æterna sufficienter probetur ex illis verbis, Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Quod dubium de mundo visibili nunc tractamus, nam de Angelis, & supra in suo loco dictum est, & nunc an illorum creatio sub illis verbis comprehendatur, nondum discussimus. Ratio autem dibitandi est, quia ex loco habente plures sensus, & expositiones, nihil certi probari potest: sed ille locus est huiusmodi: ergo. Maior videtur nota, quia si in alio sensu verba illa verificari possunt sufficienter, aliunde efficaciter, & de fide comprobare non possunt. Minor etiam constat ex varijs sanctorum expositionibus, & ex ambiguitate illarum vocum *in principio*, vtraque enim multiplicis significationis est. Nam particula *in*, licet frequenter sit designatiua temporis, aut loci, iuxta proprijssimam Latinam significationē, tamen in Scriptura sæpe ponitur pro particula *per*, vt ad Hebr. 1. *Nouissimè loquutus est nobis in filio*, id est, per filium, & Psal. 121. *Fiat pax in virtute tua*, &c. Aliquando æquiualet dictioni *cum*, vt Oseæ 4. *Lugebit terra & infirmabitur omnis, qui habita tin ea, i. bestia agri*, id est, cum bestia, & 2. Petr. 1. *Minstrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam*, &c. Psal. 2. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Similiter etiam vox *principium*, significare quidem potest temporis initium, tamen etiam significare potest primam inter res creatas, illam scilicet ante quam non est alia producta, sicut fundamentum dici potest principium domus: item principium dicitur, quod in origine, seu productione actiua est prius, & ita Pater inter diuinas personas dicitur principium, & fons illarum, & filius dicitur principium Spiritus sancti, & similiter Verbum diuinum dicitur principium creaturarum, *quia omnia per ipsum facta sunt*, Ioan. 1. & cap. 8. interrogatus Christus: *Tu quis es?* respondit, *Principium qui & loquor vobis.* Aliter iuxta proprietatem vocis Hebraicæ illi dictioni *principio* correspondentis, dicitur, nomine principij significari aliquando principem, & ducem, & caput, vel summam totius rei.

Hinc ergo variæ ortæ sunt lectiones, & interpretationes illorum verborum. Inter quas illa est famosa, & celebris, quæ exponitur, *in principio*, id est, in filio, quia filius principium est, vt ex Ioan. 8. diximus, & ita particula *in*, idem quod *per* significat, sicut ad Colosſ. 1. ait Paulus, *In quo condita sunt vniuersa*, & sicut de eodem ibidem dicit, *In quo habemus redemptionem*, & iterum infrà, *Ipse est ante oēs, & omnia in ipso constant.* Et hanc expositionem probant Hilarius in id Psalmi 39. *In capite libri scriptum est de me*, & Hieronym. *in principio Quæstion. Hebrai. in Genes.* Ambros. *lib. 1. Exaemer. cap. 3. 4. & 6.* Augustin. *lib. 1. Gen. ad liter. cap. 2. & lib. 11. de Ciuit. ca. 32. & lib. 12. Confession. cap. 38. & in Imperfect. Genes. ad liter. cap. 1* & Origen. *hom. 1. in Gen. in princip.* & Rupert. *lib. 1. c. 3.* Et ad hanc expositionem reducitur, quod alij dicūt, in sapientia, aut verbo suo Deum creasse mundum.

Alia expositio illorum verborum est, *In principio creauit Deus cælum, & terram*, id est, res, quas Deus primum, & ante omnes alias creauit, sunt cælum, & terra, iuxta illud Psalm. 101. *Initio tu Domine terram fundasti.* & sic videtur exponere Augustin. *li. 11. de Ciuit. cap. 6.* cum dicit, *Porrò si literæ sacræ, maximeque veraces ita dicunt, in principio fecisse Deum cælum, & terram, vt nihil antea fecisse intelligatur, quia hoc potius fecisse diceretur, si quid fecisset ante cætera cuncta, quæ fecit,* Franc. Suarez *de opere sex dierum.*

procul dubio non est mundus factus in tempore sed cum tempore Et hanc expositionem inter alias ponit *libr. 1. Genes. ad liter. cap 1.* & in Imperfect. super. Genes. *cap. 3.* & Basil. *homil. 1. Exaemer* dicens, *Ad hæc deprehendes cælum, & terram, quæsi fundamenta quædam, & bases fulcrales vniuersi prius tacta fuisse, & perstructa.* Et similiter loquitur Ambros. *lib. 1 cap. 4.* Eucher. *lib 1. in Gen. cap. 1.* Omitto alias expositiones, tum quia minus probabiles sunt: tum etiam quia hæc sufficere videntur ad huius testimonij vim eludendam contra mundi æternitatem. Quia etsi mundus ab æterno creatus esset, factus fuisset *in principio* id est, in Verbo, sapientia, vel filio, & inter omnia creata prima essent cælum & terra, ita vt ante illa nihil creasset Deus, sed illa essent veluti fundamenta cæterarum rerum, nam in eadem æternitate id habere potuissent.

Nihilominus dicendum est, hoc testimonio efficaciter, & de fide probari mundum non ab æterno, sed in tempore, vel cum tempore, seu in initio temporis, vel instantis, aut alicuius creatæ durationis fuisse creatum. Probatur primo, quia verba ipsa simpliciter, & sine vlla vi, aut proprietate intellecta hunc sensum præseferunt, & ideo nullo modo excludendus est. Præsertim quia cum sermo ille sit historicus, in omni proprietate, ac simplicitate sermonis verba eius accipi debent. Secundò, quia illud principium assignat Moyses tanquam initium tam illorum sex dierum, in quibus completa est mundi institutio, quàm totius temporis subsequentis. Vnde optimè colligit Basilius *dicta homil.* 1 ex illo testimonio conuinci, *non fuisse plures annos durationis temporis, seu mundi, quàm possint vsque ad illud principium supputari* Tertio, quia *in cap firmiter. de Sum. Trinit.* definit Concilium Lateran. Deum sua omnipotenti virtute *ab initio tēporis* condidisse mundum, in quo tacitè exponit verba Moysi de initio temporis, & ita ibi esse definitum hunc sensum, multi moderni existimant. Quarto, quia in hunc sensum conspirant omnes Patres, nam licet alios adiungant, hunc tanquam proprium, & primarium, & fundamentalem supponunt, vt videre licet in Hieronymo, Ambros. & Basil. *locis citatis*, & Chrysost. *homil 2 in Genes.* Athan. in illa verba, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, Tertullianus *aduersus Hermogen. cap. 19. & sequentibus*, Cyrillus *libro quinto Thesauri cap. 6.* & consentit Augustinus *dicto libr. 11. de Ciuitate cap. 6. & libro primo Geneseos & ad liter. c. 1. & 2. lib. 12. Confess. a. c. 28. 1 sq. ad finem* D. Thom. 1 *p. q 46. art. 3.*

Neque obstant, quæ de alijs expositionibus allata sunt: nam qui vt literales illas admiserit, non debet vllo modo hanc excludere, sed in eadem litera plures literales sensus admittere, vt probabilior Theologorum sententia fert, de qua alibi. Et quidem posterior sensus ex duobus primis satis consentaneus est literæ, & proprietati verborum, multumque à Patribus approbatus. Videtur tamen mihi ita inuoluere, & includere hunc tertium sensum, vt necessario illum inferat, nec separari commodè possint. Quia ita Moyses affirmat, cælum, & terram esse primas res creatas à Deo saltem ex visibilibus, vt etiam affirmet, creationem illarum incepisse, cum antea non fuisset, & ita simul tradit principium ipsius creationis, & rerum, à quibus mundus incepit. Altera verò expositio licet reijcienda non sit, maximè propter Patrum auctoritatem, vel est addita allegoricè, vt quidam loquuntur, vel secundum sensum literalem reconditum, & ab Spiritu sancto intentum, non tamen ad verborum contextum, & historię veritatem necessarium.

26 Pars affirmans de fide est. Probatur primo.

Secundo

Tertio

Quarto ex Patribus

27 Satisfit expositionibus allatis num. 24. & 25.

):(

CAPVT III.

An cœlum æthereum in principio temporis creatum fuerit.

1. *Pro hac q. suppositio 1. nomine principij intelligi initium durationis.*

HActenus explicuimus, quando, quomodo, & à quo mundus hic visibilis creatus fuerit, & consequenter verba illa, *In principio creauit Deus* exposuimus, nunc de rebus ipsis per hanc propriam creationem productis dicendum superest, & consequenter sequentia verba, *cœlum & terram*, exponemus. Vnde supponimus, nomine *principij* nos semper intelligere illud primum instans, in quo mundus per propriam, & rigorosam creationem factus est, prius que de cœlo, postea de terra dicemus. Deinde supponimus, cœlum illud fuisse corpus quantum ex se sensibile, & locum corporalem replens. Nam licet Augustinus interdum de sophis Angelis id interpretari videatur, vt infra videbimus, certissimum nihilominus est, non esse excludendum verum, & corporale cœlum, quia hæc est propria significatio vocis, & non est admittenda improprietas, ac metaphora in ingressu historicæ narrationis sine cogente necessitate, quæ nulla hic est, nec auctoritas; quin potius cùm Ecclesia in symbolis fidei vnum creatorem cœli, & terræ confitetur, ita planè cœli nomen interpretari videtur. Idemque argumentum ex capite *firmitas* desumitur, & ex Patribus statim ostendetur. Suppono denique triplex esse cœlum ex modo loquendi Scripturæ, & Patrum, scilicet, empyreum, æthereum, & aëreum: empyreum vocatur supremum omnium cœlorum, quod est veluti per antonomasiam sedes Dei, & proprius locus beatorum, aëreum notum est, sub æthereo ergo omnia corpora simplicia inter cœlum empyreum, & elementum aëris contenta comprehendimus, de quibus primò tractamus, quia empyreum minus notum est; & aër iuxta communem & philosophicum morem non tam propriè cœlum nominatur.

2. *Suppositio, nomine cœli intelligi corpus quantum.*

3. *Suppositio prædictum cœlum tripliciter vsurpari.*

2. *Tam suadentibus pari negans quæstionis.*

Ratio ergo dubitandi est, quia vnum, vel præcipuum ex his cœlis est firmamentum, in quo fixæ stellæ insunt: sed firmamentum non fuit creatum in primo instanti creatoris mundi: ergo nec cœlum æthereum, neque aliquod ex cæteris in dicto spatio contentis. Maior nota est ex vsu Theologorum cum D. Thom. 1 *p. q. 68 art. 1. & sequentib.* & potest sumi ex illo Daniel. 12. *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates* Minor autem probatur, quia paulo pòst *in eodem cap. Genes* dicitur firmamentum die secundo factũ. Consequentia denique probatur, tum quia eadem ratio est de cæteris cœlis illius ordinis, quæ de cœlo stellato, cùm sit illud spatium interiectum inter cœlum empyreum, aut cristallinum, seu primum mobile, & supremum planetarum, non debuit vacuum in eo instanti relinqui. Neque etiam debuit aliquo corruptibili corpore postea inde eiiciendo, vel in aliud transmutando repleri, cùm vicina corpora superius, & inferius essent incorruptibilia. Ergo melius consequenter dicitur, nullum cœlum æthereum tunc fuisse creatum, sed illud totum spatium, quod hi cœli replent, tunc vel aëre, vel materia informi, vel imperfectè formata plenum fuisse, donec cœli fuere formati. Et hoc confirmatur, quia legimus, solem, lunam, & stellas quarto die fuisse facta: eadem est autem ratio totius, & partis: ergo omnes isti cœli non primo instanti creati, sed postea successiuè facti sunt.

Cõfirmatur.

3. *Opinio quadam refertur.*

Potest in primis hoc loco referri opinio dicens, nomine cœli non significari determinata corpora, sed summatim sub illis vocibus comprehendi omnes res vniuersi. Sed hæc sententia non est modò tractanda, quia potest & verum, & falsum sensum habere, & ideo in discursu huius libri paulatim enodabitur, & in fine illius vera resolutio concludetur. Vtcunque verò intelligatur, negari non potest, quin per illas voces corpora diuersa, seu partes distinctæ vniuersi significentur. Hoc enim & verborum distinctio, & propria vniuscuiusque significatio coniuncit. Ideoque, ita sunt semper communi sensu Ecclesiæ, & Patrum intellecta. Et ideo prius videndum est, quid per se & propriè illis nominibus significatum sit, & consequenter dicemus, an aliæ res sint sub illis primis significatis comprehensæ, & quæ illæ sint, & qua ratione sub hac vel illa indicari intelligantur.

Auctor.

Assertio communis.

Ratio assertionis.

Assertio.

Probatur.

Igitur in præsenti puncto propter rationem factam dixerunt aliqui in eo instanti non fuisse creatum cœlum æthereum, de quo nunc loquimur, sed nomine cœli solum empyreum significari. Hæc enim fuit sententia Bedæ *in principio Exaëmeron*, quod et- iam Iunilio tribuitur, & ibi allegatur Hieronymus, de cuius sententia infrà dicemus. Citatur etiam pro hac sententia Damascenus *libro primo, capite sexto*, ait enim, *In vniuersitatis huius procreatione cœlum illud conditum fuisse, quod ij, qui apud exteros sapientia laude floruerunt, Mosi dogmata sibi vendicantes, orbem sydereum expertem vocant.* Sed hæc verba optimè de primo mobili, seu cœlo crystallino intelliguntur, & in eis Damascenus cæteros cœlos non excludit. Imò illi cœlo statim subiungit firmamentum, de quo & de alijs cœlis varias opiniones refert, & concludit: *Cæterùm quoquo modo hæc se habeant, omnia certè diuino iussu facta ac stabilita sunt, diuinamque voluntatem, atque consilium pro fundamento habent.* In quo loquendi modo potiùs significat, cœlos creatos esse simul quàm successiuè, licèt neutrum expressè declaret. Magis indicant hanc sententiam Basilius *homilia tertia Exaëmeron*, ponens firmamentum factum quoad substantiam secundo die, & ab elementis distinctum, licèt sentiat ex eorum materia fuisse productum. Item Origenes *homilia prima in Genes.* cœlum à principio factum à firmamento distinguit, & sedem Dei appellat. Item Anselmus *libro 1. de imagin. mundi cap 28.* & Hugo Victorin. *in sum senten. tract. 2 cap 1. in fin.* & Glossa Ordinar. Strabonis, & Abulens. *Gen. 1.* & ex Scholasticis Bonauent. *in 2. distinct. 12. in primo dubio litteralis.* Pluresque alios antiquos, & modernos auctores refert pro hac sententia Pereri. *lib. 1. in Gen. circa illa verba, cœlum & terram.* Hanc verò sententiam ex modernis Theologis acriter defendit Molina *in tract. de opere sex dierum disp. 2.* & Salmer. *1. Par. 3. disp. 4.*

4. Nihilominus dicendum est, in illo principio mundi, seu primo instanti creationis eius creata esse omnia cœlestia cõrpora mobilia à primo mobili vsque ad vltimam lunæ sphæram inclusiuè. In assertione non excludo cœlum empyreum, nec in ea parte præcedenti sententiæ contradico, sed illam in caput sequens tractandam relinquo: tantùm ergo asserо, reliquos cœlos tunc esse creatos, siue illud aliud sit, siue non sit. Sic ergo assertio communis est inter Scholasticos *in 2. distinct. 12.* quos paulo pòst referemus. Et præsertim sumitur ex Diuo Thoma *1. p. q. 66. art. 1.* iuncto alio *ar. 1. q. 68.* & paulo pòst auctoritate Patrum comprobabitur. Ratione igitur probatur: quia verba Scripturæ huic assertioni non repugnant, imò illis est valdè consentanea, & alioqui est valde conformis rationi naturali: ergo. Maior per se patet ex propria significatione nominis *cœli*, & statim *in numero septimo* magis declarabitur. Probatur ergo minor primò, quia nihil factum est à Deo per propriam, & rigorosam creationem, nisi in illo primo instanti: quicquid enim postea factum est, ex ma-

Assertio.

Probatur.

Ratio assertionis.

Assertio.

Probatur.

Minor.

Probatur.

Maior.

Probatur.

ceria

teria præiacente formatum est, vt omnes fatentur, & ex discursu totius fabricationis mundi aperte constabit. Sed cœlum æthereum quoad omnia dicta corpora cœlestia, non est producibile natura sua, nisi per creationem: ergo in illo primo instanti factum est. Consequentia est nota, quia non est credibile Deum in prima creatione rerum aliter creasse cœlum, quàm natura eius postulet, vel quàm sit naturæ illius consentaneum: id enim neque ad manifestandam diuinam sapientiam, neque omnipotentiam pertinebat, vtraque enim magis ostendebatur subito, & vno momento, ac imperio, nobilissima corpora, nobilissimo etiam modo, prout natura illorum postulabat, ex nihilo creando. Neque alius modus productionis cœlorum in Scriptura fundamentum, aut vestigium habet. Probatur ergo minor, quia cœlum est corpus natura sua incorruptibile, & inalterabile: ergo etiam est ingenerabile natura sua ex præiacente materia, ac subinde natura sua postulat per creationem produci.

Assumptio de cœli incorruptibilitate intrinsecà non potest quidem aut demonstratione conuinci, aut ex Scriptura efficaciter probari. Nihilominus est aperta sententia Dionysij *cap. 4. de diuin. nominibus* in prima eius parte, quam Scholastici, & Philosophi tam gentiles, quam Christiani communiter magis probant. Et quidem si rationem spectemus, est multo verisimilior, tum quia cœli facti sunt, vt perpetuò durent sine vlla transmutatione etiam partiali, diminutione, vel augmento, quæ proprietates melius quadrant cum substantia natura sua incorruptibili, tum etiam quia facti sunt, vt per ipsorum continuam influentiam vniformiter difformem inferiora omnia per continuas generationes, & corruptiones conseruarentur perpetuo, quantum est ex parte talis cõstitutionis vniuersi, ad quem finem aptior etiam erat natura incorruptibilis: tum præterea, quia nullum indicium corruptionis, vel mutationis tendentis ad illam, in tanto temporis decursu in eis obseruatum est: tum quartò, quia per se videtur incredibile, solem, vel astra cætera esse corruptibilia, nec magis credibile est, corpori corruptibili, aut ordinis inferioris esse affixa: tum quintò, quia motus circularis cœli de se perpetuus aliquod etiam indicium, & argumentum præbet incorruptibilitatis cæli, vt maximè Aristoteles ponderauit: tum denique, quia corruptibilitas ab intrinseco proximè prouenit ex qualitatibus, & dispositionibus habentibus contrarium, quas cœlum non habet, nec cum aliquo fundamento ei tribui possunt. Cùm ergo hæc omnia incorruptibilitati faueant, & alioqui non fuerit Deo difficile, nedum repugnans, talia corpora de se incorruptibilia facere, hicque modus constitutionis vniuersi nt nobilior, magisque Dei omnipotentiam, & sapientiam commendet, non est, cur de incorruptibilitate cœlorum dubitemus, si rationem (quam) spectemus. In Scriptura autem nihil inuenitur huic veritati contrarium. Imò primaverba Geneseos illam confirmant, vt statim ponderabimus. Difficultatibus autem, quæ ex operibus secundi, & quarti diei oriri videbantur, in 2. lib. explicando illorum dierum opera, plenè, vt spero, satisfaciemus. Facit etiam quod Psal. 148. postquã de cœlis dicitur, *Ipse dixit & facta sunt ipse mandauit, & creata sunt*, additur, *Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi* &c. Ac denique Iob 37. de cœlis dicitur: *Solidissimi, & quasi ex fusione sunt* quod de cœlis aëre superioribus Gregor. D. Thom. & ferè omnes interpretantur, eorumque incorruptibilem soliditatem ibi describi intelligunt, quamuis alij de aëre subtiliter interpretantur.

Addimus præterea (estque principalis rationis maior propositio) veritatem hanc de creatione cœli ætherei in primo instanti creationis mundi magis esse consentaneam narrationi Moysis dicentis: *In principio creauit Deus cœlum*. Probatur primò ratione, in qua in primis suppono id, in quo omnes videntur conuenire, ibi nomine cœli non significari solum elementum ignis, vel aëris, siue illa etiam sub cœli nomine comprehendantur, siue non, quod postea videbimus. Hoc ergo posito, nõ apparet verisimile, Moysem de solo empyreo cœlo fuisse locutum: ergo maximè locutus est de cœlo æthereo, etiamsi aliud non excluserit. Probatur antecedens, quia, vt Sancti illa verba exponentes dicunt, Moyses cum creationis mudi exordia rudi populo vellet proponere, vti debuit verbis in significatione omnibus nota & familiari: at verò nomine cœli communiter omnes intelligunt hæc corpora superiora visibilia, & omnium cognitioni exposita: ergo credendum est, illa maximè nomine cœli significasse, & non tantum cœlum empyreum inuisibile nobis, & siue per motum, siue per alios effectus valde ignotum. Accedit, quod de illo cœlo empyreo vel nulla, vel certè valde rara mentio in Scriptura fit, vt cap. sequenti videbimus: alij verò cœli, qui mouentur, & in hæc inferiora influunt, passim nomine cœli, vel cœlorum significantur: ergo maximè probabile est, non fuisse excusos à significatione nominis cœli in illis primis verbis: *In principio creauit Deus cœlum*. Denique postea ostendemus, etiam aërem sub illa voce comprehendi: ergo multo magis cœli inter aërem, & empyreum cœlum comprehensi sunt. *Probatur ia principalis rationis maior propositio*

8. Deinde ex sanctis Patribus apertè hanc sententiam sequuntur Basilius homilia 1. Exaëmer. dicens sub terra comprehendi cætera elementa, cœlum autem esse corpus illud superum, quod supra elementa existit. Et in homil. 2. dicit, cælum, quod in principio fuit creatum, postea fuisse luce, & stellis ornatum, quod de cœlo empyreo dicere non potuit. Ambros. etiam lib. 1. Exaëmer. c. 6. per cœlũ illud intelligit, *quod est prærogatiua generatione & causa*, vtique vniuersalis, & efficiens, nam materialem dicit esse terram. Apertius id docuerat Tertull. contr. Hermogen. capite 26. vbi etiam firmamentum dicit esse illud cœlum quod in principio factum dicitur, de quo postea videbimus. Fauet item Hieron. epist. 139. ad Cyprian. dicens, Moysem illis verbis creationem tantùm rerum visibilium exposuisse, quod licet nimium videatur propter particulam exclusiuam *tantùm* nihilominus satis significat, Moysem de his cœlis visibilibus loquutum fuisse. Et Augustin. lib. 2. Genes. ad liter. per quatuor prima capita non putat improbandam sententiam, quæ negat cœlum sydereum esse firmamentum die secundo factum, ex quo planè fit, fuisse in principio creatum. In quam etiam sententiam magis inclinat D. Thom. 1. p. q. 68. artic. 1. ad 1. vbi varias opiniones referens, hanc vltimo loco ponit. Eandemque optimè suadet, ac defendit Perer. supra in discursu expositionis illorum verborum, *In principio creauit Deus cœlum*. & ibid. Eugubin. & Caietan. Et plures alios huius interpretationis sectatores refert ibi. Ascani. Martinengus in glossa magna. *Confirmatur ex Patribus.*

9. Ex quibus à fortiori concludimus, non significari in illis verbis nomine *cœli* materiam informem, ex qua postea formati, seu producti sunt orbes cœlestes, qui sub empyreo vsque ad lunam continentur, siue per materiam informem intelligatur materia pura carens omni substantiali forma eiusdem, vel alterius speciei à materia rerum generabilium: siue intelligatur corpus aliquod imperfectum materia, & forma constans, ex quo postea per introductionem formarum perfectio- *Bipartitum consectarium ex proximè dictis.*

rum cælestia corpora substantialiter producta fuerint. Vtroque enim modo de illa materia informi opinati aliqui sunt; neuter autem iuxta literæ proprietatem, aut veram rationem potest subsistere. De priori patet, quia materia cœli nuda, & quæ nunquam fuit informata forma cæli, nec ad illam recipiendam proxime disposita, non potest nisi abusiuè, & cum magna multumque voluntaria improprietate cælum appellari. Talis enim significatio nec in aliquo vsu habet fundamentum, nec in Scriptura illius vestigium inuenitur; ergo sic exponere non est interpretari fideliter, sed ad libitum Scripturam corrumpere, quod in nomine *terræ* latius infra videbimus. Vt omittam esse contra omnem rationem fingere illud miraculum, vel monstrum creandi puram materiam sine forma, sicut de elementari etiam dicemus.

Eius prior pars ostenditur.

10. *Ostenditur etiam posterior.*

In altera item opinione, licet vt probabile admitteretur, cælos esse productos ex aliqua præiacente substantia aquea, vel simili, nihilominus non esset probabile, illam significatam esse nomine cæli, tum propter rationem factam cum proportione applicatam; tum etiam quia aliàs non posset ex illo loco probari aliquod cæleste corpus factum esse per creationem propriam in illo principio, quod est contra omnes Patres, & contra omnem rationem. Sequela autem est clara, quia si substantia illa imperfecta dicta est cælum, quia ex illa formandi erant cæli; eadem facilitate posset quis dicere, cælum etiam empyreum ex eadem materia esse formatum, quia est eadem ratio, & quia non potest oppositum ex Scriptura ostendi, vel efficaci ratione probari, data hypothesi, quod alij cæli essent ex tali materia formati. Quod autem nec in reipsa facta fuerit talis substantia imperfecta transmutanda postea in substantiam cælestem, ratione à nobis ostensum est, quantum materia patitur, nec ad ostensionem diuinę omni potentiæ confert, multo enim magis illam manifestat, quòd subito, & quasi vnico & indiuisibili fluxu perfectissima cælestia corpora ex nihilo procreauerit. Quod vero talis materia, seu substantia imperfecta per nomina *terræ* aut *aquæ* in illo principio Geneseos significata non fuerit, in sequentibus ostendemus. Et ad difficultatem sumptam ex productione firmamenti in libro sequenti *cap.* 2. explicando opus secundi diei, respondebimus, quia non potest aliter plene dibitationi satisfieri. Nunc ergo solum negamus firmamentum secunda die factum, fuisse cælum stellatum, vel aliquod ex cælis supra elementa constitutis. Quid autem fuerit, ibi dicemus. Et de sole, luna, & stellis in opere quartæ diei dicendum erit.

Obiectio proxime dictis contraria obiter perstringitur

CAPVT IV.

Vtrum sub cælo in principio creato cælum empyreum comprehendatur.

Præsentis capitis puncta quatuor

NVnc supereſt examinanda sententia Patrum superiori capite relata quoad partem affirmantem de cælo empyreo, quòd sub nomine cæli in illa prima sententia comprehendatur. In quo dubio quatuor puncta breuiter tractanda occurrunt. Primum, an tale cælum sit? secundum, an æternum sit? tertium, si temporale est, quando creatum sit? quartum, an de illo in verbis illis Moyses fuerit loquutus, de quibus suo ordine breuiter dicemus.

1. *Caietani opinio circa 1. punctum*

Circa primum Caietan. *in cap.* 12. *secundæ ad Corinth.* sentit, non esse tale cælum. Affirmat enim primum mobile, quod proxime est, supra cælum stellatum esse supremum, & illum esse cælestem patriam, in qua Deus, & beati habitare dicuntur. Et addidit, *Empyreum siquidem cælum a posterioribus traditum, nullibi inuenitur in Scriptura.* Ex quo inferre vult, non esse tale cælum supra primum mobile, aliàs non satis intentionem suam probasset. Eandem sententiam tribuunt aliqui Augustino Eugubino *in cap.* 1. *Gen.* vt illum à grauiori errore liberent, de quo in secundo puncto dicemus. Et pro hac sententia allegari potest Damascenus *lib.* 2 *cap.* 6 vbi supra firmamentum, & cælum stellatum simul vnum cælum agnoscit, quod instellatum, seu stellis expertem vocat. Et infra, illud cælum cæli, & primum cælum appellat, & à Philosophis cognitum esse dicit: vnde non immobile, sed potius primum mobile illud manifeste ponit, & consequenter empyreum excludit. Basil. etiam *hom.* 3. *Exaemer.* duos tantum cælos vltra aereum agnoscere videtur, & indicat Theodoret. *q.* 11. de cuius sententia plura statim.

Sed veritas communiter in Ecclesia recepta, & omnino certa est, vltra omnes cælos mobiles dari quoddam cælum immobile, nobilius cæteris, & lucidissimum, ac pulcherrimũ beatorum domicilium, quod Empyreum appellatur. Non quia fit igneæ naturæ (vt quidam falsò putarunt, eo quod πῦρ Græce ignem significet) sed quia sicut ignis natura sua totus est lucidus, ita corpus illud lucidissimum est. Vnde Magist. *in* 2. *d.* 2. dixit, vocatum esse empyreum, id est, igneum à splendore, non à calore. Potest etiam alia proportio inter hæc corpora considerari, quod sicut ignis supremus est inter elementa, ita & hoc cælum inter omnes superiores orbes. Hanc ergo sententiam communiter receperunt Scholastici omnes cum Magistro in 2. *d.* 2. eamque tribuunt Bedæ *in Exaemer.* Et Straboni *in glossa ordinar.* quos etiam Magister allegat, & D. Thom. 1. *p q* 66. *art.* 3. *& quæst.* 68. *a.* 1. 1. *ad* 3. Eandem sequuti sunt Alcuin. Raban. Lyran. & fere alij *in Gen.* & Hugo & S. Victor. *in Sum sententiar. tract.* 2. *cap.* 1. *in fine*, & Abulen. *Gen.* 1 in explicatione operis quintæ diei, *& in cap.* 23. *Exod. q* 52. *&* 53. Et ante omnes indicauit hanc sententiam Basil. nam licet *loco citato* duos tantum cælos cum mundo visibili constituat, tamen *in homil.* 1. *Exaemer.* sicut dicit, Angelos fuisse mundo visibili antiquiores, ita etiam ponit *quoddam antiquius cælum illis substantijs mundo visibi li præ cæteris conuenientibus*, &c. Hoc autem cælum esse non potest, nisi quod nunc empyreum appellamus. Theodoret. etiam *d. q.* 11. *in Gen.* ponit quoddam cælum primum prima die ante lucem factum, & ab illo distinguit firmamentum secundo die factum, quod dicit factum ex aquis, tamen esse verum cælum, in quo sunt luminaria. Et inter firmamentum, & primum cælum fatetur esse aquas firmamento proxime coniunctas, & (vt ait) luminarium ardorem temperantes, quas tamen cælum non appellat, & supra illas solum cælum primo creatum constituit. De quo concludit, quod *quemadmodum cælum istud nobis est pro tegmine, terra autem pro pauimento, ita cælum quod videmus, pro tegmine supra positum cælum habet.* Hoc ergo idem esse videtur, quod empyreum, quia supra omnes cælos visibiles, & vltra aquas supra cælos visibiles existentes illud inuisibile constituit, vnde etiam videtur immobile, & ad officium cæli empyrei illud constituere. Tandem antiquiori his omnibus Anaclet. Papa *in epist.* 2. *decret. in fine*, de Verbo sic dicit: *Dominus ex cælesti aula, ac empyreo domicilio in castissimæ Virginis purissimum vterum prouectus redemptione carnem suscipiens, aduenit.*

Secundo censetur hæc sententia consentanea diuinis Scripturis: nam licet propter ambiguitatem nominis cæli, vel cælorum, certa esse non possit: nihilominus vbi Scriptura loquitur de cælo quod est singularis domus Dei, & domicilium beatorum, de hoc loqui censetur, vt Psalm. 102. *Dominus in cælo paravit sedem suam, & regnum ipsius omnibus*

nibus dominabitur, & Psalm. 113. *Cælum cæli Domino, vbi* Theodoret. *Non hoc, quod videtur, sed illud, quod superius est, quod huiusce velut tectum est, quemadmodum hic quod videmus, nostrum est tectum.* Et simili modo recte intelligitur illud Deut. 10. *Domini Dei tui cælum est, & cælum cæli*, & illud, quod de Christo dicitur Psal. 67. *Ascendisti in altum*, &c. & postea: *Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli ad Orientem.* Ita enim de Christo exposuit Paulus *ad Ephes.* 4. Et profecto per se verisimile est, præparasse Deum Christo peculiare cælum, excellentius omni cælo mobili, stabile, ac quietum, sicut decebat corporis Christi maiestatem. Vnde de eodem cælo recte intelliguntur alia loca, in quibus Christus dicitur sedere *ad dexteram maiestatis in excelsis*, ad Hebr. 1. & similia. Item illud 2. Corinth. 5. *Scimus, quia si terrena domus nostra huius habitationis dissoluatur, habitationem habemus in cælis, domum non manufactam, æternam in cælis.* Et similia multa possunt per congruentem interpretationem induci, licet non cogant.

Tertio addi possunt rationes, non quidem demonstrantes, sed multum suadentes, præsertim suppositis alijs nostræ fidei mysterijs. Cum enim in hoc cælo non sit motus, vt supponimus, nec etiam sint astra, nec lumen eius ad oculos nostros perueniat, & influentia eius vel nulla sit, vel non possit experimento cognosci, nulla superest nobis via demonstrandi cælum illud creatum esse. Supposito autem articulo fidei, in quo credimus supernaturalem gloriam electis omnibus esse in cælo paratam, nimis credibile fit, illud cælum esse distinctum ab omnibus cælis, qui circa terram existunt, omnesque sicut loco, ita etiam natura, & perfectione excellens. Moueor primo quidem, ac præcipue propter honorem corporis Christi, de quo certum est, in supremum cælum ascendisse, vt latius ostendi, & declaraui *in 2. tom. 3. p. disp. 51. sect. 1. conclu. 3.* Non est autem verisimile, Christum stare supra cælum in motu perpetuo existens, aliàs vel non haberet fixos pedes in certa parte cæli, sed sub illis semper cælum percurreret, vel cum ipso cælo semper Christus raperetur: hoc autem secundum absurdissimum est, & primum parum decens. Deinde procedit etiam hæc ratio in corpore sanctissimæ Virginis, & aliorum, qui forte iam sunt cum suis corporibus in cælo. Moueor secundo, quia omnes cæli mobiles facti sunt quasi in ministerium viatorum hominum, & vt illis suo modo deseruirent: ergo decuit, vt aliquod excellentius fieret solum vt esset locus gloriæ beatorum, & quasi thronus corporalis, in quo Deus specialiter regnet, vt sicut inter Angelos dantur quidam ministrantes, alij assistentes: ita inter corpora cælestia præter ea, quæ sunt ad ministerium generationum, aliquid sit solum, vt in eo sancti spiritus, & homines Deo assistant.

Moueor tertio, quia in damnatorum supplicium Deus specialem locum, & ignem inferni ab initio destinauit, qui nullum alium vsum in mundo habet: ergo maiori ratione credendum est destinasse quoddam cælum, quod futurum esset regnum, & sedes beatorum, vt de illo etiam corporaliter intelligatur Christi verbum Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi*: non enim ab origine mundi præparata fuit spiritualis gloria, nam hæc in prædestinatione ante mundi originem in æternitate præparata est, vt habetur *ad Eph. 1.* in executione autem non præparatur, nisi quando datur: locus autem illius gloriæ, ad extra, & in executione ab origine mundi præparari potuit, sicut ignis æternus angelis, & damnatis paratus fuit. Vltimo huius cæli constitutio non parum ad vniuersi complementum pertinet, eiusque pulchritudinem auget, sic enim totum vniuersum corporeum inter duo extrema fixa, & immobilia clausum est, quæ sicut situ extreme distant, ita etiam proprietatibus: nam vnum est maxime densum, & opacum, alterum lucidissimum, & subtilissimum, & in vtroque aptissima proportio in ordine ad fines bonorum, & malorum hominum, & Angelorum inuenitur. Neque contra veritatem hanc difficultas alicuius momenti inuenitur.

Secundum punctum erat de antiquitate huius cæli, an videlicet æternum sit: quod potest interrogari vel de æternitate per se, & ab intrinseco, vel de æternitate per effectionem æternam Dei. Priori modo videtur posuisse hoc cælum æternum Augustinus Eugubin. *in cap. Gen. 1.* in principio expositionis illorum verborum: *In principio creauit Deus cælum, & terram*, cuius auctoris propria verba hic referre non possum, quia in correcto codice, quo vtor, obliterata omnino sunt, & expuncta. Benedictus autem Pererius refert, illum docuisse, *cælum empyreum esse quippiam æternum & increatum, hoc est, esse lucem, & claritatem quandam manantem ex Dei essentia, in qua Deus est, & ad cuius participationem, atque fruitionem tam boni Angeli, quam veri iusti admittuntur.* Vnde ipse intelligit, Eugubinum asseruisse, cælum empyreum esse aliquid, quod nō est Deus, & nihilominus æternum, & increatum esse. Ideoque illam sententiam perabsurdam, execrandam, & à Christi disciplina abhorrentem vocat. Alij vero simpliciter errorē in fide vocāt, vt Catherin. *in Gē.* & Molin. *1. p. tract. de Opere sex dier. disp. 3.* & alij.

6. *Circa 2. punctum quid Eugubinus opinatus creda-tur à quibusdam.*

At vero Daniel Malon. *in 2. d. 2 disp. 7.* vt Eugubinum ab hac nota liberet, dicit, per cælum empyreum illum non intellexisse corpus aliquod, nec lumen spirituale reipsa distinctum à Deo, sed claritatem diuinam, quæ Deus ipse est. Ac proinde Eugubinum abusum fuisse nomine cæli empyrei, maleque illud interpretatum fuisse, ac proinde negasse verum cælum empyreum corporeum, non tamen in tam absurdum errorem incidisse, vt aliquid distinctum à Deo, & quod Deus non sit, increatum esse affirmauerit. Potestque interpretatio hæc fieri verisimilis ex testimonijs Scripturæ, quæ pro sua sententia Eugubin. inducit, quale est illud Psalm. 103. *Amictus lumine, sicut vestimento* & 1. Tim. 6. *Qui lucem habitat inaccessibilem*, & illud Ioann. 17. *Clarifica me Pater claritate, quam habui, priusquam mundus fieret apud te.* Item quia dicit, cælum empyreum esse illam lucem, & claritatem Dei, quæ iustis pro mercede promittitur, quæ certe non est nisi lumen increatum Dei. Multaque similia leguntur apud Eugubin. *in lib. de rebus incorporeis, & inuisibilib.* in quibus hunc sensum indicat. Ait enim, *esse lucem diuinitatis, quam semper cum Deo fuisse necesse est*, & adiungit: *Et hæc si cælum empyreum est, semper ab æterno fuit cælum empyreum, id est, immensa lux diuinitatis id est beatissimum illud, quod est supra cælum, quod appellare non audeo: nā neq; locus est, neq; corpus.*

7. *Illum Malonius ad meliorem sensum reducit.*

Addit vero Eugubinus multa, quæ sensum hunc destruere videntur: nam in primis de illa luce ait, *Hæc lux manet duntaxat à Deo.* Et infra, *Hoc est cælum empyreum nascens, proficiscens, manans à diuinitate. Quod nunquam dixerim ego creatum, paratus recantare si male sentio.* Et quod mirandum magis est, de hoc ipso cælo, seu luce ait, *Hæc lux an corporea sit, an incorporea quadam, non facile dixerim* quod de luce diuinitatis, & quæ Deus est, dicere stolidissimum esset, & plusquam hæreticum, si fas est dicere: maxime quia subiungit, *Arbitrarer tamen talem esse vt hæc corporea, & nostra possit esse, & dici quasi simulacrum eius, vt illa sit diuinissima lux nota, visibilisque & animo, & oculis, qualem Christus ostendit, cum vestimenta eius facta sunt alba vt nix, & facies eius vt sol lenituit, & qualem ostendit Moysi in rubo.* Si ergo lux illa visibilis est corporeis oculis, quomodo potest esse ipsa diuinitas? Accedit, quod in Cosmopœia in initio expositionis operis secundi diei *globos cælestes*, ait, *esse cælestes aulas, quarum vna est aula Dei, ab splendore perenni*

8. *Malonij patrocinium alijs ipsius Eugubini locis non cohæret.*

superiori vniuerso, etiamsi plura corpora complectatur, licet fateamur de cælo visibili esse loquutum, non est necesse, vt loquatur de cælo tantum secundum illam partem, quæ visu attingi potest, nam hæc machina cæli simpliciter visibilis est, licet non possit tota visu penetrari, & ideo cum dicitur Deus creator cælestis machinæ, non intelligitur tantũ creasse illam quoad illam partem, quæ visibilis est, sed absolute totam, atque adeo etiam empyreum cælum. Quæ argumenta sicut recte probant, cælum empyreum ibi esse cõprehensum, ita à fortiori conuincunt cælos visibiles non esse excluſos, vt in superiori capite traditum est.

17. *Ad fundam. contrarium in num. 14. Pro confirm. ibid. adducta caput sequens instituitur.*

Atque ita responsum est ad fundamentum cõtrariæ sententiæ, & loca etiam Patrum obiter explicata sunt. Prima vero confirmatio petit, vt de huius cæli natura, proprietatibus, & efficientia, seu effectibus aliquid dicamus. Quanuis enim hæc philosophica esse videantur, re tamen vera physica non sunt, quia cælum illud, licet ens materiale sit, in rigore tamen non est ens mobile secundum ordinariam potentiam, nec per motum cognosci potest. Et propter similem rationem non cadit sub Metaphysicæ naturalis considerationẽ: præsertim quia huiusmodi cælum etiam est extra obiectum eius, eo quod materiale sit. Sola ergo Theologia potest aliquid de proprietatibus huius cæli inuestigare, nam per reductionem quandam ad accidentalem gloriam beatorum pertinet. Et nihilominus etiam Theologi vix possunt de natura vel proprietatibus huius cæli quippiam inuenire, quia nihil fere de illo reuelatum est. Et ideo longa disputatione omissa, quæ in his, quæ proposui, verisimiliora videntur, breuiter attingam.

CAPVT V.

Dubium incidens de natura cæli empyrei.

1. *Assertio 1. quod cælum empyr. materia, & forma constat. Predicta materia cuiusmodi natura sit, inquiritur.*

PRimo igitur de natura, & substantia huius cæli probabilius censeo, esse compositum ex materia, & forma, nam supponitur esse quantum, & corporeum, quod sine materia esse non potest: at quia perfectus cæteris esse creditur, formã etiam habere necesse est, quia illa maxime ad perfectionem pertinet, & ideo in omnibus cælis ponitur, vt probabilior opinio fert. An vero materia illius cæli sit altioris rationis, quam materiæ aliorum corporum tam cælestium, quam inferiorum, controuerti potest. Sciendumque est, hanc comparationem fieri solere inter inferiores cælos, & elementa, cæteraque inferiora corpora, seu mista, & in ea esse varias opiniones, quas tractaui in disp. 13. Metaph. sect. 11. Qui ergo putant, materiam cælorum, & elementorum esse eiusdem rationis, quia in pura potentia non existimant specificam differentiam posse inueniri, consequenter dicent, etiam materiam cæli empyrei esse eiusdem speciei cum reliquis, quia etiã est pura substantialis potentia. At illud fundamentum debile est, vt in citato loco ostendi. Qui vero putant, materiam cæli cryſtallini, & inferiorum esse eiusdem rationis cum elementari, quia omnia sunt ab intrinseco, & de se corruptibilia ex parte materiæ, licet ex parte formæ habeant aliquẽ modum incorruptibilitatis: nihilominus dicere possunt, materiam cæli empyrei esse altioris rationis, quia ab intrinseco incorruptibile est, & inalterabile. Et ita sentiunt moderni, qui solum cælum empyreum in primo creationis instanti productum ex nihilo, alios vero cælos postea ex aqua formatos autumant, vt Molin. & Salmeron.

Primus dicendi modus non placet.

Secundus etiam modus parum probatur.

2. *In eodem 2. modo astruendo excessit Abulens.*

Idemque opinatur Abulens. in cap. 23. Exodi q. 53. excedit tamen, quia non solum dicit cælum illud licet corpus sit, & ideo non sit totaliter spirituale, tamen esse quasi spirituale, quia non est de materia aliorum cælorum, sed etiam addit: *Imo non dicitur esse de materia, & sic illud est sexta essentia: quod autem materiale non est, non conuenit cum rebus materialibus in natura, quouis modo.* In quibus verbis obscurũ est, in quo vero sensu dicat, cælum empyreum nõ dici esse de materia. Nam si ex vera materia cõstat, quomodo non est de materia? Fortasse tamen intellexit, non esse de materia, id est, non esse factum ex materia præiacente, sicut ipse de alijs cælis opinatur, quos habere materiam eiusdem rationis cum elementari, & ex illa præexistente fuisse progenitos arbitratur, & ita in hoc constituit differentiam inter cælum empyreum, & reliquos. Et nihilominus illud dicit esse sextã essentiam, quia licet ponat alios cælos eiusdem materiæ cum elementis, nihilominus illos dicit esse quintã essentiam respectu elementorum, quia non tantum ab illis specie differunt, sicut ipsa elementa inter se distinguuntur, sed etiam ratione formæ sunt incorruptibiles, in quo inter se conueniunt, & ideo cuiusdam quintæ essentiæ esse dicuntur. At empyreum dicitur esse sexta essentia, quia secundum materiam, & formam est incorruptibile, ac subinde alterius rationis. Atque hæc cum probabilitate, & consequenter dicta sunt. Quod vero vltimo hinc infert, cælum empyreum non conuenire cum rebus materialibus quouis modo, nullam consecutionem, vel probabilitatem habet. Quia est, omnia illa essent vera, nihilominus cælum empyreũ cum cæteris corporibus incorruptibilibus in compositione essentiali ex materia, & forma generatim sumptis, & in capacitate trinæ dimensionis, & quantitatis, & in aliqua perpetuitate ab intrinseco: cum cæteris vero elementis in ratione communi corporis simplicis conueniret.

Quid sit probabile.

Prima propositio.

At vero iuxta opinionem D. Thomæ, quam veriorem, existimamus, quod materia cælestis est diuersæ rationis ab elementari, non oportet in cælo empyreo fingere altioris ordinis materiam, sed eiusdem generis cum cælesti, licet intra illud sit perfectioris speciei eo modo, quo in pura materia species esse potest, quia ex natura sua est ad nobiliorem formam determinata. Hæc enim differentia cum proportione etiã inter materias inferiorum cælorum inuenitur, supponendo, cælos ipsos inter se specie distingui, vt in dicto loco Metaphysicæ, consequenter loquendo, asserendum esse docui. Veruntamen, etiamsi quis opinionem illam amplectatur, quæ totam materiam cælorum mobilium dicit esse eiusdem rationis, licet ab elementari sit distincta: nihilominus sine repugnantia, & cum maiori probabilitate dicere potest, materiã cæli empyrei esse altioris rationis à reliquorum cælorum materia: non quia id sit simpliciter necessarium ad incorruptibilitatem ab intrinseco, sed quia ad maiorem perfectionem essentialẽ mobilioremque modum incorruptibilitatis spectat. Et quia tota illa perfectio cælo empyreo tribuenda est, quia fini, propter quem creatus est, est maxime proportionata. Atque ità consequenter etiam dicere possunt sic opinantes cælum illud esse cuiusdam sextæ essentiæ, vt explicaui. Nos vero quia credimus, hanc perfectionem habendi materiam specificam, & determinatam ad suam formam esse communem omnibus corporibus cælestibus specie diuersis, ideo non iudicamus necessarium, tribuere cælo empyreo sextam essentiam, sed nobilissimum gradum specificũ in illo genere quintæ naturæ simplicis, in quo cæli omnes superiores elementis creati sunt.

Tertia propositio.

De forma vero empyrei cæli solum quæri potest, an sit anima. Sed in hoc credimus, eandem omnino esse rationem in illo cælo, ac in cæteris inferioribus, ac proinde omnino certum esse illud cælum non esse animatum, nec formam eius esse

Quarta propositio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

animam sicut de formis aliorum cælorum in philosophicis quæstionibus de cælo quæst.5.dixi,& ex dictis supra de Angelorum substantia sufficienter intelligi potest. Nam forma,quæ in corpore,& per corpus non potest actionem vitæ exercere, non potest esse anima: at vero forma cæli empyrei non potest in illo corpore exercere opera vitæ vegetatiuæ:quia incorruptibile, & ingenerabile est: neq; etiã potest per illud cognoscere, quia cum sit simplex,& incapax alterationis, nõ potest habere organa sensuum, per quæ talis cognitio, omnisque operatio animæ sentientis fit. Opera autem vitæ intellectualis proprie nõ exercerentur per corpus, nec forma, quæ est principiũ intellectualis cognitionis, esse potest forma corporis, nisi posset illo vti ad talem cognitionem acquirendã, vt de Angelis ostensum est. Ergo materia illa cæli empyrei, quantumuis sub alia ratione sit subtilior, & perfectior, non est capax formæ, quæ sit vera anima, & quoad hoc eadem ratio est de illo, quæ de inferioribus. Vnde quicquid difficultatis in hoc pũcto occurrere potest, ex generali quæstione, & ostensione, quod cælum non sit animatum, petendum est.

Secundo de proprietatibus huius cœli. Primum communiter receptum est, illud esse ab intrinseco incorruptibile, vt iam declaratum est, & consequenter etiã mensurari æuo, sicut de Angelorum substantia, & aliarum rerum interruptibiliũ existentia dictũ alibi est, præsertim disp. 50. Metaph. sect.5.& 6. Dicitur etiam hoc cælum esse immobile, quod sano modo intelligendum est. Non est enim ita immobile, vt sit omnino incapax motus localis proprij, ac physici: nam eo ipso, quòd verũ corpus, & quantum est, habet potentiam passiuã ad localem motum saltem neutram, vt Scotus loquitur: quia est vere in loco physico, & finito, & potest esse propinquius, vel remotius ad alia corpora, saltem secundum partes suas. Vnde si Deus voluisset, moueri ab aliqua intelligẽtia potuisset, neque id esset violentum tali corpori, quia nulla naturali perfectione propterea priuaretur: quiescere enim nulla perfectio talis corporis est, licet respectu vniuersi possit esse conueniens. Vnde solum non mouetur, quia esset superfluum, & fini, propter quem à Deo creatum est, minime cõsentaneum, tamen hoc totum respectu particularis naturæ talis cæli extrinsecum est, & ideo non est illi quiesita naturalis, vt motus circularis violentus futurus esset, si fieret, quanuis secundũ legem ordinariam, & respectu ordinis totius vniuersi posset dici extraordinarius, & miraculosus. Neque etiam obstaret, quod hoc cælum supremum sit, & ideo non habeat extrinsecum locum continentem, in quo possit moueri: tum quia hoc solum est verum de facto, nam posset Deus aliud cælum supra istud creare, nulla facta violentia tali cælo, sed iuxta consilium voluntatis suæ vniuersum totum augendo: tum etiam, quia ad circularem motum non est necessarius superior locus extrinsecus continens: sed absque illo physice, ac naturaliter fieri posset, sicut Philosophi de primo mobili existimauerunt. Accedit, quod cælum empyreum vniforme, ac prorsus homogeneum esse creditur, totum lucidissimum, & secundũ omnes suas partes æque splendidissimum, ac subinde æque perfectum: & ideo nec indiget motu circulari, vt secundũ varias partes aliter, & aliter alijs partibus orbis applicetur. Neque si ita moueretur peculiarem violentiam pateretur, quia nulla eius pars magis postulat esse in hac parte vniuersi, quã in altera, vel in hoc hemisphærio potius, quam in alio, cum omnes eiusdẽ rationis sint. Est ergo immobilitas illius corporis ex recto ordine vniuersi, non ex peculiari debito (vt sic dicam) talis naturæ.

Interrogant autem aliqui Theologi, an cælum illud solidum, vel flexibile, seu fluidum sit. Quod dubium specialiter tractat Daniel Malonius in 2. d.2.disp.7. sect.5. Et probabilius censet esse corpus fluidum accidens, & recedens secundũ partes. Fũdatur, quia si esset solidum, nõ posset inseruire corporibus beatis vel ad motũ, vel ad locutionẽ, aut respirationem: item quia aliàs daretur perpetua corporũ penetratio. Quas rationes ipsemet fatetur posse dissolui, nihilominus tamẽ probabiliores esse, quam quæ in contrarium adduci possunt. Mihi tamẽ oppositum videtur longe probabilius. Primo quidem, qa si illud corpus fluidum est, profecto est mobile intra eundem locum secundum varias partes, & per modũ fluxus, & refluxus, seu accessus, & recessus. Hoc autẽ est contra receptum dogma omnium ponentium illud cælum prorsus immotum. Secundo, quia illa species motꝰ localis valde imperfecta est, nõ enim potest intelligi sine aliqua diuisione, cõdensatione, & rarefactione partium talis corporis, quæ repugnãt corpori incorruptibili. Antecedens declaratur, quia si corpus beati ascendens ad illud cælũ, non penetrat per illud manens immotũ, sed cælum illud cedit corpori beati, necesse est, vt partes talis corporis diuidãtur, vt dent locũ humano corpori subintranti, & consequenter necesse est, vt partes secundũ latera comprimantur, & postea transeunte corpore beati, rarefiãt, vt ad priorẽ locum reuertantur, & cõtinuitatem iterum accipiãt, sicut nunc fit in aere, vel aqua. Tertio, quia ante ascensum corporũ beatorum cælum illud replebat adæquate totũ spatium, in quo creatus est: si ergo postea ad eundem locum, seu ad idem spatium ascendant innumera multitudo corporum beatorũ, & intra illud spacium, ac cælum recipiantur, & singula occupent spatia sibi proportionata, & cum partibus cæli nõ penetrentur, profecto necesse est corpus illud cæleste condensari, vt in minori spatio recipi possit, vel extra illud totum spatium dilatari, seu ascendere per plures partes suas, qꝺ non potest intelligi sine mutatione figuræ, & dispositionis antiquæ, alijsque similibus imperfectionibus, illi perfectissimæ naturæ repugnantibus.

Denique ex alterius sententiæ coniecturis non fit probabilis illa sententia, quia necessitas illius proprietatis cæli empyrei ad vsum corporum beatorum nec probabiliter suadetur. Nam in primis quod spectat ad motũ localem, poterunt beatorũ corpora in illo cælo, vel per illud moueri, sicut per inferiores cælos: possunt autẽ per cæteros moueri, vel transire, etiamsi diuisibiles, vel fluxibiles non sint: ergo idem erit in cælo empyreo. Nec refert, qꝺ diutius, vel permanentius in empyreo cælo sint cõmoraturi, tum quia eadem est ratio de longa, vel breui mora, & de plurib⁹, vel paucioribus motibus: tum etiã quia post diem iudicij quando omnes sancti homines iam erunt in corpore, & animo beati, libere discurrent per alios cælos, vel per totum vniuersum, vt alibi tractatum est. Deinde ad loquendum nõ indigebunt corpore cælesti tãquam instrumento, quo ad vocem formandam vtãtur, sicut nos aere vtimur. Quia (vt ex materia de Beatitudine suppono) corpꝰ gloriosum nõ erit in partib⁹ internis vacuum, sed omnia illa interiora loca corporis, quæ nunc alimentis, excrementis, superfluis humoribus, aut aere replentur, tunc purissimo, ac lucidissimo aere replebũtur: illo ergo vtentur ad formandam vocem, & in cœlo empyreo solas intentionales species emittent, vt ab alijs audiantur, qꝺ sine vlla commotione, vel fluxu cælestis corporis fieri poterit æque ac immutatio visus. Præterea respiratio in illis corporibus necessaria non erit, quia nulla in eis erit alteratio, & ita neq; corda eorum nimia calefactione efficien-

6.
3. Propriè tamen addit Maloniꝰ, quod sit fluidum. Duplici ratione suadetur. Reijcitur tamen triplicitèr.

7.
Ad fundamenta Maloniꝰ in n. præcedenti vide D. Thom in 2. d 1.q. 2 art. 2 ad 3.

vide 2 tom. 3 p disp 48. sect. 4 & 5.

tur, propter quam respiratione indigeant. Deniq; corpora beata non erunt semper intra corpus cæli empyrei, sed supra conuexũ illius plantas pedum habebunt, quando voluerint. Imò hic est quasi ꝓprius illorũ situs, & locus, sicut de Christi corpore alibi ostendimus. Quando verò beati intra ipsum cœlum empyreum esse voluerint, nullum est inconueniens, quòd semper penetrent illud, idem enim erit de alijs cælis, quando per illa suo arbitrio transire, vel discurrere voluerint.

Vide 2. tom. disp 51. sect. 1 & vlt.

8. *Vltima proprietas de influxu empyrei in corpora subiecta discutitur.*

Vltimò circa vim agẽdi cæli empyrei in alia corpora, vel in hæc inferiora dubitant Theologi an illud cælũ hæc inferiora influat, vel ex se lumen, aut aliquam qualitatem emittat. Res tamen est adeò ignota nobis, vt vix cõiecturis possit aliquid probabiliter ostẽdi. Nihilominus tamen sunt opiniones. Prima negat aliquid influere. Hanc tenuit D. Th. in 2. d. 2. q. 2. ar. 3. vbi alijs etiam nonnullis placet, & Alens. 2. p. q. 47. memb. 1. Prima ratio à priori esse pót, quia cælum empyreum non est factum ad conseruandas res corruptibiles vel in individuo, vel in specie per continuam generationum successionem: sed tantùm est factum propter perfectionem vniuersi, præsertim in ordine ad finem supernaturalem, vt sit beatorum domicilium: ergo est omnino abstractum ab influentia in hęc inferiora.

1. *Opinio negans.*

1. *Argum.*

2. Secundò, quia cæli non agũt nisi mediante motu, vt de cæteris patet, vnde dici solet, quòd si motus cælorum cessarent, omnia hæc inferiora perirent, quia cæli nihil in ea influerẽt. Addi etiam solet, quòd corpus nõ mouet nisi motum: sed cælum empyreum est immotũ: ergo nõ influit. Tertiò, illud supremũ cælum nihil influit in cælos sibi ꝓximos: ergo neq; in remota elemẽta. Consequentia clara est, quia iuxta principia bonę Philosophię corpus remotũ nõ agit in distãs nisi per proximũ, vel agẽdo in illud. Antecedẽs verò patet, quia corpus illud non influit lunẽ in alia corpora cælestia, licet in se lucidissimum sit, alioqui videri posset: sed cęlum non influit, nisi per lumen: ergo.

3. Quartò explicari non potest, qualis influentia hæc sit.

4. Altera nihilominus sentẽtia docet, cælum illud influere in hunc mundum inferiorem. Hanc sententiam prætulit D. Th. 1. p. q. 66. a. 3. ad 2. & quodl. 6. q. 11. a. 19. vbi expressè cõtrariam sententiam retractat, vt notat etiã Caiet. circa dictam solutionem ad 2. qui hanc vltimã sententiam amplectẽdam censet. Et eandem sequuntur Richar. in 2. d. 2. a. 3. q. 3. Dur. q. 2. Ægid. q. 2. a. 4. Argent. q. 2. ar. 1. Variæ autem rationes ad hoc suadendum afferuntur.

9. *2. Opinio affirm. & aliquatenus probatur.*

1. Ratio, sed infirma.

Prima, quia vnumquodq; corpus materiale cõseruatur à proximo superiori corpore tanquã à loco naturali, in quo continetur: ergo primum mobile hoc modo conseruatur à cęlo empyreo, in quo cõtinetur: ergo necesse est, vt cælum empyreum in illud influat, & consequenter per illam influentiã aget in inferiora, quatenus virtutẽ influendi eius continet, vel roborat. Sed hæc ratio parui momẽti est. Nam maior intellecta de conseruatione propria per propriam actionem, veramq; efficientiam falsa est, vt bene notauit Dur. sup. n. 7. quia elemẽtum ignis in sua sphęra existens locus naturalis est purissimi aëris vicini, quem circundat, & cõtinet: ignis autem ille nihil influit in aërem, alioqui vel illum calefaceret plus, quàm natura eius postulet, vel humiditatem eius minueret, quod non esset illud conseruare, sed ad corruptionem disponere. Fingere autem aliam influentiam in igne, cõmentitium est. Item illud principium, quòd omne corpus conseruatur à loco naturali, nullũ habet fundamentum. Nam si corpus contẽtum sit per se factum per creationem, quia est natura sua incorruptibile, non indiget alia causa conseruante præter suum creatorem: imò à nullo alio conseruari potest, quia à nullo alio pẽdet in esse, sicut neq; in fieri. Si verò corpus illud sit natura sua corruptibile vt aër, & quodlibet elemẽtum: ẽt illud non indiget conseruante per se præter Deum, sed sohim indigebit conseruante per accidens, id est, non corrumpente, seu remouente prohibens, & sic se habet ignis ad aërem, & ad hoc non est necessaria influentia positiua, vt per se patet. Ergo vt cælum empyreum sit locus suo modo naturalis proximi inferioris cæli, non est necessaria influentia, sed continentia cum debito, & connaturali ordine.

Secunda ratio est, quia si cælum empyreum nullam influentiam haberet, non pertineret ad vnitatem vniuersi, quod est inconueniens. Sequela probatur, quia vnitas vniuersi est vnitas ordinis: ordo autem hic attẽditur secundum influentiam superiorũ in inferiora, quia est vnitas regiminis, quatenus inferiora per superiora reguntur. Verũtamen hæc ratio parum etiam cogit, quia vnitas vniuersi, quantum ad corpora attinet, per ordinẽ situum, & subordinationem corporũ simplicium consentaneum naturis eorũ sufficienter saluatur. Sicut n. domus est vna, & imago etiam est vna, etiamsi vna pars nõ habeat in aliam actiuam influentiam: ita hic mũdus potest esse vnus, & aliquod corpus potest pertinere ad vnitatẽ eius sine influentia, secundum alium conuenientem ordinẽ. Sic ergo vt cælum empyreum ad vnitatẽ mundi pertineat, satis est, quòd sit quasi pulcherrimũ tectũ totius vniuersi continens, & quasi complens illud. Accedit, quòd influẽtia, quæ nunc est, nõ est principaliter propter vnitatẽ, sed supposita vnitate vniuersi, ad eius conseruationem, & perpetuitatem ordinatur. Vnde elementũ ignis per se nihil influit in inferiora, sed per illud influunt cœli, quia non potest influentia transire ad remota corpora, nisi proxima prius afficiat. Si tamen posset fieri, vt cælum lunæ nihil influeret in ignem: nihilominus ad vnitatem vniuersi pertineret. Et declaratur et statu vniuersi post diem iudicij: cessabit enim influentia, & nihilominus vnitas mũdi permanebit.

2. Tom. 2. disp. 51. sect. 1. & vlt.

Tertia ratio philosophica, & valde verisimilis est, quia omne corpus naturale habet aliquã vim actiuam, & hoc videtur pertinere ad perfectionem formæ: hæc autem virtus in rebus non viuentibus non est ad agendum in seipsis, sed ad agendum in alia. At verò cælum empyreum est subitantia constans forma quadam valde perfecta in illo ordine: ergo non caret omni virtute agẽdi. non est aũt ita perfectum, vt gradum animę attingat: ergo virtus eius non est actiua immanente actione: ergo transeunte: ergo est potens influere in alia: ergo de facto influit. Hæc vltima consequẽtia probatur, quia illa virtus de se naturaliter, & necessariò agit, quia nõ est libera, vt suspendere influentiam valeat, vt est per se notũ. Neq; ẽt est verisimile, vt proximum cælũ sit incapax influentiæ eius, vt hac ratione sit perpetuo otiosa, & carens actione ob defectum passi capacis, quia nõ videtur hoc optimæ dispositioni corporũ vniuersi, & sapientissimæ prouidentiæ diuinæ consentaneũ: ergo illa vis actiua cæli empyrei semp est in actu, ac subinde in cætera corpora continuè influit. Et hac ratione vtuntur Dur. Rich. & Ægidius. Alij addunt, ꝓbationem ab experimento quodam, de quo statim videbimus.

11. Aristo. 2. de anima text. 11.

Atque hæc ratio maximè confirmatur, quia hic ordo rerũ per se pertinet ad perfectionẽ, & nullũ habet incommodum, vt patebit respondendo ad motiua contrariæ sententiæ. Ad primũ n. negatur consequentia: nam licèt hoc cœlum per se primo non sit factum, ꝓpter influentiam, consequẽter, & quasi per se secundò illã habere necessariũ fuit: qa debuit esse perfectissimũ, ac ꝓinde maximè actiuũ, nec debuit carere ꝓportionato subiecto, in q̃ suam virtutẽ exercere posset. Ad secundũ falsa est ad. in primis illa vniuersalis, ꝓpositio, q̃ corpus non

12. Cajetan. in hunc locum.

mouet

mouet nisi motum. Nam licet fortasse in motu locali id habeat verum, quando vnum corpus per se, ac immediatè mouet, & impellit aliud, in motu alterationis non est ita, potest enim vnum corpus quietum localiter manens, aliud mouere per alterationem propriè, aut late sumptam, prout illuminationem, & omnem mutationem ad qualitatem per se tendentem comprehendit, quia nulla est ratio, ob quam illa conditio motus localis in agente ad alterationem, vel similem actionem necessaria sit, vt alibi latius dictum est. In alijs autem cælis necessarius est motus ad influendum, non per se, nec quia simpliciter necessarius sit in cælo, vel astris ad agendum, absolutè in inferiora, sed quia est necessarius ad ordinate agendū, prout ad conseruationem vniuersi necessarium erat. Vnde ille motus solum est necessarius vt applicatio agentis ad passum, id est, vt sol, luna, &c. ad diuersas mundi partes applicentur, & ita possit horum astrorum influentia ad vniuersum extendi cum intermissione, & vicissitudine ad eius vtilitatem necessaria. Nam si sol, v. g. in vno situ semper quiesceret, res sibi præsentes corrumperet, & aliæ propter eius absentiam perirent. Idemq; suo modo verum est in cæteris planetis. Et in hoc sensu verum est mundum hunc inferiorem periturū fore, si cæli quiescerent, & non in alio, vt in Philosophia tradidi, & attigi in Metaph. disp. 21. sect. 3. & disp. 22. sect. 5. præsertim in fine. At vero ad influentiam cæli empyrei non fuit necessarius motus eius, quia, vt supra dixi, in suo esse, & compositione partium est vniforme, & omnino homogeneum, & ideo non plus, neq; aliter in vnam partē orbis, quam in aliam influeret, etiamsi circulariter moueretur, quia per talem motum non fieret huic, vel illi hemisphærio propinquior secundum partes magis, vel minus, vel alio, & alio modo effectrices, sed tantum secundum diuersas partes materiales, quæ varietas ad influentiam nihil refert. Non desunt tamen, qui tribuant illi cælo varias influentias secundum partes diuersas, de qua opinione in responsione ad quartum videbimus.

Ad tertium dicimus primo, non esse necessarium, vt omnes cælestes influentiæ fiant per lumen, nam possunt habere alias innatas proprietates, per quas agant, vt in singulis planetis mihi probabilius est. Vnde iuxta specificam diuersitatem cælorum vel astrorum est etiam varietas in proprietatibus, & consequenter in influentijs, quæ ab illis manant. Sic ergo esto esset verum, cælum empyreum non influere per lumen, poterit influere per aliam, vel alias virtutes sibi connaturales, per quas non influet illuminando, sed immediatè efficiendo in cælo sibi propinquo aliquam aliam qualitatem nobis ignotam non repugnantem incorruptibili corpori, quia non disponit vllo modo ad corruptionem, sed tantum perficit, ad modum luminis, vel similium qualitatum. Quod optimè confirmat Richar. quia influentia lunæ, vel Solis attingit, vbi lumen eius non attingit, vt ad viscera terræ, & alia opaca loca: sic ergo poterit cælum empyreum aliquid influere in primū mobile, esto radios luminis in illud non mittat. Addo vero licet sit probabile, lumen cæli empyrei non emittere radios luminosos, vel quia eius splendor est alterius rationis à luce Solis, vel quia est corpus adeo rarum, vel subtile, vt ad illuminandum, non sufficiat: nihilominus hoc non esse certum, nam fortasse etiam crystallinum cælum fulget in se ex vicina influentia cæli empyrei. Nulla enim experientia aliud constare nobis potest: nam fieri optimè potest, vt illa influentia sit, & à nobis non videatur. Vel quia primum mobile est corpus ita densum, & opacum, vt penetrari non possit lumine, sed potius radios superioris corporis in se contineat, & vmbram reddat, vt corpus lunæ, & similia: vel quia propter nimiam distantiam non potest lumen illud huc pertingere. Sicut etiam cælum empyreum cum sit lucidum, & visibile, sine dubio visibiles species ex se emittit, & nihilominus à nobis videri non potest, quia propter nimiam distantiam, vel obstaculum alicuius cęli intermedij species visibiles ipsius ad nos non pertingunt. Idem ergo potest esse de lumine.

In vltimo argumento petitur, quæ sit influentia illius cæli. In quo puncto aliqui antiqui, vt Alensis, & D. Thom. supra referunt, dixerunt, influentiam huius cæli cōsistere in quodam speciali lumine necessario ad coniunctionem animæ rationalis cum corpore: nā ad cōiunctionē animę sentientis ponunt aliā specialē influentiam cæli crystallini: ad vnionem vero animę vegetatiuę influentiam cæli stellati. Sed hæc opinio antiquata, & merito reiecta est, quia sine fundamēto cōfingit illorum luminū necessitatē, cū explicare nō possit, qd sint, vel cur excogitentur. Nā ad coniunctionē cuiuscunq; animæ, siue formæ corporis, nullū medium est necessariū præter vltimā dispositionem, vel organizationem animæ proportionatā: hæc a. dispositio p mistionem elementorū cum communi influentia cælorum, coefficiēte, si opus sit, proxima causa vniuoca, vt in viuentib. perfectis inuenitur, sufficiēter fit. Ergo frustra fingitur influētia cæli empyrei propter coniunctionē animæ rationalis cum corpore: nam licet fieri possit, vt illud cælū in eam influat, tamen sine illa influentia posset etiā facile subsistere & intelligi, prout ab Aristotele dicente, *sol, & homo generat hominē*, intellecta est.

14. *Circa 4. argument. opinio 1.*

Reijcitur

Alij tribuunt huic influentiæ cæli empyrei diuersas inclinationes, & dispositiones hominum in distinctis, ac distantib. orbis plagis habitantibus. Nam cum oēs illi habeant oēs influentias cælorū mobilium, & nihilominus semper inter se habeāt illam diuersitatē complexionum, & proprietatū connaturalium, & quasi individualium, nō potest illa diuersitas oriri ex influentia cælorum mobilium. Vnde concludūt, prouenire ex cælo immobili quod semper habet diuersas influētias in omnib. illis regionibus, & plagis vniuersi, ita vt in vnaquaq; semp sit eadem, & inter se sint distinctę propter diuersas partes cæli immobilis semp immobiliter influentis. Quā sententiā referēs Richard. supra de illa dicit *euidentius rationi concordare*. At hęc sententia supponit cælum empyreum ex se, & per se distinctas qualitates, & proprietates influere p distinctas partes suas correspondētes diuersis hemisphærijs, ac regionib. terrę. Hoc a. repugnat his, quæ de homogeneitate talis cæli diximus: nam si partes eius sūt omnino similes in substātia, & dispositionib. suis, quomodo possunt in vi agēdi esse dissimiles, & variæ, cū vis agēdi vel fit p formā, & dispositiones, vel certe ex forma vt informante materiā sic dispositā consequatur. Quapter cum Rich. dicto a. 3. q. 2. fateatur, illud cælū esse homogeneum, & vniforme in esse suarum partium, non videtur loqui consequenter in quæst. 3. distinctas influentias per se illis partibus attribuens.

15. *2. Opinio.*

Impugnatur primo.

Deinde illa experientia nullū signū est talis diuersitatis influentiarū à cælo empyreo secundum diuersas eius partes prouenientiū. Quia potest ex alijs causis tum materialib. tū etiā efficientib. prouenire. Nam in varijs regionib. orbis potest terra esse diuersimodè dispositа, & alijs elemētis aliter, & aliter mista. Vnde, puenire potest, vt, cæteris paribus diuersa mista ex illa generentur, & corpora etiam cōplexiones varias sortiantur. Accedit, quod Solis, & aliorū planetarū aspect⁹, & respectus sunt varij respectu diuersarum regionū, vel secundum ppinquitatem, vel distantiam ad orientem, vel alias plagas orbis, vel secundum aspectū directum, aut

16. *Impugnatur 2.*

Tandem impugnatur.

aut obliquum, tam respectu Solis, & singulorum planetarum, quam secundum varios ipsorum, & aliarum stellarum concursus. Hæc a. habitudo, & dispositio ex parte terræ semper est eadem propter immobilitatem eius, & ideo semper in illis regionibus pro illarum diuersitate eadem distinctio in effectibus, vel conditionibus eorum reperitur. Non prouenit ergo ex solo cælo empyreo, quantuis, supposita influentia huius cæli, possit ad illam cooperari, non quia in partibus suis ex se habet distinctam virtutem influendi, sed quia eadē virtus aliter concurrens cum alijs causis vniuersalibus, vel particularib. efficientibus, & materialibus, potest ad diuersos effectus cooperari, sicut in varijs coniunctionibus planetarum contingit.

17. *Vera resolutio præcedentis influentia.*

Dico ergo, non constare nobis, q̃ specialem proprietatē, vel effectū influat cælū empyreum per se spectatū, & sola sua virtute efficiēdo in aliud corpus. Neq; propter hunc defectū nostræ cognitionis negare debem⁹ oēm illius cæli influentiam, qa euidēs nobis est, in rebus nobis viciniorib. esse plures virtutes agendi, quas ignoram⁹, qa earum effectus experti nō sumus, nec satis experiri, aut ab alijs causis distinguere possumus. Satis ergo est, quod in generali, & veluti à priori ex illius corporis nobilitate colligamus, non posse carere omni agendi virtute. Vnde D. Thom. dicta solut. ad 2. in generali dixit, influere illud cælum in sibi proximum aliquid ad dignitatem pertinens. In dicto a. quolib. dicit cooperari ad perpetuitatem, & stabilitatem vniuersi. Verisimile a. est. de facto non influere in hæc inferiora, nisi coadiuuando, & cooperando alijs astris, & cælis: & ita non habere aliquem specialem effectū præter eos, qui ab alijs cælis prouenium, quauis ex influentia cæli empyrei vel maiori virtute, & efficacia fiant, vel etiam aliter temperentur, & disponātur. Neq; de ista influentia ita occulta aliquid aliud dici cum fundamento posse existimo. Nam quod quidam dicunt, habiturum specialē influentiā in corpora beatorum, incertum satis est, si de influētia distincta ab emissione intentionalium specierū intelligatur: nam sine dubio delectabuntur beati splendore, & pulchritudine illi⁹ cæli nō tantū mente, sed etiā oculis visa, & ad hoc ab illo species recipiēt. Alia vero influentia, nō video, quo fundamēto asseratur.

CAPVT VI.

Vtrum in verbis illis. In principio creauit Deus cœlum, *creatio etiam Angelorum comprehensa sit.*

1. *Duplex quæstio in titulo capitis distinguenda.*

ALtera cōfirmatio in c. 4. n. 14. prætermissa hoc incidens dubium petebat, quod in superiori tract. l. 1. c. 3. n. 12. attigimus, & in hunc locum plenius tractandum remisimus. Duæ igitur quæstiones hic distinguendæ sunt, vna est, an Moyses in tota illa narratione creationis mundi creationem Angelorum prætermiserit. Altera est, si illam non prætermisit, quo verbo, & quomodo illam significauerit. Et ita hæc posterior quæstio bipartita est, solum n. possunt Angeli comprehendi in toto illo capite vel sub nomine cæli, vel sub nomine lucis, quia in nullo alio verbo aliquod fundamentum, aut vestigium illius significationis cogitari potest, & ita de illis tantum duobus varię opiniones fuere. Nunc ergo solum de creatione cæli agimus, de lucis productione in lib. seq. videbimus.

2. *In quæstione nunc tractanda 1. opinio negans*

Est ergo opinio satis antiqua, & recepta, Moysem in eo capite nullam de creatione Angelorum mentionem feciſſe, imo ex instituto illam prætermisisse. Ita supponunt Basil. l. de Spiritu sanct. c. 16. & homil. 1. Exaëmer. & Chrys. hom. de Ieiunijs, & Gen. lectione, quæ habetur post homilias in Gen. idemq; habet hom. 2. in Gen. & in id Psal. 8. *Quoniam videbo cælos tuos.* Epiphan. hæres. 65. in principio, Cyrill. l. 3. cont. Iulian. §. 5. igitur quod, Athan. q. 1. ad Antioch. Theodoret. q. 2. in Gen. & indicat Hieronymus epist. 139. ad Cyprian. in principio dicens, Moysem visibilium tantum rerum creationem narrasse. Præterea in hac sententia conueniunt omnes, qui senserunt Angelos fuisse creatos ante illud principium, de quo loquutus est Moyses, cum dixit, *In principio creauit Deus cælum*, quos supra suo loco retulimus. Quia Moyses tantum narrat creationem earum rerum, quę in illo principio creata sunt: ergo si iam erant Angeli, non potuerunt sub illa narratione comprehendi. Et simili modo eiusdem opinionis necessario sunt, qui dicunt, Angelos fuisse creatos post primum diem, quia sic etiam non possunt sub illis verbis comprehendi. Sed hæ opiniones in superiori tractatu reiectæ sunt. Veruntamen licet Angeli fuerint creati simul cum cælo, vt ibi posuimus, fieri potuit, vt Moyses in sua narratione illam prætermiserit. Quod autem ita sit, probatur ex verborum *Eius* proprietate, nam quod ad præsens attinet, nomen *cæli* non significat rem spiritualem, sed corporeā: ergo in narratione historica vox illa est in sua proprietate accipienda. Cur autem Moyses Angelos prætermiserit, variæ rationes à Patribus reddūntur. Prima est Athanasij, Chrysostomi, & Theod. ne rudis ille populus Angelos vt Deos coleret, filiorum notitiam reciperet. Secunda, quia Hebræi tunc erant incapaces, & non poterant creaturas spirituales concipere, ideoque satius visum est, eis occasionem præbere, vt ex visibilibus ad inuisibilia ascenderent, quam statim de spiritualib. rebus sermonem eis facere. Ita indicant Chrys. & Basil. & fauet Ambr. l. 1. Exaëmer. ca. 5. & Cyrill. dicens: *Non oportebat dicere ea, quæ intelligi nequibant.* Tertia, quia narratio de Angelis aliena erat à scopo Moysis, qui erat rudem populum ad Dei cultum, & ad Mesiæ expectationem per res, & cęremonias sensibiles disponere, altioribus rebus prætermissis. Ita significat Cyrillus libr. 2. cont. Iulian. §. 4. vers. Itaque de Mose, cum sequente.

Secunda sententia huic extremè contraria est, Moysem in illis verbis, *In principio creauit Deus cælum & terram*, per se ac immediatè loquutum esse de Angelis, illos q; solos nomine cæli significasse, quāuis non sine aliqua metaphora per cælum intelligendo supremū ordinē rerum, quib. hic mundus cōponitur. Sicut n. vnus homo, qui microcosmos dicitur, corpore, & spiritu constat, ita mundus ex rebus spiritualib. & corporalib. cōponitur. illæ ergo nomine *cæli*, hæ vero nomine *terræ* significatæ sunt, vel quoad totā earū existentiam, vel quoad materiam, ex qua oēs corporeæ formatæ sunt. In qua expositione posterior pars de nomine terræ postea expendetur, quoad priorē vero huc pertinet. Et approbat illam Aug. l. 12. Confes. c. 7. & 9. sequitur Gregor. 37. Moral. cap. 24. alias. 25.

Veruntamen sine vlla dubitatione dicendum est primo, Moysem nomine cæli nō significasse Angelos. Hanc assertionē probant sufficienter, quæ c. 3. & 4. copiosè tractata sunt. Estq; cōmunis sententia antiquorum Patrum præter citatos in priori sentētia, Dionys. c. 4. de diui. nomin. in prima eius parte, Basil. hom. 1. Exaëm. & sæpe in seq. & præsertim in hom. 9. vbi has allegorias, quę simplicem, ac literalē sensum excludant, grauiter reprehendit. Vnde Greg. etiam Nissen. *in principio Exameron* in eam curam incumbendum esse dicit, *vt vocabus in significatione propria manentibus, certam rerum procreationis seriem contemplemur.* Eademque est sententia Ambr. toto l. 1. Exaem. & l. 2. c. 1. & sūt postea sequuti Beda in Exaëm. initio. Hugo de S. Victor. in elucidat. Gen. c. 3. & 9. & ibidem Glossæ, & moderni

derni expositores communiter, & D.Thom.dicta quæst.65.66.& 67.& seq.Et Scholastici communiter cum Magistro in 2.d.12.Et fundamentum præcipuum nititur in principio sumpto ex doctrina eiusdem Augustini, & ad fidei stabilitatem valde necessario, verba Scripturæ in proprio sensu esse accipienda, quando euidens ratio, vel auctoritas ad metaphoram non compellit,quæ regula maximè verum habet in rebus, quæ ad dogmata fidei, vel ad historias pertinent. At illa verba, *In principio creauit Deus cœlum & terram*, & dogma fidei continent, & historiam referunt, & nulla est ratio inducens,nedum cogens ad metaphoram, auctoritas etiam Patrum in propria significatione verbum illud accipit. Ergo nulla ratione excludendus est sensus proprius propter metaphoricum. Et hanc regulam etiam ad verba Moysis singulariter applicatam, & subinde totam rationem à nobis factam confirmant non solùm Basil. homil. 3. & 9. in Gen. & Beda, & Hugo de Sanct. Victor. supra,sed etiam Augustinus lib.8.Gen.ad liter.cap.1. & 2.vbi expresè reijcit in hac parte sensus allegoricos, quos in alijs libris de Genesi contra Manichæos priùs scripserat. Accedit tandem, quòd in alijs locis scripturę(vt suprà etiam notaui)in propria significatione verba illa, & nomen *cæli* in eis positum explicatur,præsertim Psalm.101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* Et Ecclesia ex eodem loco accipit primum articulum fidei in Symbolo contentũ, *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ* qui sine dubio inverborũ proprietate accipiendus est.

Quapropter sententia Augustini piè explicanda est, vt in sensu mystico, non excludendo proprium & literalem,sit loquutus.Quod multo certius est de Gregorio. Addendum item est, & pro sequentibus obseruandum, Augustinum in his interpretationibus Geneſis magis disputando, & inquirendo,quàm asserendo,& verum sensum literalem stabiliendo,processisse,vt ipse disertè admonuit lib.1.Genes.ad liter.cap.20.& 21.& in Imperfect.Genes.cap.3. Vbi hanc ipsam quæstionem, quam tractamus, an per cœlum superiores substantiæ,& per terram res inferiores intelligantur, disputat,& nihil resoluit. Quapropter etiam secundum mentem Augustini stabiliendus in primis est,in illis verbis proprius, & literalis sensus: cui deinde mystic⁹ superaddi poterit. Vnde quod idem Augustinus lib.12. Confession. cap. 25. & 31. ait,si plures dantur sensus, qui in se continent veritatem, non esse temerè affirmandum, quid potissimum Moyses senserit, semper intelligendum est, salua verborum proprietate in aliquo sensu, qui simul,& aliquid verum doceat, & proprietati verborum consentaneus sit.

Secundò igitur dico,quamuis expresè Moyses non narrauerit per illa verba Angelorum creationem, nihilominus non omnino illam prætermisisse, sed implicitè sub nomine cœli illos comprehendisse.Hæc assertio in primis est conformis Augustino locis citatis, qui vbique in hanc partem inclinat, quòd Angelorũ creatio non fuerit à Moyse prætermissa. Imò in lib.de ciuit.c.9.id affirmat, & probat,quia in c.2.Gen. dicitur Deus *requieuisse ab omni opere suo,quod patrarat. Opus autem* (inquit) *Dei esse Angelos, hîc quidem licet non prætermissum non tamen euidenter expressum. sed alibi hoc Scriptura clarissima voce testatur*,&c. Et Gregor.lib.32.Moral.cap.9.aliàs 10. *cum simul factum cœlum, terra atque describitur, simul spiritualia atque corporalia facta esse indicatur.* Deinde hoc non est cõtra literæ proprietatem, fatemur enim, nomine *cæli* verum,& corporeum cælum Moysem intellexisse,tamẽ addimus,sub nomine illo etiam comprehendisse totum cœli ornatum,qui magna ex parte in habitatoribus eius, seu cœlicolis, qui sunt Angeli,consistit. Qui modus loquendi non est metaphoricus, sed proprius cum aliqua amplificatione, quæ licet aliqua ex parte includat illam metaphoram secundum quam continens pro cõtento accipitur: nihilominus quando ipsum continens nõ excluditur, adeò est vsitata, vt proprietatem sermonis non excludat. Sic enim frequenter de ciuitate,vel domo loquimur, simul locum, & habitatores comprehendendo. Præterea hæc assertio non est contra Patres pro priori sententia allegatos,illi enim de expressa narratione creationis Angelorum sufficienter explicantur. Præsertim cùm alibi ipsi doceant, sub illis verbis, *Cælum, & terra*. multa Moysem comprehendisse, quæ per ipsa verba formaliter non exprimuntur.Nã Chrysost.ait, in illis primis verbis summatim comprehendisse Moysem totius mundi opificium. Quod etiam approbat Aug.lib.11.de ciuit.cap.33.Basilius etiam ait,Moysem sub nomine terræ comprehendisse aquam,& aërem,& sub extremis corporibus comprehendisse media: ergo eadem ratione dicere,& credere possumus, sub nomine cœli comprehendisse omnia cœlestia, quæ cum cœlis,& in cœlis creata sunt, sicut nomine terræ comprehendi possunt omnia terrestria per propriam creationẽ facta, vt infrà explicabimus. Denique hîc optimè applicari possunt verba Tertulliani lib.contr.Hermogen.cap.31.quatenus dicit: *Nouum non est, vt id solum quod continet nominetur, quasi summale: misto autem intelligitur & quod continetur, quasi portionale.* Et ex hoc principio explicat illa verba, quanuis de Angelis nihil expresè dicat.

Non est contra Patres citatos in n. 2.

Tertio in hoc sensu videtur in Scriptura frequenter vocari Deus creator cæli, & terræ, nam per illa verba intendit Scriptura explicare solum Deum esse increatum,& reliqua omnia quæ sunt, ab ipso esse creata. Sic loquitur Paulus Actor. 17. *Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, hic cæli, & terræ cum sit Dominus*, &c. vbi sub nomine cæli, & terræ,mundum,& omnia,quæ in eo sunt, de quibus loquutus fuerat,comprehendit.Et hic loquẽdi modus est frequens in Psalmis, in 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.*Psalm.68.*Laudent illum cæli & terra*, & Psalm. 88.*Tui sunt cæli & tua est terra*, & quasi explicando illa verba additur, *Orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti.* & Psalm.120. *Auxilium à Domino qui fecit cælum & terram.* Et similia,quæ optime in dicto sensu intelliguntur.Accedit,quòd in Symbolo Nicæno ita videntur illa verba, *Factorem cæli & terræ*, explicari per sequentia, *visibilium omnium, & inuisibilium.* Quod vt magis exponeret Concilium Lateran.addidit in cap.firmiter, *spiritualium & corporalium. Qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramq; de nihilo condidit creaturam*, &c. Ac denique Catechism.Rom.1.p.in expositione art.1.Symboli n.16.dixit, *Nomine cæli & terræ quicquid cælum, & terra complectitur intelligendũ est.* Et n.17.specialiter declarat, Angelos sub nomine cœli esse comprehensos.

7. *Nec denique à sacris lit. dissonat.*

Symbolum Nicæn cap. firmiter.

Neque huic assertioni obstant motiua prioris sententiæ, imò illam confirmare possunt. Nam principale fundamentum illius sententiæ probat præcedentem conclusionem, non tamen huic repugnat,vt iam satis explicatum est. Aliæ verò cõgruentiæ ad summum procedunt de formali, seu expressa commemoratione Angelorum,de qua illam sententiam explicuimus; ad excludendam autem implicitam infinuationem, parum valent. Imò aliquæ illarum rationum etiam in priori sensu non sunt admodum efficaces: nam licet Moyses expresè dixisset, Deum creasse cœlos, & cœlestes spiritus, non propterea in idololatriæ periculum populum coniecisset.Quin potiùs dicendo illos esse creatos,doceret illos non esse Deos, neque latria adorandos,eò vel maximè quòd paulo pòst

8. *Ad principale fundam 1. opinionis in nu. 2. Ad reliquas congruentias ibidem adductas.*

facit mentionem Cherubim collocati ante paradisum cap.3.& alterius Angeli, qui Agar in via occurrit,cap.16. & aliorum Angelorum, qui apparuerunt Abrahæ c.19. & in reliqua parte eiusdem libri, & sequentibus Pentateuchi frequenter de Angelis loquitur, ergo nō prætermisit eorum expressam mentionem in principio propter periculum, vel incapacitatem populi: nam hæc necessitas non magis in illo principio, quam paulo post in illius libri lectione cogitari poterat. Quin potius existimo, antequam Moyses librum Geneſis scriberet, familiarem, & vulgatam fuisse in illo populo notitiam Angelorum ex traditione maiorum. Nam verisimilimum est, quod sicut ille populus per traditionem retinebat expectationem Messiæ, necessitatem circuncisionis, & similia, ita etiam habebat cognitionem plurium rerum, quarum historiam Moyses in Geneſi scribit, vt peregrinationum Abrahæ, Isaac, & Iacob, & plurium mirabilium rerum, quæ illis acciderant. Ergo credibile etiam est, habuisse notitiam Angelorum. Imo fortasse ideo Moyses contentus fuit, narrando creationem cæli, & terræ, quia sciebat facile intellecturos omnes, nomine cæli omnes res cælestes siue visibiles siue inuisibiles comprehendi, & de Angelis ibi distinctius non fuisse locutum, quia tunc ad suum munus non pertinebat. Sicut etiam nec de cælo empyreo expresse, & specifice loquutus est. Et ita responsum est ad secundam confirmationem in cap.4.relictam in fine num.14.

CAPVT VII.

Vtrum aer fuerit simul cum cælo creatus, & sub nomine cæli comprehensus.

1. *Cur de elemento ignis specialis quæstio non proponatur.*

DVo puncta in titulo proposito insinuantur, & breuiter tractanda sunt: vnum de creatione aeris absolute, & per se spectata: aliud de narratione illius in prædictis verbis Geneſis. Quæ duo possunt etiam de elemento ignis inuestigari, sed id facere omittimus, quia non est tam certum dari simplex elementum ignis in propria sphæra, sicut est de aere. Et iuxta opinionem asserentem supremam regionem aeris attingere vsque ad concauū lunæ, & non dari corpus ignis medium inter lunā, & aerem, consequenter dicendum est non fuisse creatum elementū ignis in illo principio, ac proinde nec sub illis verbis esse comprehensum. Nam si creatum tunc esset in proprio loco connaturali, ibi profecto esset vsque nunc conseruatum, tum quia elementum secundum se totum non corrumpitur, tum quia nec à cœlis corruptum esset, nec ab inferioribus elementis, nullæ enim influentiæ, vel alterationes igni contrariæ ad illum locum perueniunt. Neque etiam Deus solus illud destruxisset, alias frustra illud produxisset, & ideo non solet Deus sua sponte destruere, quæ creauit, sed per causas secundas, quando earum natura, & cursus id postulat. Si vero, vt probabilius creditur, elementum ignis in sua sphæra existit, & ad complementum vniuersi pertinet: eadem ratio de illo erit, quæ de elemento aeris, & quæ de hoc dixerimus, facile ad illud applicabuntur, ideoque specialem quæstionem de igne mouere necessarium non fuit.

2. *1. Sententia negans, & quinam illā amplectantur.*

Prima ergo sententia referri potest, negans elementum aeris sub propria forma, & substantia creatum esse in illo principio, vel in verbis illis fuisse comprehensum. Hanc sententiam potissime docent, qui putant, in illo primo creationis instanti tantum creasse Deum materiam primam informem, ex qua postea cœlos, & elementa formauit. Vel, vt alij dicunt, solum creasse cælum empyreum, & materiam informem communem, vel creasse cœlum empyreum cum elemento proprio terræ, & corpus aliquod aqueum, vel informe, quo totum spatium inter cœlum empyreum, & terram vniformiter repleuit, ex quo postea cœlos, & alia elementa formauit, & distinxit. De quibus sententijs in sequētibus capitibus dicturi sumus, vbi fundamenta etiam earum expendemus: nunc solum iuxta illas colligimus, aerem non fuisse in principio creatum, sed solum materiam, ex qua postea productus est. At vero etiam stante nostra sententia hactenus fundata, quod in illo instanti facti sunt omnes orbes cæleſtes, & supponendo tūc esse creata vera elementa terræ, & aquæ, quod mox tractabimus, potest quis opinari non fuisse tunc creatum elementum aeris. Fundamentumq; esse potest proxime positū, quod proprietati verborum standum est, Moyses autem in illis verbis cœlum, & terram proprie nominat, & aquas etiā, ac earum abyssum statim commemorat: aeris autem nullam mentionem facit: ergo licet dicamus, creatos esse cœlos, & illa duo elementa, non est, cur de aere idem asseramus. *Rupert. lib. de Trin.*

Nihilominus existimo probabilius, aeris elementum in sua propria specie, ac substantia perfectum simul cum cœlis creatum esse. Hæc est cōmunior sententia Scholasticorum, & fere modernorum Scriptorum. Et sumitur ex D. Thoma 1.p. q.66.art.1.in fine corporis, & art.3. in corpore, & alijs locis, quæ in sequenti assertione, & capite sequenti expendemus. Et sumitur ex Augustino, Basilio, Chrysost. & alijs Patribus dicentibus, materiam rerum elementarium à principio fuisse creatam sub proprijs substantialibus formis corporū, vt infra referemus, & intelligendum esse de formis corporum simplicium ostendemus. Est præterea sententia per se verisimilis, valdeque probabilis. Tum quia elementum aeris per se pertinet ad vniuersi integritatem, & compositionem: decuit autem, Deum eodem, & quasi vnico momento mundum hunc perfectum producere saltem quoad ea corpora, ex quibus per se primo, & essentialiter componitur: hoc enim magis ipsius potentiā manifestat, suæque bonitati, & sapientiæ satis cōsentaneum est. Tum etiam, quia integrum elemētum aeris suo modo est incorruptibile, & ingenerabile, ideoque quasi cōnaturaliter postulat, suo modo per creationem fieri: omnia autem, quæ per creationem facta sunt, simul facta sunt, quia cum non præsupponant ordine temporis materiam, ex qua fiant, non postulant inter se successionem in creatione sua, ideoque fingenda non est sine auctoritate, vel ratione cogente, quæ in præsenti nulla est, vt videbimus. *1. Aspria in scholijs. Caiet. 2. Rain.*

Atque hæ rationes cæteris simplicibus elemētis communes sunt. Specialiter autem probatur assertio ex verbis Geneſis, quibus explicantur res factæ ante productionem lucis per illa verba, *fiat lux*, &c. Nam omnia illa, quæ ante lucē facta sunt, simul in illo momento, de quo dictum est, *In principio creauit Deus*, &c. facta sunt: sed in illis rebus tūc factis comprehenditur aer: ergo fuit simul creatus cum cœlis. Consequētia est euidens. Maior autem partim ex supradictis, partim ex verbis Geneſis constat. Supra enim ostensum est, illud *principium*, fuisse temporis initium, & vnum indiuisibile instans, in quo simul cœlū, & terra creata sunt. Post illam vero cœli, & terræ creationem, nihil denuo Deus produxit, donec dixit, *fiat lux*, vt patet ex contextu Geneſis. Prius enim dicitur: *In principio creauit Deus cælum, & terram*, & statim additur: *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas*. Vbi pondero illa tria verba, *erat, erant, ferebatur*, quib⁹ nihil denuo factum asseritur, sed quod factum fuerat, explicatur. Ergo quicquid sub illis verbis cōprehēditur, per illa prima verba, *in principio*, simul factum refertur. *3. Probatur ex scrip. Genes.*

Super-

Supereſt probanda altera propoſitio, nimirum ſub illis verbis elementum aeris comprehendi. Hoc autem probatur primo ex illis verbis, *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*: nomine enim abyſsi aquarum profunditas ſignificata eſt, hoc enim vox illa in omni proprietate ſignificat, à qua extrahenda, non eſt ſine cauſa, iuxtà regulam in præcedenti capite poſitam. Maximè quia ob hanc cauſam fortaſſe ad hoc declarãdum aquarum mentio ſtatim facta eſt, dum adiungitur, *& ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. Super faciem autem abyſsi, id eſt, ſupra conuexum aquarum dicuntur fuiſſe tenebræ, quæ nõ poterant eſſe, niſi in aliquo corpore diaphano, & capaci luminis, quo tunc carebat: quod corpus erat diſtinctum ab aqua, & illi contiguum, & ideo dicitur fuiſſe ſuper faciem abyſsi: illud ergo corpus fuit aër. Probatur conſequentia, quia nõ erat aliquod ex cœlis æthereis vſq; ad lunam, quia cœlum lunæ nunquã fuit proximum, & contiguum elemento aquæ, nec vera, & propria aqua ad altitudinem cœli peruenit, vt infra oſtendam. Neque etiam illud corpus tenebroſum potuit eſſe ignis, quia ignis ab intrinſeco in ſe lucet: ergo non eſt tenebroſus, nec eſſe poteſt, niſi per miraculũ, quod in prima rerũ creatione fingendum eſt, vt optimè docuit Aug. lib. 2. Gen. ad liter. c. 1. & in ſequentib. ſæpius repetemus. Si ergo ignis tunc creatus iam erat, lucidum in ſe erat, & nõ erant in eo tenebræ: erant ergo in aëre. Eo vel maximè quòd ignis etiam cogitari rationabiliter non poteſt creatus ſuper faciem aquæ, proximeque illi contiguus, cùm hoc non ſit illi naturale. Rectè ergo ex verbis illis colligimus, illas tenebras fuiſſe in aëre, atq; ita iam tunc aërem ſimul cum ſuperiorib. cœlis creatum.

Secundo id probamus ex verbis illis: *ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*: quæ quidem verba varias habent expoſitiones, quas breuiter perſtringam. Prima eſt Caietani exponentis de Angelis mouentibus cœlos. Quam vt nouam, & peregrinam merito impugnant Perer. & Aſcan. Eademq; ratio eſt de opinione Ægydij in 2. d. 12. q. 2. art. 3. ad eius argumenta, qui dixit, motum cœlorum in principio nõ fuiſſe factum per Angelos, ſed à Deo immediatè, & Deum vt motorem cælorum fuiſſe ſpiritum, qui ferebatur ſuper aquas, quia mouendo cœlum, ferebat cum illo, & rotabat aquas. Quæ ſententia & cum eadem improprietate exponit verba Scripturæ, & falſum fundamẽtum ſupponit de primo motore cæli, vt infrà dicam. Et præterea falsò fingit, per motum cœli commotas fuiſſe aquas, quia ille motus non erat velocior, quàm nunc ſit: nunc autem motus raptus infra ſupremam regionem aëris non deſcendit. Tertia expoſitio ex Chryſoſt. hom. 3. qui per ſpiritum intelligit vim quandã inditam aquis diuinã, & effectricem rerum ex aqua generandarum. Quam Pereira inter duas literales ſecundo loco ponit, & Auguſt. infra citandus eam non reijcit. Mihi verò placere nõ poteſt, tum quia in Scriptura per ſpiritum Domini nũquam ſignificatur aliqua vis ſimilis, niſi quãdo aliqua virtus creata Spiritu S. attributa, perſonæ, aut rei, de qua eſt ſermo, infunditur, vt Iudic. 4. dicitur *ſpiritus Domini irruiſſe in Sanſonem*, vel in alios, 1. Reg. 11. 4. Reg. 2. Act. 8. &c. At in præſenti non video, quo fundamento aſſeratur talis vis indita aquis: nam id ſupernaturale opus eſſet, & miraculoſum, quod in naturæ ipſius inſtitutione fingendum non eſt ſine fundamento: tum etiam, quia illo modo etiam ſpiritus Domini ferretur ſuper terram: cur enim magis aquis eſſet indita virtus ad generanda ea, quæ ex aqua facta ſunt, quàm terræ, vel etiam aëri ad generanda ea, quæ ex ipſis facta ſunt.

Quarta expoſitio eſt, vt per ſpiritum Dei ipſe Spiritus S. ſignificetur, de quo dictum ſit, quòd ferebatur ſuper aquas, quia illis aſsiſtebat, vt ex illis cætera perficeret: vel quia illas fouebat, & conſeruabat. Sic exponunt Auguſt. in Imperfect. Gen. c. 4 & lib. 1. Gen. ad liter. c. 7. & Tertull. lib. de Baptiſm. c. 3. laudat enim aquam, quòd in principio *fuerit diuini ſpiritus ſedes*, & idem repetit c. 4. & 5. & Hieronymus epiſt. 73. ad Ocean. & hanc magis probant Ambroſ. & Diodor. ibi, & ſolùm tradit Albinus q. in Gen. q. 29. Beda in Exaemer. Origen. Rupert. & alij, quos latiſsimè refert Aſcan. Martinẽgo in ſua gloſſa magna, & illam pro virib. probat, ac defendit. Prætermiſsis verò coniecturis, & cõgruentijs, literale (vt ſic dicam) fundamentum eſt, quia non dicitur ſimpliciter *ſpiritus*, ſed cum addito *Domini*, vel *Dei*, ſignificationem extollente, & quaſi determinante ad ſpiritum diuinum ſignificandum, iuxta illud Iſa. 11. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini*, & cap. 40. *Quis adiuuit ſpiritum Domini?* & cap. 6. *Spiritus Domini ſuper me*. Denique non parum auctoritatis huic expoſitioni ex vſu Eccleſiæ accreſcit, quãdoquidem in fontium benedictione illa vſa eſt, dicens: *Tu ſuper aquas futurus eas ferebaris*. Et iterum. *Deus, cuius Spiritus ſuper aquas inter ipſa mundi primordia ferebatur, vt iam tum vis tuæ ſanctificationis aquarum natura conciperet*.

Eius fundamentum.

Accedit Eccleſiæ vſus.

Nihilominus eſt quinta expoſitio, quæ exiſtimat, verba illa de aeris elemento eſſe intelligenda, vt exponunt Tertull. cont. Hermogen. c. 31. & 32. & Theodor. q. 8. in Gen. & Diodor. hanc vt literalem admittit. Et Origen. lib. 1. Periar. c. 3. priorem expoſitionem dicit eſſe iuxta ſenſum ſpiritualem, hanc verò ſenſit eſſe iuxta hiſtoriam. Et eandem refert, & non reijcit, licet alijs non præferat; Baſil. hom. 2. Exaemer. Auguſt. item in Imperfect. Gen. c. 4. hanc expoſitionem vltimo loco ponit, & cæteras illi non præfert, & Anaſtaſ. Synai. lib. 1. Exaemer. cùm hanc expoſitionẽ poſuiſſet. *Hæc* (inquit) *eſt congruenter litera Moſaica, quod ad ipſam attinet hiſtoriam*. Athanaſ. etiam q. 81. quæ eſt ſecunda veteris Teſtamenti, hanc expoſitionem præcedenti præfert. Maiori exaggeratione id facit Procopius in Gen. & placuit etiam Abulenſ. & Oleaſtro. Et ex modernis illam literalẽ appellat ibi Perer. & præcedentem tantùm myſticam, quod etiam ſentit Vaſq. 1. p. diſp. 108. c. 2. At Ludouic. Stella in Gen. vtramque literalem admittit.

8.

5. *Expoſitio.*

Poteſt autem probari primò deſtruẽdo fundamentum contrariæ ſententiæ, nam etiam aer, aut ventus ſolet in Scriptura vocari ſpiritus Domini. Iſa. 40. *Exſiccatum eſt fœnum, & arcuit flos, quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo*. Et cap. 59. *Quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Domini cogit*. Et Pſal. 147. *Flauit ſpiritus eius* (id eſt, Domini) *& fluent aquæ*. Itaque nomen *ſpiritus* non ſolùm abſolutè, ſed etiam cum illa adiectione ſignificare ſolet in Scriptura aerem, aut ventum. Dicitur autem *Domini*, vel quia magnus, perfectus, aut vehemens, ſicut dicitur mons Dei: vel quia à Deo factus, & conſeruatus. Si enim ſpiritus malus, qui vexabat Saul, dicitur ſpiritus Dei, & Domini, 1. Reg. 16. quia non ſine ſpeciali Dei ordinatione, aut permiſsione illum vexabat, curnõ poterit aer in principio creatus à Deo, vt terram circundaret, & ſuo modo foueret, ſpiritus Domini appellari? Deinde hæc ſignificatio *ſpiritus* in illo loco eſt aptiſsima ad rem, de qua ibi agitur, narrat enim Moyſes initia creationis mundi, & ſtatim explicat diſpoſitionem, in qua eſſe cæpit, & corpora, quibus ſtatim compoſitus fuit, & præter cœlos cõmemorat terrã, & aquas, quibus tegebatur, addit; ſtatim ſpiritũ circundantem aquam: ergo aptiſsimè intelligitur, nomine ſpiritus aerẽ ſignificaſſe, qui & corpus eſt ad mundi huius cõplementum, & integritatẽ neceſſarium, & naturaliter ſuper aquam locũ, & ſitum poſtulat. Accedit tertiò, quòd Spiritus S. commemoratio nec erat tunc illi loco adeò neceſſaria, vel opportuna ſecũdũ literę,

9.

Probatur 1.

Probatur 2.

Probatur 3.

& historiæ consecutionem. Nec potest conueniēs ratio reddi, cur magis dictus fuerit Spiritus sanctus ferri super aquas, quam super terram, vel cælos, nisi valde metaphoricè aquas interpretando, quod à sensu literali alienum est, vt supra ostendi. Assumptum probatur, tum ex vsu ferè omnium auctorum, qui illam expositionem sequuntur, qui consequenter per aquas exponunt totam materiam informem, vel quid simile, vt videre licet in Augustino, & alijs: tum etiam ratione, quia Spiritus sanctus non magis fouebat, & conseruabat aquas, vel eis assistebat ad res alias ex illis producendas, quam terram conseruaret: seu assistebat, aut suo modo cælis vt eos ornaret, & vim influēdi, & producendi tribueret.

10. *Discutitur significatio verbi* ferebatur, *quod contra 5. expositionem obiici solet.*

Tandem nihil est, quod in illis verbis, vel contextu huic interpretationi repugnet. Solum enim obijci solet aut adiectio illa *Dei*, vel *Domini*, cui iam responsum est: aut verbum *ferebatur*, quod non potest cum proprietate aëri accommodari. Illud enim verbum propriè motum localem significat, non potuit autem aër tunc iam moueri. Primo quia nulla potest assignari causa talis motus. Aër enim non mouetur in loco proprio ab intrinseco, sed naturale illi est ibi quiescere: vnde moueri tunc intra eundem locum, præternaturale esset, & ab extrinseca causa fieri deberet: nec potest alia excogitari nisi Deus, vel aliquis Angelus iussu eius. Nam primum mobile nondum mouebatur, vt secum aërem raperet, ac moueret: præterquam quod raptus ille non transcendit primam regionem aëris, quod non satis esset: vt diceretur aër ferri super aquas, vel super facies aquarum, vt alij legunt. Attribuere autem hunc motum ipsi Deo mouenti per se, vel per Angelum, non videtur verisimile, quia esset motus præternaturalis secundum naturam particularem aëris, & ad constitutionem mundi, seu naturæ vniuersalis erat inutilis. Prior pars patet, quia neque ad aquarum conseruationem, neque ad fœcundationem erat vtile, quia nulla virtus, vel qualitas in aquis per illū motum producta cum fundamento cogitari potest, vel si aliqua esset, maximè calor, qui aquæ potius contrarius est, quam illam conseruans. Vnde naturaliter aqua in suo naturali loco sub aëre quiescente melius conseruatur. Altera vero pars de natura vniuersali patet, quia tunc nondum cœperat Deus mundum disponere in ordine ad hominum habitationem, & commoditatem, aliorumque mistorum generationem: vnde augetur difficultas, quia illa verba, *terra autem erat inanis, & vacua*, vsque ad ea, quæ tractamus, & *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, omnia referuntur ad illud principium, & primum instans, in quo Deus fecit cælum, & terram, vt notauimus, in illo autem momento non poterat aër localiter moueri, aut ferri, vt constat: ergo non potest de aëre proprio verificari.

11. *1. Solutio obiectionis prædictæ iuxta Oleastrum & Pererium.*

Hæc vero difficultas duobus modis soluitur. Prior est, aërem fuisse tunc motum localiter ex ordinatione diuina, vel motu vehementi, & forti: vel motu leui, & suaui, iuxta diuersas rationes illius motus, quæ excogitari possunt. Priorem modum tradit Oleaster, & non dissentit Pererius. Rationemque illius agitationis reddunt, quia aquæ erant statim exsiccandæ à terra, ventum, seu motum ad hoc fuisse immissum à Deo, vt coactis in vnum locum aquis, terra exsiccaretur. Sed hoc voluntarium, & difficile videtur, quia quod Deus fuerit vsus ministerio venti, vel commotione aëris ad discooperiendam terram, & cogendas aquas in locum vnum, Scriptura nō loquitur: imo solo iussu Dei factum esse illis verbis significat: *Dixit vero Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum vnum, & apparent arida, & factum est ita.* Nec aëris agitatio erat accommodatum instrumentum ad huiusmodi effectum: oportebat enim in terra ipsa concauum locum efficere, & quasi effodere, in quo posset tanta multitudo aquarum recipi, qui locus per aëris commotionem sine magno miraculo fieri non poterat: sed virtute diuina, & imperio factus est, & fortasse tam accommodatè, vt statim aquæ ex aliqua parte naturali impetu in illum defluerent, & consequenter alia ex parte appareret arida. Dicunt saltem ad exsiccandam terram, quæ segregatis aquis lutulenta, & cœnosa remanserat, fuisse motum aëris accommodatum. Et afferunt exempla de tempore diluuij, & de trāsitu Israel per mare rubrum, &c. Sed fortasse in illo principio mundi hoc non fuit necessarium, quia verisimile est, elementa aquæ, & terræ tunc fuisse purissima, & in tali proportione, ac dispositione esse à Deo condita, vt vnum in aliud non ageret secundum partes propinquas, neque etiam aqua vltra superficiem terræ penetraret, ideoque nec lutulentam, nec cœnosam illam relinqueret. Ac subinde fieri potuit, vt remota omnino aqua per motum localem, & in locum maris proiecta statim terra ficca, & arida apparuerit. Et quod caput est, etiamsi per motum aëris hæc facta fuerint, nō sunt tamen facta vsque ad tertium diem: ad quid ergo motus ille aëris vehemens ante primum diem, & ante effectionem firmamenti incepisset.

Impugnatur tamen solutio.

12. *Alij dicunt, illum motum tenuem aspirationem ad modum suauis auræ fuisse, solumque à Deo excitatum esse, vt aër, qui minus est sensibilis, seu tangibilis, quàm aqua, vel terra, sensui esset perceptibilior.* Quæ ratio mihi non satisfacit, quia non oportebat tunc aërem fieri sensibilem tactui, magis quam visui: sicut ergo erat tenebrosus, ita poterat esse quietus, quia nemo tunc erat, qui altero ex illis sensibus posset illum percipere. Vnde licet facile credam, potuisse Deum tunc mouere aërem, & hunc posteriorem modum esse magis plausibilem: nihilominus fateor, me nullam sufficientem causam, vel rationem illius motus inuenire: sed si Deus id fecit, propter occultas rationes prouidentiæ suæ fecisse credendus est. Et illo motu admisso, consequenter dicendum est, ante initium primi diei, aliquod tempus præcessisse, in quo aër ille moueri potuerit: quod etiam minus mihi probatur, vt in l. sequent. capit. 1. & 2. dicam.

13. *Facilior ergo interpretatio est, licet verba illa de aëre intelligamus, non cogi nos ad interpretandum verbum* fertur *de motu locali, quia non semper hoc significat in communi Latinorum vsu.* Et certe nulla ex alijs expositionibus demotu locali verbum illud interpretatur, quia nec Spiritus sanctus potuit localiter moueri, nec virtus, si qua est indita aquis, localiter mota est, aut mouebat aquas. Vt omittam, docuisse Hieronymum, verbum Hebraicum illi respondens, non significare localiter ferri, sed *fouere*, vel incubare. Vnde Theodoret. dicta q. 8. dicens: *Verbum* ferebatur, *substantiam aeris mobilem indicat*, significat, verbum illud non significare actualem motum, sed naturam aëris, quæ est, *vt circa inferiora corpora feratur & agitetur*. Addi etiam potest, Augustinum, & alios iuxta Septuaginta ibi vti verbo *superferendi*, vnde optimè verti posset: *Spiritus Domini superferebatur aquis*, verbum autem *superferor* non semper significat motum tendendi supra: sed naturam postulantem superiorem locum, vel situm rei, cui competit esse in superiori loco, & ita superferri aquis, vel ferri super aquas, nihil aliud denotat, quam quod aër esset super aquas, & circundaret illas, quia natura sua hunc locum petit. In qua verbi interpretatione vel nulla est metaphora, vel si qua est, est tam vsitata, vt tanquam propria haberi

haberi posit. Denique adiungo, verbum in Hebræo non esse merè passiuum, sed actiuum simul, ita vt exponi possit *ferebatur*, id est, ferebat se, non se mouendo, sed quasi portando, & seipsum super aquas sustinendo : nam hoc etiam verbum *fero*, interdum significat, & potuit per facilem, & notam translationem ad id significandum accommodari. Omnibus ergo pensatis, adeò verisimile est, hunc esse literalem sensum, vt non possit excludi, etiamsi præcedens admittendus sit, vel vt simul literalis, vel saltem vt mysticus à Spiritu S. intentus. Hoc autem satis est, vt ex illo loco confirmatum maneat, aërem cum cælo, & terra simul esse productum.

Vnde cõsequenter in secundo puncto dicimus, probabilius nobis videri, in illis primis verbis, *In principio creauit Deus cœlum*, &c. elemẽtum aëris sub nomine cœli esse comprehensum. Huius sententiæ patronum habemus D. Thom. 1. p. q. 66. ar. 1. vbi in fine corporis sic inquit : *Cùm præmisisset* (Moyses) *duas naturas creatas, scil. cœlum, & terram, informitatem cœli expressit per hoc quod dixit, tenebræ erant super faciem abyssi secundum quod sub cœlo aer etiam includitur*. Idem habet Strabo in glos. ordin. licet variè loquatur. Probatur autem hoc modo, quia quòd aër sub illis verbis fuerit comprehensus, ex dictis constat, docentque Basil. Theodor. multique alij Patres, multo autem congruentius sub nomine cœli, quã sub nomine terræ includi intelligitur : ergo ita intelligendum est. Consequentia patet, quia necesse est sub altero illorum terminorum includi, cùm alius in ea oratione non sit. Quod si quis dicat sub neutro per se, sed sub vtroque comprehendi, quia sub extremis intelliguntur media : licet hoc facile sustineri posset, magis tamen est confusum, & implicitum, & ideo melius sub aliqua determinata voce comprehendi debet, si commodè fieri potest. Probatur ergo minor, quia cùm aër sit valde disiunctus à terra, & immixtus illi saltem visibiliter, non solet communi vsu aër nomine terræ comprehendi. At verò nomine cœli vsitatissimum esse etiam in Scriptura significari aërem, vulgare, ac notum est. Et in illomet cap. 1. Gen. interdum aër cœlum vocatur, vt in sequentibus videbimus. Et præterea vox Hebræa שמים *samaim*, quæ cœlos propriè significat, totam hanc congeriem corporum diaphanorum, quæ est supra nos, comprehẽdit, & nomine *cœli* quasi collectiua significatione, à vulgato interprete significata est. Ergo optima, & propria significatione aër sub nomine cœli cõprehenditur. Vnde consequenter comprehendetur etiam ignis si in sua sphæra existit. Neque circa hoc noua difficultas occurrit : nam licet alij aliter sentiant, nihil afferunt, quod nouam responsionem postulet.

CAPVT VIII.

Virùm in principio temporis simul cum cœlo elementa terræ & aquæ creata sint.

HActenus de superioribus partibus, & corporibus, quibus hic mundus primariò constat, diximus, & consequenter prima illa verba, *In principio creauit Deus cœlum*, exposuimus. Nunc de inferioribus corporibus, & consequenter de altera particula, *& terram*, dicendum superest.

Primum ergo tractanda est hoc loco sententia, quæ negat elementum terræ sub propria forma in illo temporis principio fuisse creatum : quæ consequenter nomine *terræ* non elemẽtum aliquod, sed materiam informem, ex qua cætera corpora postea creata sunt, interpretatur. In quo dicẽdi modo variæ opiniones, quæ licet in priori parte negante conueniant, in posteriori de materia informi diuersis modis illam declarãt, tam quoad substantiam ipsius materię, quàm quoad modum informationis eius. Nam de substantia materiæ informis est prima opinio dicens, totam materiam omnium corporum tam cælestium, quàm terrestrium, & tam simplicium, quàm mistorum priùs creatam fuisse informem, & illam nõ tantùm terræ, sed etiam cæli nomine significatam fuisse, quia ex illa formandi postea erant cæli, & terra, nõ quia statim sub propriis formis fuerint creata. Hãc sententiam solus ferè August. proposuit lib. 1. de Gen. cont. Manich. c. 7. & non reijcit. Videtur tamen inquirendo potius, quàm affirmando eam commemorasse. Alijs verò locis dixit quidem in illo principio ex corporibus solam materiam informem omnium illorum fuisse productam, & illam totam esse significatam nomine terræ, & nomine cæli angelicam naturam fuisse significatam. Sed vtroque modo interpretatio illa est durissima, & minimè recipienda. Et quia de translatione nominis cœli ad significandos Angelos dictum iam est, addendum superest, magis inusitatam esse translationẽ eiusdem nominis cœli ad materiam informem significãndam, tum quia in Scriptura nullum simile exemplum reperietur. Imò quoties in ea Deus laudatur, & magnificatur, quòd creator cœli, & terræ sit, nomine cœli significatur verum cœlum, & tota hæc machina superior, quę homines in admirationem, & magnam æstimationem artificis sui rapit. Tum etiam, quia cœli non sunt facti ex præiacente materia, vt probatum est, sed ex nihilo, vt dicitur 2. Machab. 7. *Petonate vt aspicias cœlum, & terram, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus*. Ex quo loco etiam conuinci potest, terræ nomine significari substantiam à cœlo distinctam, non ex præiacente materia, sed ex nihilo creatam. Video responderi posse ex August. hæc omnia dici creata ex nihilo, quia materia ipsa ex nihilo facta est ab eodem artifice, qui ex illa cætera formauit. Sed licet hæc doctrina locum habeat in mistis, non tamen in elementis, vt iam dicam, multoque minus in cœlis, vt suprà probatum est.

In prædicta sententia quid materia vocabulo apud August. interdum accipi videatur.

Proxima materiæ declaratio non placet.

Secunda opinio in hoc cum præcedenti conuenit, quòd existimat, totam materiam inferiorum corporum, & cœlorum mobilium priùs fuisse informem productam, excipit tamen solum empyreum cœlum, in quo à præcedenti opinione differt. Et consequenter etiam dissentit in interpretatione verborum Geneseos quoad significationem nominis cœli : negat enim significare materiam informem, sed cælum empyreum omnino formatum, & perfectum. Consentit tamen in expositione nominis terræ quoad hoc, vt non significet verum terræ elemẽtum, sed totam materiam informem, ex qua cæteri cæli, & elementa, & reliqua omnia corpora formata sunt. Et quoad cœlos habet fundamentum suprà tractatum cap. 2. quoad inferiora verò corpora habet fundamẽtum commune cum sequenti sententia. Hæc verò opinio quoad priorem partem de cælis mobilibus in discursu præcedentium capitum satis refutata est, & à fortiori refelletur per ea, quæ de altera parte corporum inferiorum, & de propria significatione nominis *terræ* in dictis verbis Geneseos contra sequentem sententiam dicemus. Nam quoad hoc communis est causa, & ratio illius, & huius, ac præcedentis opinionis. Solùm potest specialiter impugnari hæc sententia iuxta opiniones magis in Philosophia receptas, quòd cæli sunt ab intrinseco incorruptibiles, & habent materiam diuersæ rationis à materia horum inferiorum. Sed hæc nõ sunt tã certa, quin negari facile possent, si aliquid conformius Scripturæ cogeret : cùm autem nihil tale inueniatur, nõ est, cur receptas Philosophorũ sententias, & præsertim illam, quæ est de incorruptibi-

2.

Materiam prædictam strictiùs alij quanto declarant.

Reijciuntur tamen.

ptibilitate cœlorum, relinquamus. Nam altera retenta posset aliquis dicere, materiam informem priùs creatam non fuisse vniformem (vt sic dicam) seu eiusdem rationis, sed alteram ad cœlos condendos, alteram ad inferiora corpora producenda. Hoc tamen nec cum fundamento diceretur, nec consequenter, quia si cœlum est incorruptibile, & habet materiam suæ formæ addictam: vel non potest sine tali forma produci, vel non sine magno miraculo, & contra, vel supra naturam talis substantiæ. Ponere autem talia miracula in prima rerum creatione, sine reuelatione, præter omnem rationem est, vt sæpe cum Augustino libro 2. de Genes. ad liter. capite 1. diximus, & dicemus.

3. *Tandem alij materiæ vocabulum magis adhuc restringunt.* Tertia ergo opinio est, quæ nomine terræ intelligendam putat materiam informem omnium rerum generabilium, & corruptibilium, & consequenter omnium sublunarium, quæ etiam ex parte est contraria his, quæ diximus, scilicet, quoad elemẽta ignis, & aëris, nam ex eadem materia, qua res aliæ inferiores constant: & ex hac parte sufficiunt, quæ ex dictis in capite præcedenti colligi possunt: nunc verò quoad alias partes de elemento terræ, & aquæ tractanda est. Hanc sententiam tenuit Philast. lib. de hæresib. capite 47. cum tanta exaggeratione, vt inter hæreses ponat opinionem, quæ præter hanc terram elementarem aliam non agnoscit, *quæ veluti matrix est omnium rerum, vniuersaque continet, quæ quasi Hyle, id est materia reperitur in scripturis, quæ est inuisibilis & incompositа quæ à Deo facta est in primo die.* &c. Tenet etiam Abulens. *Eorum fundam.* in Genes. & aliqui Scholastici infrà citandi. Fundantur in litera Genesis, videlicet, *Terra autem erat inanis & vacua*, vbi Septuaginta legunt: *Terra autem erat inuisibilis & incompositа*, nam per hæc significatur informitas materiæ, quæ per se spectata meritò inuisibilis dicitur, quia per se cognosci non potest, sed per analogiam ad materiam artificialium rerum, vt Aristot. 1. Physicor. dixit, vel adulterina cognitione, sicut dixit Plato in Timæo. Dicitur etiam incomposita, vel quia simplicissima est, vel quia est informis, & inornata, seu inordinata, vt legit Augustinus in Imperfect. Gen. cap. 4. Confirmatur autem hic locus, eiusque interpretatio ex alio testimonio Sapien. 11. vbi Deo dicitur: *Omnipotens manus tua creauit orbem terrarum ex materia inuisa*, vbi apertè est sermo de orbe sublunari, hic enim dicitur propriè orbis terrarum, vt distinguatur à cœlesti. Et cùm hic orbis dicitur creatus ex materia inuisa, apertè significatur materiam inuisam, id est, informem suppositam fuisse huius orbis creationi, id est, formationi, & productioni per diuinam omnipotentiam factæ, ac proinde materiam priùs creatam fuisse informem, quia non poterat, nisi per creationẽ existere. Et in hoc sensu videtur dixisse Paulus ad Hebræos vndecimo. *Fide aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus, visibilia fierent.*

4. *Consectariũ prædictorum authorum.* Atque hinc inferunt, eandem rem esse, quæ in principio Genesis priùs vocatur terra, & postea aqua, & abyssus, in illis verbis: *Terra autem erat inanis, & vacua & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas.* Quia cùm omnia illa dicantur de terra, quæ in principio creata est à cælo distincta, & in illa terra non fuerit, nisi vnica simplex materia informis, necesse est, vt de illa eadem materia omnia illa verba dicta intelligantur: ergo illa vna res tribus illis nominibus significata est. Appellata est autem *terra*, quia sicut elementũ terræ subest formis omnibus, & est imperfectior illis. *Aqua* verò dicta est, quia sicut aqua est maximè transmutabilis in varias formas, & figuras, ita materia aptissima est, vt secundum diuersas formas transmutetur, & formetur. Denique vocata est *abyssus*, quia sicut abyssus tenebrosa impenetrabilis visu est, ita materia de se impenetrabilis, seu incognoscibilis est, ingenio præsertim humano. Ità ferè refert Diuus Thomas 1. p. quæst. 66. art. 1. ad 12. ex August. libr. primo de Gen. cont. Manich. cap. 5. & 7.

Hæ sunt opiniones de substantia (vt ita dicam) illius terræ, quæ in principio facta est. De informitate autem eius tres etiam sunt opiniones. Prima dicit, fuisse materiam omni forma substantiali carentem cum sola quantitate absque alio accidente realiter à quantitate distincto, quod addo propter figuram, quam hæc opinio in materia admittit saltem per proportionem ad corpus, in quo continebatur. Hæc opinio communiter tribuitur Marsilio in 2. q. 8. art. 2. in tertia eius parte. Ille autem nihil satis affirmat, nam priùs ait, potuisse Deum materiam in eo statu creare, nescire autem se, an ita fecerit, quia nec ex Scriptura, nec ex ratione satis conuinci potest. Deinde verò in prima conclusione ait, satis probabile esse, ita factum esse. Fundatur, quia potuit fieri, & Sancti ita videntur Scripturam exponere, citatque Augustinum lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 7. Ambros. & Bedam in illa verba: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Et addit rationem, quia si tunc esset formata proprijs formis elementorum, non esset cõfusa, nec dici posset chaos, vel quid simile, sed esset distincta, & ordinata, quod non consonat verbis Genesis. At postea concludit, se nihil asserere, sed dubium manere. Sic etiam Gabriel in 2. d. 12. q. 1. art. 3. in vltimis ferè verbis tractans quæstionem hanc, & inter alios referens hunc modum, concludit, *Hæc omnia possibilia fuere apud Deum. Quid autem horum factum sit, ipse nouit, qui fecit.* Pro hac verò sententia refert Augustinum libro 12. Confession. cap. 3. dicentem, quòd priusquam Deus hanc materiam formaret, *non erat aliquid, non figura non color, non corpus, non spiritus, nec tamen omninò nihil.*

Secunda opinio de hac informitate est, quòd non fuerit per carentiam omnis formæ substantialis, quia licet materia caruerit tunc formis substantialibus quoad specificam rationem earum, & consequenter etiam formis accidentalibus, quæ inseparabiles formas consequuntur: nihilominus habuit formam communem substantialem corporeitatis, ac subinde quantitatem sine alia pulchritudine, aut perfectione. Hanc opinionem tenet Abulensis, & illam tribuit Bedæ, & Straboni, quibus etiam Lyra illam tribuit, & alij Hugonem allegant. Sed oppositum in eis inuenio, vt dicã. Supponitque distinctionem formæ corporis generalem ab specificis. Qua distinctione suppositа opus minus monstruosum, & miraculosum astruit. Loquiturque consequenter, quia in alijs fundamentis, & expositionibus verborum Genesis cum præcedenti opinione conuenit.

Tertia verò opinio est, hanc informitatem esse accidentalem, de qua infra dicetur. Nunc solum referam opinionem aliquorum, qui licet elementa cum proprijs formis substantialibus creata esse cõfiteantur, informitatem in hoc ponunt, q. non fuerũt locis distincta, sed ita inter se secundũ minimas quasdã particulas permista, vt discerni non possint, sicut in cœno, & luto terra, aqua, & aër confusa inueniuntur. Et congeriem illam horum elementorum, præsertim aquæ, & terræ volunt, nomine terræ priùs in dictis verbis, & postea in sequentibus nomine aquarum esse significatam. Et eandem vocãt materiam inuisam, seu informem, ex qua hic mundus factus esse dicitur, illamque permistionem, & partium diuisionem informitatem illius materiæ esse dicunt, quia in illa erant elementa confusa, & inuisa, cùm visu distingui non possent. Hanc sententiam refert, & vt probabilem sustinet

stinet Marsilius *supra*, eamque Magistro tribuit, in 2. d. 12. ca. 5. & 6. Qui permistionem illam non in terra, sed in tribus alijs elementis, quæ facilius dividi, & permisceri possunt, ponere videtur. Eugubinus verò libr. 7. de peren. Philo. cap. 9. & in Cosmopœia in Gen. in terra & aqua illam permistionem, & informitatem præcipuè ponit.

8. Ad explicandam sententiam, quam probabiliorem veramque esse existimamus, supponimus primo, materiam primam, quæ est essentialis pars substantiæ corporeæ, à Deo esse creatam ex nihilo in illo primo momento: in quo cælum, & terram, id est, mundum creauit, & non antea. Hoc totum fundamentum de fide est, & in primis materiam esse productam à Deo, quasi per se notum in fide catholica est. Docemur enim in Symbolo, Deum esse creatorem omnium, visibilium, & inuisibilium. Quorum verborum catholicus sensus est, non tantum quod Deus solus sit creator, ac subinde solus sit auctor omnium, quę per creationem facta sunt, sed etiam quod quicquid extra Deum est, ab ipso effectiuè productum est, vel immediatè ex nihilo, vel ex aliquo subiecto, quod Deus fecerit ex nihilo. Et hic est communis sensus Ecclesiæ, & Patrum omnium passim, quos proinde in particulari referre, non est necesse. Materia autem aliquid est à Deo distinctum, vt est per se nosum: imò summè à Deo distans, cùm sit pura potentia, & propè nihil, vt Augustinus dixit, Deus autem sit purus actus, & summum ens: ergo facta est à Deo: non est autem facta ex præsupposito subiecto, quia ipsa est primum subiectum, quod aliud non supponit: ergo est facta ex nihilo. Ratione item naturali est euidens hæc veritas, vt contra veteres Philosophos, & hæreticos probaui in disp. 13. Metaph. sect. 5. n. 15. & disput. 20. sect. 1. à n. 17. vsque ad 20. vbi sanctos Patres allegaui, & Tertullianū, qui toto libr. contr. Hermogen. latè aduersùs illum errorem inuehitur. Et in præsenti materia idem docent super Genes. Ambrosius libr. 1. Exaemer. c. 1. & 5. & Basilius homil. 1. Exaëmer. & Anastasius Synai. lib. 1. Exaëmer. in principio, Augustinus l. 1. Gen. ad liter. c. 14. & l. de vera Relig. cap. 18. optima ratione id probat, & tacitè omnes difficultates soluit, & videri potest D. Thomas 1. p. q. 45. a. 2.

9. Atque hinc concluditur altera pars. In qua in primis contra eosdem antiquos Philosophos, & nonnullos hæreticos dicimus, materiam non esse coæternam Deo, quia nihil creatum est coæternū Deo, vt capite secundo. ostensum est: sed materia est creata, ergo non est æterna. Deinde addimus, non solum non esse materiam æternam, verùm etiam neque esse anteriorem cœlo, & terra, temporali, seu reali duratione. Hoc etiam constat ex verbis illis, *In principio creauit Deus cælum, & terram.* quæ, vt supra indicaui, duo includunt, nempe hæc in primo temporis initio, & ante omnes res alias creata fuisse, seu (quod idem est) Deum ab his rebus mundi creationem inchoasse: ergo absolutè ante cælum, & terram nihil fuit creatum: ergo nec materia, quæ licet parum, aliquid est. Denique in hoc etiam continetur, quòd materia non fuerit posterior duratione, quam cæli & terræ creatio, quia hæc non potuerunt esse sine materia, quod saltem est certum de terra, & elementis, cùm ex illa essentialiter componantur. Quod etiam de cælis probabilius est. Præsertim quia fingi non potest, harum rerum corporalium formas prius sine materia fuisse, cùm id sit contra ipsarum naturam, nec possit sine miraculo cogitari quod in ipsa naturæ constitutione sine fundamento fingendum non est.

10. Secundò dicimus materiam primam in primo suæ creationis instanti non caruisse omni forma substantiali, ac proinde nomine terræ non fuisse significatam materiam generabilium rerum prorsus informem, id est, omni forma substantiali carentem. Hoc ipsum intelligi potest de cælo, & cæli nomine suppositò quòd cælum ex materia componatur, siue eiusdem, siue alterius rationis, tamen quia de cœlis iam satis diximus, & quia ab inferioribus rebus, scilicet ab elementis, eorumque materia à fortiori concludunt argumenta, ideo in particulari de terra tractamus, eademque est ratio de aqua, quantum ad præsentem assertionem attinet. Hæc ergo assertio est Diui Thomę 1. part. quæst. 66. art. 1. & Magistri cum cæteris ferè Scholasticis in 2. distinctione 12. Et probatur ex Scriptura, & regula supra posita, quòd verba narrationis Geneseos historica sunt, & ideo cum proprietate intelligenda: sed Moyses non dicit Deum in principio creasse materiam, sed terram, quę nō tantùm materiam, sed etiam formam includit: ergo ex vi verborum Scripturæ non fuit sola materia priùs creata. Secundò, quia alias cœlum, & terra non fuissent ex nihilo creata, quia fuissent producta ex præiacente materia: consequens autem in primis est contra illud 2. Machab. 7. *Petonate, vt aspicias ad cælum, & terram, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Deinde repugnat Concilio Lateran. in cap. firmiter dicenti: *Deus simul ab initio temporis vtranque condidit creaturam spiritualem scilicet, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam.* Nam per creaturam corporalem, & mundanam non intelligit materiam primam, sed hunc mundum corporeum, & visibilem, vt per se notum est. Tertiò est communis sententia Patrum in Exaëmer. vel expositionibus Genesis, & expresè Augustinus l. 1. Genes. ad liter. cap. 15. dicit, informitatem materiæ non durationē, sed naturæ ordine formationem, & corporum productionem præcessisse.

Suadetur primo ex Gen. c. 1.

Secundo suadetur ex 2. Machab. 7. & ex cap. firmiter.

Tertio ex Patribus, maxime Augustino.

11. Ratione probat D. Thomas dictam assertionē, quia impossibile est, materiam primam puram sine omni forma substantiali esse, aut produci, sentitque ita esse impossibile, vt contradictionē implicet, quia si materia existit, est ens actu, & si caret omni forma, caret omni actu, cum sit pura potentia. Et in hoc sensu defendunt hanc rationem, & fundamentum eius, scilicet, materiam non esse sine omni forma, Thomistæ communiter, & nonnulli Scholastici in 2. d. 12. præsertim Bonauent. & Durand. Ego verò censeo, sine vlla repugnantia potuisse id fieri à Deo, sicut in disput. 15. Metaph. sect. 2. cum Scoto, Henric. Gregor. Marsil. & multis alijs defendi, & fundamenta eius ieci in disput. 13. sect. 4. & 5. Repugnantiæ autem inductæ verbis Augustini lib. de vera relig. cap. 18. satisfieri potest: ait enim: *Etiamsi ex aliqua informi materia factus sit mundus, hæc ipsa facta est omnino de nihilo. Nam & quod nondum formatum est, tamen aliquo modo vt formari possit inchoatum est; Dei beneficio aliquid formabile est: bonum est enim esse formatum. Nonnullum ergo bonum est, & capacitas formæ & ideo bonorum omnium auctor, qui præstat formam, ipse fecit etiam posse formari.* Et infra: *Omne formatum, in quantum formatum est, & omne formabile, in quantum formari potest, ex Deo habet.* Ex his enim verbis colligitur, materiam factam à Deo aliquam in se habere actualem entitatem, quæ licèt formata non sit, & ideo dicatur pura potentia respectu actus informantis: nihilominus aliquid factum sit, habens propriam entitatem actualem cum propria existentia distincta ab actu formæ. Ratione cuius dixit idem Aug. 12. Confess. c. 3. & 6. materiam informem, licet sit propè nihil, aliquid tamen esse, nam vtcunque erat, vt caperet formas istas visibiles. Et lib. 1. Gen. ad liter. cap. 15. dicit fuisse prius natura creatam: eadem ergo ratione posset prius tempore creari sine contradictione, quia licèt non haberet actum formalem, entitatiuum habere potuisset.

11. *Qua ratione eandem assert. probet D. Thomas: cui subscribunt Bonum Dur. & alij.*

Predicta ratio non placet, & verbis augustini infringitur.

Ad

12. *Vera oratio pro assertione.*

Ad probandam ergo ratione naturali assertionem positam, satis est, quòd materia ex natura rei non possit sine forma conseruari, aut esse, vt est probabilior Philosophorum, & Theologorũ opinio, vt in citatis locis Metaphysicæ dixi. Tum ratione propriæ, & particularis naturæ, quæ naturaliter postulat coniunctionem cum forma, & ab illa pendet, sicut accidẽs à subiecto, licet in diuerso genere causæ. Tum ratione vniuersalis naturæ, quæ huiusmodi vacuitatem in materia (vt sic dicam) abhorret, multo magis, quàm fugiat vacuum in spacijs localibus inter corpora interiacentibus. At verò (vt sæpe cum Augustino diximus) in prima rerum creatione non sunt fingenda miracula, & quasi monstra præternaturalia sine cogẽte fundamento: ergo nec est cogitanda materia ita informis, vt pro aliquà duratione reali sine omni forma extiterit: hoc enim miraculosum, seu præternaturale est, & nullum habet rationis fundamentum, vt per se notum est, nec auctoritatis, vt videbimus.

13. 3. *Assertio.*

Dico tertiò. In principio creationis cœli, & terræ non fuit creatum corpus sub generali ratione corporis ab omni specie corporis abstracta, ac proinde nec fuit creata materia cum sola forma substantiali corporeitatis ab omni specifica differentia substantialis formæ in reipsa separata. Hæc assertio mihi certa videtur tam theologicè, quàm philosophicè loquendo. Et ita illam docent D. Th. & alij Theologi allegati. Et sumitur ex eisdem Patribus, & ex Scriptura, quia nomen terræ non significat verè, ac propriè corpus abstractum, sed certum quoddam corpus ab alijs distinctum: fingere autem analogiam, vel metaphoram, vbi non solùm necessaria non est, sed potius historicæ narrationi aduersatur, non est Scripturam syncerè interpretari, sed eludere. Accedit, quòd in ipso Scripturæ contextu apertè distinguitur terra ab alijs creatis corporibus, & non solùm à cœlo, sed etiam ab aqua, vt statim expendemus. Ergo nomine terræ non significatur corpus abstractum, nec corpus etiam corruptibile ratione materiæ, & abstractum ratione formæ, sed significat aliquod corpus determinatæ speciei, & naturæ ab alijs distinctum: ac proinde non sola forma corporeitatis, sed aliqua specifica forma constitutum. Ergo materia sub tali forma fuit à principio creata, & non tantùm sub generali forma, & gradu corporis.

Authoritate probatur

14. *Firmatur trib. ration.*

Ratione autem est apud me hæc assertio euidentior, quàm præcedens, quia euidentiùs ostenditur esse impossibilem realem separationem materiæ corporeæ (vt sic dicam) ab omni specifico gradu corporis, quàm separationem puræ materiæ ab omni forma. Probatur, quia sicut ex vna parte materia appetit naturaliter coniungi formæ, & ab illa pendet: ita licet fingatur illa forma corporeitatis, compositum ex illa materia naturaliter appetit vlteriorem formã, & ab illa pendebit, quia sicut materia est naturalis potentia ad formam, vt cum illa per se componat vnum totum: ita compositum illud ex materia, & forma corporeitatis esset potentia ad vlteriorẽ formam specificam, cum qua vnum compositum per se componeret: ergo sicut est monstrosum, & contra naturam esse materiam sine forma, ita & esse illud genericum compositum sine vlteriori forma: ergo tam est contra rationem hoc monstrum fingere in prima rerũ creatione, sicut illud prius. Aliundè verò est maior, &, vt existimo, absoluta repugnantia, quia materia realiter distinguitur à forma, & ideo quòd sine illa in sua entitate pura, & informi fieri, & conseruari possit, mirum non est: gradus autem genericus non distinguitur in reipsa ab specifico, sed ratione tantùm cum aliquo fundamento virtuali in reipsa, & ideo fieri non potest, vt in reipsa sit forma dans genericum gradum separatum ab omni specifico. Sicut non potest fingi substantia in re existens in genere substantiæ solo, sine specie corporis, vel spiritus: nec in specie spiritus subalterna, & non in hac, vel in illa specie Angeli, vel animæ. Sic ergo repugnat dari formam sub generali ratione corporis, & in re existens sine determinatione ad aliquam speciem, vt latiùs dixi in disp. 13. Metaph. sect. 13. concl. 3. & disp. 15. sect. 10. n. 8. & sequentib.

Dico quartò. In illo principio, in quo Deus cœlum, & terram creauit, proprium, verum, & specificum elementum terræ de nihilo produxit, ac proinde materiam eius simul fecit, & substantiali forma terræ formauit. Hæc assertio concluditur ex præcedentibus à sufficienti partium enumeratione, nam exclusis omnibus alijs falsis opinionibus de materia informi, nullum fundamentum relinquitur ad negandum, veram terram fuisse in illo initio creatam. Et hoc maximè vrget, addita regula sæpe tradita, quòd verba Scripturæ non sunt sine causa à propria significatione extrahenda: sed Scriptura vocat terram illam, quam in principio creauit, & potest de proprio elemento terræ intelligi sine difficultate, vel repugnantia cum alijs eiusdem Scripturæ verbis: ergo. Quo argumento Tertullian. suprà maximè premit Hermogenem. Illudque alij Patres antiqui in Examer. vel expositione Geneſis, confirmant: nam illa verba de propria terra intelligunt tam in illa prima sententia, quàm in sequentibus operibus tertij, & sexti diei. Ex quibus nouum, & efficax argumentum sumitur: nam terram, quam Deus in principio condidit, in tertio die apparere fecit, sic enim habet. *Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in vnum vnam, & appareat arida, factum que est ita & vocauit Deus aridam terram.* Hæc ergo terra eadem est, quam in principio produxit: de nulla enim alia postea fit mentio, nec aliam formationem vsque tunc ei adiunxit, præterquam quòd illam discooperuit aquis, & apparere fecit. At postea de eadem subiunxit: *Germinet terra herbam*, &c. *Et factum est ita & protulit herbam virentem*, &c. Hæc autem necessario sunt intelligenda de proprio elemento terræ: ergo de eodem est sermo in principio capitis. Nam in illo die tertio non fecit Deus substantiam terræ, nec Scriptura hoc commemorat, sed supponendo terram, dicit, ipsam iussu Dei herbas protulisse. Idemque argumentum sumitur ex opere sexti diei, in quo Deus iusserit animalia ex terra produci: ergo ante omnes hos dies supponitur creatum elementum terræ: ergo in illo principio: nullum enim aliud tẽpus productionis eius cum fundamento assignari potest. Ac tandem hoc confirmant alia scripturæ testimonia, vt est illud Psalmi 101. *Initio tu Domine terram fundasti.* Et Psal. 135. *Qui firmauit terram super aquas.* Denique vbicunque in Scriptura de operibus creationis agitur, & in hac propria significatione terra sumitur, & inter prima Dei opera numeratur, & tanquã fundamẽtum huius mundi visibilis ponitur, quia est infimum omnium, & quasi centrum, circa quod cælum volutatur, vt Arist. 2. de Cœlo text. 17. dixit. Ergo hoc fundamentum in principio totius ædificij factum est, ac proinde terra in illo principio fuit facta. Quod etiam ex sequenti assertione & responsionibus obiectionum euidentiùs fiet.

Dico quintò. In eodem principio elementum aquæ in propria forma, & loco, & à terra distinctum creatum est. Hæc est etiam sententia Basilij, Bedæ, & aliorum in principio Geneſis, seu Examer. & Damascen. lib. 2. cap. 5. dicentis, Deum principio produxisse cuncta visibilia, cum antea non essent: *Partim hæc quæ ex antecedentibus ma-*

tria, vt cælum, & terram, aërem, ignem, aquam; partim ex his ab eo procreatis elementis, vt animantia, & cæt. Et hanc sententiam communiter Scholastici sequũtur, & moderni magis probant. Et in primis est magis consentanea verbis Scripturæ: nam licet in illis primis verbis, *Creauit Deus cælum, & terram*, aqua non exprimatur: nihilominus, sub extremis media intelliguntur, vt Basilius, & alij notant. In quo tantum sensu verum habet sentẽtia Chrysostomi *hom. 3. in Gen.* dicẽtis, Moysem in illis primis verbis summatim vniuersum mundi opificiũ comprehendisse. Quod etiam non displicet Augustino 11. de Ciuit. cap. 33. & 2. de Gen. contra Manichæ. cap. 3. & admitti potest, dummodo verba *cæli & terræ*, à proprijs significatis nõ extrahantur, & sub illis media corpora comprehensa intelligãtur. Et in præsenti hoc maxime confirmat, quod statim post illa prima verba, *In principio creauit Deus cælum, & terram*, ante aliud opus in eo die factum addit Moyses, & *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, quod de aqua elementari, & propria intelligendum esse, regula tradita persuadet. Ergo iam tunc factæ erant aquæ, & non post primũ instans creationis, quia tota illa narratio ad opus in principio factum refertur, vt in superioribus de aëre annotaui: sed post illud primum instans nihil Deus fecit vsque ad productionem lucis: ergo necessario intelligendum est, aquam factam esse in primo instanti.

Et hoc etiam confirmat vox *abyssi* ibidem adiuncta, quia proprie *abyssus* profunditatem aquarum visu impenetrabilem indicat. Vt August. 22. contr. Faust. c. 11. & alij cõmuniter docent. Ratione item philosophica eadem assertio ostenditur, quia posito vno contrariorum in rerum natura, consequẽs est, vt aliud etiam ponatur (vt Aristot. etiam argumentatur) & ideo, creata terra, opportunum, & quasi connaturale fuit creari ignem, vt maxime in leuitate ab ea distantem, his autem factis extremis, etiam alia media necessaria fuere: tum quia sicut aer in qualitatibus primis terræ opponitur, ita proprium contrariũ ignis est aqua: tum etiam quia creatis duobus elementis alia etiam duo ad complementum quasi essentiale vniuersi necessaria fuerunt. Quæ ratio, & similes licet cogentes non sint, tamen dum aliunde nõ ostenditur noluisse Deum hunc connaturalẽ ordinem seruare, multo credibilius est, in hac perfectione, & integritate simplicem mundũ in principio condidisse.

Ex quibus colligimus primò, aquam illam, quæ in principio cũ terra fuit condita, illamq; cooperiebat, non fuisse tenue aliquod corpus per modũ vaporis, aut nebulæ, sed fuisse verum aquæ elemẽtum in sua substantia, & dispositione existẽs. Hoc enim euincunt citata Scripturæ verba, & rationes factæ suadent, & nullum est fundamentũ ad proprietatem verbi aquæ fugiendam: vel ad cogitandum, aut fingendũ aliud corpus diuersæ rationis per illam vocem significatum: nam si erat substãtialiter diuersum ab aqua, reuera non erat aqua pura, nec poterat esse nisi aliquod corpus mistum imperfectum, & primæ creationi ex nihilo non est accõmodatum, quia mista ex simplicibus postea facta fuere, vt videbimus, nec etiã ad primariam vniuersi cõstitutionem pertinere poterat: frustra ergo sine testimonio Scripturæ cogente tale corpus loco aquæ creatum confingitur.

Secundo infero id quod etiam in Metaph. dixi disp. 13. sect. 11. n. 26. aquas in principio creatas non repleuisse totum spacium inter cœlum empyreũ, & terram interiectum, vt quidam arbitrati sunt, fundati in operibus secundi, & quarti diei, ex quibus id non probari, postea ostendemus. Secluso autem illo fundamento, id nec alijs verbis Scripturæ consonum est, nec per se est multum verisimile. Primum patet, quia Scriptura dicit, cœlum creatum esse primo die, & ostensum est, nomine cœli non solum empyreum, sed etiam alios cælos comprehendi: imo certius de cæteris, quã de empyreo id affirmari. Probabilius etiam esse ostendimus, aerem sub illa voce comprehendi, & nomine etiam spiritus, qui aquis superferebatur, significari. Ex quibus concluditur, aquam in prima creatione solum occupasse spatium, q̃ inter superficiem connexam terræ, & concauam aeris intercedit. Quod etiam per se maiorem verisimilitudinem habet. Cur enim Deus tantam aquæ multitudinem ante cœlos, & aerem crearet? aut cur inter simplicia corpora, quæ per se non postulãt, vt vnũ ex alio fiat, illud discrimen constitueret? vel cur magis aerem ex aqua, quã è conuerso: vel cælos ex aqua potius, quam ex aere procreasset? Ac denique cur cælum incorruptibile corpus ex aqua produceret. Vt enim omittam probabilius esse, illud ex materia diuersæ rationis constare: etiamsi eiusdẽ esset materiæ, præter naturale illi esset, ex materia præiacente, & per corruptionem alterius corporis fieri. Vnde etiam authores cõtrariæ sentẽtiæ productionem cæli ex aqua generationem supernaturalem vocant: omnis autẽ supernaturalis productio aliena est à prima naturæ institutione, ac productione, vt cũ Augustino sæpe diximus. Neq; satis est dicere, Deum hæc omnia pro solo suo arbitrio facere potuisse. Esto enim id verũ sit, oportet ostendere, ita voluisse, quod certe ex Scriptura ostendi non potest, vt exponendo opera singulorum dierum, manifestũ fiet: ideoq; dum talis voluntas Dei reuelata non est, potius credendũ est, omnia connaturali modo, & in statu, ac ordine simplicibus corporibus magis cõsentaneo in principio condidisse.

19. *Ad fundam. tertiæ opinionis in n. 3.*

Neque huic nostræ sententiæ obstant verba Scripturæ, quæ aliæ opiniones, præsertim tertia expendunt. Nam q̃ *Gen.* 1. terra in principio creata dicitur *inanis, & vacua* verius, & proprius puro elemento terræ, quam materiæ primæ, & informi accommodatur. Nam terra ipsa inanis tũc fuisse dicitur, quia nondum officio, & muneri propter q̃ creabatur, inseruiebat: imo erat in statu ad illud munus obeundum incommodo, creabatur enim, vt illam homines inhabitarent, tũc autem erat aquis cooperta, in quo statu ad illum finẽ inseruire non poterat, ideoq; inanis fuisse dicitur. Vnde cõsequenter erat etiam vacua, vtiq; herbis, floribus, arboribus, mineralibus, animalibus, & hominibus. Et in idem redit, q̃ Septuaginta legunt, *inuisibilis, & incompositа*: nam inuisibilis dicitur, quia tenebris, & abysso aquarũ erat cooperta: incomposita vero erat, id est, carens ornatu, & pulchritudine, quam ex varietate, & cõpositione plãtarũ, & animalium recipit. Et in idem redeũt aliæ voces variæ, quibus illa verba transferuntur, & explicantur à Patribus, & doctoribus, qui omnes illas fere in eundẽ modum de terra declarãt. Vnde quoad hanc partem acceptamus sententiam explicãtem informitatem materię de informitate accidẽtali. Non tamen illam ponimus in permistione partium integrantiũ elementorum, vt vltima opinio supra relata dicebat: id enim nec in Scriptura, nec in ratione fundamentum habet: sed informitas dici potest illa tenebrarum obscuritas, & vacuitas ornatus, & pulchritudinis, quam explicauimus. Et eodem modo loquitur Greg. 32. Moral. c. 9. alias 10. cum ait, *Rerum substantia simul creata est, sed simul species formata non est.* Nam per rerum substantiam corpora simplicia, & præsertim quatuor elementa, ex quibus cætera fiunt, intelligit: nam statim subdit: *Et quod simul extitit per substantiam materiæ*, vtique elementaris, *non simul extitit & per speciem formæ,*

Iudicium de interpretatione informitatis posita in num. 7

forma, id est, per ornatum, & varietatem rerum, quæ ex elementis postea facta sunt.

20. *Ad 1. cum Sap. 11. in eodem num. 3.*

Atque in eodem sensu dixit Sapiens, Deum creasse *orbem ex materia inuisa*, vel, vt alij legunt, *informi*, vt monet Aug. lib. de Fide, & Symbol. cap. 2. Elementa enim, & præsertim terram, & aquam prout formationem, & ornatum mũdi præcesserunt, vocat materiam inuisam. Materiam quidem, quia ex illis produxit Deus omnia mista, quibus vniuersum ornatur, sic enim elementa materiam, ex quibus mista fiunt, appellamus. Vnde cùm orbis terrarum dicitur ex illa materia creatus, perinde est, ac si diceretur perfectus, & consummatus: aut nomine orbis terrarum intelliguntur res omnes, quæ in hoc inferiori orbe, terra scilic. mari, & aëre creata sunt. Dicitur autem illa materia inuisa eadem ratione, qua dicitur inanis, & inuisibilis, vt explicatum est: vel si legatur informis, intelligitur de informitate, vel (vt ita dicam) deformitate accidentali, quam habebat, quando tenebræ erant super faciem abysi, & quando erat vacua, & ornatu mistorum carebat. Addo etiam posse gratis dari, testimonium hoc de materia prima intelligi, quæ secundum se inuisibilis, & informis est, & ex illa dici potest creatus orbis terrarum, id est, corporeus, etiam quoad simplicia corpora. Non quia materia præexiterit creationi simplicium corporum, sed quia etiam in primo instanti creationis ex illa composita sunt, & per eandem actionem suo modo creata. Nam materia secundum se forma caret, & ordine naturæ illi supponitur, & ideo ex illa magis, quàm ex forma dicuntur creari, quãuis ex vtraque fuerint per creationem composita. Et huc spectat opinio Augustini, quòd materia informis ordine naturæ, non durationis præcesserit: est enim hoc verum respectu eorum corporum, quæ immediatè per creationem facta sunt. Et potest accommodari huic æstimonio, non verò verbis Geneseos, quibus dicitur terra cum cælo producta, vt satis ostensum est.

Vide authorem in metaphysica disp. 13 sect. 1. à n. 29.

Altera responsio ad eundem locum.

21. *Ad locũ ex Hebr. 11. in ipso num 3.*

Iuxta hęc etiam exponenda sunt verba illa Pauli ad Hebr. 11. *Fide intelligimus, aptata esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent.* Possunt enim vel ad ipsum opus creationis, quo Deus in principio cœlos, & terram ex nihilo produxit: vel ad opus ornatus sex diebus factum accommodari. Et in priori sensu per *secula* intelligere debemus res omnes, quæ temporales sunt, & in præteritis seculis esse receperunt: hæc autem secula tunc aptata esse intelliguntur, cùm primùm esse inceperunt. Sic ergo ait, Deum solo verbo suo sine necessitate prę iacentis materiæ aptasse, seu principium dedisse omnibus seculis, & rebus in illis existentibus. Vnde quod subiungit, *Vt ex inuisibilibus visibilia fierent*, sic exponitur: vt ex esse inuisibili, quod in diuinis ideæis habent, in proprio esse producta, visibilia fierent. Ita exponit Diuus Thomas, & sequitur Ribera, & accommodatur melius rebus corporalibus, quæ proprie temporalia, seu secularia dicuntur. In quo sensu particula *ex*, non dicit habitudinem causæ materialis, sed efficientis, vel exemplaris. Posset etiam simpliciter exponi, vt ex inuisibilibus, id est, non extantibus, nec apparentibus, existentia in seipsis, ac proinde visibilia fierent, ita vt particula *ex* solum terminum *à quo* designet. In alio vero sensu dicuntur *secula*, id est, secularia corpora, & temporaria omnia in illis primis diebus primi seculi facta esse verbo Dei, vel proprie *aptata*, id est, congruẽter dispositа, & ornata, quod factum est in sex primis diebus per opera distinctionis, & ornatus, vt infra videbimus. Et merito dicuntur sic aptata, *vt ex inuisibilibus visibilia fierent*, quia prius elementa fuerunt inuisibilia, id est, non apparentia ob defectum lucis, per cuius productionem postea apparuerunt, & sic facta dicuntur visibilia: erant etiam elementa sine ornatu, & ex illis factæ sunt omnes istæ creaturæ visibiles, quæ ad ornatum, & pulchritudinem vniuersi pertinent. Ita Caietanus, & est probabilis expositio.

CAPVT IX.

Vtrum cum cælo, terra, cæterisque elementis tempus etiam concreatum sit.

HAnc quęstionem tractant Theologi in 2. d. 2. & Diuus Thomas q. 66. 1. p. art. 4. Alens. 2. p. q. 14. memb. 2. & Albert. Magnus specialem fecit tractatum de quatuor coæquæuis, id est, de rebus in eodem æuo, seu simul factis. Aiunt ergo hi Theologi, quatuor esse coæquæua, seu simul à Deo facta, scilicet, Angelos, cœlos, terram, seu materiam informem, & tempus. Et quia tria prima explicata sunt, de quarto breuiter dicere necesse est. Non videtur enim rectè annumerari tempus cæteris coæquæuis. Primo, quia tempus non est per se factum, sed consequitur motum, estque veluti passio eius, ratione tantum formali ab illo distincta. Et loquendo communi modo de tempore, vt est communis mensura, in motu cœli tantum reperitur: sed motus cœli non est factus simul cum rebus alijs primò creatis: ergo neque tempus. Maior ex Philosophia supponitur. Minor autem probatur, quia motus non potest incipere in instanti intrinseco, quod primum sui esse vocant, sicut aliæ res permanentes creatæ sunt: ergo non potuit alijs rebus concreari, sed per realem durationem saltem vnius instantis alia præcedere debuerunt.

Tempus concreatum fuisse.

Secundo argumentor quod etiam plus quam per instans præcesserint, quia tempus non incepit, nisi quando sex dies creationis mundi, seu primus illorum incepit: sed primus dies non fuit cõcreatus cœlo, & terræ in principio creatis, neque secundum instans intrinsecum, neque secundum extrinsecum, quod sit diei initium per vltimum non esse eius: ergo nullo modo fuit concreatus: ergo nec tempus. Probatur minor, quia dies non incepit, donec lux creata est, vt constat tum ex initio Geneseos, tum etiam quia dies consistit in lucis, & tenebrarum vicissitudine. At vero lux non fuit creata intrinsece in primo puncto creationis cæli, & terræ: nam in illo fuerunt tenebræ super faciem abysi, & ad illas depellendas postea dixit Deus, *fiat lux*. Neque etiam potuit lux fieri immediate post illud instans, quia est res permanens, & in instanti fit, instans autem non sequitur immediate post instans: ergo non potuit tempus incipere in primo instanti creationis rerum, sed ad summum ab alio instanti creationis lucis. Propter quod dixit Philo libro primo Allegoriarum in principio, necessario fatendum esse tempus posterius mundo esse, quippe quod mundi est effectus, nam cœli motus indicat, & naturam temporis.

Secunda pars, & communis sententia firmatur.

Contraria nihilominus pars, & communis sententia suaderi potest, quia supra diximus, cœlum & terram fuisse creata in principio temporis, & hanc interpretationem verborum illorum, *In principio creauit Deus*, &c. cæteris prætulimus, tanquam primariam, & maximè literalem, etiamsi aliæ non excludantur. Non potuit autem illud instans esse initium temporis, nisi in illo incepérit tempus, quia est fermo de initio durationis: ergo necessario asserendum est, tempus simul cum cœlo, & terra incepisse, ac proinde simul cum illis concreatum esse. Et ob hanc causam dixit Augustinus lib. 11. de Ciuit. cap. 6. Mundum non

esse

esse factum in tempore (vtique quòd iam incepisse) sed cum tempore, nimirum simul cum mundo creato. Et in Imperfect. Gen. cap. 3. licet disputando procedat, semper supponit quod sit in temporis initio, & cum tempore incipere. Vnde fit, vt etiam è conuerso, tempus concreetur cum re, quæ in eius initio fit, & esse incipit. Idemq; sentit lib. 5. Gen. ad liter. cap. 5. Et propter hanc rationem cēsent aliqui, omnino certum esse, tempus esse creatum simul cum cælo, & terra in hoc sensu, vt idem fuerit initium cæli, & temporis, quamuis non eodem modo, quia idem momentum fuit initium intrinsecum cæli, & aliarum rerum permanentium, temporis a. & motus solum extrinsecum.

Sed quia hoc in aliquo sensu potest esse certū, & in alio dubium, licet probabile, breuiter aduertendum est, aliud esse loqui de duratione præcisè, aliud de tempore in generali, aliud in particulari de tempore physico, quod in successione continua alicuius physici motus consistit, ac denique aliud est specialissimum tempus (vt sic dicam) seu per antonomasiam, quod in motu cæli collocatur. Deinde principium temporis dupliciter dici potest, scilicet, vel negatiue per respectum ad antecedentia, vel positiue respectu sequentium: priori modo dicitur principium, ante quod nihil præcessit, posteriori modo dicitur principium aliud, quod non solum est ante aliud, sed etiam aliud post ipsum proxime sequitur.

Dico ergo primò, durationem aliquam non æternam fuisse aliquo modo concreatam cum Angelis, cælo, & terra, eamque fuisse principium omnis durationis creatæ, vel negatiuè, quia ante illam durationem nulla præcessit: vel positiuè, quia principium durationis, quod tunc fuit, immediatè post, nostro intelligendi modo, fuit in ratione durationis consummatū. Hæc assertio est euidens si ex Metaphysica supponamus, durationem realem comitari omnem rem existentem, esseque illi intrinsecam, & in re ab ipsa existentia minime distinctam, vt ex professo tractatum, & probatum est disput. 50. Metaph. sect. 1. & 2. Ibi enim ostendimus, durare, & existere solum differre connotatione quadam nostro intelligendi modo, quia existere dicitur res in primo momento, quo esse recipit: proprie verò durare non dicitur, donec intelligatur perseuerare in existēdo. Vnde in primo instanti productionis rei indiuisibilis, & per primum sui esse dicitur res existere, proprie autem nondum durare dicitur, licet dici possit incepisse in duratione sua. Sic omnes res creatæ sunt in principio durationis suæ, earumque duratio cum illis concreata est. Et ita est manifesta, & euidens prima pars assertionis.

Secunda verò ex fide certa est. Quia omnis duratio creata, etiamsi sit æuum angelicum, vel duratio permanens rei corruptibilis, vel incorruptibilis, initium habuit saltem negatiuum, ita vt verissime dici possit, hanc durationem nunc esse, vel incepisse, & antea non fuisse: ergo omnis duratio creata habuit initium, & secundum tale initium cum rebus in principio creatis concreata est. Antecedens patet, quia nulla duratio creata fuit æterna, vt secundum fidem supra probatum est: ergo necessario incepit esse cum antea non esset, alioqui semper fuisset. Sed perturbare potest illud aduerbium *antea*, quod temporale est, & videtur connotare durationem præexistentem, quod repugnat: cum ante principium creationis rerum nulla duratio creata præcedere potuerit. Sed hoc nihil mouere debet, quia illud *antea* non dicit durationem realem precedentem, sed imaginariam, vel (quod perinde est) realem, non quę fuit sed quę esse potuisset. Vel etiam dici potest, illud *antea* cōnotare Dei æternitatem, quia res, cum creantur, ita durare incipiunt, vt in tota Dei æternitate vsque tunc non fuerint, nec illi coexiterint. Atque hoc durationis initium mundo concreatum sufficit ad veritatem dogmatis fidei, quod res creatæ non fuerunt ab æterno, sed in aliquo initio temporis, id est, creatæ durationis, esse inceperunt.

Tertia verò pars assertionis de initio positiuo declaratur, quia cælum, & terra tale esse, taleque initium existendi per creationem acceperunt, vt ex vi illius in ipsomet esse permanere possent: ergo ex tunc durandi initium acceperunt. Item nostro modo intelligendi immediatè post illud primum instans creationis propriè durarunt, in eodem esse permanendo: ergo in illo initium suæ durationis, seu permanentiæ acceperunt. Atque ita hæc pars etiam in æuo angelico, vel cælesti locum habet: nam licet ipsum in se sit indiuisibile, eminenter habet permanentiam æquiualentem durationi diuisibili, ideoq; nostro modo intelligendi ratione distinguimus initium eius ab esse eius perfecto, & consummato in esse durationis, & sic dicimus concreari cum ipsa re æuiterna secundum initium suum, permanere autem per eiusdem rei conseruationem, & sic in ratione durationis compleri, non quidem secundum rem, quæ tota simul incepit, sed secundum nostrū intelligendi modū.

7. *Probatur 3. membrum.*

Dico secundò. Aliquod initium tam negatiuū, quam positiuum propriį temporis concreatum esse cum subsistantijs in principio creatis, id est, in primo instanti creationis earum. Declaratur assertio: nam hoc differt inter tempus proprie sumptum, & durationem creatam, quod duratio etiam creata abstrahit à successione reali, & formali, potestque esse indiuisibilis, virtute continens successionem, ratione cuius concipi potest vt coexistens successioni imaginariæ, & habens aptitudinem ad existendum reali successioni. At verò tempus proprie significat durationem realē successionem habentem. Vnde prior assertio propriè habet locum in duratione permanente, siue sit æuum, siue aliqua alia duratio, hæc verò ponitur de duratione successiua. Sic ergo certum est, non potuisse hanc durationem, seu tempus secundum proprium suum esse concreari in primo instanti creationis ipsis rebus creatis, vt conuincit prima ratio dubitandi in principio posita, quia in instāti non potest esse successio. Nihilominus tamen dicimus in assertione, tempus aliquod secundum suum initium concreatum esse. Quod vt probemus, distinguimus duplex tempus, vnum physicum, & continuum, aliud metaphysicum, seu intellectuale, & discretum. De priori dicemus in assertione sequenti. Hæc autem assertio proprie de posteriori proponitur. Nam hoc tempus in actibus intellectus, & voluntatis positum est, quatēnus in eis quædam successio, & ab vno in alium transitus inuenitur. Sed probabilissimum est, actus intellectus, & voluntatis Angelorum simul cum ipsis incepisse: ergo in eis necessariò aliquod tempus incepit. Non potuit autem tunc incipere tale tempus quoad integrām successionem suam, quia successio non potest esse in instanti, nec Angelus creatus cum aliquo actu potuit pro eodem instanti ad alium actum transire: nihilominus tamen in illo puncto incepit intrinsece realiter tale tempus, tam secundum respectum negatiuum, quia ante illud momentum nullum præcesserat instans talis temporis, quam secundum respectū positiuum, quia immediatè post sequi potuit aliq; actus, & consequenter aliud instans illius temporis. Estque differentia inter hoc tempus, & physicum, quia non est continuum, sed discretum, & ideo ex indiuisibilib. durationib. cōponitur: ideoque potuit in illo primo creationis instāti dari intrinsecum initium talis temporis, quia tunc pri-

8. *2. Assertio eiusque sensus exponitur.*

De tempore dicit creato procedit, ac probatur prædicta assertio.

ma pars illius extitit. Et secundum hoc etiam tempus verificari potest dogma fidei, quod omnia facta sunt in temporis initio, & consequenter quod aliquod initium proprij temporis rebus ipsis creatis concreatum sit.

9. 3. Assertio.

Dico tertio. Etiam de tempore existente in motu physico, & cælesti, probabili, ac vero sensu dici potest, incepisse cum rebus primo creatis, ac subinde cum illis concreatum fuisse. Hæc assertio dupliciter sustineri potest. Primo asserendo aliquem motum localem corporum in principio creatorũ in illo primo instanti incepisse, eo modo, quo potest motus incipere in instanti, scilicet, extrinsece, & per vltimum non esse. Et hunc modum difficile sustinere possunt, qui negant, cælos fuisse creatos in illo instanti: sic enim tunc non potuissent incipere motus cæleſtes, cum fuerit postea prius creãdum ipsum mobile. Si autem motus cæli tunc non cœpit, frustra, & sine fundamento dicetur incepisse vel in terra, vel in alio elemento, vel in materia informi. Quanuis enim id non fuerit impossibile, nihilominus ita esse factum nullo modo sciri potest, quia neque scriptum est, neque ratione aliqua ostendi potest. Quod etiam confirmari potest ex his, quæ circa illa verba, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, cap. 7. diximus, vbi ostendimus, licet nomine *spiritus* significetur aër, nihilominus necessarium non esse, vt verbum *ferebatur* motum localem significet, quia de nullo motu naturaliter id verificari potest, præternaturalem autem fingere superuacaneum est, quæ ratio in præsenti etiam locum habet. At vero supposita nostra sententia, quod omnes cæli in illo primo instanti creati sunt, optima ratione defenditur, atque asseritur, motum primi mobilis à principio creationis incepisse, ac proinde etiam tempus. Prout sensit D. Thom. dicta q. 46. art. 3. ad 3. Quia ex parte motus nulla est repugnantia, quod in eodem instanti extrinsece incipiat, in quo mobile incipit existere, vt per se notum est, nec etiam erat vlla difficultas ex parte primi mobilis in eo puncto iam creati cum tanta aptitudine ad motum circularem, quantam nunc habet, & eandem habuit Angelus motor illius cæli ab eodem instanti. Denique talis motus vel est naturalis illi cælo secundum peculiarem eius naturam, vt aliqui volunt: vel saltem est consentaneus vniuersali naturæ, & ordini totius mundi, quia cum tempus illius motus sit vniuersalis, & prima mensura singulorum dierum, conueniens fuit, vt cum alijs rebus primis simul inciperet, eo modo, quo potuit. Ergo multum credibile est, motũ cæli, ac subinde tempus extunc incepisse. Et ex his, quæ de lucis effectione, & primi diei opere dicemus, hoc amplius confirmabitur. Quid autem de motibus aliorum cælorum dicendum sit, postea videbimus.

Prima via sustinendi positam assertionem difficilis quidem iuxta negantes creatos fuisse cælos in 1. instanti.

Facilis autẽ iuxta id affirmantes.

10. 2. *Via sustinendi eande assertionem secundum D Thomam*

Quia vero, licet probabile sit, motum primi mobilis immediatè post primum instans creationis factum esse, tamen id certum non est, vt libro sequenti capite secundo attingam, addendum cẽseo, etiamsi non continuò, seu immediatè post factus fuisset ille motus, nihilominus verè dici posse, cœlum, & terram, seu mundum factum esse in temporis initio, seu cum principio temporis, aut etiam cum tempore. Primam partem tradit D. Thomas dicta q. 66. ar. 4. ad 3. dicit tamen, licet in eo casu tempus non esset in motu firmamenti, seu primi mobilis, necessarium esse, vt in alio motu existeret. Quod est quidem verum, si supponatur aliquod tempus successiuum realiter fuisse ante motum cœli. Nos vero dicimus, etiam sine hac suppositione posse initium temporis esse coæquæuum creationi cæli, & terræ. Quod ita breuiter declaro: nam in illo instanti, in quo cælum factum est, talem locum acquisiuit per quandam momentaneam actionem productiuam talis vbi, quæ licet facta fuerit consequenter ad creationem substantiæ cæli, nihilominus in re distincta erat abilla, ad eum modum, quo vbi distinguitur à corpore locato. In illa ergo comproductione vbi cælestis fuit indiuisibile quoddam instans, quod desufficies principium temporis erat, tum negatiue per respectum ad anteriora, quia ante illud instãs, nullum tale præcesserat: tum etiam positiuè respectu futurorum saltem de se, & secundum aptitudinem. Quia tale fuit illud instans, vt immediatè post illud posset sequi tempus verũ, & reale per amissionem illius primi vbi, & continuam aliorũ acquisitionem per motum immediate post subsequentem. Nam hic motus esto de facto non fuerit semper possibilis fuit, & hoc satis est, vt illud primum instans dicatur esse principium temporis, vtiq; quod fuit, vel esse potuisset: nam ratio principij non semper dicit actum, sed aliquando etiã aptitudinem. Quocirca licet ponamus ita fuisse productum mundum in illo instanti, vt in nulla creatura facta fuerit mutatio, vel successio realis per aliquam moram, nihilominus illa mora de se esset mensurabilis tempore, sicut nunc quies vnius corporis per motum alterius corporis mensuratur. Et quanuis in re non esset talis mensura, secundum nostram cogitationem potest apprehendi vt possibilis, & dicitur imaginaria successio, & secundum illam posset mundus, aut cælum quantuncunque quiescens dici magis, aut minus durasse, & quieuisse in tali loco, ex quo in illo creatum est. Ergo hoc satis est, vt & mundus dicatur creatus in temporis initio, & initium temporis saltem extrinsecum, & indiuisibile fuisse concreatum mundo informi.

Quo pacto sustineatur secundum authorem.

Et per hæc satisfactum est rationibus dubitandi in principio positis. Ad primam enim fatemur, tempus, vt est ens reale successiuum, non esse factum omnino simul cum cælo, & terra, nihilominus tamen ratione sui initij dici concreatum illis. Et de facto etiam semper, & immediate post illud primum instans illis coextitisse. Eademq; respon- *Ad 1. ratio.*
sio in secunda ratione locum habet. Quatenus *nem.*
vero in illa attingitur peculiaris difficultas, de creatione lucis, respondet D. Thom. dicta q. 66. a. 4 ad 2. quod sicut mundus prius fuit informis, quã plene formatus, ita potuit esse, & tempus, quod perinde est, ac si diceret, etiamsi in principio sol non esset, vel non luceret, potuisse moueri primũ mobile, & in eo esse tempus informe ex defectu lucis, quod verissimum quidem est, de possibili loquendo. Quando vero, & quomodo & ipsa lux, & diuisio eius à tenebris facta fuerit, in principio libri sequentis dicemus.

CAPVT X.

Verum omnia corpora, etiam mista, totaq; vniuersi dispositio in eodem momento simul cum cælis, & elementis facta sint.

PRiusquam ad opera singulorum dierum explicanda veniamus, operæpretium est generatim exponere, quales illi dies fuerint, & quomodo à nobis concipiendi, & declarandi sint. Hoc autem potissime pendet ex alia quæstione, nimirũ, an omnia opera, quæ in illis diebus facta narrantur, verè fuerint per temporalem successionem effecta, vel omnia simul: vel eodem die facta fuerint, & propter aliquod mysterium & figuram ita narrentur, ac si diuersis diebus essent facta. Ratio *Ratio dubitandi.*
dubitandi est. Primo, quia Eccl. 18. dicitur, *Qui vi- Prima.*
uit in æternum, creauit omnia simul*: Dicens a. omnia, ni-*
hil excepit: ergo non tantum corpora simplicia, sed etiam mista fuerunt simul in principio facta, & consequenter etiam terra fuit discooperta ag

in eodem instanti, alioqui nec ad generationem, nec ad habitationem mistorum apta fuisset, eademque ratione cætera, quæ diuersis diebus facta narrantur, in primo creationis momento facta sunt: fuit ergo mundus creatus in eadem dispositione, & pulchritudine, ac corporum ordinata distinctione, in qua nunc est. Secundo non est hæc sententia aliena ab illo principio Genesis, in quo dicitur, *in principio creauit Deus cælum & terram*, quia consuetum est in Scriptura, vt nomine cæli, & terræ vniuersum vt constans ex omnibus rebus significetur, vt statim *in 2. Gen.* dicitur, *Igitur perfecti sunt cæli, & terra.* Exod. 31. *Sex diebus fecit Deus cælum, & terram*, vbi cælum, & terra, quæ in principio creata dicuntur, sex etiam diebus dicuntur facta, & ad Heb. 1. & Psal. 101. *Initio tu Domine terram fundasti & opera manuum tuarum sunt cæli*, & Matth. 11. *Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ.* Vnde merito dixit Chrysost. homil. 3. in Genes. Moysem in illis primis verbis quasi in summa omnium rerum creationem, ac productionem comprehendisse. Ergo si verbum illud, *in principio*, significat (vt sæpe posuimus) primum instans existentiæ creaturarum, affirmauit Moyses in illis verbis, totam machinam mundi cum omnibus rebus in eo existentibus simul creatam fuisse.

Tertiò argumentor ex aliquibus operibus variis diebus assignatis, in quibus clarius esse videtur, non potuisse à prima rerum creatione seiungi, vnde fieri potest argumentum ad reliqua, licet diuersis diebus facta narrentur. Antecedens patet in primis ex creatione lucis, quæ primo die dicitur facta, & de firmamento facto secundo die, & de sole, luna, & stellis quarto die factis. Nam hæc omnia non potuerunt non fieri simul cum cælis in eodē creationis principio, sine miraculo, quod admittendum non est in hoc opere creationis, vt sæpe cum Augustino, & D. Thoma dixi. Antecedēs probatur, quia natura vniuscuiusq; rei postulat, vt integra fiat, & cum omnib. partibus, quas forma eius requirit, & cum omnibus proprietatibus, quæ eandem formam naturaliter consequuntur. Ergo si cæli facti sunt à principio, tunc factū fuit firmamentum, id est, octauum cælum cū omnib. suis stellis, quę sunt veluti partes principales integrantes, & ornantes ipsum: facti etiā sunt alij cæli inferiores cum suis planetis, atq; adeo cum sole, & luna: & consequēter etiam facta est lux Solis, quia est proprietas naturaliter dimanans ab illius astri forma: ergo omnia illa, quæ primo, secundo, & quarto die facta narrantur, in principio simul facta sunt. Et sub nomine cæli tunc facti comprehēduntur, quia non est putandum fecisse Deum cælum mutilum, aut monstrosum, sed in suo statu perfectissimum. Et confirmatur, quia opera Dei perfecta sunt, & ea maximè quæ ipse solus vt proprius auctor facit. Et ideo credimus fecisse Angelos perfectos in suis potentijs, virtutibus, & actibus: & similiter creasse primum hominem in perfecta ætate, statura, membris, potentijs, &c. Ergo idem est dicendum de cælis, & consequenter de cæteris rebus.

Vnde tandem argumentor quartò, quia nulla ratio conueniens reddi potest, cur voluerit Deus per temporalem successionem mundum ornare, ac perficere, cum facillime potuerit in vno momento omnia perficere, & hoc ipsum potentiam, & sapientiam eius magis ostēdere videatur, quod ipse in operibus suis præcipue intendit. Vnde quod de singulis rerum speciebus diximus, de toto vniuerso vt vnum quoddam totum integrum, ac perfectum est, dici potest: ad illius autem perfectionem non minus pertinent mista, quā elementa: ergo vndique perfectum Deus illud creauit, & in illa dispositione, & ordine, ac rerum multitudine, quam ad suam integritatem, & perfectionē requirit: ergo nulla fuit in illo opere perficiendo mora, vel successio, sed in illo etiam verum est, quod Deuter. 4. dicitur, *Dei perfecta sunt opera.*

Propter hæc, vel similia D. Augustinus in hac sententia fuisse videtur, vt totus hic mundus, vt cælis, elementis, & mistis constat, simul in principio fuerit creatus: & consequenter quod aqua, terra, cæteraque elementa in ea dispositione facta fuerint, quæ ad vsum, generationem, & conseruationem mistorum necessaria sunt. Ita sentit in toto libro primo Gen. ad liter. ideoque in cap. 16. ait, informitatem materiæ, seu elementorum, quæcunque illa fit, non duratione, sed naturæ ordine præcessisse: ac proinde non fuisse in rebus tenebras in illo principio; sed quantum est ex parte abyssi de se tenebrosum esse, nisi Deus lucem fecisset, quæ orbem illuminaret: & similiter in nullo tempore, vel momento fuisse terram aquis coopertam, sed ex se eam dispositionem habituram fuisse, nisi Deus creando aquas, eas in certo, ac separato loco congregasset, & sic de cęteris. Eandem sententiam prosequitur Augustinus libro quarto Geneseos ad liter. cap. 33. & sequentibus. Quanuis in alijs locis libri quinti & 6. de Genesi aliter de mistis loqui videatur, vt postea videbimus. De locis autem elementorum, & de dispositione mundi, prout nunc est, sine dubio sensit in primo instanti ita fuisse creatum. Quomodo autem sex dies explicare conatus fuerit, postea videbimus.

4. *D. Augus. prædictam partem affir. aliquando amplexus est, non tamē constanter.*

Hæc vero opinio, quod omnia simul creata sint & quod primi sex dies per aliquam metaphoram sint interpretandi, initium habuit à Philone Iudæo, qui libr. 1. Allegor. in principio dixit, *rusticanæ simplicitatis esse putare sex diebus, aut vtique certo tempore mundum esse conditum.* Vnde infra subiungit. *Ergo: cum audis: Compleuit sexto die opera, intelligere non debes de diebus aliquot sed de senario perfecto numero.* Et hunc imitatus est Clemens Alexandr. l. 6. stromat. §. 8. qui est vltimus. Citat etiam Ascanius pro hac sententia Procopium Græcum auctorem in Gen. dicentem, Moysem descripsisse mundi opificium sex dierum distinctione, quia ob imbecillitatem intellectus nostri tantam rerum varietatē, & multitudinem, earumque ordinem aliter concipere nequiuissemus. Citat etiam Hilarium l. 12. de Trinit. circa finem, ab illis verbis: *Perpetua, & æterna rerum creandarum est præparatio, neque partibus cogitationum vniuersitatis huius corpus affectum est.* &c. Veruntamen si Hilarius attentè legatur, licet dicat, præparationem rerum omnium fuisse simul coæternam Deo, de creatione nihilominus, & dispositione mundi in tempore facta non dicit, quoad omnia fuisse simul, sed solum quoad cæli & elementorum creationem, vt paulo post referam. Allegatur etiā pro eadem sententia Origenes 4. Periar. cap. 2. quia ibi primum caput Gen. & alia prætermisso historiæ sensu, per tropum exponit: sed ibi non adhibet exemplum in illis sex diebus. Et hom. 1. in Gen. inter opera illorum dierum successionem admittit. Denique Scholastici propter auctoritatem Augustini non omnino hanc sententiam reijciunt, sed disputando illam defendunt, licet contrariam vt communem Patrum præferre videantur, vt videre licet in D. Thoma 1. p. q. 66. & sequentib. præsertim vero q. 74 & q. 4. de Potent. artic. 1. & 2. & Alens. 2. p. q. 44. membr. 3. & q. 46. per totam, & Albert. Mag. in 2. d. 12. art. 1. vbi in opinionem Augustini magis inclinat, eamque latius defendit in summa de quatuor coæquæuis. Consentiunt etiam Eugubin. & Caiet. in Gen. & refertur etiam Cano, de quorum sententia in c. 12. dicemus. Veruntamen nec Augustinus illam sententiam constanter asseruit, nec nos possumus à communi sententia Patrum, quæ historicæ narrationi Genesis

5. *A Philone Iudæo primus hæc dicta fuit.*

Philonem imitatus est Clem. Alex. Alij vero non nulli immerito citantur ab Ascanio.

Quo pacto D. Thom. Alens. Albert. & alij Scholastici August. defendant.

valde consentanea est, in hac parte recedere.

6. 1. Assertio communis Patrum Augustino excepto.

Dico ergo primò. Non omnia, quę in primo capite Geneseos sex diebus facta narrantur, simul in principio creationis cæli, & terræ facta sunt. Hæc est communis sententia sanctorum Patrum præter Augustinum, vt D. Thomas supra fatetur, & constat ex Basilio, Ambros. Chrysostomo, Beda, Strabone, & alijs in Genes. & bene Rupert. ibi l. 1. cap. 37. & communiter ibi expositores. Quam Hilarius dicto libr. 12. de Trinit. his verbis mihi expressisse videtur. *Tametsi habeat dispensationem suæ secundum Moysem firmamenti solidatio, aridæ nudatio, maris congregatio, astrorum constitutio, aquarum, terræq; in efficiendis ex se animantibus generatio, non tamen cæli, terræ cæterorumque elementorum creatio leui saltem momento operationis discernitur.* Vbi in solo opere creationis simultatem agnoscit, cætera vero opera eo modo, quo narrantur, censet fuisse disposita. Denique etiam Scholastici cum Magistro in 2. d. 12. hanc partem magis approbant. Et probatur ex litera Geneseos, quæ, vt sæpe dixi, historica est, & non debet à proprio, & simplici sensu flecti sine grauissima causa. Primò ergo expendo illa verba, *Et tenebræ erant super faciem abyssi*, coniungendo sequentia: *Dixitque Deus, fiat lux, & facta est lux, & diuisit lucem à tenebris.* Nam tenebræ, & lux non sunt simul in eodē loco, seu corpore: ergo prius fuerunt tenebræ, & postea successit lux: fuit ergo ibi realis successio, & non sunt omnia facta simul. Quod quidem argumentum efficax est, habet tamen difficultatem dependentem ab expositione illius lucis, quæ primo die facta est, quam lib. sequenti c. 1. tractaturi sumus, & ideo nunc his verbis non omnino innitor. Secundò in opere tertij diei pondero verba illa: *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & apparuit arida*: nam in illis aperte supponitur, terram prius non apparuisse, quia erat aquis cooperta, postea verò apparuisse, congregatis aquis in locum vnum: ergo necessario fuit successio prioris, & posterioris secundum realem durationem, quia non potuit in eodem instanti esse aquis cooperta, & pro eodem instanti apparere. Imo ipsa congregatio aquarum non videtur facta sine motu, vt patet ex vi illorum verborum, *congregentur aquæ*, &c. non fuerunt ergo creatæ terra, & aqua in eodem situ & dispositione, in quo nunc sunt, sed prius aqua cooperiebat terram, & postea separatim coacta est in locum vnum. Tertio in eodem die prius apparuit terra vacua, sicut sub aquis creata fuerat, & postea plantis, & herbis virentibus ornata est. Eandemque vim habent verba quintæ diei de productione piscium, & volatilū: & verba sextæ diei de productione aliorum animalium terrestrium, ac tandem de productione hominis. Nam in eis tam clarè ostenditur, res illas successiuè factas esse, & quasdam prius fuisse sine alijs, postea vero posteriores additas esse prioribus, vt negari id non possit, nisi magnam vim literæ inferendo.

Probatur primo.

Secundo.

Tertio.

7. *Probatur 4.*

Quarto specialiter argumentor, quia si reliquæ species rerum omnium simul in primo creationis momento factæ fuissent, etiam homo fuisset in illo principio creatus: consequens dici non potest: ergo nec reliqua. Sequela videtur manifesta, quia eodem modo Scriptura loquitur de hominis, & aliorum viuentium productione, & ita Caietan. & Eugubinus id admittunt. Probatur autem minor primo ex c. 2. Gen. vbi postquam dictum fuit, fecisse Deum omne virgultum agri, & omnem herbam terræ, subditur: *Non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram*: ergo prius fuit terra, quam esset homo, qui operaretur eam. Item quando Deus fecit germinare terram, nondum erat homo: non est ergo à principio creatus. Denique sicut dicitur: *Non enim pluerat Deus*, ita dicitur: *& homo non erat*: at prius dictum est proprie, & simpliciter sicut verba sonant: ergo & posterius: ergo sicut aliquando fuit terra quando nondum pluerat Deus, ita aliquando fuit terra, quando non erat homo creatus. Secundo ibidem additur: *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ*: ergo illa materia, ex qua formatum est hominis corpus, prius fuit sub forma terræ, imo & luti, seu limi terræ, quam in corpus hominis formaretur: ergo non potuit homo à principio simul cum terra creari. Idem argumentum de cæteris animalibus fieri potest ex illis verbis eiusdem capitis secundi: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ*: non enim potuerunt de humo formari animantia, nisi ante illa humus extitisset. Imo ex prioribus verbis de homine dictis colligi potest, formationē, & dispositionem, seu organizationem corporis Adæ ex limo terræ, non subito, & in momento, sed per aliquam moram, & successionem esse factam, & probabiliter credunt Theologi, Angelos aliquod ministerium in illa formatione corporis adhibuisse. Denique ipsa verba distincta formandi corpus, & inspirandi animam, satis indicant, non fuisse hominem productum per modum creationis ex nihilo, sed per modum generationis ex præiacente materia, & inductione formæ, quæ sola per propriam creationem tunc facta est. Quæ omnia in sequentib. latius expendenda sunt, & explicanda. Tertio additur in eodem capite: *Plantauerat autem Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem.* Et infra: *Tulit ergo Deus hominem, & posuit illum in paradiso.* Ex quibus verbis etiam colligitur, Deum prius tempore creasse, seu plantasse paradisum, quā hominem creauerit: plantatio autem paradisi ad opera illorum sex dierum pertinet, quando autem facta sit, infra in libr. 3. huius tractatus dicetur. Quarto si homo esset creatus simul cum cælo, & terra, etiam Eua tunc esset creata, quia eodem modo dicitur Gen. 1. de die sexto: *Et creauit Deus hominem, masculum & fœminam creauit eos*; consequens autem est falsum, vt ex cap. 2. aperte probatur, quia dicitur prius: *Adæ non inuenitur similis*, & ideo dixisse Deum: *Non est bonum, hominem esse solum*, & immisisse soporem in Adam, vt ex costa eius Euam formaret. Quæ omnia euidenter ostendunt, prius tempore fuisse Adamum creatum, quam Euam, Ergo non omnia opera facta in illis sex diebus simul facta sunt, quod ex dicendis c. 12. contra Caietanum, magis confirmabitur.

Minoris propositionis prima probatio.

2. Ibidem.

3. Ibidem.

Quarto.

Vnde dico secundo, in instanti creationis nihil esse simul factum præter cælos, & elementa cum suis locis, & proprietatibus suis, vt Angelos omittam, quos sub cælis semper comprehendo. Pars affirmans huius exclusiuæ assertionis in præcedentib. capitulis satis probata est. Altera vero negatiua pars probatur ex proximè dictis, quia non est maior ratio de opere vnius, vel alterius diei, quam omnium, sed ostensum est, non omnia opera sex diebus facta, fuisse simul vel inter se, vel cum cælo, & terra facta: ergo eadem ratione dicendum est, nullum illorum fuisse simul tempore factum cum cælis, & elementis: ergo hæc tantum fuerunt simul creata. Atq; ita probatur optimè assertio ex contextu primi capitis Geneseos, quia hæc narrantur facta per successionem sex dierum, & ostensum est, in illis diebus necessario admittendam esse realem, ac temporalem successionem, non tantum inter diuersos dies, sed etiam in vno, & eodē die, quia in sexto, v. g. prius factus est Adam, quam Eua: ergo eadem ratione oēs illi dies habuerunt inter se realem successionem, ideoq; opera in eis facta non fuerunt simul cum cælo, & terra existētia. Ratio a. seu congruentia reddi potest primo, *Tandem* quia cæli, & elementa sunt corpora simplicia per congruentiā se

8. *1. Assertio pars affirmans.*

2. Pars exclusiua.

3. Quæ ostenditur ex dictis.

Item ex textu.

Tandem

congruentia

se primo pertinentia ad constitutionem vniuersi, & ideo voluit Deus illa creare prius, quam cætera. Omnia enim opera cæterorum dierum vel ad productionem mistorum, vel ad accidentales tantũ mutationes præexistentium corporum pertinẽt, vt infra explicabimus, & ideo prius simplicia corpora quam cætera facta sunt. Accedit, quod solis simplicibus corporib. quasi connaturale est, vt per propriam creationem ex nihilo fiant, quia vnum, per se loquendo, non est materia alterius, & ideo quodlibet illorum, & omnia simul ex nihilo facta sunt. At vero mistis connaturale est fieri ex simplicibus, eorumq; mistione, & ideo non ita sunt simul cum simplicibus facta.

Vt autem vltimam partem assertionis probemus, de locis nimirum & proprietatibus cælorum & elementorum, ex dictis inferimus primo, in puncto creationis cælum, & terram, cæteraque simplicia corpora in propris locis sensibilib. connaturali ordine fuisse collocata. Et quidem de cælis manifestum videtur, in eisdem locis adæquatis fuisse creata, in quibus vsque hodie permanẽt. Et primò de cælo empyreo patet, quia nunquam est localiter motum postquam factum est, vt supra ex omnium sententia diximus, & ex fine, propter quem cælum illud creatum est, probauimus: nunquam ergo acquisiuit vbi per motum se tendentem ad illud: habet ergo illud concreatum, ac semper idem, & perpetuo conseruandum. De cæteris autem cælis simili ferè modo probari potest, quia postquam creata sunt, nunquam fuerũt moti localiter motu recto: ergo semper in eodem loco adæquato, in quo creati sunt, permanent, qa per motum circularem adequatus locis non mutatur totaliter, sed tantum per singulas partes: ergo creati sunt cæli in eodem ordine situum, in quo nunc sunt. Deinde explicatur, quia omnia, & singula corpora cælestia creata sunt in ea magnitudine, quantitate & intrinseca dispositione raritatis, aut densitatis, vel figura, quam nunc habẽt: ergo etiam singula creata sunt in illis adæquatis locis, & sitibus, in quibus vsq; hodie permanent. Antecedens probatur, quia corpora illa cum incorruptibilia sint, alterationem corruptiuam nõ recipiunt, & ideo sicut minui non possunt, ita nec augeri, nec rarefieri, aut condensari, quia hæ mutationes sine alteratione ad corruptionem tendente non fiunt: neq; etiam sine aliquo motu, qui sursum, vel deorsum tendat, qui etiam motus à natura illorum corporũ alienꝰ est. Permanent ergo in eadem magnitudine, & locali extensione.

Prior verò consequentia probatur, quia nullũ ex cælis creatis sub empyreo potuit vnquam adæquatè replere alium locum præter illum, quem nunc occupat: ergo vnumquodq; ibi creatum est, vbi vsq; hodie permanet, & consequenter omnia eundem ordinem situum à principio concreatum habuerunt, quem nunc habent. Consequentia est clara, & antecedens patet facile discurrendo per singulos cælos, quia nullum cælum habet superficiem conuexam æqualis magnitudinis cũ supficie concaua cæli empyrei, nisi primũ mobile, seu crystallinũ cælũ: ergo nullũ aliud potuit proximè sub cælo empyreo in primo instãti creationis collocari. Eademq; ratio est de cælo stellato respectu primi mobilis, & de Saturno respectu cæli stellati, & sic consequenter de cæteris vsq; ad lunã: ergo simul ac creati sunt, illum ordinem situum, & locorum habuerunt. Denique magna coniectura est, hunc ordinem esse connaturalem illis, vel secundum propriam vniuscuiusque naturam, & perfectionẽ vel secundum ordinem naturæ vniuersalis in ordine ad bonum vniuersi regimẽ: ergo oportuit vnumquodq; cælorum habere sibi concreatũ suum proprium vbi, vel quia illud exigit vniuscuiusque natura, & per se est rationi consentaneum, vt corpora illa in dispositione maxime connaturali creata fuerint: vel quia non poterant post creationẽ situum & locorum ordinem per proprias mutationas accidentales secundum se tota mutare, vt explicatum est, & ideo in ordine ad bonum vniuersi in conuenienti situ à principio creari debuerunt. Dico autem semper, *secundum se tota*, vel quid simile, quia secundum partes variant situs, & aspectus seu distantiam, & propinquitatem inter se, quia hæc variatio per circularem motum fieri potest. Hæc tamen varietas non potuit cum ipsis corporibus intrinsece incipere, seu concreari, sed ad summum extrinsece, vt in superiori capite probatum est. Et ideo necessarium fuit, vt in puncto creationis etiam secundum omnes partes, certum, & determinatum situm habuerint, quem Deus nouit & quem perpetuo retinerent, nisi circulariter mota fuissent, vt etiam in superioribus in cap. 2. tractando de æternitate mundi declaratum est.

Deinde probanda est, & declaranda assertio in elementis, ex quibus certum est, terram in principio fuisse creatam in infimo loco, & sub omnibus elementis, tum quia hic situs & ipsi secundum propriam naturam est consentaneus, & ordini etiam vniuersi est accommodatus. Et ideo in Scriptura solet terra quasi fundamentum totius mundi proponi, iuxta illud Psalm. 102. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Quia nimirum supra illud fundamentum veluti totius orbis moles conscendit, cum ipsa infra se nullum fundamentum habeat. Propter quod interrogat Dominus Iob 38. *Super quo bases terræ solidatæ sunt?* Respondet autem Iob cap. 26. quod Deus *appendet terram super nihilum*, quia in loco infimo posuit illam non in re altera innixam, sed sola sua grauitate ad centrum idem tendente consolidata, & fundata, sicut Psalm. etiam 103. dixit Dauid: *Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi.* Vbi Theodoretus ait: *Cum ipsam super seipsam fabricasset, dedit ipsi, vt nunquam moueatur.* Vnde Psalm. etiam 118. dicitur: *Fundasti terram, & permanet*, & Prouerb. 8. *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* 11. De elementis terra.

Deinde fuit vniuersa terra aquis circundata, & vndique cooperta, quia etiam aquis naturale est secundum propriæ speciei, ac perfectionis conditionem vsq; ad terram descendere, & supra illam consistere, vt satis experientia, & Philosophia docent. Quod autem in hoc etiam Deus in prima horum elementorum conditione naturæ ordinẽ seruauerit, præterquam quod per se congruum est, ac verisimile, ex verbis illis: *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi*, vt supra illa explicauimus, satis colligitur. Et declarari videtur Psal. 103. vbi post illa verba: *Fundasti terram super stabilitatem suam*, subiungitur, abyssus, sicut *vestimẽtum, amictus eius*, id est, vt vertit Theodotion, *abyssum sicut indumentum induisti ipsam.* Est autem abyssus aquarum profunditas, qua dicitur fuisse terra in principio vestita, quia vndiq; aquis erat coopta. Sicq; dixit Chrysost. hom. 4. in Gen. *Terra erat inuisibilis, & incomposita*, & causam apposuit, *quia à tenebris, & aquis obtegebatur. Omnia enim erant aquæ, & tenebræ, & nihil præterea*, vtiq; supra terram. De aëre verò circundante aquas, satis in superioribus dictum est. De igne verò per naturalem consecutionem id colligimus, licet non sit expressum, vt in superiorib. tactũ est. Nãq; Rabbi Moyses p tenebras intellexit significari ignẽ in verb. illis *Et tenebræ erãt super faciẽ abyssi*, vt refert D. Tho. 1. p. q. 66. a. 1. ad. vlt. verisimile nõ est qa euidẽter significãt carentiã lucis, nã ideo additur fecisse Deum lucem, & lucẽ à tenebris distinxisse, & ita oẽs Patres intellexerũt. 12. De aqua. De aere, & igne.

13. *Corollar. 2. pro eadem 3 parte assertionis ostendenda quoad proprietatē eorporum simplicium quæ est rotunditas. De cælis.*

Secundo colligimus ex dictis, cælos, & elementa fuisse à principio creata rotunda, seu sphæricæ figuræ, quæ cum illis concreata est. Probatur facile incipiendo à nono cælo, quod est primum mobile, quia certum est, nunc esse sphæricum tam ex parte superficiei conuexæ, quam concauæ, quia circulari motu velocissimo & quotidiana cōuersione mouetur, quod esse nō posset, nisi esset sphęricum ex vtraque parte, vt per se notum est: ergo eiusdem figuræ fuit à primo instanti creationis suæ. Probatur consequentia, tum quia in ea dispositione intrinseca, in qua fuit à principio creatum, semper permanet, vt probatum est: tum etiā quia immediate post primum instans creationis cœpit moueri circulariter, vt est verisimilius, vel saltem moueri potuit, vt omnes pro comperto habent. Atque hæc ratio cum proportione applicari potest ad cæteros inferiores cœlos: nam octaua sphæra eadem ratione circularis est quoad superficiem conuexam, tum vt superior sphæra possit circa illam circulariter moueri sine impedimēto, tum vt possit concauam superficiem nonæ sphæræ adæquatæ, & nullo interiecto vacuo, replere. Eædemque rationes in omnibus subsequētibus cœlis cogunt, & consequenter etiam de elementis procedere possunt.

14. *De elementis.*

Et vlterius potest ratio reddi, quia hic modus figuræ, & situs est connaturalis elementis secundum se spectatis: ergo illum in principio habere debuerunt, quando nondum erant mista, propter quæ à naturali dispositione immutarentur. Consequentia per se clara videtur. Antecedens autem iuxta Aristotelis discursum facile probatur, incipiendo à terra, quia omnes partes eius, quantum possunt, in centrum inclinantur, & quasi grauitāt in illud, ideoque sicut inde sequitur, vt terra sua grauitate solidetur, & quasi comprimatur, vt vndique centro appropinquet, quantū potest (sicut ex verbis Iob supra dicebamus) ita ex eodem principio prouenit, vt tota terra suæ naturæ relicta rotundetur, & circularis fiat: cum hac ergo figura creata est. Et consequenter eandem habuit aqua illam circundans quoad suam superficiem concauam, debet enim locus accommodari locato: & consequenter etiam in superficie connexa aqua fuit sphæricæ figuræ, quia etiam partes eius grauitant ad centrum, quantum supra terram possunt. Et eadem est ratio de aere, & igne: nam & ignis ascendit vsque ad lunam, quantum potest, & ideo ex parte superficiei conuexæ adæquate replet concauitatem lunæ, & ex altera parte superficiei concauæ cum eadem proportione æque accedit, vel manet distans secundum omnem partem, lineam, & punctum, ideoque rotundæ est figuræ in superficie concaua. Et hanc replet adæquate aer ex ea parte, & ex altera ipse repletur ab aqua, seu continet aquam, & ita fuerunt à principio: ergo circularis figura toti orbi à principio concreata fuit.

15. *Procopius negasse refertur rotunditatem cæli. Vide alios apud Conimbricen. 2. de cælo, c. 4. q. 1. art. 2.*

At vero contra hanc sententiam referri solet Procopius in Gen. negans cælum esse sphæricæ figuræ. Veruntamen non est præsentis instituti de figura cæli ex professo disputare, id enim agitur in Philosophia, solum obiter id attigimus, vt situm, compositionem, & ordinem, quem mundus in principio habuit, explicaremus, quia declaratio sex dierum, & operum eorum hinc pendet. Et præterea Procopium legere non potui, vt de eius sententia iudicium ferrem. Si tamen ea fuit, quæ refertur, nullum video illius probabile fundamentum, quia nec in Scriptura inuenitur, aut antiqua Patrum traditione, vel doctrina, nec etiam occurrit probabilis ratio, qua id suaderi possit. Nam coniectura, quam aliqui faciunt ex aquis supra cœlum existentibus, quod non possent supra cœlum subsistere, si sphæricam superficiem conuexā, & non planam haberet: hæc (inquam) coniectura parui momenti est, quia vel supra cœlum stellatū non sunt aquæ elementares, & propriæ: vel si sunt, non sunt fluidæ, sed solidæ in modum crystalli: vel certe licet essent liquidæ, non fluerent, quia nō haberent, quo fluerent, aut ab intrinseco mouerentur, cum propter cœli soliditatem, & impartibilitatem descendere non possent, vt infra latius dicturi sumus. E contrario vero si cœlum stellatū non haberet superficiem conuexam circularem, ineptum esset ad perpetuum circularem motum, vt declaratum est. Prædictus vero auctor, consequenter dixisse fertur, corpora cælestia secundum se tota non moueri circulariter, præsertim cælum stellatum, quod firmamentum vocari putatur propter stabilitatem, & immutabilitatem. Sed hæc absurda sunt, & improbabilia, vt in operibus secundæ, & quartæ die expendimus.

Cœlum non figura rotunda.

Solum ergo de superficie conuexa cœli empyrei incertum nobis esse potest, an omnino sphærica sit, vel planiciem habeat: ibi enim figura sphærica non est necessaria propter motum, cum cœlum illud non moueatur, & alioqui figura plana ad habitationem beatorum corporum magis accommodata videatur. Nihilominus cum Scriptura vel Patres nihil speciale de illo cœlo in hac parte doceant, non est recedendum in illa à philosophica sententia: quia si ex inferiori parte corpus illud vltimam superficiem concauam habet perfectè sphæricam, optima proportio inter partes eiusdem corporis postulat, vt ex omni parte eandem habeat profunditatem, & partium extremarum distantiam omnino æqualem, alioqui nec conueniens proportio, nec optima figura in tali corpore inueniri posset: ad seruandam autem illam proportionem necessarium est, vt vltima superficies conuexa sphærica sit, sicut est concaua vt facile cuicunque consideranti patebit. Nec propter corpora beatorum necessaria est plana superficies supra empyreum cœlum, quia corpora gloriosa non grauitant inferius, ideoque non indigent plano corpore, cui innitantur, nec etiam in sola conuexa superficie cœli empyrei necessario existent, sed æque poterunt intra ipsum, vel supra ipsum, non contingendo illud prout voluerint, existere. Addo etiam, si ponenda esset planicies supra cœlos omnes, potius cogitandam esse in corpore peculiari distincto à cœlis sphæricis, quod superficiem conuexam supremi cœli in solo puncto contingat: tunc autem non esset admodum necessarium cœlum empyreum rotundum, & à primo mobili distinctum: quia illud cœlum planum posset ipsum cœlum mobile contingere, & nihilominus immotum manere: quanuis etiam non repugnet dari cœlum empyreum rotundum habens supra se planum illud. Sed de his, quæ oculus non vidit, nec reuelata sunt nobis, nihil nouiī temere affirmare licet.

Reiicitur tamen prædicta opinatio.

Tertio colligimus cœlos, & elementa in primo instanti creationis omnes & solas illas proprietates habuisse in primo instanti concreatas, quæ ità sunt ipsis connaturales, vt vel ab intrinseca natura, & essentia dimanent, vel ita sint illis necessariæ, vt absque illis monstrosa, & in sua propria natura imperfecta existerent. Hoc corollarium est valde consentaneum doctrinæ Augustini, & D. Thomæ, & rationi. Nam in primis pars affirmans res esse creatas cum suis proprietatibus, ex illis verbis, *In principio creauit Deus cælum, & terram*, sufficienter colligitur. Sic enim ex eo quod fides docet, Verbum assumpsisse humanitatem, recte colligit Concilia assumpsisse animam cum intellectu, & voluntate creatis, & corpus cum omnibus partibus integrantibus ipsum. Et quia fides docet, corpus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pus Domini substantialiter esse præsens sub speciebus sacramentalibus, recte Theologi contra Durandum concludunt, etiam quantitatem corporis Christi sub eisdem speciebus contineri. Et quia credimus, Deum creasse Angelos in mundi principio, consequenter sentimus concreasse illis facultates naturales intellectus, & voluntatis. Idemque de omnibus mistis dicemus pro eo tempore, & momento, in quo creata sunt. Ergo similiter si tunc creauit cœlos, & elementa, illis concreauit facultates, & proprietates connaturales, sicut est quantitas respectu materiæ, & figura respectu formæ, & aliæ intrinsecæ qualitates, quales sunt grauitas & densitas in terra, raritas & leuitas in aere, & sic de cæteris actiuis qualitatibus. Est enim ratio eadem tum ex parte totius vniuersi, quia vt esset perfectum, debuit ex corporibus perfectionem propriam habentibus constare: tum ex parte vniuscuiusque corporis in sua specie considerati: nam is, qui dat formam, vel naturam, dat consequentia ad illam. Denique quia vnũquodque Dei opus in suo ordine perfectum est, & ita condens naturam, non fecit illam mancam, nec monstrosam. Neque in illa naturæ constitutione fingenda sunt miracula, vel supernaturalia opera, nisi sint reuelata, vt sæpe cum Augustino diximus: talis autem esset huiusmodi corporum productio sine connaturalibus proprietatibus, vt per se constat.

Altera vero pars negatiua ex dictis in prima, & secunda assertione manifesta est, & breuiter declaratur in hunc modũ, quia nihil affirmare possumus cum fundamento factum esse in primo instanti creationis mundi, nisi quod in illis verbis, *In principio creauit Deus cælum, & terram*, explicite, vel saltem implicite continetur: sed in illis ex parte substantiarum creatarum nihil continetur etiam implicite præter cœlos, & elementa, vt satis explicatum est, & in substantijs ipsis tantum virtute continentur proprietates connaturales ipsis corporibus vel secundum se spectatis, vel secundum ordinem, quem inter se naturaliter seruant: ergo nihil aliud concreatum simul est cum ipsis corporibus vniuersum hoc quasi essentialiter componentibus. Secundo potest idem inductione declarari, quia si quid aliud factum esset in cœlis, vel elementis in illo instanti: vel esset aliquid ex his, quæ in discursu sex dierum facta narrantur, vel esset aliquid aliud, sed prius dici non potest, quia ostensum est opera sex dierum non simul, sed successiue esse facta, idque magis ex capitibus sequẽtibus, & ex toto sequenti libro constabit: hoc autem posterius est per se improbabile, quia esset voluntarium, & sine fundamento dictum. Et hoc quidem in inferioribus cælis, & elementis videtur perse manifestum. Nam in illo primo instanti nõ potuerũt intrinsece recipere proprium successiuũ motum, vt capite præcedenti declaratũ est. Quod si immediate post illud instans moueri cœperunt, iam ille motus in se spectatus nõ pertinet ad opus creationis, prout in primo instanti factum est, sed ad opus primi diei spectat, vt infra videbimus. Initium autem intrinsecum illius motus, quod in primo instanti cõcreatum dici potest, ad proprietatem intrinsecam illius corporis pertinuit, quod moueri statim cœpit, quia illud initium nihil est aliud, quàm prima constitutio talis corporis in tali loco, quæ connaturali modo facta est, vt dixi. De solo ergo cœlo empyreo cogitari posset, recepisse in ipsomet suæ creationis instanti qualitatẽ aliquam supernaturalem, quatenus non tam ad naturalem ordinem vniuersi, quam ad supernaturalem statum gloriæ creatum est: ad eum modũ, quo postea dicemus, homines in momento creationis non tantum naturam, sed etiam gratiam recepisse, quod & de Angelis supra diximus. Verũtamen nobis incertum est, an cœlum empyreum sit capax talis qualitatis supernaturalis: multoque magis est incognitum, an de facto illa ornetur, vel ad statum gloriæ pulchritudo illi naturalis sufficiat. Et quanuis demus, cœlum illud aliquando fore ornandũ tali qualitate, vel qualitatibus, etiam esset incertum, an hoc ornamentum in illo initio creationis acceperit, quia cum non sit propter ipsos spiritus, sed propter corpora gloriosa, verisimile est, vsq; ad tempus illorum, seu vsque ad diem ascensionis CHRISTI fuisse reseruatum.

19. *4. Corollar. de formatione vel informitate initio mundi.*

Vltimo infertur ex dictis aliquam mundi formationem concreatam illi fuisse, aliquam vero successu temporis illi esse additam: & è contrario aliquam mundi, seu materiæ informitatẽ tãtum ordine naturæ fuisse priorem mundi creatione, aliquam vero etiam tempore præcessisse. Hæc assertio siue corollarium est D. Thomæ dicta q. 66. art. 1. & declaratur breuiter ex dictis: nam informitas materiæ duplex est, scilicet, substantialis, vel accidentalis. Prior absolute sumpta non præcessit tempore, quia nec materia est facta sine forma, nec sub forma generica tantum, & non specifica, nec sub aliqua vniformi specifica forma imperfecta, & communi toti materiæ in principio creatæ, hæc enim in superioribus exclusa sunt. Vnde in materia cœlorum nulla omnino informitas substantialis tempore præcesit. In materia verò terræ, & elementorum dici potest aliquo modo ex parte præcessisse, quia in illo primo instanti non fuit formata formis mistorũ, quibus formabilis erat, & postea formata est. Hæc verò formatio licet in se substantialis sit, respectu materiæ est quasi accidentalis, quia ipsa indifferens est ad has, vel illas formas recipiendas, & ideo quasi accidentarium illi est, hac, vel illa forma carere, vel formari. Item respectu terræ, & elementorum illa informitas accidentalis fuit: sicut è cõtrario pulchritudo, quæ ex plantis, & animalibus terræ accessit, accidentalis formatio fuit, vt per se notum est. Igitur absolute loquendo, informitas substantialis materiæ non præcesit tempore. Ordine autem naturæ præcesisse dicitur, quia creatio corporum secundum ordinem naturæ necessario debet incipere à creatione materiæ, quia tantum ex ea parte incipit ex nihilo corporis creatio, nam forma non fit, nisi ex materia, vel in materia, & ita consummatur totius productio. Et sic patet tota conclusio, siue corollarium quoad substantialem formationem, vel informitatem.

Quid de informitate substantiali?

Altera item informitas, scilicet accidentalis, subdistinguenda est: nam quædam esse potest per comparationem ad accidentia, quæ propria dici possunt ad modum quarti prædicabilis, & sic informitas accidentalis cõsistet in carẽtia propriorum accidentium, seu proprietatum, & accidentium connaturalium. Alia verò informitas est per carentiam accidentium communium, quæ rem ornant, & perficiunt, si adsint, & ideo dicuntur accidentaliter eam formare, siue illa sint propriæ accidentia physica, & inhærentia, vt sunt color, quantitas, & similia, siue sint extrinseca ornamẽta, quæ accidentia prædicabilia dici solent, vt esse nudum, aut vestitum, &c. De prima ergo informitate dicendum est, non præcesisse tempore in cœlis, vel elementis, præcesisse autem ordine naturæ. Primum patet ex præcedenti assertione, siue corollario 3. in numero 17. quia in eodem instanti simul cum substantia habuerunt simplicia corpora proprietates suas. Secundum verò probatur, quia prior natura est substantia, quàm proprietas, quæ illam consequitur: ergo prius natura ex vi creationis præcisè spectatæ fit substantia infor-

20. *Quid de informitate accidentali?*

informis à proprietatibus. Posterius verò natura formatur per proprietates, quæ propterea cõcreari dicuntur. De altera verò informitate concedendum est, etiam tempore præcessisse in mundo, qui propterea vt nunc est, factus dicitur ex materia inuisa, seu informi. Probatur, quia per opera sex dierum formatum est vniuersum, prout nunc est, ex qua formatione quædam accidentalis pulchritudo, vel ornatus singulis elementis accessit: nam terra apparuit, & visibilis quodammodo facta est, & floribus, cæterisque viuentibus ornata: ergo informitas huic ornamento opposita tempore præcesit. Et idem cum proportione est de cæteris elementis. Nam opera sex dierum successiue sunt facta, & per illa ornata sunt elementa: quæ informitas opposita tempore præcesit. Quomodo autem hoc in cælis locum habeat explicando opera singulorum dierum trademus. Dicimus autem tempore præcessisse, quia regulariter, ac fere in omnibus proprium tempus præcesit: respectu verò alicuius formæ accidentalis potuit per solum instans præcedere informitas, vt respectu localis motus, si per illum dicatur primũ mobile aliquo modo ornatum, & formatum: tamen illa etiam est antecessio non tantum secundum ordinem naturæ, sed secundum veram realem existentiam, & durationis principium, quod hic etiam sub temporali antecessione comprehẽdimus.

21. *Quo pacto D. Thomas Augustinũ cum aliis Patribus circa formationẽ vel informitatẽ materiæ concordet.*

Notare autem oportet, D. Thomam in illo articulo iuxta hanc assertionem, seu 4. corollarium, concordiam facere inter Augustinum, & alios Patres. Nam Augustinus dixit, informitatem materiæ, seu mundi tantum ordine naturæ: alij verò Patres dixerunt, etiam tempore præcessisse. *Sibi tamen* (inquit D. Thomas) *non omnino repugnant. quia Augustinus de informitate substantiali loquutus est. alij vero Patres de accidentali.* Veruntamen, vt ipsemet D. Thomas tacite animaduertit, licet in informitate substantiali non sit contradictio inter dictos Patres, sed tantum quædam diuersitas, nihilominus in accidentali negari non potest, quin contraria docuerint. Omnes enim docent, materiam non esse factam sine forma substantiali: imo factam esse sub formis cœli, & elementorum, expresse docent Basil. & Chrysost. *homil.* 1. & Ambros. lib. 1. Hexamer. cap. 8. & alij supra allegati. Et consentit Augustinus, qui addidit subtilitatem de prioritate naturæ materiæ informis, etiam quoad hanc substantialem informitatem, de qua prioritate reliqui Patres nihil dixerunt, nec contradixerunt. Et idem intelligendum censeo de informitate quoad proprietates connaturales, quanuis de illa dicti Patres expresse non tractauerint. In accidentali autem informitate terræ, & aliorum elementorum Augustinus aperte docuit contra sententiam priorum Patrum: nam illi docuerant, terram prius tempore fuisse inanem, & vacuam, seu inuisibilem, & incompositam, & sic de cæteris elemẽtis: Augustinus autem etiam in hoc tantum ordinem naturæ agnouit, & in hac parte antiquorum sententiam nos probamus, propter ea, quæ hactenus diximus.

Quousque dicta cõcordia procedat

22. *Ad 1. rationem in n. 1.*

Neque obstant rationes dubitandi in principio positæ. Ad primam ex loco Ecclesiastici 18. *Creauit omnia simul*, prima responsio est, particulam, *simul* non dicere mensuram durationis, sed communitatem sine exceptione, id est, omnia sine vlla exceptione à Deo creata sunt. Secunda responsio est, licet *simul* accipiatur pro eodem instãti, seu simultate durationis, intelligendum id esse tantum de his, quæ per propriam creationem facta sunt: quicquid enim Deus ex nihilo, & proprie, ac immediate creauit, simul creauit: secus vero esse de cæteris, quæ vel per transmutationem vnius rei in aliam produxit, vel per accidentalem mutationem perfecit. Altero enim ex his modis facta sunt omnia sex dierum opera. In primo verò instanti simul Angeli, & omnia simplicia creata sunt, illa enim tantum per immediatam, & propriam creationẽ sunt facta. Neque in his annumeratur anima rationalis, quia licet proprie creetur, non sine præuia dispositione materiæ creatur.

Ad secundum ex verbis illis, *In principio creauit Deus cælum, & terram*, Chrysostomus quidem ibi citatus videtur sentire, in illis verbis summatim comprehendi omnia opera sex dierum, non quia simul sint facta, sed quia integrum opus successiue factum prius in summa quasi vno verbo dicitur, & postea per partes digeritur. Iuxta quam expositionem particula, *in primo*, non dicit indiuisibilem mensuram primæ creationis, nec verbum *creauit*, dicit tantum rigorosam creationem, sed omnem operationem illo primo tempore factam. Nos autem supponimus ex dictis, & illud *principium* fuisse indiuisibile initium omnis creatæ durationis, & veluti adæquata mensura propriæ creationis, quæ per verbum *creauit* significata est. Quibus suppositis, respondemus, sub illis duobus modis comprehendi quidem totum mundum vt per veram creationem factum est, seu quatenus ex Angelis, & corporibus simplicibus constat, sub extremis media corpora comprehendendo: non verò comprehendi mista proprie, & vt actu producta, sed ad summum in potentia, vt Gregor. 32. *Moral.* vt supra citaui, significat. Nec refert, quod in alijs locis Scripturæ sub nomine *cæli & terræ*, etiam mista, & alia opera comprehendantur, quia cum hæc significatio nõ sit explicita, sed implicita, potest maior, & minor esse: qualis autem sit, ex materia subiecta, & ex antecedentibus, vel consequẽtibus colligendum est. In dictis autem verbis Genesis ex materia ipsa constat, tantum esse sermonem de simplici mundi creatione, & ex particula *in principio*, & ex verbis subsequentibus satis declaratur de solis simplicibus esse sermonẽ: in alijs vero locis ex circunstantijs, & alijs verbis constat esse sermonem de cœlo, & terra, vt iam sunt completa, & ornata per sex dierum opera, & ideo non est de illis similis ratio.

23. *Ad 2. ratio-nem in n. 1.*

In tertio argumento petuntur graues difficultates de operibus primi, secundi, & quarti diei, à quibus illud argumentum sumitur, & ideo non potest exacte dissolui, donec de illis operibus tractemus, quod in suum locum reseruamus, ne omnia confundamus. Et nunc breuiter in primis dicimus, easdem fere difficultates ab Augustino, & alijs esse soluendas. Nam licet Augustinus dicat, omnia facta esse simul, diuidi autem per dies per ordinem ad cognitionem angelicam, vt mox dicam: nihilominus ab illo interrogabimus, quomodo potuerit Angelus cognoscere vespertina, aut matutina cognitione cœlum factum prius etiam natura, quàm cognouerit illud stellis ornatũ, cum stellæ pars sint cœli, & non possit totum integre, & prout in se est, videri sine partibus. Itaque eadem est difficultas, si firmamentum esse cœlum ipsum, & stellas secundum substantias earum accipiamus. An vero aliter sint illa opera exponenda postea videbimus. Deinde addimus, argumentũ illud cum sua confirmatione conuincere, cœlos in primo instanti creationis suæ fuisse factos sine informitate substantiali tam essentiali, quam integrali, & sine informitate, quæ in carentia alicuius proprietatis naturalis, & intrinsecæ consistat. Et nihilominus dicimus opera illorum trium dierũ successu tẽporis esse facta, & per illa fuisse formatos cœlos, seu ornatos ab aliquo defectu, seu informitate accidentali: qualis vero hæc fuerit, & quomodo litera Geneseos de illis diebus intelligenda sit, postea dicemus. Quæ-

Quartum argumentum postulat, cur voluerit Deus successiuè, & morosè consummare vniuersum quoad mistorum productionẽ, & illam mundi dispositionem, quæ ad habitationem, & conseruationem mistorum ordinatur. Ad quod respondemus in primis, licet nulla alia ratio à nobis reddi posset præter Dei liberam voluntatem, eam nobis sufficere, cum in Scripturâ simpliciter ac propriè intellecta, ita fecisse narretur. Deinde dici potest ex Ambros. 1. Hexaëmer. cap. 8. simul cum potentia voluisse Deum suam libertatem, & dominium ostendere, & ideo quædam prius, quædam posterius, prout voluit, effecisse. Item non vno tantum modo, sed pluribus voluit potestatem & dominationem ostendere, & ideo quædam sine præiacente materia creauit, simul materiam ipsam concreando, quædam vero ex præiacente materia alio modo, sibi etiam proprio, procreauit, subitò, & per solum suum imperium materiam transmutando, & ex vno aliud procreando longe altiori modo, quam per agentia creata possitid fieri. Præterea quoniam perfectio vniuersi duplex est, vna absoluta, & secundum se, alia respectiua, & in ordine ad mistorum conseruationem, & generationem, ideo in ipso creationis tempore voluit ostendere, quæ perfectio sit connaturalis vniuerso secundum se spectato, quæ vero dispositio secundum sapientissimam ordinationem, ad mistorum procreationem, & præsertim ad hominum beneficium illi conueniat. Et ideo prius in momento mundum in sua simplici perfectione quasi per absolutam potestatem creauit, postea vero more sapientissimi artificis illud ad hominis conditionem disposuit. Deniq; id etiam fieri potuit propter nos, partim vt simplicius crederemus, & intellectum subijceremus in obsequium solius fidei etiam in opere creationis, tum vt distinctius, & melius intelligeremus, quam sapienter Deus omnia disposuerit, quam fortiter in numero, pondere, & mensura, sicut ea disposuit, ita sustineat. Addit Ambr. libro secundo de Cain, & Abel cap. 6. in principio: *Vtique simul omnia fieri iubere potuit Deus. sed distinctionem seruare maluit, quam nos in omnibus negotijs imitaremur*, Et similem rationem habet l. 1. Hexaëmer. c. 8. & plures videri possunt in Chrysostomo homil. 3. in Gen. Nazian. & Nicet. orat. 43. in Nouam Dominic.

CAPVT XI.

An sex dies creationis mundi naturales, seu materiales, an spirituales, seu intelligibiles fuerint.

IN hoc capite distinctius à nobis tractanda est, & expendenda sententia Augustini de sex diebus, in quibus creatus, & ornatus dicitur mundus. De quibus diebus idem Augustinus lib. 11. de Ciuit. c. 6. dixit: *Qui dies cuiusmodi sunt, aut per difficile nobis, aut etiam impossibile est cogitare, quanto magis dicere.* Et ideo alio loco profitetur, se magis inquirendo, quam definiendo procedere in Imperfect. super Gen. ca. 1. & 2. vbi etiam confessionem fidei præmittit, ne ab aliquo erroris argui possit. Et lib. 1. Gen. ad lit. cap. 8. & 20. nihil temere affirmandum dicit, sed absque præiudicio melioris sententiæ se loqui. Quia vero ipse in eam inclinauit sententiam, quæ affirmat opera illis diebus producta non per successionem temporis, & durationis, sed simul facta esse, ideo coactus est dies illos aliter interpretari, & in mentibus sanctorum Angelorum illos collocare, & consequenter illos distinguere secundum quendam ordinem dignitatis rerum, quæ in ipsis factę narrantur, non secundum ordinẽ prioris, & posterioris in duratione. Fundatur autem hæc Augustini sententia in distinctione duarum cognitionum, quas ipse ponit in mentibus angelicis, quas vespertinam, & matutinam vocat, vt ex professo tractat libr. 4. Gen. ad literam à cap. 22. vsque ad nonnulla capita libr. 5. & l. 11. de Ciuit. c. 7. & 29. & alijs locis citandis, & ideo ad intelligendum eius sententiam, & ferendum de illa iudicium, operæ pretium existimamus, paulo diligentius distinctionem illam, eiusque membra iuxta mentem Augustini exponere, quod per nonnulla dubia distinctius fiet. *Fundamentum Augustini de cognitione matutina, & vespertina in mentibus angelicis.*

2. Primum ergo dubium sit, an cognitionem matutinam in sola visione clara diuinæ essentiæ Augustinus posuerit. In quo vnum videtur certum, nimirum Augustinum posuisse cognitionem matutinam in visione clara Dei. Hoc enim omnes Theologi allegandi fatentur, & expressis verbis eiusdem Augustini probari potest. Id enim prius significat libro vndecimo de Ciuit. cap. 7. & in 29. magis explicat, dicens: *Angeli sancti non per verbasonantia Deum discunt, sed per ipsam præsentiam immutabilis veritatis.* Et infrà: *ipsam quoque creaturam melius ibi, hoc est, in sapientia Dei tanquam in arte, qua facta est, quàm in ea ipsa sciunt, ac per hoc & seipsos ibi melius quam in seipsis, quanuis etiam in sei, sis. Facti sunt enim, & aliud sunt, quam ille qui fecit. Ibi ergo tanquam in cognitione diurna, in seipsis autem tanquam in vespertina sicut supra iam diximus* Quæ repetuntur in Dialog. cum Orosi. 65. Quæstion. in q. 26. Augustino attributo, & plane ex sententia Augustini, esto illius non sit opus. Et l. 4. Genes. ad liter. cap. 23. disertissimè ait: *Multum interest inter cognitionem rei cuiusque in Verbo, & cognitionem in natura eius, vt illud merito ad diem pertineat, hoc ad vesperam.* Et cap. 24. *Cum sancti Angeli in seipsos videant faciem Dei, verboque vnigenito filio, sicut Patri æqualis est, perfruantur, proculdubio vniuersam creaturam, in qua & ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius nouerunt, ac deinde in ipsa creatura*, &c. Et infrà; *Ibi ergo tanquam per diem, hic autem tanquam per vesperam.* Et idem sæpius in sequentibus repetit. De hac ergo parte affirmante nullum potest esse dubium in sententia Augustini, illamque iterum paulo pòst confirmabo. *Dubium primũ circa dictum fundamentum.* *Quid certi sit in hoc dubio.*

Difficultas autem est de alia parte excludente omnem aliam matutinam cognitionem, multi n. Theologi non tantum in visione beatifica, sed etiam extra illam ponunt cognitionem matutinam angelicam, non tamen eodem modo. Primo enim Scot. in 2. d. 3. q. 9. alias q. 4. 2. partis distinctionis 8. ad quæstionem, præter visionem beatam ponit in Angelis cognitionem abstractiuam, & quidditatiuam Dei per propriam speciem essentiæ Dei, & hanc dicit etiam esse cognitionem matutinam. Et probat, quia oẽs Angeli in primo instanti cognitionis habuerunt cognitionem matutinam: ergo non potest esse, nisi ista. Consequentiam supponit vt clarum. Antecedens verò probat, quia cognitio matutina est prior quam vespertina, secundum Augustinum: sed Angeli in primo instanti habuerunt cognitionem vespertinam, vt per se clarum est: ergo & matutinam. Sed hæc sententia supponit falsum, quia nulla est talis scientia abstractiua Dei, vt superiori tract. l. 2. à nobis ostensum est, & quod certius est, nulla est apud Augustinum mentio talis scientiæ abstractiuæ, & multo minus sub nomine matutinæ, aut diei, vel mane apud ipsum inuenitur. Et sane non bene inter se conueniunt abstractiua cognitio, & matutina, nam hæc dicit clarissimam cognitionem, ex mente Augustini, alia vero longè decoloratior est, vt idem Aug. loquitur. De fundamento verò Scoti dicemꝰ infrà. 3. *Quid item incertum.* *Resolutio Scoti.* *Reiicitur.*

Aliter Bonauent. in 2. dist. 4. art. 3. q. 1. distinguit duplicem cognitionem matutinam, vnam in Verbo per visionem beatam, aliam per species, & illu- 4. *Bonauentu. ra resolutio.*

Meritò tamẽ nõ probatur à Tarãtasia tum iuxta mentem Augustini.

& illuminationes procedentes à Verbo. Et hanc secundam ponit, vt aliquam cognitionem matutinam habere potuerint Angeli in sua creatione, quando nondum erant beati. Quam distinctionem ex Petro de Tarantasia refert Carthus. in 2.d.q.vlt. Addit tamen, non probasse illam, & meritò, quia cognitio creaturarũ per species earum non transcendit cognitionem vespertinã. Quod est euidens secundum mentem Augustini, vbique enim dicit, per matutinam scientiam cognosci res in Verbo tanquam in arte increata, per quam facta sunt. Deinde est euidens ratio, quia vel illa cognitio matutina per illuminationes extra visionem Verbi, quam habuerunt Angeli à principio, erat supernaturalis, vel naturalis. Non primum, quia illa solum esset cognitio fidei, quæ matutina dici non potest. Idem quia illa cognitio mansit in Angelis malis, licet per peccatum obscurata, vt idem Bonauent. dicit: at in malis angelis non mansit cognitio supernaturalis. Si autem fuit naturalis, fuit per naturale lumen angelicum, & per species inditas rerum cognoscendarum: hæc autem est cognitio in proprio genere, ac proinde vespertina, iuxta doctrinam Augustini. Nihilominus tamen D. Thomas 1.p.q.62.art.1.ad3. illam distinctionem attingit, & non reprobat. Dicit enim, Angelum intra naturalem ordinem posse creaturas cognoscere, vel tantum in seipsis, & sic esse vespertinam cognitionem, vel in Deo, & hanc esse matutinam respectu prioris, licet comparatione alterius matutinæ per visionem in Verbo decoloratior, seu impropria sit. Vnde significat, Angelũ per scientiam naturalem, & supernaturalem cognoscere res in Verbo, & indicat, vtranque esse cognitionem matutinam, alioqui argumentum nõ soluit, quod in hoc nitebatur, quod secundũ Augustinum Angeli habuerunt cognitionem matutinam statim à principio creationis. Veruntamen D. Thomas in alijs locis, vbi ex professo rem tractat, non ponit cognitionem matutinam, nisi in clara Dei visione, præsertim 1.p.q.58. *art.* 6. & 7. & in dicta solutione nunquam dixit, cognitionem naturalem rerum in Deo esse matutinam. Imo in fine solutionis concludit de visione beata, *& hæc proprie est cognitio matutina.* Fateor tamen in hoc sensu solutionem non satis facere argumento, quod difficillimũ est in sententia Augustini, vt infra dicam, & in illa solutione videtur voluisse D. Thomas pro sua modestia subterfugere vim argumẽti potius, quam aperte Augustinum inconstantiæ arguere. Illud vero argumentum aliter soluit *q.* 8. *de Verit. art.* 16. *ad* 8. de quo infra dicam.

Tum propter euidentem rationem.

Matutinam cognitionem aliquando admisisse videtur D. Th. extra Verbũ.

Ex professo tamen rem tractando nõ admittit.

In gratiam August. D. Thom. vim difficultatis subterfugit.

5. *Ægidij resolutio.*

Aliter vero Ægidius *in 2.d.13.q.1 art.3. dub.3. literali*, præter cognitionem Vespertinam, & matutinam addit meridianam. Distinguit enim tria, scilicet, vesperam, mane, & diem. Vesperam dicit esse in absoluta cognitione creaturæ secundum se, & in proprio genere, mane autem fieri dicit, quãdo ex cognitione creaturæ in proprio genere, Angelus in laudem Dei creatoris ascendit. Cum autem in Verbo per visionem beatam creaturam Angelus intuetur, diem perfici dicit. Meridiana ergo est cognitio creaturæ in Verbo per visionem beatam, vespertina est cognitio eiusdem creaturæ in proprio genere: matutina est per ascensum à cognitione vespertina in laudem creatoris. Quod si obijcias, quia hic ascensus non est noua cognitio, sed addit tantum actum voluntatis amantis, & volentis laudare Deum propter tale opus, quod totum ex vi eiusdem cognitionis naturalis fieri potest: respondet, tam vespertinam, quam matutinam cognitionem adaptari ad cognitionem rerum, quam Angeli naturaliter habent: nec matutinam addere solam relationem voluntatis, sed aliquid perficiens cognitionem. Nam cognitio eiusdem creaturę, prout à Deo procedit, id est, quę Deum habuerit auctorem, & ab eo habuerit imitium, matutina cognitio est, licet non sit meridiana. Et videtur hic modus dicendi habere fundamentum in Augustino in locis citatis, vbi sæpe illa tria distinguit, vesperę, mane, & dies. Vnde *in dicto cap. 22. lib. 4 in Gen.* ait: *Post vesperam fit mane, cum post cognitionem propriæ naturæ quæ non est, quod Deus, refert se ad laudandam lucem quæ ipse Deus est, cuius contemplatione formatur, vtique & fiet dies.* Expressiusque *lib. 11. de Ciuit. cap. 7.* lucem primo die factam de spirituali luce, in qua & tenebræ non sunt, interpretans, addit: *Fit tamen & vespera diei huius, & mane aliquatenus, quoniam scientia creaturæ comparatione scientiæ creatoris quodammodo vesperascit. Itemque lucescit, & mane fit, cùm & ipsa refertur ad laudem dilectionemque creatoris.*

Obiectioni sibi facta occurrit Ægidius.

Sed sine dubio sententia hæc aliena est in multis à mente Augustini. Primo, quia nunquam Augustinus posuit matutinam cognitionem merè naturalem, sed semper tribuit illam lumini gloriæ, vt in citatis locis videre licet. Secundò cum dicit, vespertinam cognitionem ascendere in mane, *cùm ad laudem dilectionemque Dei refertur*, sine dubio non loquitur de dilectione naturali, sed de supernaturali, ex charitate, quia loquitur de charitate, quæ ad beatitudinem sanctos angelos perduxit: ergo asserere minimè potuit cognitionem ipsam naturalem creaturarum fieri matutinam per relationem illam in laudem, & dilectionem Dei naturalem. Tertiò, quia, vt Angelus referat cognitionem creaturarũ in laudem, & dilectionem Dei, necesse est, vt præcognoscat, Deum esse auctorem, & principium creaturarum, nam propterea illum laudat, & amat. Vnde talis amor supponit cognitionem Dei vt auctoris creaturarum ex cognitione ipsarum creaturarum, ac proinde ante illam relationem ordine saltem naturæ supponitur cognitio creaturarum in Deo, eo modo, quo extra Verbum inueniri potest, id est, cognitio, qua cognoscuntur creaturæ non tantùm vt in se sunt, sed etiam vt sunt à Deo creatæ: ergo talis cognitio nunquam potest esse matutina, quia secũdum se spectata valde imperfecta est, & parum clara, & relatio ad Deum, quæ illi per voluntatem adiungitur, non reddit illam in genere cognitionis meliorem, licet moraliter perficiatur. Denique nunquam Augustinus distinxit in Angelis tres cognitiones, vel tres modos cognoscendi creaturas, sed tantùm duos modos, scil. vel in seipsis, vel in Verbo, & sub cognitione creaturarum in seipsis comprehendit sine dubio cognitionem earundem etiam vt sunt effectus Dei, si per proprias species creaturarum fiat, neque hoc appellauit vnquam cognoscere creaturam in Verbo, vel in Deo, cùm magis sit cognoscere Deum in creatura, vel potius ex creatura, quæ cognitio quoniam minor est, vt Augustini verbo vtar, rectè nomine vesperæ significatur: non ergo matutina nominatur secundum Augustinum, sed sub vespertina comprehenditur.

6. *Improbatur tertius Ægidij modus.*

Quocirca, vt notauit Alexander Alens. 2.p.q.25. memb.1. in duobus dubijs, quę in fine illius proponit, scientiam angelicam, quam vno loco vocauit Augustin. matutinam, in alio vocat diurnam. Nam lib. 11. de ciu. cap. 29. cognitionem sui in verbo diurnam vocat, eamque à cognitione sui in seipso tanquam à vespertina distinguit, & easdẽ duas cognitiones paulo inferiùs clariorem, & obscuriorem vocat. Item cognitionem, quæ est in Verbo, quamque frequenter matutinam vocat, ad diem dicit pertinere lib. 4. Gen. cap. 23. his verbis: *Multum interest inter cognitionem rei cuiusque in Verbo Dei, & cognitionem in natura eius, vt illud meritò ad diem pertineat, hoc ad vesperam.* Vnde etiam rectè infert Alensis

eodem

eadem loco, non oportere distinguere cognitionem meridianam à matutina, quia apud Augustinum nulla est excellentior cognitio rerum creatarum, quàm cum cognoscuntur in Verbo: ergo si quæ dici, aut cogitari potest meridiana cognitio creaturæ, illa profecto est, quæ in verbo Dei clarè viso perspicitur. At verò hanc eandem vocat Augustinus matutinam cognitionem, vt vidimus: ergo illa duo non sunt in doctrina Augustini distincta. Vnde colligere etiam licet, mane, & diem apud Augustinum non condistingui sicut duas cognitiones magis, vel minus lucidas, sed distingui tanquã partem, & totum: nam dies componitur ex vespera, & mane, quod & meridies vocari potest, quia non paulatim crescit in luce, sed subito illucescit post vesperam, & diem consummat. Sic dicit dicto c. 7. de Ciuit. *Fit vespera & ei huius, & mane aliquatenus*, &c. Et infrà dicit, recurrente mane post vesperam, diem vnum consummari? Et l. 4. in Gen. c. 25. *Post vesperam, & mane dies vnus*, & sic de cæteris.

Concludimus ergo, secundum Augustinum vnicam tantum esse scientiam matutinam Angelorum de rebus creatis, illamque esse visionem earum in Verbo, ac proinde hanc solam esse cognitionem matutinam. Hæc est sententia D. Thomæ 1. p. q. 58. art. 6. & 7. quam ibi frequentius sequuntur noui expositores, & eandem tenet Alens. dicta q. 23. membr. 1. & 6. Et videtur sufficienter probata ex dictis. Primo quia cognitio matutina ex mente Augustini est perfectissima omnium, quas Angelus potest habere de creatura: sed cognitio perfectissima vnica tantum est, & illa sine dubio est per visionem in Verbo: ergo illa sola est matutina. Secundò Augustinus tribuit cognitioni matutinæ, vt per illam videantur res in rationibus suis, per quas fiunt, seu in arte diuina: sed hoc modo tantum videntur per visionem beatam: ergo sola visio beata est scientia matutina. Tertio Augst. dicto ca. 7. l. 11. de Ciuit. & l. 2. Gen. cap. 8. solis Angelis sanctis, & à principio beatitudinis tribuit cognitionem matutinam, nunquam tamen illam concedit Angelis, qui peccauerunt: imò hoc modo distinguit lucem à tenebris, vt postea videbimus: ergo signum est, in sola scientia beata ponere cognitionem matutinam, nam aliæ scientiæ in angelis malis fuerunt.

Solum restat obscurum in doctrina Augustini, quod dicit, cognitionem Angelorum de creaturis in seipsis fieri mane, cum ad Dei laudem refertur, vt habet l. 11. de Ciuit. c. 7. & l. Gen. c. 22. & 25. In hoc infundati sunt, qui dixerunt duplicem cognitionem matutinam, naturalem scilicet, & supernaturalem, vel alijs modis supra relatis. Quos in hac parte sequitur Daniel Malon. in 2. d. 3. disp. 18. nam licet in sect. 2. decem, vel vndecim modos dicendi refellat circa illam distinctionem, & omnes impugnet: nihilominus in sect. 1. fatetur cognitionem matutinam duplicem esse. Vna est visio creaturarum in Verbo, alia est, cum Dei cognitionem referunt ad Deum amandum. Vnde addit, in malis angelis nunquam fuisse cognitionem matutinam priorem, fuisse tamen posteriorem saltem in primo instanti, in quo creati sunt. Sed non existimo esse hoc menti Augustini conforme. Quia si cognitio vespertina erat prius saltem natura, quam ad laudem Dei referatur, non fit matutina per hoc quod ad laudem Dei referatur, quia cognitio matutina, & vespertina differunt in intrinseca ratione, & perfectione cognitionis, quę non variatur per hoc, quòd in laudem Dei referatur, vt suprà ponderaui.

Neque Augustinus, si attentè legatur, vnquam dixit vespertinam cognitionem relatam ad Deum fieri matutinam, sed per illam relationem, vel post illam sequi mane, & perfici diem, quod longè diuersum est. Hanc verò fuisse sententiam Augustini, patet ex dicto cap. septimo, libro vndecimo de Ciuit. vbi sic ait: *Scientia creaturæ comparatione scientiæ creatoris quodammodo vesperascit, itemque lucescit, & mane fit, cum & ipsa refertur ad laudem dilectionemq; creatoris.* Vbi non est sensus, ipsam vespertinam cognitionem lucescere, & mane fieri, cum refertur, &c. sed sensus est, media illa relatione, vel per meritum illius lucescere, & oriri mane in mente Angeli, vtique per visionem in Verbo, & sic diē consummari. Et hic sensus patet ex verbis subiūctis, quæ priora declarant. *Cognitio creaturæ in seipsa decoloratior est, vt ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur velut in arte, qua facta est, ideo vespera congruentius quam nox dicitur, quæ tamen, vt dixi, cum ad laudandum, & amandum refertur creatorem, recurrit in mane. Et hoc cum fecit in cognitione suipsius, dies vnus est.* Non ergo ipsa cognitio vespertina per relationem fit mane, vel matutina, sed *recurrit in mane*, id est, quasi pro termino habet ipsum mane, & ita vnus dies perficitur. Vnde expressissimè libro 4. Genes. cap. 22. *Ita vt post vesperam fiat mane, cum post cognitionem suæ propriæ naturæ qua non est, quod Deus, refert se ad laudandam lucem, quod ipse Deus est, cuius contemplatione formatur.* Ecce non vespertina cognitio fit matutina, sed *post vesperam fit mane*, nec vespertina in se lucidior fit per illam relationem, sed per coniunctionem ad mane quodammodo *formatur*. Et sic etiam dixit ibidem cap. 25. in illis diebus non nominari noctem, *quia tunc nox ad diem pertinet, non dies ad noctem, cum sancti Angeli id, quod creaturam in ipsa creatura nouerunt, referunt ad illius honorem, & amorem, in quo æternas rationes contemplantur, eaque concordissima contemplatione sunt vnus dies.* Per illam ergo relationem non fit alia cognitio matutina, sed quasi coniungitur vespertina cognitio matutinæ. Vnde obiter colligo, hoc intelligendum esse de relatione perfecta, & perseuerante vsque in finem, quam angeli mali non habuerunt, & ideo nec ad matutinam cognitionem peruenerunt. Sicut & nos licet qualemcunque cognitionem vespertinam, quàm habemus, in Dei laudem referamus, non statim fit nobis, neque fiet matutina nisi in illo amore vsq; in finem perseueremus, & tunc etiam in nobis spiritualis dies ex vespertina, & matutina cognitione complebitur, vt in dicto cap. 25. Augustinus concluſit, dicens: *Sunt vnus dies, quem fecit Dominus, cui coniungetur Ecclesia, de hac peregrinatione liberata, vt & nos exultemus, & iocundemur in eo.*

batus efficaciter ex variis eiusdem Augustini locis.

Atque ex his expeditum manet secundum dubium, nimirum, quid sit cognitio vespertina. Nã hæc est cognitio creaturarum in proprio genere, qualis in Angelis est illa, quam de creaturis habēt per proprias species earum, vt satis expresse, & euidenter docuit Augustinus libro quarto Genes. ad literam cap 8. ibi: *In suo enim genere quasi in vespere terminatum est.* & cap. 22. *fit vespera illius lucis, cum firmamentum non in Verbo, sed in sua natura cognoscitur*, & dicto cap. 7. de Ciuit. *Cognitio creaturæ in seipsa decolo ratior est ideo vespere dicitur*, & cap. 26. *in seipsis tanquã cognitione vespertina cognoscunt.* Idem in dicta qu. 26. ad Orosi. & alijs locis sæpissimè. Statim vero occurrit difficultas similis præcedenti, an vespertina cognitio sit vnica tantum, vel multiplex. Nam oppositorum eadem est ratio: sed cognitio matutina tantum est vna, & vnius rationis in vnoquoque Angelo, vel etiam homine, vt diximus: ergo etiam vespertina vnica tantum est. In contrariū vero est, quia August. videtur in Angelis duas creaturarum cognitiones extra Verbum distinguere, vnam rei in ipso Angelo cognitæ, aliam eiusdem rei in seipsa cognitæ, vtraque autem est vespertina cum sit extra Verbum. Et ita opinatur Alens. suprà in 3. conclusione ex mente Augustini, vt in quæstione 23. latè tractat, & distinguit duas ve-

11. *Dubium à principali ca eidem fundamentum Augustini positũ in n. 1. quidnam sit cognitio vespertina.*

Sitne vna, vel multiplex dicta cognitio, & arguitur pro vtrãq; parte

spertinas cognitiones in Angelo respectu earumdem rerum: quarum altera per species inditas, altera per acquisitas fit: vel quarum altera est cognitio rerum, vt sunt in ipso Angelo cognoscente: altera est rerum in seipsis. Dico nihilominus si ad verba, & dicta Augustini respiciamus, vnam tantum cognitionem Angelorum vespertinam vocasse respectu eiusdem obiecti: si tamen ad fundamentum illius appellationis inspiciamus, multiplicem esse vespertinam cognitionem quoad positiuam rationem suam, quanuis matutina vna tantum sit. Prior pars nota est ex verbis citatis. In solis enim mentibus angelicis duplicem cognitionem illam constituit Augustinus: & vespertinam cognitionem vocat, quàm habent Angeli de rebus creatis in seipsis, id est, directè tendendo in ipsas, vt in se sunt per proprias species innatas earum. Quæ scientia connaturalis est omnibus Angelis, & vnica est in quolibet illorum, vna (inquam) vel vnitate luminis intellectualis, vel vnitate alicuius habitus, vel collectione plurium specierum intelligibilium, plurium, vel pauciorum iuxta gradum perfectionis Angeli, iuxta suprà dicta de Angelis, quæ hic repetenda non sunt, nec ad præsens punctum referunt. Augustinus ergo hanc solam scientiam vespertinam nominauit vel quia non de fide, sed de propria scientia loquutus est, & in Angelis præter beatam aliam propriam sciẽtiam non agnouit, vel quia illa sufficienter, & potissimum inseruiebat intentioni eius, quæ erat per scientiam vespertinam, & matutinam, dies creationis mundi explicare.

12. *Resolutio bipartita.*

Ostenditur pars prior.

13. *Ostenditur posterior.*

Nihilominus probatur altera pars. Primò quia Augustinus vocauit illam scientiam vespertinam, quia ad diuinam visionem comparata decoloratior est, sed hoc ipsum habet omnis cognitio rerum extra Verbum ad cognitionem rerum in Verbo comparata. ergo omnis illa potest vocari cognitio vespertina. At vero extrà Verbum non vna tantum, sed multiplex potest esse cognitio: ergo potest esse multiplex cognitio vespertina. Et ita cessat æquiparatio inter illa duo membra: nã in omni latitudine summum, & perfectum vnum est: imperfecta verò multiplicantur, quia ab illa summa perfectione multis modis receditur. At verò matutina cognitio attingit summum gradum perfectionis cognitionis creaturarum, vespertina vero dicit defectuosam cognitionem: ergo licet illa vna tantum sit, hæc multiplicari potest. Et in hoc sensu posset distinctio Alensis sustineri, non tamen distinguendo illa membra per species concreatas, vel acceptas à rebus, nam hæ posteriores in Angelis non sunt, sed ex obiectis dicuntur, vel quia vna terminatur ad rem existentem, alia abstrahit ab actuali existentia, vel quia Angeli vna cognitione vident creaturas in speciebus earum, quas in seipsis habent, alia vident creaturas in ipsismet. Hæc enim distinctio materialis tantum videtur in ordine ad vespertinam cognitionem, ad eum modum, quo cognitiones diuersarum creaturarum in se, sunt plures cognitiones vespertinæ. Sic enim cognitio rerum in speciebus intelligibilibus si non terminetur obiectiuè ad res repræsentatas per illas species, tantum est cognitio quasi reflexa ipsarum specierum, & ita est distincta cognitio vespertina à cognitione creaturæ in se, quia est cognitio alterius obiecti creati etiam in seipso, & in proprio genere. Nos autem addimus, etiam respectu eiusdem obiecti cogniti posse esse plures cognitiones vespertinas aliarum rationum.

14. *Eiusdem posterioris pars.*

Dixi autem has vespertinas cognitiones multiplicari quoad positiuas rationes cognitionis, quia propria denominatio cognitionis vespertinæ sumitur ex quadam carentia, vel diminutione lucis, sicut naturalis vespera diei dicitur, quando lux iam est remissa per occasum Solis. Sic ergo omnis cognitio creaturarum, quæ non attingit gradum lucis gloriæ, conuenit in communi ratione vespertinæ cognitionis. Secundum vero gradum luminis, quem participant, possunt multiplicari. Exemplo declaratur optime in CHRISTO Domino, habuit enim tres, vel quatuor scientias, beatam, per se infusam, per accidens infusam, & acquisitam, vel experimentalem. Ex illis ergo sola beata potest dici matutina, reliquæ autem possunt dici vespertinæ. Quia etiam scientia per se infusa erat de rebus creatis in proprio genere, & per proprias earum species, ac proinde erat vespertina: ergo à fortiori reliquæ. Et eadem ratione si in beatis hominibus datur scientia creaturarum per se infusa, eius cognitio vespertina erit, quia per illam non videntur res in Verbo, sed in seipsis. Idemque erit in Angelis sanctis, si in eis detur scientia supernaturalis extra Verbum rerum creatarum, & distincta à propria scientia naturali, quod supra tractatum est. Et consequenti ratione etiam cognitio per fidem erit vespertina. Quia licet comparatione noctis infidelitatis lux sit, & diem constituat, in quo honestè ambulamus: nihilominus hic dies comparatione illius diei, quo æquales Angelis facti videbimus Deum sicuti est, ipse quoque nox est, seu lucerna lucens in obscuro loco, donec dies illucescat in cordibus nostris, vt dixit Augustinus libro quarto Genes. cap. 23.

Tertium graue dubium est, an in doctrina Augustini cognitio matutina, & vespertina differant in obiectis materialibus (vt ita dicam) seu in rebus cognitis, vel in re cognita conueniant, & in medio, ac modo cognoscendi distinguantur. Aliqui censent differre in rebus, & obiectis cognitis, quia cognitio matutina est de re increata, scilicet, de Deo ipso, quia licet dicatur esse de creatura, vt est in Deo, videtur tantum esse de creatura secundum esse, quod habet in Deo, quod esse est ipsum esse increatum, ipsaque vita Dei, iuxta illud: *Quod factum est in ipso vita erat.* Cognitio autem vespertina habet pro obiecto creaturam, quam cognoscit, seu repræsentat secundum esse, quod in se habet, quod omnino creatum est. Sed hoc dubium, qua potui diligentia tractaui in priori tomo tractatu primo, libro secundo de attributis Dei negatiuis, c. 25. à n. 10. ad 14. propter quosdam modernos scriptores, qui ausi sunt dicere, Diuum Thomam, Alensem, reliquosque Theologos non intellexisse Augustinum dicentem, cognitionem vespertinam terminari vltimo ad proprium conceptum creaturæ in suo proprio esse obiectiue distincto ab illo esse, quod habet in Deo: matutinam autem in solo esse increato, quod creatura in DEO habet, sistere, secundum mentem Augustini: Ego verò antiquos Theologos veram Augustini mentem attigisse defendi. Non censeo autem necessarium ibi dicta hic repetere, cum ferè nihil illis addendum occurrat.

Dico ergo Augustinum non distinxisse cognitionem matutinam, & vespertinam, nisi respectu rerum creatarum, seu creandarum, & ita illas duas cognitiones ex mente eius, in re cognita conuenire, differre autem in actu, & medio, cognoscendi illam. Atque hoc modo respectu singularum creaturarum distinguit vesperam, & mane, & singulos dies conficit. Vt Angelus cognoscendo se in se conficit primam vesperam, cognoscendo autem se in Verbo, fit primum mane, & consurgit primus dies: cognoscendo autem firmamentum in ipsomet, vel in Verbo, fit secunda vespera, vel secundum mane, & completur dies secundus, & sic de cæteris. Hæc autem distinctio par-

tium,

tium eiusdem diei ex vtraque consurgentis, & distinctio dierum intelligi non potest, nisi intelligatur idem omnino obiectum creatum per cognitionem matutinam, & vespertinam eiusdem diei cognitum esse, nec duæ cognitiones matutinæ primi, & secundi diei possunt concipi distincte etiam secundum rationem, nisi intelligantur termi natæ ad Angelum, vel ad firmamentum, quatenus in suo esse creato, vel creabili distinguuntur, quod non haberent si per matutinam cognitionem solum secundum esse increatum, quod in Deo habent, cognoscerentur, vt ibi latius sum prosequutus. Possumus tamē amplius hoc declarare in scientia increata, quam Deus de se, & in se habet de creaturis: Deus enim per suam scientiam cognoscit creaturas non solum secundum esse, quod in ipso habent, sed etiam secundum esse proprium obiectiuum creaturæ vel possibile per simplicem intelligentiam, vel actuale per intuitiuam cognitionem. At vero cognitio creaturarum priori modo sumpta, ac præcise spectata, reuera non est cognitio creaturarum, nec distinguitur à scientia ipsius Dei de seipso, quia nihil aliud est, quam cognoscere seipsum, suum esse, suum intelligere, ac posse: ergo illa scientia est propria cognitio creaturarum vt ad illas secundum proprium illarum esse terminatur, & illa propria est scientia, qua Deus cognoscit creaturas in se: idem ergo est cum proportione intelligendum de Angelis sanctis, cum dicuntur cognoscere creaturas in Deo.

Et hinc obiter infero, non posse in Deo distingui cognitionem vespertinam à matutina, cuius oppositum sequeretur ex opinione contraria, nimirum, si matutina, & vespertina cognitio in obiectis secundum esse creatum, & increatum distinguendæ essent. Probatur vtraque pars: nam in Deo, vt dixi, distinguitur duplex cognitio creaturarum, vna secundum esse increatum, quod habet in Deo, quæ reuera non est cognitio creaturarum, sed solius creatoris, & alia secundum esse propriū creatum, vel creabile. Si ergo cognitio matutina Angelorum non attingit creaturas secundum esse, quod in se habent, profecto etiam in Deo sola prior cognitio illius esse increati, quod creaturæ in ipso habent, erit matutina, & altera cognitio creaturarum secundum esse proprium, dici poterit vespertina, quia etiam de illa dici poterit, quod August. lib. 11. de Ciuit. cap. 7. dicit: *Cognitio creaturæ in comparatione creatoris quodammodo vesperascit.* vtiq; ex parte obiecti. Nemo autem hactenus distinxit in Deo etiam secundum rationem cognitionem vespertinam, & matutinam: ergo non distinguūtur ex parte obiecti materialis, seu rei cognitæ secundum proprium conceptum obiectiuum, sed in lumine, & modo cognoscendi, & ideo in Deo tantūm est diurna, seu meridiana cognitio creaturarum, quia vno tantum modo in seipso, & per seipsum, & summa, ac infinita luce illas cognoscit. In creatura verò datur cognitio vespertina, & matutina propter diuersos modos cognoscendi eas dem creaturas. Differt tamen inter Deum, & Angelum, seu quancunque intellectualem creaturam, quod soli Deo est connaturalis cognitio illa creaturarum in seipso, & in summa luce: in Angelis vero cognitio connaturalis est vespertina, quia imperfecta, & in proprio genere: cognitio autem matutina est supernaturalis, quia eleuari ad cognoscendas creaturas in Verbo, supra naturam est intellectus creati. Et hæc est ratio propria, ob quā Angelus est capax cognitionis matutinæ, & vespertinæ, & non Deus, quia Deus non potest habere modum cognoscendi nisi connaturalem sibi, & ille est summ⁹, & pfectissim⁹: Angel⁹ vero est capax cognitionis superantis naturam suā, & hęc est tanquam meridies respectu cognitionis sibi connaturalis.

Ex quo infero secundo, non recte à quibusdam distingui in ipsamet visione beata cognitionem matutinam, & vespertinam; quatenus in illa visione consideratur habitudo ad Deum ipsum tanquam ad obiectum primarium, & ad creaturas in ipso cognitas tanquam ad secundarium, & priori ratione dicunt esse cognitionē matutinam, quia tàm ex parte cognoscentis, quam ex parte rei cognitæ est lucidissima: sub posteriori vero ratione, dicunt esse vespertinam. Qui consequenter dicent cognitionem creaturæ in Verbo secundum esse increatum, quod habet in Verbo, matutinam esse, quia est de creatore tantum. Cognitionem autem creaturæ in Verbo secundum proprium esse creatum esse vespertinam, quia vt sic est cognitio creaturæ, & eo ipso aduesperascit, vt ex August. dicto cap. 7. de Ciuit. supra dicebamus. Vnde libro etiam quarto de Genesi cap. 18. ait, *creaturam in Deo habere mane, nam in suo genere tanquam vespere termina tumest.* Quam distinctionem attingit Diuus Thomas dicta quæstione 58. articulo septimo. eamque non reprobat, dicit tamen non esse ad mentem Augustini. Et hoc mihi indubitatum est, quia Augustinus nunquam distinxit ex parte rei cognitæ cognitionem vespertinam, & matutinam, sed ex diuersis modis cognoscendi eandem rem, vt iam ostendi. Vnde nunquam vocauit cognitionem creaturę illam, per quam cognoscitur esse increatum, & eminentiale, quod creatura habet in Deo, nam hæc cognitio præcise sumpta non est cognitio creaturæ, sed Dei: illam ergo vocauit cognitionem creaturarum in Deo, per quam cognoscuntur creaturæ secundum propria esse, propriasque rationes suas in causa sua suprema, & hanc vocauit cognitionem matutinam creaturarum: de visione autem ipsius DEI, vt ad ipsum terminatur, nunquam sub illo nomine matutinæ cognitionis loquutus est Augustinus, quia matutinam cognitionem distinxit à vespertina respectu eiusdem obiecti. Respectu autem Dei visi in seipso nulla est cognitio vespertina, quia nulla est lucidior illa, quæ dici potest in proprio genere respectu Dei, id est, per propriam eius speciem, vel essentiam, & ita suppositum, & intellexit sine dubio Augustinus, visionem Dei in seipso, vt ad ipsum terminatur, lucidissimam esse, ac proinde maximè meridianam, nunquam tamen distinxit illam vt est de Deo ipso, vel vt est de creaturis in ipso tanquam matutinam à vespertina.

18. 2. *Corollariū contra distinguentes in visione beata vespertinum & matutinum.* *D. Thom: illam distinctionem non reprobat.* *Non esse tamen ad mētem Augustini fatetur, idq; ex ipso Augustino probatur primo*

Neque spectando ad rem ipsam probanda est illa distinctio, quia visio Dei, vt terminatur ad creaturas, est in sua specie lucidissima, & clarissima, quantum esse potest de obiecto creato: ergo non meretur nomen vesperæ, sed mane. Item quia alias visio, quam Deus habet in seipso de creatura, dici posset vespertina ratione obiecti, quod absurdum reputo. Quanquam Rupertus in Prolog. ad libros in Genes. illam sic appellare videatur, qui tamen non loquitur respectu ipsius Dei, sed respectu nostri, & vocat vespere illud esse, quod res habebant in Verbo, antequam fierent, quia nos latebat, in se tamen scientia illa maximè matutina erat. Augustinus autem cum interdum dicit cognitionem creaturę respectu cognitionis creatoris esse vesperam, non loquitur de cognitione creaturæ in Deo, sed de cognitione creaturæ in se, & in proprio genere, quæ habet pro obiecto primario creaturam, & ideo illi commensuratur, sub cognitione autem creatoris comprehendit cognitionem creaturæ in creatore, & ex vi visionis creatoris, quia suam quasi speciem, & excellentiam habet à creatore tanquam obiecto primario, & sub eodem lumine transit ad creaturam.

19. *Probatur 2. ex ipsa:*

Dices: In ordine naturalium cognitionum co- 20.

Obiectio contra proximè dicta.

gnitio naturalis, quam habet Angelus de seipso in se, & per se potest dici vespertina respectu cognitionis Dei, quam per se habet de ipso: ergo è contrario cognitio creaturarum in Deo poterit dici vespertina respectu cognitionis claræ Dei in seipso.

Soluitur.

Respondetur negando antecedens: nam illa cognitio, quam Angelus habet de Deo, per seipsum, aut per aliam creaturam, vel sub neutro illorum membrorum comprehenditur, vel si ad aliquod reuocatur, vespertina dicenda est. Dico sub neutro membro comprehendi, quoniam Augustinus, vt notaui, non dat illam distinctionem de omni cognitione angelica, sed de cognitione creaturarum, quia solùm vsus est illa distinctione ad explicãdos dies, in quibus Deus creaturas produxit, & ideo non oportet, vt distinctio sit adæquata omni cognitioni cuiuscunque obiecti, sed creati tantùm. Extendendo autem illam ad omnia obiecta, dico, cognitionem Dei per creaturam siue in angelo, siue in nobis vespertinam potius esse, quàm matutinam, vt iam tetigi, & docet expresse Alenſ. suprà memb. 2. Et ratio est, quia medium cognoscendi est creatum, & ratio, ac perfectio cognitionis ex medio potius, quod est veluti formale obiectum, quàm ex re cognita, quæ est quasi materiale, sumenda est. Vnde sicut visio creaturæ in Deo matutina est, ita è contrario cognitio creatoris in creatura, vel per creaturam, vespertina est. Item talis cognitio valde imperfecta, &, vt ita dicam, valde decolorata est: ergo nomen matutinæ cognitionis non meretur.

21.

Dub. 4. principale circa eidem fundamentum Augustini, vtra cognitio fuerit prior in angelo. Responsio quoad prioritatem naturæ.

Quartum dubium est, quæ cognitio, matutina ne, an vespertina fuerit prior in angelo respectu earundem rerum, quæ per illas cognoscuntur. Hoc dubium obscurum est in sententia Augustini, tum propter varia dicta eius, tum propter consecutionem alterius difficultatis, quæ ex illo sequitur, nimirum, qui angeli habuerint scientiam matutinam, & quando illam receperint. Potest autem tractari dubium de prioritate durationis realis, vel de prioritate naturæ propriè sumptæ, id est, fundatæ in causalitate pertinente ad ordinem executionis, seu generationis (vt sic dicam.) Nam de prioritate dignitatis, seu perfectionis nulla est quæstio, cùm certissimum sit, & in re ipsa, & in doctrina Augustini, matutinam scientiam esse priorem, id est, longè perfectiorem, & simili modo certissimum est, secundum ordinem intentionis, & finalis causæ esse etiam priorem, saltem ratione actus, in quo talis scientia ponitur, vt ex dictis satis patet. Igitur scientiam matutinam esse priorem etiam duratione reali, fuit sententia Scoti in loco allegato. Et ad hoc inducit verba Augustini suprà recitata ex capite vigesimo quarto, libro 4. de Genes. Dicit enim, *Cum Angeli sancti semper videant Verbum Dei, prius in ipso nouerunt vniuersam creaturam, ac deinde in ipsa creatura*: qui locus non rectè exponitur de proprietate dignitatis, tum quia illa duo verba *prius*, & *deinde*, malè accommodantur ad ordinem dignitatis: tum etiam, quia causa illius prioritatis non redditur ex perfectione visionis, sed ex eo, quòd sancti *Angeli semper vident Verbum*, vbi pondero aduerbium *semper*, in quo maximè ratio nititur: tum etiam, quia inde subinfert, *ibi diem esse primitùs creatum, hic autem tanquam vesperam*. Quæ exponens cap. 31. ait, *Primò hæc accipiebat in Verbo Dei, deinde cùm facta essent ea, cognoscebat alia inferiori cognitione, quæ nomine vespera significata est.* Et cap. 32. *Mens angelica pura charitate inhærens Verbo Dei, posteaquam illo ord. nec creata est, vt præcederet cætera, prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quàm facta essent*, &c. tum denique cap. 34. id explicat exemplo oculi videntis propinqua, & distantia simul, sed ordine quodam, nam priùs propinquiora videt, quod procedit secundum ordinẽ generationis, & situs.

Quoad prioritatem durationis, Scoti responsio.

Veruntamen etiam ipse Scotus vidit, Augustinum in his locis non loqui de prioritate durationis inter cognitionem matutinam, & vespertinam, nam illasmet cognitiones fuisse simul duratione expresse affirmat idem Augustinus dicto capite trigesimo secundo, libro quarto de Genesi, & idem inſinuauerat capite trigesimo, & expressiùs repetit capite trigesimo quarto. Inde tamen colligit Scotus loqui Augustinum saltem de prioritate naturæ propriè, id est, causalitatis, & generationis. Nam si attentè consideretur discursus Augustini, ibi non ostendit excessum perfectionis matutinæ cognitionis: nam licet hunc attingat transeunter, & quasi id supponendo, propriè tamen describit modum, & ordinem generationis, & originis inter vtramque cognitionem, & sic sentit ex matutina sequi vespertinam, quia sicut ordine causalitatis prius est creatura in Verbo, quàm in se, ita prius natura visa est ab Angelo in Verbo, quàm in se. Hinc autem infert vlteriùs Scotus illam cognitionem in Verbo, de qua ibi loquitur Augustinus non esse cognitionem in Verbo clarè viso in se per visionẽ beatam, sed esse quandam aliam cognitionem abstractiuam Dei per speciem eius. Quia visio beatifica non potuit esse simul duratione cum cognitione vespertina, quia hanc habuit Angelus per cognitionem naturalem à primo instanti suæ creationis, & tunc non habuit visionem beatam etiam ex doctrina Augustini, vt suprà in proprio loco dictum est.

At enim propter vnam difficultatem fugiendam non sunt verba Augustini ad peregrinos sensus detorquenda. Est enim meridiana luce clarius loqui Augustinum in citatis locis de visione beata sanctorum angelorum, per quam creaturas in in Verbo Dei cognoscunt, vt in principio probaui, & iterum pauca verba ponderabo. Primum illa dicti cap. 24. *Cum sancti Angeli, quibus post resurrectionem coæquabimur, si viam, quæ nobis Christus factus est, vsque in finem tenuerimus, semper faciem Dei videant.* At quæ est visio qua videtur facies Dei, nisi beatifica? aut in quo erimus æquales angelis Dei, sim sanctitate perseuerauerimus, nisi in visione beatifica? Nam si in aliqua re alia erimus illis æquales, id erit ratione visionis beatæ, quæ supponi debet. Deinde capite vigesimo quinto dicit ex illa cognitione matutina cum vespertina confici vnum diem, *cui continguntur Ecclesia de hac peregrinatione liberata, vt & nos exultemus, & inde mur inde.* Quod profectò non erit nisi in beatitudine; de hac ergo loquitur Augustinus. Item in capite 32. non ponit hanc cognitionem nisi in mente, *quæ pura charitate inhæret Verbo Dei*, vbi apertè loquitur de charitate consummata, & immutabili patriæ. Item in cap. 7. lib. 11. de ciuit. apertè dicit, *Lucem illam, & diem non esse nisi ciuitatem sanctam in sanctis Angelis, & spiritibus beatis, de qua dicit Apostolus: Quæ sursum est Hierusalem, quæ est mater nostra, æterna in cœlis*: & in capite decimo nono, habet verba supra citata, quæ sunt satis expressa. Accedit, quòd illa cognitio matutina, & abstractiua, quam Scotus ponit de DEO per speciem eius, non solùm non habet fundamentum in Augustino, verumetiam nec possibilis est, vt suprà dixi. Multoque impossibilius videtur, quod per cognitionem abstractiuam Dei videantur creaturæ in ipso clarius, & perfectius, quàm in seipsis per proprias species. Nam hoc etiam in clara visione DEI difficile intelligitur: quis ergo de abstractiua cognitione id credat? Augustinus autem loquitur de cognitione matutina, qua videtur creaturæ in DEO melius, quàm in se: ergo non de abstractiua, sed de intuitiua cognitione loquitur.

Tunc ergo manet integra difficultas, quam Scotus

Scotus attingit, quomodo possint esse simul duratione, seu tempore cognitio vespertina, & matutina in Angelis, cùm prius pro aliqua, vel aliquibus moralis habuerint sancti Angeli cognitionem naturalem, quàm beatam, ac proinde cognitionem vespertinam prius, quàm matutinam, etiam reali duratione. Antecedens supponimus vt omnino verum non tantùm in re ipsa, sed etiam in sententia Augustini, vt supra lib. 5. de Angelis cap. 2. & lib. 6. cap. 1. & 3. dictum est. Et deinde licet in primo instanti habuisset Angelus vtramque cognitionem, non apparet, in quo genere causæ possit cognitio matutina esse prior, quia secluſa causalitate finali, quæ ad rem non pertinet, vt dixi, quia pertinet ad ordinem intentionis, non executionis: in cæteris generibus causarum visio beata nullo modo est causa cognitionis naturalis, nec formalis, vt per se patet, nec efficiens, quia cognitio naturalis est ex principijs naturæ, non gratiæ, aut gloriæ, nec materialis, quia non disponit ad illam. Quin potius hoc ordine cognitio vespertina videtur prior, quia naturalia præcedunt ordine naturæ ad supernaturalia, vel ratione subiecti, vel quatenus intimius consequuntur ex subiecta natura, quàm gratia, vel gloria. Accedit, quod idem Augustinus dicto lib. 4. de Genesi cap. 22. videtur apertè hunc ordinem ponere, cùm dicit: *Fiat si lux ista, quæ primitus creata est, non corporalis, sed spiritualis est, vt post tenebras facta est.* &c. *ita & post vesperam fiat mane, cùm post cognitionem suæ propriæ naturæ, quæ non est quòd Deus refertur ad se ad laudandam lucem, quæ ipse Deus est, cùm contemplatione formatur.* Et infra: *Vt vespera primi diei, sit etiam sui cognitione, non se esse, quod Deus est, mane autem post vesperam hanc, quo concluditur dies vnus.* In quibus verbis apertè videtur docere Augustinus, ordine generationis priorem fuisse cognitionem vespertinam sui, quàm matutinam in verbo, quod saltem de prioritate naturæ in eodem ordine verè intelligendum est: imò videtur etiam de ordine durationis esse intelligendum. Et ita exponit apertè Diuus Thomas quæst. 8. de Verit. articul. 16. ad 8.

Propter priora testimonia allata nu. 21. totamque difficultatem hanc, multi Theologi necessarium esse arbitrati sunt concedere secundum Augustinum, habuisse angelos in primo instanti creationis suæ aliquam matutinam cognitionem. Et ideo dixerunt aliqui, Angelos sanctos à primo instanti creationis fuisse beatos simpliciter, ponentes illam cognitionem matutinam in sola visione beata, vt reuera est. Alij verò distinxerunt cognitionem matutinam, vt aliquam habuerint in primo instanti in visione Dei, & postea aliam per visionem. Sed primum impugnatum est in præcedenti tractatu lib. 5. cap. 2. secundum verò in proximè dictis. Dico ergo angelos non habuisse cognitionem matutinam in primo instanti creationis suæ, ac proinde prius duratione, & natura habuisse cognitionem naturalem sui, Dei, & fortasse etiam aliarum rerum, quàm eadem res in Verbo viderint. Probatur, quia in illo primo instanti habuerunt omnem perfectionem naturalem, & non fuerunt in illo beati vltima, & perfecta beatitudine, quæ in clara visione Dei consistit. Ex quo sequitur, cognitionem illam quæ in Angelo est vespertina cognitio sui, seu in proprio genere, in suo esse, & substantia antecessisse matutinam sui cognitionem. Probatur apertè, quia vespertina cognitio eadem est cum cognitione sui in se, & per suam substantiam, vel speciem: sed hanc habuit Angelus in primo instanti, quando nondum videbat se in Verbo. Idemque dici potest de cognitione firmamenti, congregationis aquarum solis, lunæ & stellarum, & aliorum operum sex dierum. Solum est differentia, quòd cognitio sui est naturalis, & necessaria, & ideo certius est, cum natura incepisse: aliarum verò rerum actualis cognitio non est ita necessaria quoad exercitium, & ideo non est tam certum actu præcessisse in illo primo instanti. Est tamen verum in illo instanti habuisse Angelum concreatas species intelligibiles omnium rerum creatarum in vniuerso in eodem instanti: imò & creandarum in tempore futuro. Vnde etiam est certū, potuisse tunc habere actualem cognitionem in proprio genere, & per propriam speciem cœli, & terræ, vt præsentium, & simul factorum in eodem instanti, & aliarum rerum saltem vt possibilium, iuxta doctrinam in superioribus datam de Angelorum cognitione.

26. *Probatur 2. non repugnare Augustino.*

Nec hæc successio inter illas cognitiones aliena est à doctrina Augustini, vt patet ex verbis vltimo loco allegatis in nu. 24. Vnde notari potest, necessarium non esse, vt illi dies secundum Augustini doctrinam inceperint intrinsecè in primo instanti, in quo fecit Deus cœlum, & terram, sed ad summum extrinsecè, quia & hoc est inceptioni dierum magis consentaneum, & in Augustino nihil inuenitur contrarium: imò est consentaneum citatis verbis, ex quibus hunc ordinem colligo. Nam primò creati sunt omnes Angeli tam boni, quàm mali, omnesque cognitionem suæ propriæ naturæ in ipsa, & consequenter etiam cognitionem Dei per ipsam, in eodem momento receperunt. Vnde fit, vt omnes receperint tunc cognitionem illam, quæ in sua substantia vespertina est, licet nondum spectaretur tunc sub ratione vesperæ, seu vespertinæ cognitionis. Dupliciter enim accipi potest nomen, seu ratio vesperæ, seu vespertinæ cognitionis, vno modo vt absolutè tantùm dicit cognitionem talis modi, & perfectionis, alio modo vt connotat relationem ad mane, quæ est relatio partis, seu compartis vnius diei. Et priori modo præcessit in illo instanti cognitio vespertina, nondum tamen habebat posteriorem, & quasi formalem rationem vesperæ. Cuius signum est, quia tunc erat illa cognitio quasi in statu quodam indifferenti, vt posset vel diem componere, vel per noctem obtenebrari; nam in quibusdam Angelis priorem, in alijs verò posteriorem successum habuit, & in his potuisset habere meliorem euentum: nam omnes fuerunt liberi ad referendum, vel non referēdum illam cognitionem in laudem creatoris, teste eodem August. lib. de Corrept. & grat. cap. 11. & idem supponit lib. 4. de Genes. cap. 24. in fine. Sic ergo in illo primo instanti non præcesit vesperā formaliter, sed quasi materialiter (vt sic rem explicem.)

Nomen seu ratio vesperæ, duplex.

Priori ratione præiuit cognitio vespertina matutinam duratione.

27. *Posteriori etiam ratione præiuit modo aliquo.*

Postea verò in secundo instanti sancti Angeli retulerunt se, & omnem suam scientiam in laudem, & gloriam sui creatoris peculiari, & deliberato modo. Nam licèt in primo instanti omnes se retulerint in Deum, quem actu dilexerunt, vt est probabilius, nihilominus quia illa conuersio magis fuit accepta, quàm plenè deliberata, ideo Augustinus in his diebus explicandis nullam rationem illius habuit, nec illius meminit, sed tantùm illius deliberatæ, per quam angeli suum meritum consummarunt, & ratione cuius statim suam beatitudinem receperunt, vt ex omnibus locis supra citatis manifestum est. Et ex lib. 2. Gen. ad liter. cap. 7. & 8. & ex Imperfect. ad Gen. cap. 3. In illo ergo secundo instanti cœpit cognitio illa in sanctis Angelis habere rationem vesperæ, quia per illam relationem factum est, vt cognitio illa quasi proximè disponeretur, vt matutinæ cognitioni coniungeretur, & dies consummaretur, ac componeretur. E contrario verò in cæteris angelis, qui in seipsis superbia eleuati permanserunt, obscurata est illa cognitio, & facta est nox, & tenebræ. Sic enim ait Aug. lib. 11. de ciuit. cap. 28. in fin. Angelos

malos æternam lucem deferentes, tenebras factos esse. Et è contrario de sanctis Angelis notat lib. 4. de Gen. cap. 25. in eorum diebus non commemorari noctem, sed tantùm vesperam, & post vesperam mane, & diem, quia totam suam cognitionẽ ad Dei laudem, & amorem retulerunt. Ex quo discursu optimè concluditur, saltem in primo die vesperam præcessisse mane, seu vespertinam cognitionem matutinæ, nõ solùm loquendo de vespera materialiter, sed etiam formaliter iuxta declarationem datam. Quia & præcessit cognitio sui, & præcessit etiam relatio illius in laudem, & amorem Dei, per quam cœpit ad mane referri, & illi appropinquare, & coniungi.

28. *An præuenerit duratio. negant quidam.*

An verò sub hac ratione præcesserit duratione reali, vel tantùm ordine naturæ, sicut dispositio antecedit formam, vel meritum præmium, pẽdet ex illa quæstione, an sancti Angeli in eodẽ instanti, quo meritum consummarunt, præmium receperint. Et q̃ sola fuerit antecessio naturæ, videri potest cõsentaneum Augustino: nam hoc modo meliùs explicãtur omnia, quæ de illo primo die dicit. Nam putat, in illo die factam esse spiritualem lucem, quã Deus à tenebris diuisit, id est, bonos Angelos à malis, quæ diuisio per lucem gloriæ facta est. ergo in illomet puncto, in quo sancti Angeli se à malis separarunt, referendo se in Deũ, facti sunt lux, & matutinam cognitionem receperunt. Sed quia (vt supra dixi) opinio illa falsa est, nõ oportet sine cogentibus verbis Augustini ipsam ei tribuere: in præsenti autẽ nihil est, q̃ cogat. Quia, vt in primo die facta sit diuisio lucis, & tenebrarum, satis est, quod immediate post illam moram, in qua sancti Angeli Deum omnibus rebus prætulerunt, matutinam cognitionem acceperint, in qua consummatus fuerit dies primus. Concedendum est ergo etiam secundum Augustinum, in primo die sanctorum Angelorum vesperam fuisse priorem mane, etiam duratione, quanuis etiã fuerit simul cum illo in cõpositione vnius diei. Et ita saluatur optime ordo inter vesperam, mane, & diem, quẽ Augustinus in vltimo loco citato posuit. Et nihilominus simpliciter verũ est, q̃ in alijs locis dixit, has cognitiones matutinam, & vespertinam simul esse, nec moram requirere. Nam licet non omnino simul inceperint, simul nihilominus fuerunt, & nunc sunt, ac manent in Angelis beatis: & in principio non ideo factæ sunt cum aliqua successione, quia ex natura sua petant successionem, vel quia Angelus absolutè non posit simul illas efficere, sed quia secundùm ordinem diuinæ sapientiæ nõ debuit Angelus ad matutinam cognitionem ascẽdere, nisi per suam dispositionem, & meritum, q̃ sine aliqua successione, vel mora fieri nõ poterat, vt in superiori tractatu monstratum est.

Dicendum tamen etiã duratione præcessisse.

29. *Remouetur difficultas cui nonnulli perperam respondebãt in num 25.*

Atq; hoc modo cessat altera difficultas, qua inferebatur ex mente Augustini vel habuisse sanctos Angelos cognitiõnem matutinam in primo instanti suæ creationis, ac proinde etiã angelos malos illam habuisse, & postea illam peccando amisisse, q̃ repugnat: vel Deum in illo primo instanti ita discreuisse inter Angelos, vt quosdam beatos, alios non beatos creauerit, quod Deum ex se, & mera sua voluntate fecisse incredibile est: fecisse autem ex merito, aut demerito diuersorum Angelorum, est improbabile. Respondemus autem ex dictis, negando sequelam: nam licet Augustinus illos sex dies in mentibus Angelorum constituerit, & sine successione reali inter se simul factos, & completos esse censuerit: nihilominus necessariũ non est; vt in primo saltem die censuerit mane simul incepisse cum vespera, sed potuit sentire, illum primum diem compositum fuisse ex vespere, & mane cum aliqua successione modo explicato, & simul cum illo statim fuisse completos omnes sex dies cum solo ordine naturæ absque successionis mora, seu durationis, modo statim declarando: nam hæc inter se repugnantia non sunt. Et simili modo licet Augustinus dixerit, omnia fuisse creata simul in primo instanti creationis mundi, non est necessarium, etiam docuisse, in eodem momento factam esse beatitudinem Angelorum, sicut non est necesse, vt in eodem instanti pœna malorum angelorum inceperit. Inceperunt ergo simul, secundum Augustinum, omnia quæ Deus solus per se fecit, non verò omnes rerum perfectiones, quæ ab ipsis, vel à prætia dispositione, aut merito ipsarum creaturarum pendent. Ex quibus perfectionibus præcipua fuit matutina cognitio, vt explicaui, & ideo illa lux licet in primo die, non in primo instanti creationis rerum facta est. Vnde etiam colligitur secundum Augustinum cognitionem matutinam solis Angelis sanctis datam esse, & non indifferenter omnibus, sicut de visione beata in superiori tractatu lib. 5. c. 2. dictum est.

Adhuc tamen superest soluenda difficultas orta ex alijs Augustini locis, in quibus dicit, præcessisse matutinam cognitionem vespertinæ saltem naturæ ordine. Ad hoc autem explicandum oportet aduertere differentiam, quam constituit Augustinus inter opus primi diei, & aliorum, quam late prosequitur libro secundo, Gen. ad liter. cap. 6. 7. & 8. & eandem supponit lib. 4. cap. 22. & sequentib. Est autem discrimen, nam opera quinque dierum post primum, præter esse, quod habent in Verbo Dei, dicuntur fieri priùs in mentibus angelicis, & postea in seipsis: opus autem secundi diei, quod secundum Augustinum est ipsa lux spiritualis, & angelica, nõ fit aliter in se, quàm in mente angelica, quia sunt idem, nec potest prius esse, aut fieri in mente Angeli, quam in se. cum mens Angeli non possit esse, nisi in ipso. Et hoc discrimen colligit Augustinus ex alio, quod in verbis, quibus in Genesi narrantur hæc opera, ipse ponderauit. Nam in opere primi diei solum dicitur: *Dixit Deus fiat lux, & facta est lux.* In opere autem secundi diei tertium membrum additur, nam dicitur: *Dixit quoque Deus fiat firmamentum, & fecit Deus firmamentum, & factum est ita*: & in opere quarti diei: *Dixit Deus, fiant luminaria, & factum est ita, fecitque Deus luminaria.* Idemque in die sexto considerare licet. Ex hac ergo verborum diuersitate colligit Augustinus, angelicam naturam tantùm esse factam in Verbo Dei, & in se: & primum dicit significari illis verbis: *Dixit Deus, fiat lux*, quia illud dicere idem fuit, quod Verbum producere, in quo rationes tam Angelorum, quam rerum omnium existunt: secundum autem dicit significari altero verbo, *& factum est ita*, vtique in seipso. At verò de firmamento ait primo dictum esse in Verbo Dei, vt fieret, secundò Deum fecisse illud in mentibus angelicis, per species nimirum intelligibiles, & in esse (vt vocant) intentionali, seu repræsentatiuo, tertio factum esse in seipso.

Ex hac ergo differentia colligit, Angelos cognouisse prius seipsos vt factos, per cognitionem in proprio genere, quàm se cognouerint in Verbo, quia non potuerunt se prius cognoscere, in Verbo vt faciendos, quàm essent facti in seipsis, quia non poterant vllam cognitionem habere nisi iam facti. Nec prius facti sunt extra Deum in esse intentionali, quàm in reali, & naturali, quia primùm supponi debent in suo esse subsistentes facti, quàm formentur aliqua cognitione, vel principio eius, ideoq; primum facti sunt Angeli cognoscentes seipsos, ac proinde habentes vespertinam cognitionem, quam referentes in Deum per mane consummarunt, & ita vnus, id est, primus dies factus

ctus est. Secus verò censet de ceteris diebus, nam sicut Deus primo dixit, *fiat lux*, in Verbo suo, ita etiam consequenter dixit in eodem Verbo, *fiat firmamentum*: Angelus autem iam videns Verbum, & in eodem Verbo seipsum vt factum, consequenter vidit in eodem Verbo firmamentum vt faciẽdum, & deinde in sua mente accepit factum, & postea firmamentum in ipso cognouit, ac tandem in Dei gloriam retulit. Atque ita in opere secundę diei præcessit ordine rationis cognitio firmamenti in Verbo, & postea in proprio genere, & sic prior fuit cognitio matutina, quàm vespertina. Ita videtur explicare rem hanc idem Augustinus dicto libr. 4. cap. 26. & 28. idemque de cæteris diebus sentit. Quæ res tota mihi quidem obscurissima est tam in se spectata, quàm in doctrina eiusdem Augustini, alia nimirum eius verba, & testimonia conferendo: sed nunc illam magis illustrare non valeo, infrà verò iudicium meum de re ipsa proferam, & totam rei difficultatem aperiam.

Superest vltima, & intenta dubitatio, quales scilicet fuerint illi sex dies iuxta sententiam Augustini, ille enim quia difficilimum esse credidit explicare illos sex dies de diebus naturalibus, qui ex circuitu Solis fiunt, & quia credidit omnia esse simul facta, vt capite præcedenti visum est: de diebus intelligibilibus compositis ex vespertina, & matutina cognitione eos interpretari conatus est. Vnde sæpe dicit esse vnum diem, & sex dies. Vnum quidem, quia vna est in Angelo cognitio matutina: & vespertina etiam vna esse potest, & ita dies ex vtraque compositus vnus est. Secundum varios autem creaturarum gradus dies comparatione illarum repetitur, & fiunt sex dies iuxta senarij numeri perfectionem. Sed dicto l. 4. cap. 22. cum dixisset, in mente angelica, post vesperam factum esse mane, cum post cognitionem suæ propriæ naturæ se retulit in laudem Dei, & eius contemplatione formata est, subdit, *Et quia cæteræ creaturæ, quæ infra ipsas fiunt, sine cognitione eius non fiunt, propterea idem dies vbique reperitur, vt eius repetitione fiant tot dies, quot distinguuntur genera creaturarum, perfectione senarij numeri terminanda*, & consequenter omnes sex dies illo modo exponit, quos sic breuius colligit dicto lib. 11. de Ciuit. c. 7. *Cognitio creaturæ in seipsa decoloratior est, ideo vespera congruentius, quam nox dicta potest, qua tamen, cum ad laudandum creatorem refertur, recurrit in mane. Et cum hoc facit in cognitione sui ipsius dies vnus est: cum in cognitione firmamenti, dies secundus: cum in cognitione terræ, ac maris, omniumque gignentium, quæ radicitus continuata sunt terræ, dies tertius: cum in cognitione luminarium, &c. dies quartus: cum ex cognitione omnium ex aquis animalium natatilium, atque volatilium, dies quintus: cum in cognitione omnium animalium terrenorum, atque ipsius hominis, dies sextus.* Et in ca. 30. addit, senariam illam repetitionem eiusdem diei propter perfectionem numeri senarij factam esse, vt perfectio operum Dei per senarij numeri perfectionem significaretur. Et similia, licèt breuius, collecta habet in dicto Dialog. cum Orosio q. 26. vbi etiam addit: *Dies vnus, quem intelligimus naturam spiritualem creaturarum, id est, angelicarum sexies factæ cognitio, sex dies fecit propter senarij numeri perfectionem.* Ex hac occasione fit ibi longa digressio ad perfectionem senarij numeri declarandam. Hanc sententiam non persuadet directè Augustinus aliter, quam explicando illam, & supponendo esse possibilem, & ex difficultatibus, quæ in operibus singulorum dierum cernuntur, si de naturalibus diebus intelligantur tacitè concludendo, hanc spiritualem intelligentiam esse alijs præferendam & difficultates in illa occurrentes soluere conatur, vt videbimus.

At vero licet suppositio vero sensu literali, possent hæ subtiles considerationes suum locum habere, nihilominus, salua reuerentia sanctissimo Patri debita, mihi persuasum habeo, hunc non esse literalem sensum, sed textum Geneseos ad literam esse de die naturali, qui per spatium, & durationem vnius conuersionis primi mobilis fit, esse intelligendum. Hæc est communior sententia Patrum, Basilij, Ambros. Chrysost. Bedæ, Ruperti in Genesin, & Nazianz. orat. 43. circa principium, & Gregorij 32. Moral. capite decimo, & aliorum, quos capite præcedenti retuli, quibus Magister, & Scholastici magis assentiuntur, quanuis propter Augustini auctoritatem de illius sententia valdè temperatè, ac modestè loquatur. Ad fundandam autem hanc veritatem commodissimum est supponere, lucem factam primo die, quando dixit Deus, *fiat lux*, de corporali, seu sensibili luce huius mundi esse intelligendam: sicut è contrario tenebræ, quæ erant super faciem abyssi, erant etiam sensibiles per carentiam sensibilis lucis, vt sæpe in superioribus cum communi sententia diximus, & infra tractando in particulari de opere primi diei, vtrunque ostendemus, quia oppositorum eadem est ratio. Hoc ergo supposito fundamento argumentor in hunc modum: nam primus dies ortus est ex luce, quam Deus in eodem primo die creauit, & ex diuisione facta inter lucem illam, & tenebras, id est, inter diem, quem illa lux conficit, & noctem, quæ ex absentia illius sequitur: ergo dies primus fuit verus dies naturalis ex successione lucis, & tenebrarum consurgens: ergo eiusdem rationis fuerunt sequentes dies. Hæc posterior illatio ex paritate rationis, & ex eodem modo loquendi Scripturæ manifesta videtur. Prior etiam clarissima est, quia diem naturalem appellamus illum, quem sensibilis lux suo motu peragit, vt constat ex eodem capite primo Geneseos, vbi in quarto die dicitur fecisse Deus luminare maius, vt præesset diei, vbi euidenter significatur sẽsibilis dies, eademque ratio est de toto capite, & præsertim de primo die. Et ita facile probatur antecedens, quia supposito dicto fundamento, apertè continetur in verbis illis Genes. cap. primo: *Dixit Deus, fiat lux & facta est lux. Et vidit Deus lucem, quòd esset bona, & diuisit lucem à tenebris, appellauitq; lucẽ diẽ, & tenebras noctẽ, factũq; est vespere, & mane dies vnus.*

Communior sententia priorem partem amplectitur, & literalẽ esse statuit.

Fundamentum pro hac sententia suadenda.

Suadetur iam primo.

Secundò argumentari possumus, quia procedit Augustini sententia ex alio fundamento supra impugnato, quod omnia quæ narrantur facta sex diebus, simul in instanti creationis facta sunt. Ostendimus enim dispositionem, quam in primo instanti creationis corporalis mundus habuit, & in primis ferè verbis Geneseos describitur, non potuisse simul, & in eodem instanti esse cum dispositionibus, quas in alijs diebus accepit, vt capite præcedenti expendimus: ergo debuit necessariò inter illa opera, mora aliqua intercedere, & consequenter fuit necessaria successio: ergo cessat fundamentum, propter quod excogitatus est dies, in quo & simul sint dies, & vespera, & cum sit vnus, sexies repetatur propter rerum varietatem. Ablato autem fundamento cætera non consequuntur. Nam si successio realis necessaria est, eadem ratione esse potuit diurna successio, & consequenter etiam sex dierum naturalium mora, vt in capite sequenti contra Caietanum, Eugubinum & alios ostendemus. Vnde etiam argumentor ad hominem. Nam vel lux facta primo die simul est facta cum cœlo, & terra, vel post aliquam moram realis durationis, & successionis. Si primum dicatur, sequitur, Angelos in primo instanti creationis suæ fuisse beatos, quod doctrinæ Augustini in alijs locis repugnat, vt supra in hoc capite, & latius in superiori tractatu dictum est. Et probatur sequela, nam S. Aug. vult lucem factam primo die esse, vel naturam angelicam, vel lumen gloriæ illi collatũ,

34. *Suadetur 2.*

Confirmatur ad hominẽ ex variis locis eiusdẽ Augustini.

vel vtrunque ; nam esse naturam ipsam sentit in Imperfecto super Gen. cap. 5. esse autem lumen beatificum sentit 1. Gen. ad liter. cap. 2. vtrunque autem coniungit in cap. 9. & in 17. sentit, Angelorum creationem quoad substantiã intelligi posse nomine cœli, quoad formationem autem gloriæ significari per lumen. Quod etiam lib. 4. cap. 22. confirmat, & lib. 11. de Ciuit. cap. 19. & 20. sentit, diuisionem lucis à tenebris fuisse diuisionem inter sanctos, & malos angelos : & lib. 1. contra Aduersar. legis, & Prophetar. cap. 12. dicit per illam lucem intelligi posse Angelos, qui semper vident faciem Dei: si ergo hoc ita est, & illa lux facta est in principio simul cum cœlo, & terra, tunc iam fuerunt sancti Angeli beati. Si autem ad vitandum hoc inconueniens dicatur, sicut nos supra diximus, lucem illam non esse factã in primo instanti creationis, sed post aliquam moram licet fit facta primo die, à fortiori dicere poterimus terram nõ esse discoopertã aquis in principio, sed post tempus aliquod: ergo eadem ratione sine inconueniẽti dici poterit, factum esse id opus post temporales dies, ac subinde illos dies esse veros, & naturales, quia eadem est ratio de cæteris operibus, & admissa aliqua mora, & successione, nullum maius inconueniens ostendi potest in diurna mora, quã in alia, vt in capite sequenti latius expendemus.

35. *Suadetur. 3.* Tertiò argumentari possumus, quia multa sumuntur vel supponuntur in illo discursu Augustini, quæ vel non subsistunt, vel probari non possunt. Vnum est, quod omnes Angeli videant in Verbo creaturas omnes factas. Aliqui enim Theologi non putant videri in Verbo Dei, & per eius formalem visionem creaturas, vt creaturæ sunt: alij vero saltem dicunt, non esse necessarium vt videant omnes. Sed quamuis difficile sit credere, proprium, & verum sensum historiæ Geneseos pendere ab illa theologica opinione : nihilominus ex hac parte permitti posset Augustini sententia, quia illud fundamentum de cognitione propria creaturarum in Verbo, verum, & solidum est : & illo posito probabilius est, videre omnes beatos in Verbo, & præcipue Angelos sanctos totum hoc vniuersum, prout à principio conditum, & formatum est. Maiorem dubitationem facit, quod in alia parte illius diei spiritualis supponit sanctus Augustinus, nimirũ omnes Angelos habere semper actualem cognitionem in proprio genere rerum omnium, quas Deus in illis primis sex diebus condidit. Quòd enim id supponat, patet, quia docet, illud mane, & vespera fuisse simul, dicto lib. 4. de Genesi cap. 29. & sequentib. Vnde c. 32. dicit illud mane, & vespera *non secundum temporis moras sed secundum spiritualem potentiam mentis angelicæ, cuncta, quæ voluerint simul notitia facillima comprehendentẽ*, esse intelligenda. Quod verò ex parte vespertinæ cognitionis vel non ita sit in aliquibus, & in alijs sit incertum, probatur ex dictis supra lib. 2. de cognitione Angelorum, quia Angeli non cognoscunt simul omnia, quæ per species in proprio genere cognoscere possunt, quia non possunt cognoscere simul, nisi quæ per vnam speciem repræsentantur, & verisimilius est, multos esse Angelos, qui non possunt per vnam, & eandem speciem cœlum, & terram, spiritualia, & corporalia, & mista omnia contemplari: imo credibilius est, paucos esse Angelos, qui tam vniuersalem & eleuatum modum cognoscendi naturalem habeant: ergo ex hac parte non potuerunt Angeli in illo principio habere actualem cognitionem omnium operum sex dierum, & creationis mundi, quia nec per vnum actum, quia non per vnam speciem, nec per plures actus, quia hoc modo non possunt plura simul intueri. Aliunde vero etiam illi, si qui sunt, qui per vnam speciem id facere possint, libere vtuntur illa, & ideo nemo potest, nisi diuinando, affirmare, omnes habuisse illum actualem vsum statim, ac conditi sunt.

Dicere quidem aliquis posset, satis esse, quod 36. omnes Angeli semper sint in aliqua naturali cognitione, & consideratione creaturarum, vt inde intelligamus, in tota collatione sanctorum Angelorum fuisse simul vespertinã cognitionem omnium rerum creatarum, licet fortasse non in singulis fuerit actualis cognitio omnium, sed quosdam actu considerasse aliquas, alios alias. Neque enim verisimile est, in tanta intelligentium multitudine aliquod opus Dei non fuisse actu consideratum. Et hoc satis esse videtur ad illã dierum distinctionem. Vel etiam dici potest, licet Angeli, præsertim inferiores, non omnia simul, & vno actu considerent, tamen breuissima mora posse omnia percurrere, nunc hoc, nunc illud intuendo, & ita factum satis esse, vt sex illi dies comparatione facta ad nostrum tempus, simul esse dicantur. Vel tandem dici potest, ad doctrinam Augustini satis esse, quod vnus Angelus simul possit per vnã speciẽ omnes creaturas factas contemplari : nam fere certum est, in illo initio vnumquemque quantum potuit per naturales vires opera Dei considerasse. Et sic satis etiam erit, quod in supremo Angelo omnes illi dies, & vesperæ simul esse potuerint. Sed hæc omnia reuera solum diuinando, vel coniectando dicuntur, & ideo incredibile est, verum illorum dierum sensum ex tam incertis rebus pendere.

Quartò possumus obijcere, quia ille sensus non 37. solum valde metaphoricus est, quem in historia maxime vitandum esse diximus, sed etiam metaphora illa multa continet, quæ nec sufficientem rationem habent, nec satis explicari possunt. Primum est, quod cognitio matutina vnica, & indiuisibilis per comparationem ad res cognitas sexies multiplicari dicitur, cùm ex parte rerum cognitarum nulla ratio talis distinctionis, ordinis, aut numeri dari possit. Cum enim firmamentum factum secundo die dicatur esse cœlum, in quo sunt stellæ, & non possit videri cœlum in Verbo, non visis stellis, cur matutina cognitio harum rerum in duas, & interposita cognitione maris, & terræ ab aquis discoopertæ, fuisset in illa metaphorica narratione diuisa: Multaque similia de cæteris interrogari possunt, quorũ rationes reddere, difficillimum iudico. Eademque difficultas in cognitione vespertina considerari potest, maximè cum opera illorum dierum quoad cognitionẽ in proprio genere nullam habeant connexionem, nec dependentiam, nec ex se postulent vnam, vel plures cognitiones, sed iuxta virtutem cognoscentis, & media, seu species, per quas cognoscit, simul, & sine vllo ordine temporis, vel naturæ cognosci possunt.

Præterea appellationes *mane, & vespera*, respectu 38. cognitionum metaphoricæ sunt, & voluntariæ, quia ante sanctum Augustinum non fuerunt fundatæ in aliquo vsu. Magisque metaphorica est cõiunctio ex illis duabus ad componendum vnum diem, ex eo solum quod circa eandem rem magis, vel minus perfectè versantur. Nam vespere, & mane proprie non componunt vnum diem, nisi quia sunt partes vnius motus, & quendam certum ordinem inter se habent. Illæ autem duæ cognitiones clarior, & minus clara eiusdem rei, licet sint simul, nullum tamen inter se habent ordinem, aut connexionem, sed solum concomitanter se habent : cur ergo dicentur vnum diem componere. Nam quod vna sit excellentior alia, non satis est, nisi inter se vniantur, vel ordinentur : & ideo Augustinus aliquem alium ordinem obseruauit, vt supra notaui, adeo tamen nobis obscurum, vt

augeat

augeat potiùs difficultatem. Nam in primis differentia, quam constituit inter primũ, & alios dies, vix intelligitur, quia in primo instanti creationis suæ non solùm vnusquisque Angelus seipsum, sed etiam omnes alios, nec solùm alios spiritus, sed etiam cælos, & alia corporalia actu contemplari potuerunt, vnusquisque secundùm suam virtutem, & species, quas in eodem instanti, & prius etiam natura, quam in actum aliquẽ cognoscendi prodirent, acceperunt: ergo in illo instanti habuerũt cognitionem vespertinam nõ tantùm sui, sed etiam aliorum Angelorum, & corporum. Et simili modo sancti Angeli in secundo instanti non tantùm cognitionem sui, sed etiam omnem aliam cognitionem creaturarum, quam habebant, in laudem creatoris retulerunt: ergo priùs etiam tẽpore, ac natura habuerunt vespertinam cognitionem omnium rerũ, quas postea viderunt in Verbo: ergo nõ magis in primo die antecesit vespertina cognitio, quàm in cæteris diebus. Neq; etiam ponderatio illa quòd de luce tantùm bis dicitur *fiat*, & *facta est*, de alijs verò additur tertium, scilicet, *& fecit Deus*, rem conuincit. Tum quia si ad rem spectemus, etiamsi per lucem intelligamus Angelos, illi non tantùm habent esse in Verbo, sed etiam facti sunt in mentibus angelicis sicut res aliæ: nam res aliæ non dicuntur fieri à Deo in mentibus angelicis, nisi per impressionem specierum intelligibilium, quibus repræsentantur: Angelus verò licèt fortasse respectu sui non indigeat specie, ad cæteros cognoscendos speciebus indiget: ergo etiam Angeli dicendi sunt fieri in mentibus aliorum: ergo in hoc parua, vel nulla est differentia inter opus primi diei, & reliquorum. Accedit, quòd res non dicuntur propriè fieri in Verbo Dei, licèt in illo sint eminenter, & obiectiuè tanquam in arte, vel idea, & ideo cùm dicitur, *fiat lux*, vel *firmamentum*, non est sensus, quòd fiat in Verbo Dei, sed quòd fiat in se, & hoc ipsum ostenditur, cùm dicitur, *& facta est lux*, declaratur enim efficacia imperij diuini, quòd imperium non est aliud, quam voluntas Dei, quæ per Verbum imperandi significatur. Quòd verò in opere secundi diei addatur, *& fecit Deus*, non intelligitur, id est, fecit in mentibus angelicis: nam hæc est planè metaphorica, & voluntaria interpretatio sine fundamento in litera. Vnde, vt opinor, non habet peculiare mysterium, sed additum est ad explicandũ melius munus firmamenti, quod fuit diuidere aquas ab aquis: vnde in tertio die non est additũ simile verbum, quia secundùm contextum non erat necessarium. In quarto autem die repetitum est, quia ad maiorẽ operis explicationem erat cõmodum. In quinto verò die omissum est verbum, *& factum est ita*, solumq; dicitur, *dixit Deus, producant aquæ*, &c. Et inf. *Creauit q; Deus cete grandia*, &c. In sexto v. die paululũ immutantur verba, & de homine solũ dicitur, dixisse Deum, *faciamus hominẽ*, quo significatur internũ consilium, & postea declaratur executio: *Creauit Deus hominem*. Tota ergo illa differentia inter opus primi diei, & cæterorum non subsistit.

Addo præterea, illum ordinem inter primum vespere, & mane non multũ referre, vt ex vespertina cognitione sui in se, & matutina cognitione sui in Verbo vnus dies componatur media relatione prioris cognitionis in laudem Dei. Nam hic ordo ad summum intelligitur esse per modũ dispositionis ad formam perfectiorem, vel per modum meriti ad præmium, ex quibus non solet componi aliquid vnum, quod cum metaphora vnius diei aliquam proportionem habeat. In alijs verò diebus ordo, quo dicitur matutina cognitio præcedere, non satis apparet, qualis sit, nec in qua causalitate fundetur: nam cognitio vespertina etiam quoad opera aliorum dierum naturalis est, & quantum est ex se prior est cognitione supernaturali, præsertim matutina, vt explicaui. E contrario verò in nullo genere causæ præter finalem dici potest esse effectus cognitionis matutinæ, quia non consequitur ad illam, sed ad principia naturæ, nec matutinam disponit, ad vespertinam, sed potiùs è conuerso. Posset autem excogitari cognitio vespertina per species infusas, & supernaturales, per quas altiori modo cognoscuntur res in proprio genere in se, & non in Deo clarè viso. Quæ cognitio dici poterit consequens statum beatificum tanquam proprietas gratiæ consummatæ, sicut de scientia animæ Christi, & hominum beatorum dici solet. Sed absque dubio non loquitur Augustinus de tali cognitione vespertina, sed de naturali: nec talis cognitio cum fundamento tribuitur Angelis respectu creaturarum ordinum naturalium, quia per naturalem scientiam sufficienter cognoscunt res istas in proprio genere. Et licèt daretur vt consequens visionem beatam, ille ordo nihil pertineret ad compositionem vnius diei. Item aliàs vnus dies posset componi ex vno mane, & duplici vespera, vna naturali, & alia supernaturali, habentibus aliquem ordinem, licèt diuersæ rationis ad eandem cognitionem matutinam.

Ponderari etiam potest, quòd iuxta discursum Augustini vix intelligitur, quando consummentur singuli dies. Nam de primo ait, incipere à vespertina cognitione, quæ interueniente relatione in laudem creatoris ascendit in mane vsque ad matutinam cognitionem. Quòd si hoc ita est, vel secundus etiam dies incipiet à vespera, & terminabitur per mane, & sic vsque ad sextum, ac subinde etiam septimus dies à vespera incipiet, quod Augustinus semper negat in dicto quarto libro Geneseos, & sæpe alibi. Vel dicendum erit, in eodem mane, in quo primus dies consummatur, intrinsecè, incipere secundum diem per matutinam cognitionem firmamenti, seu operis secundi diei, & consequenter secundum diem finiri in cognitione vespertina eiusdem operis, vel vt iam relata in laudem creatoris, vel secundum se spectata: ac subinde, quòd per relationem operis secundæ diei, id est, firmamenti cogniti per vespertinam cognitionem eiusdem diei tertius dies iam incipiat, & ad meridiem perueniat per matutinam cognitionem operis eiusdem diei, & in ea consummetur. Vtrunque enim horum videtur habere inconueniens, videlicet, quòd simul compleatur primus dies per matutinam cognitionem lucis, & incipiat secundus dies per matutinam etiam cognitionem firmamenti: nam siue illæ duæ cognitiones matutinæ intelligãtur omnino simul sine vllo ordine, siue cum aliqua prioritate, & ordine, non rectè cohærent, vel coordinantur. Item quia aliàs dies secundus sine relatione sui operis in laudem Dei pertransibit, si talis laus ad initium tertij diei iam pertinet, vel si ad vitandum hoc inconueniens dicatur, in illo terminari intrinsecè secundum diem, iam ille secundus dies incipiet intrinsecè in mane, quo prima dies consummatur, & finietur intrinsecè in altero mane, quo inchoatur tertius dies, quod etiam prosequendo metaphoram, monstrosum videtur. 40. *Quarta obiectio.*

Vltimo obijcere possumus, quod iuxta illam quasi parabolam, vel metaphoricam interpretationem nulla conueniens ratio numeri, & ordinis sex dierum dari potest, nec septima dies potest commodè explicari. Probatur primum, quia Augustinus nullam aliam reddit rationem, nisi perfectionem senarij numeri, vel quia sex sunt gradus seu ordines rerum cognitarum. At neutra ratio satisfacit. Non prima, quia alij sunt numeri vel æque, vel magis perfecti, vt denarius, &c. præterquam 41. *5. Obiectio trimembris.* *1. Membrũ.*

terquam quod non sufficit numerum esse perfectum, vt rebus numeratis tribuatur, nisi in rebus ipsis verum aliquod supponatur fundamentum, quod hic non inuenitur, vt patebit alteram rationem refutando. Quod ex parte iam fecimus: nam si firmamentum factum secundo die fuit verum cœlum octauum, aut nonum, certe alij cœli planetarum, & astra ipsa, sol, luna, & stellæ non sunt res alterius generis, vel ordinis inter se: ergo in talibus rebus non erat fundamentum numerandi tales dies. E contrario vero volatilia, & aquatilia non minus distinguuntur inter se, quam à brutis terrestribus, & homo plus distat ab illis omnibus, quam omnia illa inter se, cum sit secundum differentiam vltimam excellentioris ordinis: cur ergo cognitio matutina volatilium, & aquatilium simul vno die censetur, & cognitio matutina brutorum terrestrium intelligitur posterior, & in distincta die? vel cur cognitio matutina hominis nō multo magis per se constituit nouum diē distinctum à cognitione brutorum, quam horum cognitio à volatilium cognitione matutina separetur? Atque hinc probatum relinquitur secundum punctum de ordine. Nam si matutina, & vespertina cognitio Angelorum dicitur constituere primum diem, quia Angeli sunt excellētissimæ creaturæ cognitæ in Verbo; cur cognitio matutina & vespertina hominis non constituit secundum, cum homo inter res creatas secundum gradum perfectionis habeat? Quod si dicatur, præmitti debuisse, alia opera, per quæ homini locus præparatus est: hoc certe in operibus secundi, & tertij diei satis obseruatum fuerat: illa autem non cogebant ad distinguendum quartum diē à secundo, nec ad præponenda bruta animalia homini in cognitione matutina, seu in hoc spiritualium dierum ordine.

2. Membrū.

Denique tertium membrum de septimo die ita declaro, quia si isti dies distinguūtur per repetitionem eiusdem cognitionis matutinæ in ordine ad varia opera Dei, ad numerandum septimum diē, necessarium est assignare opus septimum, distinctumque ab operibus sex dierum, in cuius cognitione matutina septima dies posita sit, & cùm secundum Augustinum ille dies non habeat vesperam, oportebit, vt illud opus per vespertinam cognitionem non cognoscatur. At nihil horum dici potest probabiliter: ergo iuxta illos analogicos dies non potest septimus numerari. Dicetur fortasse, diem septimum non in cognitione operis, sed potiùs in cognitione carentiæ operis positum esse. Sed contra hoc est, quia illa vel magis est carentia cognitionis, quam noua positiua cognitio, quia cognoscendo hæc opera, & non plura, cognoscitur illa carentia noui operis, vel certe si aliqua cognitio positiua addenda est, hæc ita cogitanda est, vt Angeli videntes Deum, per ipsammet visionem sciant, se videre omnia opera, quæ Deus per se facere statuit: nam per hoc vident non fecisse Deum plura, quàm ipsi videant: hæc autem cognitio non pertinet ad nouum diem, nec intelligitur illis addita in die septimo, sed videtur intrinsece inclusa in perfectione illius cognitionis matutinæ, qua omnia Dei opera in ipso videntur. Ergo iuxta illam metaphoram non videtur relinqui modus conueniens ad diem septimum explicandum. Propter hæc ergo sententia illa Augustini, & propter nimiam obscuritatem, & subtilitatem eius difficilis creditu est: quia verisimile non est Deum inspirasse Moysi, vt historiam de creatione mundi ad fidem totius populi adeò necessariam per nomina dierum explicaret, quorum significatio vix inueniri, & difficillime ab aliquo credi posset. Fundamenta verò Augustini partim capite præcedenti soluta sunt, partim pendent ex declaratione operum singulorum dierum, vt ibidem dixi.

42. 3. Membrū.

Concluditur iudicium de sententia Augustini.

Ad fundam. Augustini in n. 41. in de satis faciendum.

CAPVT XII.

Vtrum dies naturales creationis mundi re ipsa sex fuerint, sicut numerantur in Genesi.

ALiqui catholici scriptores licet fateātur, Moysem in cap. 1. Gen. loquutum esse de die naturali, nihilominus negant opera ibi narrata esse facta sex diebus naturalibus, sicut verba Genesis sonare videntur. Sed dicunt, omnia esse facta intra vnum diem, recenseri autem ac si essent sex diebus facta, non quia ita facta sint, sed quia si per moram sex dierum fierent, ita essent distribuēda. Hæc autem opinio duobus modis excogitata est. Prior conuenit cum Augustino in hoc: quòd omnia ponit simul in primo instanti creationis facta, solumque differt in explicatione dierum, quia non explicat de diebus spiritualibus, sed de diebus naturalibus, & sensibilibus. Dicit tamen, non fuisse sex, sed vnum sexies repetitum per comparationem ad res conditas. Et hanc opinionem defendit Caietanus Gen. 1. in explicatione primi diei in fine, & in initio capitis 2. Fundatur præcipue in illis verbis cap. 2. *Istæ sunt generationes cœli, & terræ quando creatæ sunt in die, quo fecit Dominus cœlum, & terram, & omne virgultum agri*, &c. vbi primum ponderat verbum illud, *in die quo*, nam inde colligit fecisse Deum cœlum & terram, in vno die, quæ fuit etiam ponderatio Augustini lib. 5. Gen. à principio, & alijs multis locis: secundò ponderat Caietenus illa verba, *& omne virgultum agri*, per quæ declarari putat, loqui Moysem de cœlo, & terra non nudis, & informibus, sed cum toto ornatu, quem per sex dies acceperunt, ac denique prout includunt non tantùm simplicia corpora, sed etiam mista, nam virgulta agri mista sunt. Vnde vlteriùs infert, declarasse Moysem per illa verba opus antea narratum in tertio die, in vno & eodem die cum cœlo, & terra factum esse, & per hoc etiam significasse, idem esse intelligendum de omnibus aliorum dierum operibus. Ac denique concludit, etiam omnia opera, quæ in primo die dicuntur facta, nō successiue per discursum eius fuisse facta, sed simul in principio illius diei. *Quia idem est* (inquit) *iudicium quoad simultatem temporis cum creatione cœlorum & terræ productis tertio die, & aliis diebus*, & similiter eadem erit ratio de productis in vno die quoad simultatem temporis in productione sua.

1. Obiectio pro hac opinione.

1. Fundamentum Caietani Gen. 1.

2. Pia Cai. ma Molinam.

At verò Cano, (vt Molina refert) in alijs conueniens cum Caietano, in hoc vltimo differt. Fatetur enim, diem de quo Moyses loquitur, esse naturalem, & in re fuisse vnum tantùm sexies repetitum. Nihilominus tamen dicit, in illo die non fuisse omnia simul facta, sed cum aliqua successione in partibus illius diei. Quam successionem solum in productione mistorum putat esse necessariam, quia expresse narrantur facta ex materia præiacente, vt cap. 10. expendimus: de cœlis verò, & elementis prout nunc sunt, putat simul esse facta in illo met die, in eius principio. Interrogatus autem, quo vero sensu potuerit Moyses dicere, sex diebus esse facta, quæ vno tantùm die facta sunt. Respondet subintelligendo conditionem, & vtendo verbis absolutis in sensu conditionato, quia si opera illa per distinctos dies essent facienda, sex diebus, & illo ordine fierent. Qui modus loquendi (ait) non est inusitatus, ita enim multi exponunt illud Psalm. 101. *Ipsi peribunt, tu autem permanebis*, id est, licet ipsi pereant, eu perire non potentes, & illud Matth. 42. *Cœlum, & terra transibunt, verba aut*-

Suarez de Angelis tr. 6. de Opere sex dierum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ba autem mea non transibunt, id est, etsi illa deficiant, verba mea deficere non possunt. Et Aristot. in simili sensu dixit 2.de cœlo, cap. 2. motum cæli initium habere ab oriente, cum ipse putauerit, non incepisse, quia si incepisset, inde inciperet. Cur autem voluerit Moyses vti illo modo loquendi, rationes variæ redduntur, prima à posteriori, vt captui nostro, & rudis populi se accommodaret, vt possent facilius magnitudinem, varietatem, & ordinem tot rerum rudiores concipere. Secunda ex Caietano, vt ostenderet naturalem ordinem, & consecutionem talium rerum, ratione cuius optimè potuit Moyses illa repetitione eiusdem diei vti per comparationem ad sex gradus rerum, qui in illis diebus commemorantur. Tertiò id fecisse creditur ex inspiratione diuina, vt per illum modum perueniretur ad diem septimum, & requiem illius commemorandam, vt eo modo disponeret, & induceret homines ad sabbatum, seu septimum quemque diem hebdomadæ, ad Dei cultum, & in memoriam beneficij creationis consecrandum.

Nihilominus dicendum est, sicut Moyses de die naturali, & sensibili loquutus est, ita etiam de vero numero sex dierum in re existentium, & sibi succedentium fuisse loquutum, & in singulis illorum dierum aliquod opus esse factum, prout ab eodem Moyse in aliquo vero sensu narratum est. Hæc assertio primum absolutè, deinde in particulari contra dictas opiniones probanda est. Primũ, & præcipuum eius fundamentum est plana, & syncera litera Scripturæ. Quia si quæ ratio cogit ad dicendum, Moysem esse loquutum de die naturali, & omnibus intelligibili, eadem cogit ad dicendum, loquutum esse de vero, & reali numero sex dierum distinctorum, & numerabilium tali numero, qui ab omnibus intelligi possit. Ratio enim retinendi veram significationem dici naturalis est illa communis, quod verba Scripturæ nõ sunt ad metaphoras transferenda, nisi vel necessitas cogat, vel ex ipsa Scriptura constet, & maximè in historica narratione, & ad instructionem fidei pertinente: sed hæc ratio non minus cogit ad intelligendum propriè dierum numerum, quam diei qualitatem, quia non minus vno modo, quã alio destruitur sinceritas, imò & veritas historiæ. Secundo hoc valde confirmant alia Scripturæ loca, in quibus hi sex dies tanquam veri, & inter se distincti commemorantur, vt Exod. 20. dicitur: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est.* Et infra: *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt*, & idem repetitur in cap. 31. In quibus locis sermonis proprietas colligi potest tum ex æquiparatione, nam cum dicitur: *Sex diebus operaberis*, proprijssimè intelligitur: tum quia non est verisimile, potuisse populum intelligere verba illa in alio sensu, & è contrario incredibile est, Deum in suis præceptis tradendis illis verbis ad populum fuisse loquutum, quibus deciperetur, falsum sensum concipiendo, si Deus non per sex veros dies opera sua fecisset.

Tertiò accedit communis intelligentia Patrũ. Omnes enim, qui de vero die primum interpretantur, secundum intelligunt non de eodem, sed de simili die proximè succedente, & sic de cæteris, atque adeo intelligunt, illum dierum numerum verum, & realem fuisse. Ita docent in principio Hexaëmeron & Genesis, Basil. Ambros. Chrysost. Beda, Strabo, & alij, Nazian. orat. 43. in principio, & 44. in princip. Athanas. orat. seu serm. 3. contra Arrian. ante medium. *Tota rerum natura intra sex dies condita est, & primo quidem lux, quod spatium diem appellauit.* & sic suo ordine reliquos numerat. Idem sentit Greg. 32. Moral. c. 9. alias 10. Damas. l. 2. c. 5. & 7. & alios cum Scholasticis congerit Martinengus.

Quartò addo Patres asserentes, & ex Scriptura colligentes, mundum in die Dominico fuisse creatum: ita enim Ecclesia in hymno matutino diei Dominici canit: 5. *Quarto.*

Primo dierum omnium,
Quo mundus extat conditus,
Vel quo resurgens conditor
Nos, morte victa, liberat.

Et docet Leo Papa ep. 79. cum alijs, quos retuli tom. 1. de Relig. l. 2. de Festis cap. 4. num. 15. & addi potest Concilium Trident. sess. 2. dicens, Deum in Dominico die lucem condidisse, resurrexisse, & Spiritum sanctum ad Apostolos misisse. At verò si numerus sex dierum verus non est, nullo fundamento dici potest, creasse Deum mundum in Dominico die. Et eadem ratione non posset dici requieuisse ab operibus suis in die sabbati, sicut sentit Scriptura, quoties hac ratione diem septimam vocat sabbatum Domini, vt Exod. 16. 20. 35. Deut. 5. & sentiunt dicti Patres: nam inde colligunt, Deum in die Dominica incepisse opera sua, quia in die sabbati ab illis cessauit. At vero si Deus intra vnum diem omnia opera sua perfecit, vel in eodem die ab omni opere quieuit, si in primo instãti intrinseco imitatiuo illius diei omnia simul perfecit, vel saltem si in illo vno die omnia successiuè consummauit, in sequenti die quieuit. Quo ergo fundamento, vel qua consecutione dici potest, die Dominico creasse mundum, & die sabbato quieuisse.

Respondebunt fortasse, non dici, Deum quieuisse in die sabbati, quia secundum realem durationem, & conuersionem primi mobilis ille fuerit septimus dies post primum, qui Dominicus appellatus est: sed solum secundum metaphoricam numerationem, & accommodationem septimum appellatum esse, & consequenter inde in populo Dei talem diem sabbatum esse appellatum: non quia in simili die septimo verè Deus quieuerit, sed quia requies Dei per numerationem septimi diei declarata est. At enim, quis non videat, interpretationem hanc veritati, & syncerítati Scripturæ multum derogare, cum in reipsa requies Dei non contigerit in septimo die, & consequenter nec septimus dies fuerit dies requietionis Dei, ac proinde nec sabbatum verè nominari, nec inde colligi possit, Deum in die Dominico mundum creasse. 6. *Euasio remouetur.*

Quintò argumentor ratione, quia si Moyses loquitur de die naturali solari, vel illi æquiualenti, & dicit factum esse mundum, prout nunc est, sex diebus, & in re non fuit, nisi in vno tantum factus, falsum dicit in proprietate sermonis, & nulla ratio sufficiens redditur talis metaphoræ: imo (quod grauius est) per nullam metaphoricam locutionem, quæ ratione subsistat, potest illius locutionis veritas saluari. Prima pars per se nota est, nam est ipsa assertio contrariæ sententiæ, ideo enim recurrit ab metaphoricas expositiones, quia non censet, veram esse historiam in proprietate sermonis. Secunda pars probatur, quia omnes rationes metaphoræ, quæ adducuntur, inanes sunt, & insufficientes, vt per talem metaphoram saluetur, vel supponatur veritas illius narrationis, vt in tertia parte rationis sumpsi. Quam probo, quia in primis, quod ait Procopius, Moysem vsum fuisse illo numerationis modo ad rudis populi instructionem, non sufficit ad veritatem sermonis explicandam, si verba non sunt factis conformia. Vnde vt illa ratio locum habeat: supponere debet, ita facta esse omnia sex diebus, sicut narrantur: alioqui narratio eiusmodi potius simplices, & fere omnes audientes deciperet, quam instrueret. Accedit quod si omnia facta essent simul in vno momento, vt 7. *Probatur 8.*

distincte

distinctè conciperentur, possent sigillatim explicari res factæ sine numeratione dierum primi, secundi, & tertij: nam hæc numeratio non lucem, sed potiùs summam obscuritatem, & difficultatem afferret, in concipiendo res simul factas per dierum successionem. Et simili modo si res omnes sunt factæ intra vnum diem cum successione, tota varietas, & multitudo rerum factarum posset cum successione intra eundem diem sine fictione sex dierum cum eadem, vel maiori perspicuitate explicari.

8. *Conuincitur expositio Caietani de sex gradibus rerum in n. 1*

Deinde quòd Caietanus addit, potuisse illam numerationem dierum fieri ad denotandum sex gradus rerum factarum, etiam est gratis excogitatum, & in rigore est falsum, quia opera, quæ sex diebus facta narrantur, non continent sex gradus rerum, qui sigillatim singulis diebus facti sint, maxime secundùm ipsum Caietanum. Nam ipse supponit gradus spiritualium rerum, cælorum, & elementorum in primo instanti creationis esse factos, & consequenter etiam lucem, ac proinde postea in illo die nihil esse additum, nisi motum localem primi mobilis, qui non potest dici nouus gradus rerum, sed accidens quoddam corporis cœlestis: ergo in illo die, si tempus illius inspiciamus, nullus rerum gradus factus est: in primo autem instanti extrinseco, non tãtùm vnus, sed plures gradus rerum facti narrantur. Ac subinde in secundo die, si per firmamentum æthereum cœlum intelligimus, & illo die productio eius quoad substantiam refertur, non fit repetitio, vel numeratio propter aliquem nouum gradum rerum, qui sub cœlo non esset comprehensus. Et idẽ de quarto die obijciemus. Præterquam quod res ipsas secundùm se spectando, ex parte illarum nulla est ratio talis ordinis, vt quòd inter firmamentum, & solem, ac stellas, maris congregatio, terræ manifestatio, & plantarum productio interponantur. Item quòd gradus aquatilium, & volatilium non distinguantur tanquam duo gradus distinctis diebus narrandi, & gradus brutorum distincto die numeretur, cùm non magis à volatilibus, quàm hæc ab aquatilibus distinguantur. Et quod grauius est, vnus dies ascribitur brutis, & homini, cùm multo magis in gradu distinguantur, vt suprà etiam argumentabar. Ex ordine igitur, ac distinctione rerum factarum nulla ratio distinctionis dierum, aut veritatis narrationis eorum reddi potest, si reuera in se distincti non fuerunt.

9. *Euertitur Coni defensio per sensũ conditionatum in n. 2.*

Atque hinc euidenter euertitur veritatis defẽsio per sensum conditionatũ à Cano excogitatũ. Nam licet ille sensus aliquando locum habeat, quando vel materia ipsa, vel circunstantiæ locutionis illum admittunt, vt in exemplis, quæ Cano inducit, probabile est: at in præsenti nullo modo potest accommodari. Nam illa conditionalis, si mundus cum successione dierum fieret, intra sex dies & tali ordine fieret, falsa est, quia disparata, & non necessaria, potuisset enim fieri vel pluribus, vel paucioribus diebus, vel alio ordine pro arbitrio facientis, cùm res ipse non magis hunc ordinem, vel numerum dierum, quàm alium ex se postulent, vt ostensum est, & per se notum videtur: in quo ergo fundari potest veritas huius conditionalis. Maxime cum conditionalis veritas aut connexionem aliquo modo necessariam inter antecedens, & consequens requirat, aut saltem certum euentum sub conditione futurum, quem oportet esse præuisum, vt vera sit locutio, quod in præsenti excogitare, aut fingere valde friuolum est. Vnde licet in prædictione prophetica aliquando habeat locum conditionalis assertio, historicæ narrationi nullo modo potest accõmodari, quia conditio ipsa suspendit factum, & consequenter repugnat historiæ: ideòque nunquam in Scriptura inuenietur absoluta assertio pro conditionata in historica narratione. Dicetur forte, quod & Cano indicasse fertur, narrationem illam nõ personam conditionem, sed quasi per comparationem ad alium operantem esse intelligendam, vt sensus sit, quòd si alius à Deo illud opus fecisset, septem diebus ad illud perficiendum indiguisset. Sed hoc non solùm voluntarium, sed etiam vanum est, quia sicut Deus nullo tempore indigebat, ita quilibet alius à Deo in quocunque dierum numero illud opus perficere non potuisset, & licèt fingatur in aliquo potuisse, frustra fingitur sex diebus potius, quàm sex millibus ad id perficiendum indiguisse. Ac denique etiam illo modo non saluatur veritas locutionis: quia etiam in vulgari sermone licèt interdum dicamus, aliquem vno die fecisse, quod alter sex septem diebus faceret, nunquã tamen verè dicemus, illum priorem septem diebus tale opus fecisse, sine vera in vno die illud consummauit: Scriptura autem non tantùm dicit, Deum operatum esse, quod pro septem diebus sufficeret, sed simpliciter narrat, sex diebus operatum esse, & postea quieuisse, vt allegatum est. Tandem hinc facilè reijcitur altera ratio sumpta ex sanctificatione diei sabbati. Quæ quidem est optima, & in Scriptura fundata suppositæ historiæ veritate: nã reuera Deus per sex dies voluit mundum condere, & septimo vacare, vt homines instrueret tãmoraliter, quàm religiosè ad vacandum Deo, eique septimum, & vltimum vniuscuiusque hebdomadæ diem Deo consecrandum. At vero ablato historiæ fundamento, valde friuola est causa illa ad reddendam metaphoræ rationem, tum quia vis rationis consistit in exemplo diuino, non in figura sermonis: exemplum autem nullum est, si res non est ita facta, sicut narratur, tum etiam quia illa ratio solùm declarat finem quendam extrinsecum, propter quem ille idem dies sexies repetitus, senarius dierum simpliciter appellatus est, locutio autem non sumit veritatem à fine extrinseco, sed ex conformitate ad rem dictam, quæ per illam rationem non explicatur, nam locutio falsa non fit vera ex eo solùm, quod ad bonum finem referatur.

10. *Probatur secunda pars sententiæ Specialitas contra Caietanum.*

Sextò cõtra Caietanum specialiter induci possunt omnia, quibus cap. 10. specialiter probauimus, mista non fuisse facta simul, & in eodem momento cum terra, & aqua, quia ex terra, & aqua facta sunt, vt Scriptura narrat, quoniam repugnat fieri ex aqua, & simul cum aqua, quia productio ex aqua supponit aquam, idemque est de productione ex terra, & de productione hominis ex limo terræ, vt ibi late diximus. Et ideo Concilium Lateran. expresse dixit, humanam creaturam post alias fuisse compositam. Vnde rectè dixit Theodor. lib. 5. diuin. decr. cap. de Materia, *Moysem aperte docuisse, quænam ex iis, quæ nouerant, & quænam ex iis, quæ erant, fabricatus est opifex*, quod optimè prosequitur, & concludit, *hominem fecisse partim ex his, quæ erant, quantum ad corpus, partim ex his, quæ non erant, quantum ad animam*. Isti autem varij modi fabricandi necessariò inter se requirunt successionem. Quæ non minus efficaciter probatur ex eo quòd terra aliquando fuit vacua, & inanis, id est, carens fructibus, & animalibus, & cooperta aquis, cùm postea apparuerit. Neque enim rectè hæc exponuntur conditionaliter, aut quasi aptitudine, & quantum est ex se, quia hoc modo etiam nunc posset dici terra inanis & vacua, & cooperta aquis, vtique quantum est ex se, & conditione naturali, vel nisi Deus aliter illam ornasset, vel disposuisset: at illa locutio nunc absolutè dicta falsa esset: ergo etiam in primo die, vel instanti, si iam erat in illo discooperta & floribus vestita. Et optima ratio est sepe tacta, quia Moyses non explicabat terræ naturam, vt diceret, quid de se haberet, sed narrabat historiam

riam & ſtatum, in quo primum à Deo fuit condita, & in quo poſtea conſtituta eſt. Vnde obiter ſatisfit vulgari interrogationi, cur Deus ſucceſsiuè fecerit, quæ potuit in momento ſimul producere, cuius rei varias rationes in cap.10.in fine ex Patribus reddidimus. Quibus ſuppoſitis, nunc addimus,duo notari poſſe, quæ ſucceſsionem neceſſariò poſtulabant: vnum eſt tempus, & motus, id eſt,dies ipſi,ſeu motus locales cœlorum, qui in illis ſex primis diebus facti ſunt, & intrinſecè ſucceſsionem includunt: aliud eſt productio ex corpore facto ex nihilo: nam illa duo non potuerunt eſſe ſine ſucceſsione diſcreta (vt ſic dicam) Vnde ſuppoſito, quòd Deus propter rationes ſupra tactas voluit quædam facere ex nihilo, alia ex rebus iam factis ex nihilo, neceſſariò debuit cum aliqua ſucceſsione operari.

Tandem ſuppoſita ſucceſsione in horum operum productione, facilè confutatur Cani ſententia ad vnum diem coarctantis totam ſeriem rerũ, & productionum in illis diebus factarum. Nam omnes difficultates, quæ in hac ſucceſsione explicanda occurrunt, non oriuntur ex paruitate, vel magnitudine temporis inter vnius,vel alterius operis executionem interpoſiti: ſed in ordine tantùm prioris,& poſterioris,quomodo ſcilicet, potuerit priùs eſſe cœlum ſine luce, & poſtea fuerit illi addita lux, & poſtea firmamentum, quòd etiam eſt cœlum,& quomodo fuerit lux ante ſolem, vel cœlum ſine ſtellis, & ſimilia, quæ non magis difficilia ſunt,ſiue per diem, ſiue per horam prius, vel poſterius facta dicantur.Ergo ſi Canus admittit hanc ſucceſsionem, & omnes difficultates deuorat, fruſtrà intra vnum diem omnia concludit, nouas, & inſuperabiles difficultates addendo, & planas Scripturæ, & hiſtoricas locutiones ad tropos, & inſinuatos ſenſus verborũ detorquendo. Dicetur fortaſſe, non videri veriſimilè, tantam temporis morã inter ſingula opera interpoſitam fuiſſe, alioqui oporteret in ſingulis diebus facto vno opere,in reliquo diei tempore ab omni opere ceſſaſſe,& quaſi otioſum fuiſſe Deum. Sed hæc cõiectura valde humana,& debilis eſt,tum quia eſto demus, voluiſſe Deum integrum diem vni operi dicare, etiamſi illud in puncto, aut breuiſsimo tempore perfecturus eſſet, & reliquo tempore illius diei à nouo opere vacare,quid abſurdi,vel incommodi inde ſequeretur, nunquid non eſt Deus ſuorum operum Dominus, vt ea potuerit, quo vellet modo facere? Certè vel propter hoc ipſum ſolum, nimirum vt ſe liberũ in operando oſtenderet,id facere potuiſſet,& omnes rationes, propter quas ſupra diximus feciſſe Deum multa ſucceſsiuè, quæ ſimul facere potuiſſet, ad hoc etiam applicari poſſunt, vt propter eaſdẽ potuerit multis diebus facere opera, quæ vno die perficere potuiſſet,& in vno die, vna hora operari, & in alijs ab opere vacare.Deinde verò addimus, talia fuiſſe opera ſingulorum dierum, vt in ſingulis potuerit Deus totos dies integros operari,vt in ſingulorum operum explicatione monſtrabimus.

Circa fundamentum contrariæ ſententiæ ſolum ſuperſunt explicanda verba illa c. 2. Gen. *Iſtæ ſunt generationes cæli, & terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus cælum & terram, & omne virgultum agri*, quæ duas habent expoſitiones, vna eſt,vt intelligantur de primo die tantùm,vt intellexerunt Caietan.& Cano,licet diuerſo modo. Nam Caietanus intelligit illud ſolum ratione primi inſtantis illius diei, in quo creauit Deus cœlum, & terram; Cano verò de toto tempore illius diei illum exponit: & vterque intellexit, per illa vltima verba, *Et omne virgultum agri*, indicata eſſe omnia miſta,& omnia opera ſex dierum, & alter inde concluſit, omnia eſſe ſimul facta in primo inſtanti illius diei: alter verò omnia eſſe facta in illo die non ſimul, ſed ſucceſsiuè. At verò Diuus Thomas 1.part.qu.74.articulo ſecundo,ad 1. & quæſt. 4. de Potent.articulo ſecundo, ad primũ,poſteriorum argumentorum, admittendo expoſitionem de primo die, neutrum illorum conſequentium admittit, & ad illa vltima verba, *Et omne virgultum agri*, reſpondet virgulta non eſſe facta in illo die in ſe,& in actu,ſed in potentia terræ,cœli & aliorum elementorum,quomodo omnia facta ſunt in primo inſtanti creationis. Et hoc putat eſſe à Moyſe explicatum,cùm addidit, *Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra,omnemque herbam regionis priuſquam germinaret*: non enim poterat germen, aut herba actu, & in ſe fieri, antequam eſſet: vt ergo denotetur, in illa die ſolùm in potentia eſſe factũ germen,additur,*antequam oriretur*. Quæ fuit expoſitio Auguſtini lib.5.Gen.ad liter.cap. 4. & lib. 6.à principio, & Gregorij dicto libro 32. Moral. cap.10.

D. Thomas dictam expoſitionem admittit, nõ tamen quod ex ea intulerunt Caietanus & Canus.

13. *Iudicium de illa expoſitione.*

Hæc expoſitio ſano modo intellecta veram cõtinet doctrinam, quia omnia miſta ſunt in elementis in potentia ſaltem vt in cauſa materiali; quomodo dixit Gregor.*quod creatura omnis ſimul per ſubſtantiam extitit,quanuis non ſimul per ſpeciem proceſſit*; quanuis non omnia ſint priùs facta in ſemine tãquam in proxima efficiente cauſa, vt circa opera tertij,quinti,& ſexti diei explicabo.Et ex hac parte dicta expoſitio ſatisfacere poſſet argumento, quia ex verbis ſic expoſitis nullo modo opinio Caietani, aut Cani confirmatur. Imò etiam non videtur poſſe cum doctrina Auguſtini conſiſtere, quia ipſe in alijs locis ſuprà citatis docet, omnia opera ſex dierum ſimul in vno die ſucceſsionem non habente fuiſſe facta: ergo etiam miſta facta tertio,quinto,& ſexto die,prout in illis facta narrantur,facta ſunt primo die,& ſimul: at verò non narrantur facta in illis diebus inpotentia, vt per ſe notum eſt: ergo non conſonat illa expoſitio cum priori doctrina Auguſtini.Et ideo dixi ſupra, videri Auguſtinum variè de miſtorum creatione fuiſſe loquutum. Tandem addo, illam expoſitionem non eſſe literalem: nam re vera in illis verbis capitis ſecundi recapitulat Moyſes omnia quæ narrauerat in primo capite, vt patet ex illis verbis, *Iſta ſunt generationes cæli, & terræ*: nam pronomen *iſtæ* omnes productiones priùs narratas deſignat, vt clarius explicaret; ſub cœlo, & terra comprehendere cætera,addidit, *Et omne virgultum agri*, ſub vno ſpecifico opera alia inſinuans.

14. *Non placet quod ex D. Thoma allatum eſt in num.12.de productione virgultorũ in potentia.*

Non ergo illud addidit propter ſolum eſſe in potentia, tum quia hoc modo ſuperflue adderetur: tum etiam quia non proprie dicitur fieri, aut creari in ſua ſpecie, quando ſolùm in potentia fit. Neque ſubiuncta verba, *antequam oriretur in terra*, vel *prius quàm germinaret*, idem ſignificant, quod prius quàm in ſe,& actu fierent,aut exiſterent, ſed prius quam ordinario,&connaturali modo à terra, & ex terra fierent. Nam herba quæ primitus facta eſt,non ex præcedenti ſemine,vel diſpoſitione terræ, & actione cœli orta eſt, qui eſt proprius modus naturalis germinandi, aut oriendi ex terra:ſed facta eſt immediatè à Deo vt auctore naturæ, ſicut primus etiam homo factus eſt ſine ſemine. Qui modus productionis eſt quaſi medius inter rigoroſam creationem, & generationem, & ideo nunc creatio,nunc generatio dicitur. Ad explicandum ergo, in illo die fuiſſe germen, & herbam factam iſto modo ſingulari,&primordiali,& non per propriam generationem, verba illa addita ſunt. Quod euidenter alia ſtatim ſubiuncta declarant.*Non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram,& homo non erat qui operaretur terram*: nam quia per has cauſas ſolet terra ordinario modo herbam proferre, & illæ cauſæ nondum tunc præceſſerant,id-

eo per illam causarum naturalium carentiam optimè declaratum est, modum illum germinandi ex peculiari efficacitate auctoris naturæ, non ex ordinarijs naturalibus causis fuisse.

15 Secunda ergo & communis expositio est, in illa recapitulatione capitis secundi particulam, *in die, qua creauit Deus*, non designare vnum certum diē: sed indefinitè sumi pro quocunque die, in quo aliquod ex illis operibus factum sit: siue ille dies fuerit idem, siue diuersus, siue vnus, siue plures. Frequens enim est in Scriptura sacra, vt singulare pro plurali ponatur: & in modo loquendi satis vsitato res diuersis temporibus factæ breuitatis causa solent sub vna singulari voce temporali comprehendi: vt si quis dicat, die natiuitatis Christi, Virginis, aut Ioannis Baptistæ fit hoc vel illud, nō significat, in vno, & eodem die id fieri, sed subintelligitur virtualis repetitio, in die natalis Christi, in die natiuitatis Virginis, &c. Sic ergo subintelligi potest in dictis verbis. Adde tamen, vsitatum esse in Scriptura, vt dies pro indefinito tempore ponatur, vt Ioan. 8. *Abraham exultauit, vt videret diem meum* id est, tempus mei aduentus. Et Isa. 49. & 2. Cor. 6. *Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis auxiliate. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, Deuter. 32. *Iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.* Ita ergo accipi debet, vel potest in citato loco, vt Beda, & alij voluerunt.

2. Et communis expositio prædictæ locs Gen. 2.

16 Neque obstabit, si quis obijciat, inconueniens esse, in voce illa *dies* æquiuocationem, aut metaphoram admittere, præsertim in tam breui contextu. Nam respondemus, nullam esse metaphoram, nec æquiuocationem propriam, sed varium vsum vocis intra propriam significationem eius, qui vsitatissimus est. Nam *dies* de se non est vox singularis ad vnum diem tantùm significandum determinata: sed est vox communis & indifferēs, quæ aliter sumitur, quando cum aliqua determinatione ponitur, vt dies vnus, dies primus, secundus, aut septimus: aliter verò quando absolutè & indefinitè ponitur, & tunc ex circumstantijs & materia sermonis potest nunc ad singularē diem, nunc ad indefinitum tempus, vel diem, vel etiam ad plures dies cum aliqua accommoda partitione significandos determinari. Et ita in toto cap. & 2. Geneſis, vbi sumitur pro singulari die, cum aliqua determinatione ponitur indefinitè quemcunque diem, & plures significat, vt cùm dicitur in cap. 1. *Appellauitque lucem diem*, & infrà, *Fiant luminaria, & diuidant diem, ac noctem*, & iterum: *Posuit Deus luminare maius, vt præesset diei*, &c. In quibus omnibus locis pro quocunq; die indifferenter vox illa sumitur, quia proprietas ibi indicata in omnibus inuenitur. Sic ergo in cap. 2. priùs est sermo de singulari die cum additione septimi diei. Postea verò cùm generatim fit sermo de operibus illorum dierum, indefinitè dicitur: *In die quo fecit Dominus*, &c. vt indicetur sermonem esse indefinitum de tempore illo, in quo factus, & formatus est mundus, vel de quocunque illorum dierum, in quibus Deus operatus est ante septimum diem. Nec mirum est, quòd Moyses, cùm summatim opera recapitulet, dies etiam, in quibus facta sunt, vno eiam diei nomine comprehendat. Addo tandem duplicem aliam significationem nomine diei in Almo dicto cap. 1. Geneſis indicari, scilicet, artificialis, in qui ab ortu Solis vsque ad eius occasum durat, & naturalis, qui integra reuolutione Solis conficitur. Prior enim significatio indicatur in illis verbis: *Appellauitque lucem diem*, & ibi, *Vt diuidant diem, ac noctem*, & ibi, *Luminare maius, vt præesset diei.* Altera verò ibi, *Factumque est vespere, & mane dies vnus.* Nam quia tempus lucis & præsentiæ Solis est pars præcipua integri diei naturalis, ideo integer cursus Solis à præcipua parte dies appellatus est, vel certè quia Sol vbicunque adest, diem facit, & nox quàm per accidens ex absentia eius sequitur. Et vtraque significatio propria est, licet ex circumstantia literæ sit determinanda: sic ergo de vsu eiusdem vocis in alijs significationibus censendum est.

Obiectio eiusque dissolutio.

ELENCHVS

CAPITVM LIBRI SECVNDI.

Cap. I. AN lux primo die creata spiritualis, vel sensibilis fuerit.
II. Quæ fuerit sensibilis lux primo die creata.
III. Duo dubia de loco, & tempore, in quibus prima lux incepit, expediuntur.
IV. Quæ fuerit aquarum diuisio secundo die facta.
V. Quódnam corpus fuerit firmamentum secundo die factum, & quomodo ad diuidendas aquas ab aquis firmatum, seu positum sit.
VI. Quomodo tertio die aquæ in locum vnum congregatæ fuerint, & apparuerit terra.
VII. Quomodo herba virens, & cætera vegetabilia hoc die fuerint producta.
VIII. Quomodo sol, & luna cæteriq; planetæ, & stellæ quarto die productæ fuerint.
IX. Quomodo per solos motus proprios cælorum sufficienter explicentur omnia quæ hoc die facta narrantur.
X. De brutorum creatione, quinto & sexto die facta.
XI. Quomodo Deus opus suum die septimo compleuerit, & ab illo cessauerit, eumdemque diem benedixerit.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE SINGVLORVM SEX DIERVM OPERIBVS, ET SEPTIMI DIEI REQVIE.

DVo in primis notanda sunt: Primum est inter corpora vniuersi quædam esse simplicia, & alia mista. Priora sunt cœli, & elementa, ex quibus, vt Philosophi censent, vniuersum primariò, & quasi essentialiter componitur, quia primarius ordo vniuersi secundum hæc corpora attenditur, & quia in illis corporibus prius factum est vniuersum actu & in se, & per propriam creationem. Mista verò ex elementis constant, & in simplicibus corporib. virtute continentur, & iuxta participationē illorum in vniuerso collocantur, ideoq; ad constitutionem vniuersi secundariò pertinere dicuntur. Quod quidem secundum ordinē situum, qui ad vnitatem vniuersi inter corpora, ex quibus constat, præcipuè consideratur: non secundum ordinem perfectionis accipiendum est, nam in hac mista corpora regulariter, seu ex genere suo superant simplicia. Vnde etiā fit, vt licet corpora simplicia productionis, seu executionis ordine fuerint priora, nihilominus ordine intentionis priora sint mista, nam ad illorum generationem, & conseruationem simplicia ordinata sunt, & omnia tandem propter hominem, qui supremum gradum inter mista continet, facta sunt. In præsenti autem materia de his corporibus secundum ordinem executionis tractamus, & ideo in præcedenti libro dictum est de creatione vniuersi prout ex simplicibus corporibus constat, in hoc verò de alijs operibus, quæ ad productionem, & conseruationem mistorum à creatore vniuersi in eius exordio facta sunt, dicendum superest. Quia verò hæc opera non simul, sed per successionem sex dierum à Deo sunt facta, ideo sigillatim etiam, & per singulos dies à nobis sunt explicanda.

Secundò aduertere oportet, in productione vniuersi tria opera distingui à Theologis, scilicet creationis, formationis, seu distinctionis, & ornatus. Hanc operum diuisionem tradit D. Th. 1. p. q. 65. in princ. & latius explicat q. 70. a. 1. Habetq; fundamentum in verbis Scripturæ, nā Gen. 1. de opere creationis dicitur: *In principio creauit Deus*, &c. Et de opere distinctionis: *Diuisit lucem à tenebris*, &; *Diuidat aquas ab aquis*, & iterum, *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum vnum, & appareat arida.* Quæ verba opus cuiusdam distinctionis significant. De opere verò ornatus intelligit D. Thomas verba illa quarti diei, *Fiant luminaria in firmamento cæli.* Expressius verò in initio cap. secundi, fit mentio ornatus in verbis illis: *igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum.* Adeoque inter opera distinctionis, & ornatus, D. Thomas distinguit, vt tribus primis diebus opus distinctionis, alijs verò tribus vltimis opus ornatus attribuat, vt ex initijs q. 67. & 70. manifestum est. Si quis tamen consideret Scripturæ verba etiā in opere quartæ diei, distinctionem indicat, cùm dicit, *Et diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* Et è conuerso etiam in opere diei primæ opus ornatus per illa verba significari potest, *fiat lux* Sicut in quarta significari dicitur per illa verba, *fiant luminaria* est enim eadem ratio. Idemque est de illis verbis secundæ diei, *fiat firmamentum*, & de illis tertiæ diei, *Germinet terra herbam virentem*, &c. Nam si productio animalium quinta & sexta die facta, pertinet ad ornamentum terræ, aquæ & aeris: cur productio vegetabilium facta tertia die ad ornamentum terræ non pertinebit? Quòd enim animalia localiter moueātur, & ex ea parte vel maior, vel notior fit eorum ornatus: non impedit quominus etiam vegetabilia ornēt terram, pulchriorem, & delectabiliorem illam reddendo, etiamsi in illa fixa sint, & quiescant. Præterquam quòd etiam vegetabilia suum proprium motum habēt, quo secundum augmentum, & diminutionem locum etiam aliquo modo mutant, & varios colores induunt, quæ varietas, & ad ornatum pertinet, & illum satis manifestat. Accedit, quòd illa duo, scilicet, distinctio, & ornatus vix possunt opere seiungi. Nam distinctio (vt D. Thomas dicit) fit formando, & perficiendo, quod informe erat, & ideo etiam è conuerso ornatus non fit sine aliqua distinctione inter ea, quæ ad ornatum pertinent, vel inter id, quod ornatur, & quo ornatur. Et hoc videtur etiam colligi ex citatis verbis Scripturæ, *fiat* & *diuidat* quæ simul coniunguntur. Idemque colligi potest ex verbis citatis in principio cap. 2. vbi solus ornatus additur perfectioni, id est, creationi cæli, & terræ. Et ita etiam Magist. in 2. dist. 12. in principio, & cap. penultimo & vltimo nihil distinguere videtur inter opus distinctionis, & ornatus. Vnde dicere possumus, illa duo non tam re, quàm ratione, seu habitudine distingui, nam ornatus dicitur per habitudinē ad rem quæ formatur seu perficitur: distinctio verò est quasi relatio consequens per habitudinem ad alia. Vnde licet fortasse per quādam accommodationem ornatus tribus vltimis diebus, & distinctio tribus prioribus attribuatur, quia in eis magis relucet: nihilominus, quia in re ipsa aliquid distinctionis, & ornatus in singulis diebus apparet, ideo singulorum dierum opera explicādo, simul & indiuisè de his duobus operibus dicemus.

Quo tandem modo admittēda sint quæ de triplici opere scripsit D. Th.

Suarez de opere sex dierum.

CAPVT I.

An lux primo die creata spiritualis, vel sensibilis fuerit.

1. *Prima diei opus lucis productio.*

PRimi diei opus ferè vnicum fuit lucis productio, illis verbis significata, *Dixit autem Deus, fiat lux, & facta est lux*, qua ex parte opus hoc ad ornatum mundi pertinet, vt iam tetigi, & statim amplius ex re ipsa, & ex Patribus explicabo. Dixi autem, hoc opus fuisse ferè vnicum, & non simpliciter esse vnicum, quia statim additur, *& diuisit lucem à tenebris*, quod ad opus distinctionis pertinet: tamen, quia hæc diuisio non aliter facta est, quàm producendo lucem, ideo solùm fuit quasi quid

consequens ad illam, & ideo vtrunque pro eodem opere computamus. Circa illa autem verba, quibus hæc actio Dei describitur, scilicet *dixit, fiat, & factum est*, multa ab expositoribus Geneſis tractantur, quę nobis necessaria non sunt. Satis enim certum est, illis verbis non significari aliquod sensibile Dei verbum, quod dixerit, *fiat*, quia nec tunc erant creaturæ, quæ sensibile verbum audire possent, vt ibi Basilius adnotauit, nec sensibile verbum productioni lucis natura sua inseruiebat, neque oportebat tunc illud tanquam instrumentũ ad lucem creandam miraculoſe sumere. Ait autem Theodoret. quæ. 9. in Gen. potuisse Deum vti voce sensibili propter inuisibiles virtutes, vt efficaciam diuini imperij agnoscerent. Sed profecto Angeli, vt ait August. libr. 11. de Ciuit. cap. 29. non addiscunt per sensibilia verba, sed per intelligentiam, vel reuelationem mere spiritualem. Vnde melius ibidem ait illo verbo solum significari diuinum imperium internum spirituale, quo efficaciter *vocat ea, quæ non sunt tanquam ea, quæ sunt.* An vero ille actus imperij immediatè sit actus intellectus, vt verbum, *dixit*, indicat, vel sit actus voluntatis, iuxta illud Psalm. 113. & 134. *Omnia quæcunque voluit fecit.* Et an effectio ad extra sit immediatè ab hoc imperio, vel à potentia exequente, iuxta illud Sap. 11. *Subest tibi cum volueris posse*, quæstiones sunt generales, & alibi tractatæ.

Verbum Fiat in rerũ principio Geneſis, quid importet.

Quæstiones variæ alibi remissæ.

2. Tota ergo difficultas huius operis est in explicanda luce, quæ hoc die facta dicitur, quæ scilicet, vel quid fuerit, nam si hoc declaretur, qualis etiã fuerit diuisio lucis à tenebris, facile intelligetur. Duo autem sunt præcipue tractanda, primum in hoc cap. an lux illa spiritualis fuerit, vel materialis, secundum in sequenti quænam fuerit in quocunque ordine constituatur. Circa primum est celebris sententia Augustini asserentis lucem illam fuisse spiritualem, & angelicam. Ita docet lib. 11. de Ciuit. cap. 7. & 9. vbi cum aliqua dubitatione loquitur: alijs vero locis idem constanter affirmat, vt videre licet lib. 1. Gen. ad liter. cap. 3. & 9. vsque ad finem, & libr. 4. à cap. 21. vsque ad 28. maximè vero in Imperfect. cap. 5. & idem habet libr. 22. contr. Faust. cap. 10. & lib. 1. contr. aduersarium legis & Prophetarum, cap. 10. 11. ac 12. Fundamentum August. in summa est, quia Scriptura potest de spirituali luce propriè, & sine metaphora intelligi, quia lux spiritualis verior, & certior est quam materialis, vt dicit in dicto cap. 5. Imperfecti: ergo sine metaphora possunt illa verba de luce spirituali intelligi. Ergo ita sunt intelligenda. Hanc consequentiam probat dupliciter, primo in dicto loco de Ciuit. quia Angeli creati sunt intra illos sex dies quia sunt creaturæ Dei, & non sunt facti ante illos sex dies, quia initium creandi fuit illorum dierũ principium, neque post illos sex dies, imo nec post quartum diem, quando facta sunt astra, quia tunc Angeli iam laudabant Deum Iob 38. Neque etiam sub operibus secundi & tertij diei continentur, vt constat ex verbis Genes. ergo fuerunt opus primi diei, & per lucem significantur. Secundò idem probat in alijs locis, quia explicari non potest, quæ lux materialis tunc creari potuerit. Quia sol cum sua luce creatus fuit quarto die: ergo lux illa primi diei non fuit lux Solis, neque alia probabiliter cogitari potest. Præsertim, quia si lux illa materialis fuit, etiam diuisio inter diem, & tenebras de materialibus debet intelligi: nulla autem alia lux fuit causa diuisionis inter diem & tenebras, nisi lux Solis: ergo non potest opus huius diei de illa luce, vel diuisione materiali intelligi. Et hanc Augustin. sententiam maximè defendit Rupertus l. 1. in Gen. cap. 10. Quia addit coniecturam, quia si lux illa fuisset materialis, & alia à luce Solis tribus tantum diebus durasset, nam creato sole quarto die euanuisset. Hoc autem nec docet, nec est consentaneum intentioni Moysis, qui effectionem mundi permanentis & stabilis describere voluit. Eandem sententiam sequutus est Eucherius lib. 1. in Gen. ca. 2. Citantur etiam pro hac sententia Isidorus de summo bono c. 10. Beda in Exaëm. & super Gen. & Glossæ ibidem, & Magist. D. Thom. & alij Scholastici. Veruntamen hi omnes non adhærent huic sententiæ, sed illam tolerant, aliam non excludendo.

Videin præcedenti parte de Deo, tract. 1. l. 3. c. 9 & disp. 30. Metaph. sect 17. n. 37.

Augustini sententia quod lux illa fuerit spiritualis.

Eius fundamentum.

Ruperti cõiectura pro eadem sententia.

Est autem obscurum apud Augustinum, quæ fuerit spiritualis lux, quæ illo die, & per illa verba fuit facta, an scilicet ipsa substantia Angelorum cum suo lumine naturali, & intellectuali, eiusque creatio: an vero fuerit sanctorum Angelorum glorificatio. Nam in multis locis sentit Augustinus, Angelos creatos fuisse in primo instanti creationis mundi, & comprehensos à Moyse sub nomine cæli in verbis illis, *In principio creauit Deus cælum, & terram*, vt in superioribus retuli ex lib. 9. Confess. c. 9. & 16. & in Imperfect. Gen. cap. 3. & lib. 1. Geneſis ad liter. cap. 9. & lib. 4. cap. 32. Ergo creatio Angelorum quoad substantiam & proprietates naturales eius, non potest ad opus primi diei pertinere, siue isti dies sint naturales, siue intellectuales, vt Aug. vult, quia opera illorum debent esse distincta tam inter se, quam à creatione mundi, prout in primo instanti facta est. Quapropter probabilius videtur, cum Augustinus dicit, lucem hanc primo die factam fuisse spiritualem, & angelicam, hoc intellexisse de illuminatione supernaturali facta in sanctis Angelis per infusionem luminis gloriæ & visionis beatæ, quam in ingressu beatitudinis acceperunt. Atque ita cum dicit nomine cœli significari Angelos, loqui de Angelis quoad naturam, seu de creatione illorum: cum vero dicit significari nomine lucis, loqui de Angelis quoad gloriam: vt aperte significat dicto lib. 11. de Ciuit. ca. 7. dicens, *Aut lucis nomine significata est sancta Ciuitas in sanctis angelis, & spiritibus beatis de qua dicit Apostolus, quæ sursum est Hierusalem*, &c. Et ita etiam accipiendum est quod in cap. 9. ait, Angelos in narratione Geneſis comprehensos esse *vel nomine cœli, vel potius nomine lucis.* Et hoc confirmat quod eisdem locis ait, illud mane primi diei fuisse cognitionem matutinam Angelorum, quæ in visione beata consistit, vt supra ostensum est. Denique idem coniungitur, nam diuisionem lucis à tenebris primo die factã exponit Augustinus de diuisione inter bonos, & malos angelos, vt ex eisdem locis constat: ergo nomine lucis non potuit angelicam naturam significare, nam in illa non sunt separati boni à malis angelis, & ideo segregatio inter illos non est in primo instanti creationis facta, quanuis probabile sit in primo die factam fuisse, vt in superiori tractatu disputatum est.

Quo instanti facta fuerit lux illa.

Probatur auctoritate Patrũ.

Dominic. cano.

3. Nihilominus dicẽdum est, aliquam lucem sensibilem, & materialem factam esse in opere primi diei, & ad literam significari per illa verba, *fiat lux*, &c. Hæc est communis opinio Basilij, Ambrosij, Chrysostomi homil. 3. & aliorum Patrum, & Doctorum, quos statim referemus, explicando, quænam fuerit illa lux. Præterea omnes Patres, qui negant angelos comprehensos esse à Moyse in 1. cap. Geneſis, manifestè supponunt, non fuisse significatos ad literam nomine lucis, ac proinde lucem illam sensibilem fuisse. Sunt autem illi Patres Athanasius, Chrysost. Basil. Epiph. Hieron. Cyrill. & Theodoret. citati superiori lib. 6. Præterea sententiam hanc amplectitur Ecclesia in Hymn. Dominic. ad Vesper. dicens.

Lucis Creator optime,
Lucem dierum proferens
Primordiis lucis nouæ
Mundi parans originem.

Vbi

Vbi apertè de hac luce sensibili loquitur. Ratione item probatur hæc sententia ex dictis in vlt. cap. præcedentis libri, vbi ostẽdimus hos sex dies, in quibus ornatus est mundus, ex his materialibus, & sensibilibus, ac naturalibus, quibus vtimur, fuisse, sed hi dies conficiuntur ex luce visibili, seu ex præsentia, & absentia eius: ergo talis fuit ille primus dies, in quo facta est lux: ergo lux illa sensibilis, & materialis fuit: nam ex præsentia, & absentia eius factus est. Secundò, quia verba illa, *& tenebræerant super faciem abyssi*, quæ proximè ante opus primi diei ponuntur, de tenebris materialibus ad literam intelliguntur, vt suprà probatum est, & patet manifestè ex subiecto illarum tenebrarum, quod verbis illis, *super faciem abyssi*, indicatur: nam *abyssus* aquarum profunditatem significat, vt ex omnium sententia suprà dictum est, & denotant sequentia verba, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: facies autem abyssi dicitur extrema pars, vel superficies aëris, vel aquæ: ergo abyssus illa erat subiectum illarum tenebrarum: fuit ergo subiectum materiale: ergo & tenebræ materiales erant, sed lux facta est illo primo die ad depellendas tenebras: ergo lux etiam sensibilis, & materialis fuit, & ita intelligenda sunt illa verba, *Et diuisit lucem à tenebris*, nam de eisdem tenebris in vtroque loco sermo est.

Confirmatur ex ratione quã sancti Patres reddunt, ob quam Deus à creatione lucis ornatum vniuersi mundi sensibilis inchoauit, nimirum quia lux est quasi vniuersale ornamentum cœlorum, & elementorum, & vniuersarum rerum sensibilium, quia in tenebris decor & pulchritudo rerum cerni non potest. Vnde in lib. 4. Esdræ cap. 6. dicitur, *Et erat tunc spiritus & tenebræ circumferebantur, & silentium. sonus vocis, hominis nondum erat absconditus, tunc dixisti de thesauris tuis proferri lumen luminosum, quo appareret opus tuum.* Et hac ratione maximè vtuntur Basil. & Beda *in Exaemer.* & Damasc. lib. 2. de Fide cap. 7. & Hugo de sancto Victore lib. 1. de Sacram. p. 1. c. 8. & sequentib. Accedit, quòd cùm decreuisset Deus non simul, sed certo dierum numero mundum componere, & ornare propter rationes, quas in fine præcedentis lib. tetigimus, & alias quæ in thesauris diuinæ sapientiæ latent, & ab initio illorum dierum duratio totius mundi computanda esset, necessarium fuit, vt lux sensibilis, quæ fundamentum est, & quasi formalis causa simul cum motu suo diem constituens, statim in primo die crearetur: ergo lux, quæ tunc creata dicitur, materialis, & sensibilis fuit. Vltimò confirmari hoc potest illa generali regula, qua in superioribus sæpe vsi sumus, quia verba Scripturæ quo ad fieri possit in proprietate sunt accipienda, præsertim in historica narratione: sed lux in significatione maximè propria & vsitata hanc sensibilem lucem significat: ergo de hac intelligenda sunt verba Moysis. Neque satisfacit responsio, quam Augustinus in suo fundamento indicat, quod etiam de spirituali lumine lux proprie dicitur, nam licèt hoc verum sit secundum quandam significationẽ, altiorem quidem ex parte rei significatæ, nihilominus absolutè illa est secundaria significatio ex sapientum vsu deriuata, spectata primæua illius nominis impositione. Nam, vt D. Thomas 1. p. q. 67. art. 1. notauit, hæc vox *lux* primò imposita est, ad significandum id, quod facit manifestationem in sensu visus, postea verò extensa est ad significãdam spiritualem lucem. Et ideo inquit *ibidem* D. Thomas, vocem illam spectatam secundùm suam primam impositionem metaphoricè ad spiritualia transferri, sicut etiam dixit Ambros. lib. 2. de Fide, in principio. Quòd ergo in dicto loco Geneseos sumenda sit illa vox in proprietate primæ significationis suæ, ratio facta ostendit, quia Moyses expressè describere voluit ornatũ huius mundi visibilis. Iuuant etiam omnes aliæ circunstantiæ, vt est illa de tenebris quam ponderauimus, item quòd illa verba, *dies, nox, mane, & vespere*, non nisi per metaphoram ad spiritualia transferuntur ergo in illo loco nõ nisi sensibiliter sumuntur: ergo eodem modo intelligenda est lux, quæ illius diei & noctis, &c. initium, & origo fuit.

Atque hinc responsum est ad fundamentũ Augustini, nam licèt aliquãdo illa vox proprie significet spiritualem lucem, in secundaria quadam significatione minus vsitata, nihilominus nunquam solet ita accipi, nisi ex materia vel circunstantijs locutionis vsus vocis in tali significatione indicetur. Et ideo non potest illa significatio conuenienter ad narrationem Moysis accommodari, vt declaratum est. Et amplius constabit consideranti, Moysem rudem populum voluisse instruere, & docere ordinem creationis mundi, ideoque etiam fuisse vsum verbis in significatione magis vsitata, & quæ omnibus statim occurrit: hoc autem modo lux propriè significat lucem sensibilẽ. Ideoque secundum subiectam materiam simpliciter negari posset antecedens, quod Augustinus assumit. Veruntamen illo dato negamus etiam consequentiam, nam licèt illa vox plura habeat significata etiam propria, nihilominus ipsa historia, & aliæ circunstantiæ totius sermonis ostendunt sensibilem lucem esse ibi ad literam significatam. Ad primam autem Augustini probationẽ, primò defendi facilè posset, quòd licèt Angeli fuerint creati intra illos sex dies, nihilominus eorum creatio non fuerit in narratione Moysis comprehensa, quia potuit narrare visibilia tantùm opera, non inuisibilia, vt multi Patres senserunt. Deinde dici potest, creationem Angelorum narratã esse à Moyse in primis verbis, quibus creatio sola, non opera ornatus, narrata est. Glorificatio autem Angelorum nec narrata est in cæteris operibus sex dierum, nec nobis reuelatum est, quando inceperit, vel an intra illos sex dies facta fuerit, quanuis probabiliter id coniectemus. Ad secundam verò probationem respondemus in primis, licèt difficile nobis sit explicare, quę fuerit illa lux, non propterea esse relinquendum proprium, & planum Scripturæ sensum. Deinde dicimus difficultatem illam non esse insuperabilem, quomodo autem expedienda sit partim in sequenti cap. partim explicando opus quarti diei docebimus. Et inde etiam patebit responsio ad Ruperti coniecturam: monstrabimus enim, quomodo lux primo die facta vltra illos tres dies durare potuerit, & vsque nunc etiam fieri non desijt. Et ita etiam constat, quid dicendum sit ad alteram partẽ doctrinæ Augustini dicentis, Angelos quoad creationem comprehensos esse nomine cœli, quoad glorificationẽ verò nomine lucis. Nam sicut primum est verum, non excludendo ab illis verbis creationem proprij, & materialis cœli, ita etiam secundum admitti posset, non excludendo productionem sensibilis lucis. Vt sensit Beda in exposit. Gen. c. 1. Et eodem modo dixit Hugo de sancto Victore suprà cap. 10. in primo die, quando in materiali mundo lux sensibilis fiebat, in mundo spirituali factam esse intelligibilem lucem, quæ est mystica quædam interpretatio, & pulchra coniectatio, tamen satis persuaderi non potest.

6. *Ad fundam. Augustini in num. 2. multiplex responsio.*

Ad Ruperti coniecturam ibid.

CAPVT II.

Quæ fuerit sensibilis lux primo die creata.

1. COnueniunt omnes, qui lucẽ illam sensibilem esse affirmant, fuisse formam illã eiusdem rationis cum hac luce, quã experimur, saltem quoad hoc, quod erat essentia quædam aëris, tenebras

depellens, vt dicit Basil. in 5. cap. Isaiæ, seu quę corporum colores, & pulchritudinem manifestabat.

Arguitur lucẽ primo die creatam non fuisse alicuius astri, vel etiam Solis.

Quia verò in quarto die dicitur Deus fecisse magna luminaria in cœlo, obscurum, & difficile ab omnibus iudicatum est, quænam fuerit illa prima lux, explicare. Quia ex altero loco manifestè colligi videtur, non fuisse lucem alicuius astri cœlestis, nec etiam Solis, qui postea factus dicitur: quæ ergo, vel cuius corporis esse poterit illa lux. Aliunde verò videtur ex superius dictis sequi, hanc lucem, non aliã, quàm Solis esse potuisse. Nam diximus omnia corpora cœlestia in primo instanti

Arguitur fuisse 1.

fuisse creata: ergo etiam cœlum Solis: ergo & ipse Sol, nam est pars illius cœli, quod integrum creari debuit, nec potuit aliter sine miraculo non necessariò creari. Item quia proprium opus creationis substantiarum corporalium in illo momento cõsummatum est, sol autem secundùm naturam suam non fit ex materia præiacente, sed ex nihilo per propriam creationem. Nec spatiũ illud, quod globus Solis in suo cœlo replet, potuit esse aliquo tempore vacuum, aut sola materia informi, aut alio corpore repletum, ex quo postea sol generaretur: ergo substantia Solis primo die creata fuit.

Secundo.

Vnde fieri videtur consequens, etiam lucem eius fuisse tunc factam, quia vel est forma eius, vt Nazian. infrà citãdus loquitur, vel est proprietas cõnaturalis, ita intrinseca Soli, vt absque illa sine magno miraculo creari non potuerit: ergo lux cõcreata est corporibus in primo instanti: quomodo ergo postea facta esse dicitur?

2.

Notatio 1. de natura lucis.

Propter has difficultates Doctores in plures, & dissentientes sententias diuisi sunt. Prius verò quàm illas referam, nonnulla de luce præmittere oportet, primum est, lucem in abstracto sumptã, seu conceptam non esse rem subsistentẽ, nec substantialem formam, sed qualitatem accidentalẽ, realem, & materialem. Ita docuit D. Thomas 1. p. q. 67. art. 2. & 3. & traditur à Philosoph. in 2. de Anima, quod hic supponendum potius est, quam probandum, tum quia non inquirimus ex professo naturam lucis, sed tantùm opus primæ productionis eius explicamus: tum etiam, quia substantia, vel substantialis forma non est per se sensibilis sicut est lux: tum etiam quia lumen, quod vel est eiusdem naturæ cum luce, vel est proxima participatio eius, accidens est, quod in aëre generatur, & corrumpitur: ergo etiam lux est accidens quoddam, & consequenter qualitas, quia in nullo alio prædicamento collocari potest. Addimus verò esse qualitatem realem, quia licèt ab aliquibus vocetur intentionalis, ad distinguendum illã à qualitatibus elementaribus, quia est purior, & excellentior illis: nihilominus vera forma realis est, cũ & sit per se sensibilis, & plurium alterationũ principium esse possit. Demque materialem esse dicimus: quia & est in subiecto materiali, & ab eo pendet in suo esse, & in eo extensionem quantitatis habet. Scio Basilium vocasse lucem primo die creatam immaterialem, & Nazian. incorpoream, in quo autem sensu loquuti fuerint, infra dicam.

3.

Notatio 2. de diuisione lucis.

Deinde suppono, lucem diuidi posse in naturalem, & gloriosam: naturalis est, quam in his corporibus naturalibus videmus, gloriosam autem vocamus, quæ in sanctorum resurgentium corporibus futura est, de qua an sit alterius ordinis à naturali luce, seu in substantia sua supernaturalis, vel qualis futura sit, ad præsentem locum non spectat: solùm ergo supponimus, quod omnibus in confesso est, lucem primi diei naturalis ordinis

Notatio 3. de distinctione lucis à lumine.

fuisse, nam ad naturæ ornamentum pertinuit, & ad distinguendum naturalem diem, & noctem, creata est. Deinde aduerto, Philosophos accuratè distinguere inter lucem, & lumen: nam lucem vocant, quæ per se, & quasi ab intrinseco coniuncta est alicui substantiæ, & quasi fons est, & principium luminis, lumen autem vocant splendorem, seu qualitatem similem luci, ab illa defluentem, & corpori, in quo inest intrinsecùs aduenientem, de quibus qualitatibus luce, & lumine, an specie essentiali differant, vel tantùm in illis accidentalibus conditionibus, physica quæstio est, quæ ad præsens non refert. Nam quod attinet ad verba Genesis, non existimo nomen lucis in eo rigore esse in allegatis verbis accipiendum, nam vbi vulgata habet, *fiat lux*, Septuaginta habent, nomen φῶς, quod lumen significat, vnde notãt ibi Eugub. & Ascanius in Glossã magna, illam distinctionem lucis, & luminis in Scriptura non seruari. Demiq; aduerto lucem, in dicto rigore philosophico sumptam distingui posse ex corporibus, quibus connaturaliter inest: sic enim alia est lux Solis, alia ignis, alia aliquarum gemmarum, vel quorundam etiam animalium: lumina verò distingui possunt, vel ex causis efficientibus, vt distingui solet lumen Solis, vel candelæ, vel ex subiectis, vt lumen lunæ, stellarũ vel aeris, in quibus distinctionibus omnibus, vt sæpe monui, non spectamus rigorosum gradum distinctionis inter hæc membra, quod Philosophorum est, latiusque scribimus in tractatu sequenti de anima lib. 3. cap. 14. sed tantùm vsum omnium, & propriam significationem obseruantes, vt opiniones Doctorum, & nostra resolutio facilius intelligantur.

4

Est igitur prima opinio, quæ dicit lucem illam fuisse quidem in substantia, & entitate eandem lucem, quam nunc sol habet, non tamen fuisse tũc factam in ipso sole, neque inhærentem illi tanquã subiecto, quia huius opinionis auctores supponunt solem non fuisse tunc factum quoad substantiam, sed quarto die. Quomodo autem, aut in quo subiecto facta fuerit lux illa, variis modis exponitur. Primus est, lucem illam factam esse extra omne subiectum, & per se existentem. Ita sentit Basil. homil. 2. Hexaemeron, circa finem, & latius homil. 6. circa princip. dicens, prius esse productam ipsam naturam lucis, & postea esse corpus Solis productum, *vt primogenita luci vehiculum esset*, & ideo primam illam *lucem sinceram*, & *immaterialem* vocat. Non quia non esset forma corporalis, seu quãta, & apta corpori in esse, sed quia non erat corpori immersa, sed separata. Eiusdem sententiæ fuit Gregor. Nazianz. Orat. 43. in nouam Dominicam, vbi lumen illud dicit á principio non fuisse solare, *sed incorporeum*, inquit, & *Solis expers*, id est, à sole, & ab omni corpore separatum, *sed postea* inquit, *ad orbem terrarum illustrandam Solis traditum est*. Neque ignorauit Nazianz. id non potuisse sine miraculo fieri, imò propter miraculi magnitudinem factũ esse censet. *Nam cum in aliis rebus* (inquit) *materiam prius conderet, ac deinde eam formæ conuestiret, vt magnis cuiusdam miraculi specimen ederet, formam materiæ priorem protulit, ac postea materiam induxit, lumen enim forma Solis est*, vtique sensibilis. Et eandem sententiã indicat Anastasius Sinaita lib. 4. Hexaemeron, & Athanas. q. 83. ad Antiochum, in dictum locum Gen. quatenus dicunt lucem primo die factam, in quarto fuisse in sole positam, vel inter sydera distributam, quod etiam sentit Theodor. in verba illa Psalm. 48. *Laudate eum Sol, & luna, laudate eum omnes stellæ & lumen*. Et in eodem sensu dicit q. 14. in Gen. Deum creasse lucem *prout illi libuit*, & postea illam pro arbitrio suo distribuendo, luminaria parua, & magna condidisse. Et plura similia pro hac sententia ex Patribus refert Ascan. in Glossa magna.

Veruntamen, vt sæpè ex doctrina August. diximus, in prima rerum conditione non sunt facilè credenda magna, & inusitata miracula, quia tunc Deus creaturam condebat, & ideo consentaneum fuit

fuit sapientię ipsius connaturali modo vnamquãque rem condere. Nam miracula ad supernaturalem ordinem spectant, & non solent à Deo fieri, nisi in fidei confirmationem, seu exercitium, & ideo nulla tunc erat opportunitas, vel ratio faciendi tale miraculum, quale fuisset, lucẽ separatam creari, & conseruari. Deinde supponit illa sententia corpus solis quoad substantiam suam non fuisse factum, quando fiebat lux, cuius contrarium argumento facto sufficienter existimo conuinci, nisi etiam negamus creationem omnium cœlorum quoad eorum substantiam simul, & in principio factam fuisse. Quod si sol tunc iam erat, incredibile profectò est, lucem seiunctam à sole creatam fuisse, cùm sit proprietas illi connaturalis. Et aliæ etiam difficultates in hac sententia occurrunt, quæ alijs communes sunt, easque statim notabimus.

Est ergo secundus dicendi modus, lucem fuisse creatam in alio corpore à sole distincto, quod alij nubem lucidissimam, alij ignem, alij confusè splẽdidissimum corpus nobis ignotum appellant. Ita loquitur Hugo de S. Victore l. 1. de Sacram. p. 1. c. 9. & 10. ait enim, fuisse aliquod *lucidum corpus, vicem solis gerens.* Et rationem inquirens c. 11. cur Deus non statim fecerit solem, respondet, fortasis tunc non fuisse mundum dignum plena luce, aliquam tamẽ accepisse, *vt vide. et* (inquit) *exire ad ordinem, & dispositionem.* Sic etiam Petr. Comestor, Lyran. & Abul. Vocant nubem lucidam. Ex Scholasticis eod. modo loquuntur Alens. 2. p. q. 46. memb. 5. a. 1. Vbi vocat corpus lucidum formatum ex præiacenti materia: & citat Bedam dicentem fuisse nubem lucidam, quod etiam habet Bonau. in 2. d. 13. art. 1. q. 1. cum Magistro ibi. Alij verò lucem illam vocant ignem splendentem, & emicantem. Ita loquitur Greg. Nyss. lib. de histor. sex dier. & quidem obscurissimè. Item Damasc. l. 2. de fide c. 7. & Hermes apud Cyrill. l. 2. cont. Iulian. & videntur quidem aliquando Patres loqui de proprio elemento ignis. Sed in eo sensu sententia illa probabilis non est, tum quia elementum ignis in principio cum cęteris creatum est, tum etiam quia purum elemẽtum ignis licet in se lucidum sit, parum, vel nihil illuminat, cùm tamen ad illuminandum orbem corpus lucidissimum, & ad emittendum lumen densissimum necessarium fuerit: tum etiam, quia si lux ignis sufficiens tunc fuisset ad orbẽ illuminãdum, & diem, ac noctem diuidendam, semper id fecisset, & ad illud munus superuacaneus sol fuisset. Vt ergo illa opinio tolerabilior sit, credibile est hos Patres nomine ignis intellexisse corpus quod tam ex materia elementari formatum, splendidissimum, & ad lucendum efficacissimum. Auctores itaq; huius sententiæ præcipuè voluerunt vitare illud miraculum de luce separata, & subsistente in prima productione sua, quod præcedens opinio introducebat. Quia verò cum illa conueniunt in alio puncto, quòd sol quoad substantiã suam non fuerit vsq; ad quartum diem creatus, consequẽter cogitarũt aliud corpus quod eius lucis subiectum fuerit. Non potuerunt autem consequenter dicere tale corpus cæleste fuisse, nec cum noua materia ex nihilo creatum, & ideo intulerũt fuisse nouum corpus ex præiacente materia diuina virtute formatum, & ad lucẽ sustentandam accommodatũ.

Inquirunt autem consequenter dicti auctores, quid de illo corpore quarto die, & creato iam sole, factum fuerit: nam ex hac interrogatione præcipua difficultas huius opinionis consurgit, vt ex D. Th. 1. p. q. 67. ar. 4. ad 2. colligitur. Vnde variè ad illam respondent Doctores prædicti, quidam dicunt nubem illam quarto die fuisse corruptam, seu in præiacentem materiam conuersam, qui cõsequenter dicere debuerũt lucem primo die creatam in quarto extinctam, seu destructã esse, quia, corrupto subiecto, accidens illi inhærens consequenter destruitur. Neq; hoc admirãdum esse putant, quia illa lux vicaria fuit luci solis: & ideo, creato sole cũ sua luce alia necessaria non fuit. Hoc autem alijs videtur incredibile propter argumentum cap. præced. ex Ruperto tactum, quod his verbis ipse proponit lib. 1. in Gen. c. 10. *Vide vtrùm condignum sit tantæ maiestati, vt cæterorum dierum opera staturerit in sæculum, & in sæculũ sæculi, præceptumq; ponere illis, quod non præteribit: opus autem primæ lucis tale faceret, quod mutato consilio post exiguum triduum funditùs extingueret.*

Cõtra illam arguitur ex Ruperto.

8.

2. Responsio.

At vitandum ergo hoc incommodum dixerunt alij substantiam, quidem illius nubis quarto die fuisse dissolutam: lucem verò, quæ in illa erat, in sole fuisse inclusam, illique inhærentem vsque hodie permanere. Nam de substantia illa non reputant inconueniens, vt citò transierit, quia non fuit in opere primi diei præcipuè intenta, sed tantùm vt esset vehiculum lucis. At lux ipsa, quæ principaliter intenta fuit, debuit esse permanens, & cum cæteris rebus creatis perdurare. Veruntamen hæc responsio plura multiplicat miracula, & non satisfacit difficultati. Vnum miraculum est, quòd corrupto subiecto non corrumpatur accidens illi inhærens. Aliud est, quòd idem accidens transeat de subiecto in subiectum, quod in eo casu maius fuisset, quia sol non fuit factus ex materia illius nubis, sed ex nihilo creatus fuit. Item cùm lux solis sit proprietas naturalis eius, ac proinde fluens à forma eius, non poterat fine miraculo fieri, vt lux iam facta ab extrinseco illi adueniret, & adiungeretur. Quibus omnibus non satisfacit, qui dixerit, diuinæ omnipotentiæ omnia hæc fuisse possibilia. *Nũc enim* (vt dixit Aug. 2. Gen. ad lit. c. 1.) *quemadmodum Deus instituerit naturas rerum secundum scripturas eius, nos conuenit quærere, non quid in eis vel ex eis ad miraculũ potẽtiæ suæ velit operari.* Et præterea non caret incommodo asserere, produxisse Deum substantiam illius nubis, (quæ non poterat non esse perfectissima, cùm fuerit tantæ lucis capax,) vt illam post breue tempus in nihilum redigeret, vel saltem sua sola virtute corrumperet. A quo enim alio potuisset tunc illa substantia destrui. Nam quod quidã aiunt, nubem illam fuisse radijs solis dissolutã, verisimile non est, nam si luce sibi inhærente, quoad illuminandum mundum sufficiebat, optimè conseruabatur, cur solaribus radijs dissoluta fuisset.

Non satisfacit.

3. Responsio dupliciter ea cogitata.

Vnde alij dixerunt, nubem illam lucidam simul cum sole permansisse, & adhuc durare, quod duobus etiam modis cogitatum est. Vnus est, vt fuerit inclusa in cœlo solari, & in eodem Solis loco tanquam gemma in annulo. Alter modus est: quòd manserit nubes illa per se separata, non tamen videatur propter excellentiam lucis Solis, & consequenter, vt simul cum sole vniformiter moueatur, ne post occasum Solis discerni, aut cognosci possit. Sed neuter modus verisimilis est. Non quidem prior, quia corpus illud non potest sine magno, & perpetuo miraculo esse in eodem loco adæquato Solis simul penetratiuè cum illo. Neque etiam fingi potest, quod intra locum illum solare corpus vltra propriæ naturæ exigentiam condensatum fuerit, vt minus spatium occupando, alteri corpori lucido locum præberet: est enim hoc non solum superfluum, sed etiam valde imperfectum. Cur enim DEVS naturalem Solis dispositionem mutaret, & in præternaturali statu perpetuò illum conseruaret. Vel si quis dicat, illam Solis densitatem, quam nũc habet, esse illico naturalem, cur DEVS non creasset solem tantæ magnitudinis, vt in eadem dispositione quoad densitatem, vel raritatem permanens, totum illum locum posset replere? Nullus enim

Reiicitur prior.

prudens negabit, hoc Deum facere potuisse, vel corpus Solis capax illius magnitudinis fuisse, vel longè perfectius esse, quòd totum illud corpus, quo locus ille repletur, sit vnum integrum, perfectum, ac singulare, & illi loco adæquatum, quàm quod fuerit ex duobus corporibus diuersarum naturarum aggregatum. Præterquam, quòd illa nubes fuit naturæ elementaris, incredibile est, permanere nunc in loco cœlesti, & supra tres inferiores cœlos, Soli quasi permixta. Si autem illa nubes fuit ex materia cœlesti, erit quidam paruus Sol, ex quo, & ex alio Sole quarto die facto integer prout nunc est, coagmentatus sit, quod quidem cogitare, vt compositum ex duobus corporibus distinctis, & non continuis, vanissimum est. Dicere autem illum paruum Solem primo die factum, quarto die creuisse in Solem magnum: & contra naturam cœlestis corporis est, & contra fundamentum illius sententiæ, quòd substantia Solis quarto die facta fuerit, nam Scriptura non dicit, Deum augmentasse Solem, vel fecisse partem eius quarto die, sed absolutè fecisse luminaria magna, &c.

Reiicitur posterior.

Alium item modum fingentem nubeculam illam lucidam extra solem permanentem, & ita illi coniunctam, vt discerni non posit, refert August. lib. 1. Genes. ad liter. c. 10. & tacitè reijcit tanquam rem superfluam, & sine fundamẽto dictam. Quod etiam sensit Damascen. lib. 2. de fide c. 7. Nam cùm ipse sentiat, lucem primo die factam, in Sole & stellis positam fuisse, subiungit, *N. quæ verò primigenam lucem luminaribus istis summus ille rerum opifex ad circo imposuit, quòd alterius luminis penuria laboraret, sed nec lux illa iners, ac superuacanea maneret.* Denique minus credibile est, Deum fecisse corpus illud propter solum vsum trium dierum, & postea sine vllo vsu illum conseruasse, per tot secula, & motum etiam eius vniformiter cùm sole, vel sub sole conseruasse, solùm ne discerni posset sine alia vtilitate, vel fructu. Minus, inquam, credibile hoc est, quàm quòd post primos tres dies statim fuerit dissolutum, quia nec per se ad pulchritudinem, vel integritatem vniuersi pertinebat, nec vsui iam erat. Neq; etiam dici potest, corpus illud non durare sine fructu, quia coniunctum Soli fortior fit illuminatio, quàm si à sole tantùm fieret. Hoc enim est contra perfectionem, & sufficientiam diuinorum operum, fecit enim Deus solem, vt luminare maius, quod præesset diei: ergo fecit illum ad tale munus sufficiens, & cum efficacitate necessaria ad illuminandum mundum, quantum ad illius statum & regimen sufficiens, ac conueniens fuit.

9. Ex his ergo concludimus, nullum conuenientem exitum habere potuisse post triduum nubem illam, ac proinde credendum non esse à Deo fuisse in orbem terrarum introductam, cùm in illo non esset permansura, nec ex ea aliquid nobilius illa esset generandum. Quia ex illa non potuit generari sol, quia non est factus ex materia corruptibili, vt iam supra diximus. Propter quod alij tandem fatentur illam non fuisse nubem ex materia elemẽtari, sed fuisse globum quendam cœlesti materia constantem, & perpetuò durabilem, & ex eo fuisse postea factum solem, non per substantialem mutationem, sed per materiæ condensationem, & figurationem, & lucis accessionem. Ita ferè Pererius. Sed non videntur hæc satis consequenter dici, maximè cum ipse tanquam vnum ex præcipuis huius materiæ fundamentis illam regulam Augustini supponat, quòd in naturæ institutione non sunt introducenda miracula, præsertim vbi diuina reuelatio ad illa admittenda non cogit. Nam eadem ratio est de quocunque opere præternaturali, nam suo modo miraculosum dici potest. At verò condensatio corporis, seu materiæ cœlestis omnino præternaturalis tali corpori est: ergo hæc etiam condensatio non est ponenda in illo corpore lucido facto primo die, si fuit cæleste, nam quoad substantiam fuit ipse sol, quoniam vel forma illius corporis postulat in materia sua tantam densitatem, quantam nunc habet sol vt sit connaturali modo: & sic corpus illud fuisset à principio sine connaturali dispositione factum, quod est contra perfectionem diuini operis, nam erit monstrosum, nisi dicatur esse miraculosum, aut propter solam obedientialem potentiam non fuisse violentum. Vel è contrario, si corpus illud in sua naturali dispositione creatum fuit, condensatio postea subsequuta fuit violenta & præternaturalis. Neque enim dici potest, illam formam esse indifferentem ad hanc, vel illam condensationem, cùm omnis forma certam dispositionem in sua materia connaturaliter postulet, quæ dispositio in corpore incorruptibili esse debet naturaliter immutabilis. Magisque vrget hæc ratio, quia Scriptura, nec dicit, nec indicat, cuius densitatis, vel raritatis corpus illud fuerit: cur ergo fingitur fuisse rarius, quàm sit Sol, cùm vtriusque substantia eadem fuerit? Item cur cogitatur maioris magnitudinis, & extensionis, quàm sit globus Solis, vt condensari oportuerit, vt locus Solis illud capere posset? Item cur supponitur fuisse alterius figuræ, quàm Sol, vt noua figuratione indiguent, cum de hoc Scriptura nihil dicat, nec sine magna mutatione incorruptibili corpori repugnante ieri potuerit? Ac denique vnde constat, lucem factam primo die non fuisse tam intensam, quanta est lux Solis, vt fuerit necessaria postea lucis accessio, quod (vt statim dicam) Soli etiam præternaturale fuisset. Denique ista sententia supponit corpus Solis quoad substantiam suam prius esse factum extra locum, quem nunc occupat in suo orbe, & post tres dies fuisse ibi inclusum, quod valde præternaturale est, & habet difficultates in principio tactas: & ideo non est facile credendum, cùm Scriptura non cogat. Tota etiam hæc opinio supponit, vel orbem Solis non fuisse in principio creatum, cuius contrarium docuimus, vel fuisse creatum sine globo Solis, quod monstrosum iudicamus. Propter has ergo difficultates hunc secundum dicendi modum non amplectimur.

4. Responsio Pererij.

Impugnatur

Tertius modus dicendi est, lucem illam fuisse tandem cum luce Solis, & non fuisse ab omni corpore separatam, neque alteri corpori, quàm Solari inhæsisse, sed in ipsomet sole fuisse factam. Ita tamen, vt priùs substantia Solis fuerit creata, vtique in primo instanti creationis cæli, & terræ, post aliquod verò tempus factam esse lucem in ipsomet corpore Solis. Quantum verò fuerit illud tempus, incertum nobis est, quia non est reuelatum: quòd verò aliquod fuerit, probat hæc sententia ex verbis illis, *Et tenebræ erant super faciem abyssi* ad quas tenebras depellendas, vel à die diuidendas, facta est lux: ergo, si substantia Solis iam erat, quando erant illæ tenebræ, profectò præcessit tempore sine luce, nam tenebræ tempore præcesserunt lucem, vt in fine libri præcedentis diximus. Et quidem quod ad literam Scripturæ pertinet, nullam habet hæc opinio difficultatem in verbis, quibus opus primi diei narratur: imò in omni proprietate, & rigore illis cohæret. Superest verò illi difficultas, quæ ex opere quarti diei nascitur, quam nos obijcere non possumus, quia inferiùs à nobis dissoluenda est cap. 8.

Nihilominus tamen huic sententiæ non adhæremus, quia semper in illo principio perstitimus, quòd Deus in principio nullas res condidit præternaturali, monstroso, aut miraculoso modo. Solem autem carere luce monstruosum est, ac præter-

præternaturale, & sine magno miraculo fieri non poterat: ergo verisimile non est ita fuisse creatum. Probatur minor, quia recta ratio naturalis omnino suadet credere, lucem solis esse intrinsecam proprietatem eius, ab illius forma naturaliter resultantem, non minus enim sol est per se lucidus (vtique per se secundò) quàm ignis sit calidus, creare autem ignem calore priuatum, nimis præternaturale esset, ac miraculosum: ergo etiam creare solem sine luce, præternaturale & miraculosum fuisset. Vnde aliqui, prædictam sententiam moderantes, dicunt, non fuisse creatum solem sine omni luce, sed cum minori, quam ad illuminandum mundum erat necessaria, & hoc augmentum recepisse, cùm dictum est, *fiat lux*. Veruntamen hæc moderatio nō soluit difficultatem sumptam ex ratione naturali, & minus propriè verba exponit, quia non dictum est, *crescat lux* sed, *fiat lux*. Quòd si hæc verborum extensio permitteretur, vt fortasse permitti posset, si aliud non obstaret, alio faciliori modo verba illa poterunt exponi, vt infrà videbimus. Probatur igitur prior pars, quia non lux remissa, sed tota, quam nunc Sol habet, est proprietas naturalis eius: non est enim maior ratio de vno gradu, quàm de alio: ergo creare solem cum minori luce, seu remissa, etiam fuisset opus imperfectum, & præternaturale. Et confirmatur, nam credimus, Deum, cuius opera perfecta sunt, creasse Angelos cum omni perfectione sibi connaturaliter debita, & hominem creasse, non solum cum perfectione debita naturæ, sed etiam cum omni perfectione dicente, & conueniente illi statui, & operi manuum eius. Ergo cum proportione idem de elementis, & de corporibus cœlestibus cogitandum est, saltem quoad intrinsecas, & connaturaliter debitas proprietates: cur ergo aliter de sole iudicabimus? Dicet aliquis opera DEI non esse ratione naturali tam exactè metienda, potuit enim propter altiorem finem creare solem sua luce carentem, etiamsi hoc præternaturam fuerit, vt vel per hoc intelligerent homines in sole nihil esse diuinitatis, neq; aliquid virtutis habere, sed sub dominio Dei esse, à quo tunc lucem habuit, quando Deus illam conferre voluit. Respondetur, nos minimè negare, id Deum facere potuisse, neque etiam inuenire potuisse rationes ad id faciendum, si facere voluisset. Dicemus tamen, id nō esse credendum, nisi reuelatum esse probetur, neque etiam illum productionis modum pro prima rerum institutione esse accommodatum. Neq; ad illum finem instruendi homines erat miraculum illud necessarium, tum quia satis ostenditur, nihil diuinitatis esse in sole ex eo, quòd creatus à Deo est: tum etiam, quia miraculum illud hominibus constare non poterat, nisi per diuinam reuelationem, & fidē: ideoq; nihil cōducere poterat ad persuadēdum, solem non habere à se, sed à Deo lucem suam & perfectionem.

Est ergo 4. sententia, quæ in primis dicit, lucem factā primo die verbis illis, *fiat lux*, nō fuisse lucem alicuius corporis illuminātis, quæ, vt sup. notaui, in quadā rigorosa proprietate lux dicitur: atq; ita neq; fuisse lucē solis, i. soli inhærentem, neq; etiam lucem ignis, neq; verò alterius corporis in quo tāquam in fonte fuerit. Sed fuisse lucem corporis illuminati, quæ in dicto rigore lumen dicitur. Nihilominus tamen non fuisse illud lumen à sole productum, qui nondum erat, licet fuerit eiusdē rationis cū lumine, quod nūc sol efficit in aëre, quia potest esse idem effectus, licet nō fit ab eadē causa. Vnde concludit hæc sententia, lumē illud factum esse immediatè à solo Deo sine interuētu causæ proximæ creatæ. Fundamentū huius sentētiæ quoad primam partem est, quia supponit solem esse factum quarto die, non antea: vnde infert ēt lucem Solis non esse factam ante quartum diem, quia non per se fit, sed comproducitur cum sole. Ergo lux facta primo die non potuit esse lux solis. Quod autem neque alterius corporis illuminantis fuerit, persuadere potest hæc sententia rationibus à nobis factis contra secundum dicendi modum. Quæ possunt in hunc modum vrgeri: nam si lux facta illo primo die fuit fons luminis, profectò debuit esse eiusdem rationis cum luce Solis, quia Scriptura loquitur de luce nobis nota, quæ non est alia potens ita luminare, vt diem efficiat, nisi lux solis. Vnde etiam concludi potest, illam lucem non minus intensam, & efficacem fuisse, quàm sit lux solis, quia tres illi primi dies non minus perfecti, & illustres fuerunt, quàm cæteri. Ergo illa lux non solùm eiusdem rationis, sed etiam æqualis fuit luci solis. Ergo signum fuit factam non fuisse sole nondum perfecto, quia neque in elementari corpore fieri poterat, nisi præternaturaliter, & cum magno miraculo, neque in corpore cœlesti, quod non esset, vel eiusdem rationis cum sole, vel saltem æqualis perfectionis. Huiusmodi autem esse non potuit, alioqui aliud corpus solis postea necessarium non fuisset.

Et ex hac prima parte infertur secunda, tum quia inter lucem, & lumen non datur aliud genus visibilis lucis: ergo si illa non fuit lux quasi in fonte, saltem debuit esse lumen sensibile corporis illuminati: tum etiam, quia necesse est exponere illa verba, *fiat lux* in aliquo sensu proprio, significare autem cum proprietate potest illa vox *lux* tam lucem, quàm lumen, secundum vsum Scripturæ, & maximè secundum proprietatem Hebraicam, vt supra dixi: neque aliam propriam significationem habere potest, vt ex vsu, & consensu omnium manifestum est: ergo si illa lux facta, non fuit corporis illuminantis, necessarium est, vt saltem fuerit lumen corporis illuminati. Et consequenter etiam fuisse eiusdem rationis cum lumine præsentium dierum, quod mediante sole in aëre fit, quia Moyses vniuoce (vt ita dicam) ad homines loquutus est, de diurno lumine omnibus conspicuo. Item quia tres primi dies eiusdem rationis fuerunt cum tribus vltimis, & cum cæteris, qui postea facti sunt: quia non est verisimile, de illis diebus Scripturam æquiuocè loqui. Denique nulla ratio probabilis occurrere potest ad cogitandam diuersitatem specificam inter illa lumina, quia ex sola causa efficiente non colligitur: præsertim si verum est, solum Deum fuisse immediatam causam illius lucis, seu luminis trium priorum dierum, quia Deus solus potest sua virtute facere lumen, vel alios effectus, quos mediante sole, vel alijs causis secundis facere solet: vt est in Theologia per se notum.

13. *Secunda pars probatio.*

Et hinc probatur tertia pars illius sententiæ, quia Deus per se fuit sufficiens causa illius lucis, & tunc nulla propinquior interuenit: ergo solus Deus fuit immediatè illius luminis causa. Minor patet ex dictis, quia tunc non adfuit sol, neq; aliud corpus lucidum supplens vicem eius. Et confirmatur, nam hoc est consentaneum verbis illis, *Dixit Deus, fiat lux*, nam illud dicere fuit, facere. Vnde sicut solus Deus dixit, ita solus Deus fecit. Hanc sententiam excogitasse videtur Burgensis in Gen. & placuit Molinæ tract. de opere sex dierum disp. 7. Vnde Eugub. libro 7. de Peren. philosoph. cap. 8. & Dion. Carthus. in 1. cap. Genes. Sed fortè quis interroget, quomodo Deus discreuerit lucem à tenebris, vel fecerit naturalem diem constantem ex mane, & vespere. Quia si Deus ipse fuit immediata causa luminis, totum mundum æque illuminaret, cùm non sit maior ratio affirmandi, illuminasse potius hanc partem, quàm illam, vel hoc hemisphærium potius, quàm alterum, & eadem ratio-

14 *Tertia pars probatio.*

Interrogationi satisfit.

ratione æqualiter conseruaret illud, neque vlla causa successionis diei, ac noctis assignari posset. Facile tamen ad hoc respondent, Deum non esse naturale agens, sed liberum, & ideo libertate sua potuisse prius vnum hæmispherium illuminare, quam aliud, neque huius arbitrij aliam rationem necessariam esse præter libertatem Dei, quia omnia operatur secundum consilium voluntatis suę: verisimile autem est, illuminasse prius hoc nostrum hæmispherium, in quo primum hominem sua etiam voluntate creaturus erat. Et simili modo diuisit diem, & noctem, non per motum localem alicuius corporis illuminantis, sed per successiuam emissionem luminis, & suspensionem influxus eius in varijs partibus aëris, & orbis, cum eodem modo, & vniformitate, qua sol ipse, si adesset, & moueretur, id faceret.

15. *Hæc exp sitio placet aliqualiter, displicet tamen primo in fundamento sua 1. partis.*

Hæc sententia quoad primam, & secundam partem mihi placet quantum ad expositionem verborum Genesis de luce primo die facta. Tria vero in illa displicent, primum est fundamentum primæ partis eius, nimirum, lucem factam illis verbis, *fiat lux*, non fuisse lucem Solis, eo quod sol non esset, quando Deus dixit, *fiat lux*: nam probatum est à nobis in superioribus, cælum à principio cum orbe suo creatum esse, & consequenter probatum est, à principio etiam habuisse totam lucem suam vt necessitate naturali à forma sua dimanantem. Vnde nos potius illam partem probamus, quia lux Solis facta iam erat, quando Deus dixit: *fiat lux*: ergo non potuit fieri per illa eadem verba, seu per actionem illis significatam. Probatur consequentia, quia productio lucis distincta actio fuit à creatione cæli, & terræ facta in primo instanti per quam lucidum solem factum esse supponimus: ergo non fuit factus, nec luce intrinseca ornatus, per alteram actionē, qua facta est lux. Quia non potuit bis fieri, præsertim cum supponamus hanc productionem lucis esse tempore posteriorem creatione mundi, vt in superioribus probatum est, & iterum statim dicetur. Quocirca si aliquando graues auctores dicunt, lucem factā per verba illa, *fiat lux*, fuisse ipsam lucem Solis: non videtur intelligendum de luce intrinseca, & inhærente Soli, sed de irradiatione, seu illuminatione Solis, ita vt perinde fuerit dicere, *fiat lux*, ac dicere, sol mundum illuminet.

Sensus non incongruus verborum fiat lux.

Aliorum sensus alius.

Aliqui vero dicunt, etiam posse intelligi de ipsa luce Solis intrinseca, non quidem quoad totam substantiam eius, sed quoad formationem ipsius. Dicunt enim prius cum sole in ipso factam esse informem, postea vero esse formatam, & perfectam esse informem, postea vero esset formatam, & perfectam. Veruntamen si hoc intelligatur de formatione per intensionem aliquam & additionem intrinsece factam illi luci, non possumus cōsequenter loquendo in eam descendere sententiam, quia, vt supra dixi, in proprietate intrinseca eadem est ratio de toto, & de parte, seu de gradu perfecto, quia tota lux solis secundum omnes gradus suo ęquali necessitate Solis formam consequitur, vt supra dixi, & iterum in opere quarti diei dicam. Si vero illa formatio lucis Solis, intelligatur secundum quandam extrinsecam perfectionem solum, quam censetur habere sol vniuerso orbi se communicando propter quandam maiorem similitudinem ad Deum, quam in eo statu habet: & consequenter etiam intelligatur secundum cōditionem intrinsecam ad hanc vniuersalem illuminationem requisitam: sic verum est, lucem Solis prius aliquo modo informem fuisse, postea vero creuisse non in se, sed in diffusione sua, & ad hoc recepisse diurnum motum primi mobilis, & ita fuisse accidentaliter formatam. Atque in hunc modum intelligendus est Dionys. Areopagit. cap. quarto, de diuinis nominibus 1. part. non longè à principio, vbi prius laudat lucem Solis, & in ea dicit esse expressam diuinæ bonitatis imaginem quatenus ex se omnia illuminat, & penetrat sua magnitudine, & efficacitate, & totius labentis temporis est mensura, & adiungit. *Ipse est enim ea lux, (etsi tunc erat informis, quod & diuinus Moyses ait,) quæ primam distinxit, & diffiniuit dierum nostrorum trinitatem.* Vbi in primis manifesta est sententia Dionysij, lucem, quæ illuminando distinxit illos tres dies, nō fuisse, nisi lucem Solis: & cum dicat prius fuisse informem, supponit, quoad substantiam prius fuisse, ac proinde solum accidentaliter fuisse informem. Et ita exponit Diuus Thomas q. 67. articulo quarto ad secundum. Addit vero, lucem illam Solis fuisse informem, quia *tantum habebat virtutem illuminatiuam in communi, postea vero fuisse formatam, quia data est ei specialis virtus ad particulares effectus.* Quæ sententia Diui Thomæ referri potest ad totam lucem primi diei comparatam ad productionem luminariam factam quarto die, & in hoc sensu ibi tractabitur: vel potest referri ad lucem in principio concreatam cum substantia Solis, comparando illam ad opus primi diei, quando dixit Deus, *fiat lux*, & sic, vt verum habeat, exponenda est iuxta ea, quæ diximus: quia nulla maior, vel specialior virtus illuminandi, vel agendi data est præexistenti luci Solis per illa verba, *fiat lux*, præter illam quam ex motu primi mobilis accipere potuit quæ extensiua potius, quam intensiua dici potest, seu secundum conditionem necessariam ad vniuersalem illuminationem, non in ipso principio per se illuminandi, vt iam declaratum & probatum est.

D. Thom. 1. part. quæst. 67. artic. 4. Dionysium exponens.

Quæ ex parte non sit admittendus iste sensus.

Qua sit admittendus.

Ex quibus omnibus concludimus, in primo die 16. post totum opus creationis factum in primo instanti, quod fuit primum instans extrinsecum illius diei, nullam lucem quoad substantiam, velin trinsecam entitatem suam denuò factam esse præter lumen factum in alijs corporibus à sole illuminatis. Vnde si quis verba illa Genesis: *Dixitque Deus, fiat lux, & facta est lux, & vidit Deus lucem, quod esset bona*, velit referre ad ipsum solem, & intrinsecam lucem eius, potest illa per recapitulationem exponere. Vt enim Moyses exponat, quid Deus addiderit in illo primo die mundo sensibili à principio creato, resumit, & in particulari declarat, lucem tunc factam imperio Dei, quæ ipsi etiam valde placuit, & deinde adiungit, *& diuisit lucem à tenebris*, quod specialiter illo die factum est mediante motu, & illuminatione Solis. Si vero eadem verba, *fiat lux*, intelligantur de productione lucis quo ad substantiam eius, non sunt intelligenda de luce, quæ est in sole, sed de illuminatione orbis, quæ etiam dici potest lux Solis, quia à sole est, & hæc expositio mihi magis probatur, quia magis proprie declarat verbum *fiat*, retenta etiam propria significatione vocis *lux*. Vnde cum additur, *& factum est ita*, non solum significatur, lucem Solis in se factam esse, sed etiam mundum illuminari cœpisse. Et similiter cum additur, *Et vidit Deus, quod esset bona*, non solum significatur, Deum Solis lucē approbasse, sed etiam illi maximè placuisse, quod mundum illuminaret. Vnde quod additur, *& diuisit lucem à tenebris*, non explicat nouum opus: sed modum eiusdem operis seu illuminationis declarat, quia non ita facta est, vt simul totum orbem occuparet, sed vicissitudine quadam lucis, & tenebrarum. In qua tota expositione nihil violentum, nihilve improprium apparet, & alioqui fine miraculis aut præternaturalibus effectibus, primum initium ornatus, & distinctionis rerum vniuersi ad ipsius pulchritudinem, & conseruationem in primis necessariam, optime describitur: ergo merito hæc expositio alijs præfertur.

Concilium Nicænum Prouinciale Damascenum Basilium &c.

Hinc secundo displicet nobis sententia Bur-

genſis

genesis in eo, quod tertio loco dicit, lumen tunc factum in aëre, vel alijs corporibus, à solo Deo sine interuentu Solis fuisse productum. Tum quia in hac parte repugnat illa sententia Dionysio, quem in hoc & D. Thomas, & multi alij sunt sequuti: tum etiam, quia illa sententia supponit, non solum non fuisse creatum solem, vel lucem eius per illa verba, *fiat lux* verum etiam, neque antea extitisse, vel quoad substantiam, vel saltem quoad lucem suam, cuius contrarium docuimus, & in opere quarti diei illud amplius defendemus. Neque illa sententia quoad hanc partem habet fundamentum in verbis illis, *fiat lux*, quia ibi verbum *fiat*, iuxta expositionem, quam sequimur, non significat productionem ex nihilo, sed eductionem formæ accidentalis ex præexistente subiecto, quæ per causam secundam fieri potest. Vnde cum talis causa tunc non deesset, per illam fieri debuit. Quia vero facta est, iubente Deo, & volente, & ordinem vniuersi disponente, ac cooperante, ideo cum omni proprietate scripsit Moyses, dixisse Deum, *fiat lux*. Sicut etiam in alijs operibus sequentium dierum videbimus, multa fecisse Deum cooperantib aliquo modo, vel Angelis vel alijs causis secundis, & nihilominus Deo tanquam primo auctori, & motori simpliciter tribui.

Tertiò displicet dicta sententia in eo, quod asserit, diuisionem diei, & noctis non esse factam illis tribus diebus per motum localem cœli, ad per subtractionem, & exhibitionem diuini influxus. Quam sententiam alio modo prius tradiderat Damascenus libro secundo, capite septimo, & ante illum Basilius homil. 1. in Genes. vbi dicit, tunc noctem vicissim successisse diei, *non quidem secundum notionem Solis sed primigenia illa luce summum splendorem diffundente, seque rursum contrahente, idque pro mensura à Deo definita*. Itaque quod præcedens opinio tribuit Deo immediatè operanti, id tribuit Basilius etiam luci creatæ ad illuminandum, quã tunc factam esse supponit. Vnde nouum miraculum adiungit Basilius, & ideo eius sententia difficilior creditu est, vt notauit Augustinus suppresso Basilij nomine libro primo Geneseos ad literam capite vndecimo, & 16. Accedit, quod si lux illa creata fuit, etiamsi non esset in sole, sed per se subsistens, non poterat successiue illuminare diuersas partes orbis, nisi successiue etiam ad illas applicaretur, & consequenter ab alijs recederet, quia illuminare non posset nisi ad certam distantiam: ergo necessarium erat illam lucem localiter moueri. Nisi fortasse existimauerit Basil. illam lucem simul fuisse circunfusam per totum orbem, simulque fuisse sufficienter applicatam vtrique hemisphærio, ita vt posset simul vtrunque illuminare, si Deus voluisset. De facto vero non ita illuminasse, sed successiuè per subtractionem, vel emissionem radiorum, quia Deus ita disposuit. Sed hic modus cogitandi lucem illam creatam totum mundum simul occupantem nullũ habet in Scriptura fundamentum. Fuissetq; superflua tanta multitudo, seu magnitudo lucis, quandoquidem non erat simul totum orbem illuminatura. Deniq; successiua illuminatio, & diuisio diei, & noctis cum luce minoris magnitudinis solo motu locali adiuncto facilius, & sine nouo miraculo fieri potuit: ergo frustra tanta magnitudo lucis cogitatur, & nouũ miraculum ad illius operis perfectionem adiungitur. At vero si lux illa, quæ diem fecit, & noctem, sola fuisset increata lux, de illa verè diceretur, totam simul fuisse præsentem toti orbi, & vtrique hemisphærio eius, ac subinde non aliter potuisse successiue efficere diem, & noctem, nisi successiuè subtrahendo, vel prębendo influxum suum, quod quidem pro sua libertate sine nouo miraculo facere potuisset: nihilominus tamen modus hic operandi minus naturalis est, tum quia Deus operatur per causas secundas quando non desunt: ostendimus a. ibi non defuisse: tum etiam, quia q. Deus semel per se producit, quãtum est ex se semper illud conseruat, nisi ex parte ipsarum rerum, vel causarum naturalium sufficiens causa corruptionis intercedat: ergo multo melius dicitur, illam successionem diei, ac noctis non fuisse factam ex sola libertate diuinæ voluntatis suum influxũ dantis, vel auferentis, sed necessitate naturali ortam esse ex conditione, & limitatione lucis illuminantis, nam dum ad alias partes mũdi illuminãdas accedit, ab alijs recedit, quas subinde illumina re desinit, vnde vicissitudo noctis, & diei oritur.

Ex quibus tandem colligimus ad opus huius primi diei pertinuisse non tantum luminis productionem, sed etiam diurnum motum Solis, seu motum primi mobilis, ad cuius raptum diurna circulatio Solis efficitur. Ita docet D. Thom. q. 70. a. 2. ad 3. & Theologi, ac moderni frequentius, & ex dictis apertè concluditur, quia lux illa facta est per illuminationem successionum vniuersi secũdum diuersas partes, seu hemisphæria eius: sed illa successio non potuit habere aliam causam propriam, & connaturalem, nisi motum Solis illuminantis: ergo motus ille simul cum lumine cœpit, & è conuerso. Atque ita explicantur facilè omnia verba Geneseos, quibus opus huius diei refertur. Nam in primis ponuntur illa verba, *fiat lux* quæ satis iam explicata sunt, & illorum efficacia per sequentia ostenditur, cum dicitur, *& facta est lux*: per id vero, quod additur, *& vidit Deus lucem, quod esset bona*, non solum conuenientia talis operis, & commoditas vniuersi, quæ in illo cernitur, sed etiam perpetuitas, & duratio talis operis declaratur. Nã per hoc, quod dicitur placuisse Deo tale opus, eius permansionem à Deo fuisse decretam significatur. Intelligendum autem hoc est de permanione operi accommodata. Diximus n. lucem tunc denuo factam non fuisse lucem inhærentem Soli, quę eadem numero semper durat, sed fuisse lumen aeri inditum, quod non ita permanet eadem in indiuiduo, sed continua successione mutatur, & ideo permanentia illius operis in perseuerantia illius continuæ successionis posita est. Et ita consequẽter additur, *& diuisit lucem à tenebris*, quę diuisio eodem modo durabilis facta est, vt vsque ad finem mundi perseueret. Resultat autem illa diuisio ex circulari motu Solis, qui tunc factus est, vt diximus. Cætera denique verba satis per se clara sunt, solumq; est in eis notanda diuersa significatio nominis diei, nam cum dicitur, *appellauitq; lucẽ diem & tenebras noctem*, nomen diei artificialẽ, quẽ vocant diem, significat: cum vero additur, *& factum est vespere & mane dies vnus*, naturalem diem designat, id est, integrum, & vigintiquatuor horarum, quem propterea Moyses appellauit diem vnum, id est, completum, & perfectum, vel phrasi Hebraica vnum vocauit, quia primus fuit, vt omittam alia mysteria quæ expositores considerant. Et hanc duplicem diei acceptionem notauit August. lib. 11. Confess. c. 23. & in Imperfect. Gen. c. 7.

19. *Corollar. ex dictis.*

Explicatiõ verborum Gen. ipsius tium ad 1. diem.

Vna supereſt circa prædictam resolutionem difficultas, quia ex ea sequitur, lucem factam hoc primo die in eodem instanti esse cœpisse, in quo creata sunt cælum, & terra. Consequens videtur repugnare Scripturæ: ergo & prædicta resolutio. Sequela probatur, quia in eodem momento, in quo creatum est cælum, creatus etiam fuit sol cũ sua luce perfecta, vt nos opinamur, sed sol in eodẽ instanti, in quo est, illuminat corpora sibi vicina, & capacia lucis: ergo in eodem instanti creationis suæ illuminauit inferiora elementa diaphana: sed tale lumen primo productum in aëre fuit opus primi diei, vt exposuimus: ergo illud in primo

20. *Difficultas contra hactenus resoluta.*

instanti

instanti creationis factum est. Minor autem primi argumenti probatur, quia de illo primo instanti scriptum est, *Et tenebræ erant super faciem abyssi*: ergo abyssus non fuit illuminata in illo instanti. Dicet fortasse aliquis, verba illa, *& tenebræ erant super faciem abyssi*, non intelligi secundum realem durationem, sed secundùm quendam naturæ ordinem, & ideo non esse contra veritatem illorum verborũ, quòd sol in eodem instanti, in quo fuit creatus, abyssum illuminauerit. Quia sensus verborũ est, hunc mũdum inferiorem de se esse tenebrosum, & ideo fecisse Deum solem, & iussisse, vt illum illuminaret, quod totum in eodem instanti temporis verum esse potuit, quia in illo prius natura, seu ex se aër tenebrosus fuit, & posterius natura illuminari potuit.

Quorundã enodatio iuxta decrimã Augustini supra relatam.

21. *Non satisfacit.*

At verò licèt hæc responsio in sententia August. asserentis omnia simul esse facta, locum habeat, nos illa vti non possumus, qui verâ successionem in illis operibus agnoscimus, & ita illam suprà reiecimus tanquam proprietati verborum minus consentaneam. Nam verbum illud, *erat*, simpliciter positum, & toties repetitum, veram existentiam in durationе reali significat. Deinde ex contextu constat, creationem cæli & terræ, & productionem lucis per illa verba, *fiat lux*, significatam, non fuisse simul durationе factam, sed creationẽ realiter, seu durationе antecessisse. Sic enim dicitur, *In principio creauit Deus*, &c. & statim describitur status, quem mundus inferior habuit in illo instanti, cùm dicitur, *terra autem erat inanis, & vacua*, &c. Postea v. additur, *& dixit Deus, fiat lux*, in quo nouum, & posterius opus significatur, magisque declaratur, addendo, *& diuisit lucem à tenebris*: ergo negari non potest, quia in hoc orbe inferiori tenebræ illuminationem eius tempore, vel reali durationе antecesserint: ergo lux specialiter facta prima die, non potuit in primo instanti creationis fieri. Præsertim, quia illud primum instans in rigore ad illum diem non pertinuit, sed vel fuit initium extrinsecum eius, vel fortasse maiori mora antecessit. Propter quæ D. Thomas 1. p. q. 74. art. 3. concludit, secundùm alios Patres præter Augustin. post productionem creaturæ fuisse aliquod tempus, in quo non erat lux. Verum est tamen, illos Sanctos supponere, solem etiam quoad substantiam, & lucem suam non fuisse vsque ad quartum diem creatum: in nostra autem sententia, in qua supponimus, Solis creationem in prima creaturæ productione factam esse, non ita facile explicatur, quomodo illuminatio Solis potuerit esse tempore posterior creatione eius, & consequenter quomodo tenebræ lucis creationem tempore præcedere potuerint.

Aliorũ Patrum enodationem affert D. Thomas.

22. *1. Causa antecessionis tenebrarum ad illuminationem Solis.*

Variæ igitur causæ illarum tenebrarum, quæ tempore præcesserunt illuminationem Solis, reddi possunt. Prima est, quòd Deus in illo principio noluerit cum sole ad illuminandum concurrere, donec dixit, *fiat lux*. Quæ quidem causa sufficientissima est, & sine dubio possibilis fuit pro Dei libertate. Quòd autem ita factum fuerit cùm pendeat ex voluntate Dei, solùm probari potest ab effectu reuelato, quia tenebræ præcesserunt, & non apparet alia causa probabilior, suppositâ Solis existentia. Hic verò dicẽdi modus in eam difficultatem à nobis sæpe obiectam incidit, quòd opus miraculosum, & extraordinarium in prima rerum creationе ponit, & ad declarandam historiam Genesis putat esse necessarium. Probatur, quia non minus miraculosum, & supernaturale esset solem in præsentia aëris illum non illuminare, quam ignem in camino Babylonico pueros non exurere, quod præternaturale, & miraculosum fuit. Posset autem responderi esse quidem hoc præternaturale post generalem legem à Deo statutam de concurrendo cum omnibus causis secundis ad ipsarum actiones, in primo autem initio creationis mundi nondum fuisse hanc legem statutam, quia tunc solùm decreuerat rerum creationem, de illarum autem propagatione, vel communicatione nondum disposuerat: & ideo pro tunc sine proprio miraculo imò consentaneo ordine, secundũ illum rerum statum, priùs solẽ creasse, postea verò cum illo ad illuminandum concurrisse. Accedit, non defuisse Philosophos, qui dixerunt: agentia creata non statim ac esse incipiunt, inchoare actionem, præsertim transeuntem, intrinsecè & in eodem instanti. Iuxta hanc ergo opinionem probabiliter dici potest, creaturæ non esse debitũ concursum ad agendum ad extra pro eodem instanti, pro quo fit. Quòd si hoc est probabile, etiã post diuturnam mundi conseruationem, multo quidem magis credibile erit de illo exordio mundi propter præcedentem considerationem. Eritq; hoc verisimilius, si tenebræ illæ solùm per instans temporis productionem lucis præcesserunt, vt paulo pòst videbimus. Propter quæ licèt ego simpliciter in hac sententia non quiescam, nihilominus inter eas, quæ aliquod extraordinarium opus diuinæ potentiæ, vel prouidentiæ admittunt in opere huius diei, hunc dicendi modum faciliorem, minùsque naturæ repugnantem esse existimo.

Inducitur tertia.

Alter modus exponendi hanc difficultatem est, ideo præcessisse tenebras, quia sol non potuit illas expellere, non quia concursu diuino caruerit, sed quia aër erat ita densus, & nebulosus, vt sol radijs suis illum penetrare non potuerit. Et explicatur hoc amplius, quia Scriptura non dicit, tenebras totum aërem occupasse, sed *super faciem abyssi fuisse*. Per faciem autem abysi satis propriè intelligitur superficies conuexa aquæ aëri contigua. Potuit ergo naturaliter contingere, vt sol statim illuminauerit aërem sibi propinquiorem, tenuiter tamen, ac remissè, propter dictam aëris indispositionem, & consequenter contingere potuit, vt actio, seu illuminatio, quæ eo remissior erat, quo in partibus remotioribus fiebat, prius finiretur, quã totam aëris profunditatem penetraret: ac subinde tenebræ super faciem abysi relinquerentur, quem dicendi modum attigit Augustin. excitando quæstiones potius, quàm definiendo, *lib. 1. Gen. ad liter. c. 11.* Agens enim de opere quarti diei ait, *Quid factus est sol in potestatem diei, qui lucere super terram sic lux illa* (vtique primi diei) *faciendo sufficerat? An illæ prior regiones superiores à terra longinquæ illustraret, vt sentiri non possit in terris* &c. Et clarius c. 12. *Nisi forte molem terrenam, & aquosam antequam esset ab alterutro vtrumque discretum, quòd tertio die factum scribitur, tenebras Deum appellasse quis dixerit propter crassiorem corpulentiam, quam lux penetrare non poterat.*

Inducitur secunda.

At verò Augustinus in his locis non meminit crassi, aut nebulosi aëris, sed tantùm aquæ & terræ. Quæ difficultas est ferè vnica in hoc dicendi modo, quia non apparet, vnde aër in sua creationе, vel densitatem, aut nebulam, vel crassas nubes habere potuerit, quia imperfecta naturali dispositionе creatus fuit, vt verisimilius est, neque nebula, aut nubes potuerunt tunc à sole excitari in illo primo instanti, vt per se notum est, neque etiam fingendum est, concreatas fuisse à Deo cum aëre, quia hoc nec fundamentum habet in Scriptura, nec per se est verisimile, cum illa sint mixta saltem imperfecta, quæ non fuerunt cum simplicibus concreata in actu, sed tantùm in potentia. Vnde illa magis ad opus secundi diei pertinent, vt ibi videbimus. Propter quod addi posset imitando Augustini verba Solis illuminationem peruenisse ad elementum aquæ, & magnam partem profunditatis abysi occupasse. Nihilominus tamen

propter

propter magnam aquæ densitatem, & multitudinem non potuisse totam aquarum abyssum penetrare, atque ita mansisse tenebras super faciem abysi, siue per faciem abysi superficiem vltimam aquæ intelligamus, non supremam, sed infimam, seu non conuexam, sed concauam, vtraque enim respectu diuersorum facies dici potest: siue superficies conuexa terræ facies abysi dicatur, quatenus totius abysi terminus est, sicut facies rei dicitur, ad quam visus terminatur. Et ita dicantur tenebræ fuisse super faciem abysi, quia lux ad terram non perueniebat: propter quod dicitur fuisse inuisibilis. Qui modus dicendi habet fundamentum in Basil. hom. 2. in Exaëmeron, vbi sic inquit, *Restat ergo, vt intelligamus, aquas super telluris superficiem mundasse antequam ad propriam stationem, sortemve humoris substantia segregaretur, atq; ex eo terram tunc inuisibilem, & inornatam fuisse:* & infra, *Erat inuisibilis terra. Quam ob causam quæso? Quia circumfusa vndique erat abysso. Quid abyssus significat? copiosam aquam, ad cuius fundum haud facile penetrari poterit deorsum versus.*

Veruntamen iuxta hanc sententiam non facile potest ratio reddi, cur post aliquam durationem, vel moram sol dicatur diuisisse lucem à tenebris mundum illuminando potius, quam in primo instanti. Nam si densitas & multitudo aquarum fuit causa illarum tenebrarum in primo instanti creationis, similiter post illam moram impedirent, ne illuminatio Solis vsq; ad terram perueniret, qua toto illo primo die eodem modo permansit abyssus circundans terram. Ad hoc autem responderi posset, cum Deus dixit, *fiat lux*, vel maiori concursu confortasse Solis actionem, vt vsque ad terram penetraret, vel aquas ipsas qualitate aliqua disposuisse, vt facilius illuminari possent. Quod Ambr. & alij explicant exemplo eorum, qui in profundo aquarum oleum ore fundendo clariora reddunt ea, quæ in profundo maris in superficie terræ occultabantur. Sed hæc quamuis impossibilia non sint, nec incredibilia, sunt tamen incerta, vel noua, ac extraordinaria opera, quæ in Genesi non narrantur illo die facta. Et præterea non satis cõstat, non potuisse solem sua virtute illuminando penetrare vsque ad superficiem terræ, etiamsi elementa aquæ & aëris in sua puritate existentia, terram circundarent, vnde Basilius supra, in allegata sententia non omnino persistit: nam iterum quærens, *Quamobrem pars terræ nulla tunc per aquas visendam se offerebat?* Respondet, *Quia lumine carebat aer, obtenebratusque adhuc erat, qui totam ambibat aquæ naturam.* Vbi significat, lucem Solis penetraturam fuisse aquam, si aërem illuminasset, ac proinde tenebras illas aërem occupasse.

Tertius dicendi modus esse potest, illas tenebras, quæ in principio creationis præcesserunt, non occupasse totam aquam, & aërem in circuitu totius orbis, sed in illo hemisphærio, in quo cœpit sol irradiare, quando dictum est, *fiat lux*. Quod hemisphærium hoc nostrum fuisse creditur, in quo & paradisus terrestris cõditus fuit, & primus homo creandus erat. In hoc autem hemisphærio potuerunt esse tenebræ per totum aërem & aquã diffusæ, quia sol in alio hemisphærio creatus non poterat propter terræ opacitatem suis radijs illuc pertingere. Atque ita illę tenebræ fiebant ex interpositione terræ, sicut nunc fit nox: non tamen habebant rationem, vel nomen noctis, quia non per successionem motus fiebant, & ideo simpliciter tenebræ appellantur. Sed obijci potest, quia si sol tunc erat, & illuminabat dimidiam mundi partem, licet aliam partem tenebrosam relinqueret, non magis tenebræ, quàm lux erant super faciem abysi: ergo simpliciter dici non potuit, aut debuit tenebras fuisse super faciem abysi. Imò in rigore non videtur allata causa vera, quandoquidem æqualis pars abysi lumine non carebat. Sed respondetur potest ex illo axiomate, quod bonum ex integra causa, & malum ex quocunque defectu: quia ergo tenebræ habent rationem mali, seu defectus, & imperfectionis, ideo simpliciter dici potuerunt tenebræ esse super faciem abysi, eo quod magnam, & præcipuam orbis partem occuparent. Nam considerari etiam potest, Moysem habuisse rationem illius hemisphęrij, in quo ipse scribebat, & de quo præcipuè loquebatur, quia etiam Deus illud ad creationem hominis elegerat, & in eo præcipua mysteria salutis humanæ operatus erat, ideoque veluti peculiarem curam, & prouidentiam illius habuisse videtur. Denique speciali ratione dici potuit, tenebras fuisse super faciem abysi, quia ex vi status, quem tunc mundus habuit, illæ tenebræ erant quasi permanentes, & stabiles, nisi Deus nouum opus primæ creationi addidisset. Vt si cogitemus solem creatum in alio hemisphærio in eo semper quietum permansisse, verè & propriè possemus simpliciter dicere, mũdum mansisse tenebrosum, & informem quoad vsum luminis, ac subinde tenebras esse super faciem eius: ita ergo mundus consideratus in illo exordio, secundum illum statum tenebrosus dici potest, quia nisi motus Solis eis adderetur, nunquam posset totus illuminari, sed semper præcipua ex parte, tenebris oppressus iacuisset.

Respondetur

Iterum obijci potest, quia gratis asserimus, solem in alio hemisphærio creatum fuisse, cum hoc non sit scriptum, nec vlla ratione ostendi possit. Imò eo ipso, quod nos fatemur, hoc hemisphærium esse, in quo creati sunt homines, credibilius videtur, fuisse creatum solem in hoc hemisphęrio, vt primum illuminaret terram, quam primus homo erat inhabitatur[9]. Respodemus, in primis necessarium fuisse, solem in primo instanti suæ creationis in vno hemisphærio esse, & non in alio, cum naturaliter simul in vtroque esse non posset. Cur autem in vno potius, quam in alio factus fuerit, nulla ratio sufficiens à nobis reddi potest, imo forte neque in reipsa fuit præter liberam voluntatem Dei, quia ex parte materiæ videtur res indifferens, sicut de partibus materiæ, quod hæc sit facta sub forma ignis magis, quam sub forma terræ, alibi dixit Diuus Thomas, idemque est, quod hæc pars terræ sit facta in centro, potius quam circa superficiem terræ: & perinde est, quod sol fuerit in hoc, vel illo hemisphærio creatus. Neque illa ratio de creatione hominis aliquid suadet, quia cum homo non fuerit in illo instanti creatus, nihil ad eius dignitatem, vel commoditatem pertinebat, quod sol in eodem hemisphærio fieret, in quo homo producendus erat. Addo denique ex ordine, & dispositione vniuersi, quam Deus respectu etiam habito ad creationem hominis in suo æterno consilio prædefinierat, opportunius fuisse, vt sol intrinsecè, vt ita dicam, non fieret in hoc hemisphærio, sed ita propinquus illi, vt per motum statim illud illuminare posset: nam commodius erat, vt hoc hemisphærium creationi hominis destinatum, statim connaturali, seu ordinario modo inciperet illuminari, tum etiam vt dierum, & noctium initium ab hoc hemisphærio sumeretur. Quæ omnia ex resolutione duarum dubitationum, quæ hic insurgunt, clariora fient.

27. Altera obiectio.

Eius dissolutio.

):(

CAPVT III.

Duo dubia de loco, & tempore, in quibus prima lux incepit, expediuntur.

1. *Dubitatio 1. accidentalis illa 1. opinio apud Bonau.*

PRima dubitatio est, quanta mora inter primam rerum creationem, & productionem lucis, prout facta narratur per illa verba, *fiat lux*, interfluerit. Quam dubitationem tractat Bonauentura in secunda quæstione distinctione 13. articulo primo, quæstion. 2. ad vlt. & duas refert opiniones. Vna est, creationem cælorum productionem lucis ordine tantum naturæ, non verò duratione reali præcessisse. Loquitur autem de productione lucis peculiari prout facta significatur per illa verba, *fiat lux*. Vnde quia ipse existimat, illam lucem fuisse nubem lucidam, quæ in eodem instanti, in quo facta est, cœpit illuminare. Consequenter ait, iuxta hanc opinionem creationem orbis, & illius nubis, & illuminationem orbis simul tempore esse factas, ac subinde nullam moram realis durationis inter primam creationem, & opus primi diei interfluisse. Et hanc opinionem tribuit Hugoni de sancto Victor. & ipse Bonauent. problematicè illam sustinet cum alia statim referenda.

Eius fund. Fundamentum huius sententiæ esse potest, quia mundus in primo die fuit conditus, in quo etiam facta est lux, vt Ecclesia in quodam hymno Dominicæ diei in matutino canit, & ex Scriptura sumitur, quatenus dicit, mundum sex diebus fuisse factum. Exod. 20. & 31. Ergo creatio mundi in aliquo illorum dierum est facta, & non nisi in primo, in quo etiam facta est lux: ergo in eodem die fuit vtraque facta: ergo non oportet, distantiam temporis inter illas actiones cogitare.

2. *Reijcitur tamen dicta opinio.*

Sed hæc opinio sustineri non potest, nisi accedendo ex parte ad sententiam Augustini, nimirum, quod tenebræ, de quibus dicitur, quod erant super faciem abyssi, nunquam in reipsa fuerint, sed tantum cogitatione nostra (vt ita dicam) quia essent, si corpus illuminans non adesset. Quod nobis placere nullo modo potest propter rationes supra tactas, ob quas omnino verum cēseo, quod supra dixi, tenebras realiter præcessisse saltem in hoc hemisphærio, prius quam à sole illuminaretur. Quam sententiam docet Diuus Thomas 1. p. quæstion. 66. articul. 1. & in 2. distinction. 13. quæst. 1. artic. 4. vbi dicit esse magis consentaneam Scripturæ, eamque tribuit Basilio, & Chrysostomo, estque omnium Græcorum, & Ambrosij libr. 1. Exaëmeron. ca. 8. & Hieronymi Epist. 83. ad Oceanum: & Hugonis de sancto Victore libr. 1. de Sacr. p. 1. cap. 6. & 9. Bonauent. vero non designat locum Hugonis, vbi contrarium dixerit. Ex hac autem resolutione manifestè sequitur aliquem ordinem realis durationis inter creationem, & productionem lucis interfluisse, ratione cuius prius duratione fuerunt tenebræ, quam lucis productio. Quanta vero fuerit illa duratio, explicandum superest.

3. *2. Opinio apud eundem Bona. quam tribuit Beda*

Est ergo secunda sententia, quam Bonauent. refert, & attribuit Bedæ, ac problematicè cum præcedenti illam approbat, lucem factam esse primo die post sex horarum moram. Quamuis enim illam moram tunc motus Solis non mensuraret, quia motus cæli nondum erat, tanta vero fuit, vt si motus diurnus Solis iam esset, sex horas in illa consumeret. Sicut quando sol quieuit Iosue 10. quies illa non potuit actu mensurari per motum Solis, & nihilominus certam durationem habuit, aptam mensurari motu Solis, quæ tunc potuit per alium proportionatum motum mensurari. Illam ergo moram tenebrarum ante productionem lucis sex horarum fuisse ista opinio affirmat. Fundamentum eius est, quia illa prima dies non habuit mane, sed à vespere incepit, vt patet ex illis verbis, *factum est vespere, & mane dies vnus*. Ergo lux illius diei incepit à meridie in hoc hemisphærio, in quo facta est, Ergo per sex tantum horas durauit, quia verisimile est, diem illum æquinoctialem fuisse, in quo sol à meridie vsque ad occasum sex horas consumit. ergo necessarium fuit, vt totidem horis tenebræ ante creationem lucis durassent, vt primus ille dies cum sequenti nocte finiri posset in puncto orientali, vt inde secundus dies incipere, & per integram conuersionem Solis in eodem puncto perfici posset, & ita consequenter omnes dies posteriores fierent. Quod si obijcias, quia hinc sequitur primum diem non fuisse integrum, cum sex horæ matutinæ partis illi defuerint. Respondent, illas sex horas tenebrarum in hoc primo die computari, & ita à primo instanti creationis vsq; ad finem primi diei plenum numerum viginti quatuor horarum inueniri.

Hæc tamen opinio falso nititur fundamento dum asserit, diem illum primum nō habuisse mane, nam in eisdem verbis, in quibus illud fundamentum nititur, simul dicitur, habuisse vesperam, & mane: ergo non possumus propter ordinem verborum id negare, quod in eisdem verbis expressum est. Nam quod vespera, quæ posterior est, prius nominetur, non potest obstare quominus verum sit fuisse in eodem die cum mane coniunctam, cum Moyses dicat, *Factum est vespere, & mane dies vnus*. Nec quia prius nominauit vesperā, ideo prius in re facta est vespera: quia neque id Moyses in illis verbis affirmauit, nec ex illis colligi potest, quia sæpe contigit, ordine retrogrado partes rei à posterioribus incipiendo numerari. Et efficax argumentum est, quod etiam de die secundo, & sequentibus eodem modo dicitur, *Factum est vespere, & mane dies vnus*. Et non propterea dicendum est, cæteros dies caruisse mane. Vnde sumitur secundum argumentum contra hanc sententiam, quia dies primus similis fuit sequentibus: ergo incepit mane, & in fine noctis consummatus est, sicut cæteri. Consequentia est clara, & antecedens probatur, tum quia eisdem verbis de illo sicut de alijs concluditur, *Factum est vespere, & mane dies vnus*: tum etiam, quia facta luce dicitur, *& diuisit lucem à tenebris*, appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem, vbi diei nomine integrum diem artificialem intelligit, vt ex Augustino supra notauimus, & ex distinctione inter ipsum, & integram noctem, satis colligitur: ergo sicut prima nox fuit integræ duodecim horarum, ita prima lux integrum artificialem diem totidem horarum confecit.

Tertio displicet nobis hæc sententia, quia supponit, lucem factam primo die post instans creationis fuisse solem. Ipsumque in meridie cœpisse illuminare hoc hemisphærium, ac proinde motu primi mobilis sex horis post creationem mundi incepisse. Nam supra ostensum est orbem Solis simul cum alijs cælis in principio creatum esse, & consequenter cum illo fuisse creatum solem, ne miracula, vel nimis extraordinaria opera in illo principio facta esse dicamus: ergo nō potuit sol sex horis post creationem cæli, & terræ fieri. Et sane, si Solis productio posterior tempore creationis cæli, & terræ fuisse credatur, melius quarto die, quam primo factus esse existimabitur. Quia Scripturæ verba hoc magis significant, si iuxta verborum corticem exponantur. Quod vero motus primi mobilis non tam tarde inceperit, & quod sol non inchoauerit huius hæmisphærij illuminationem à meridie, statim ostendemus. Denique quamuis Beda in Exaëmeron explicans lucem factam hoc die, dicat, *incepisse in superioribus eiusdem terræ partibus, quas & nunc diurna Solis lux illustrare consuescit*, & ita

& ita tunc emicuisse, non tamen dicit, incepisse à meridiana illuminatione, nec per superiores terræ partes intelligit, partes cæli altiores respectu nostri supremas: sed totum hoc hemisphærium, respectu cuius paulo post aliud hemisphærium inferiores mundi partes appellat. Et iterum sic ait, *Diuisit lucem à tenebris, non solum qualitatis, sed etiam locorum distantia, lucem videlicet in superiore orbis parte diffundendo, in qua humana erat conuersatio futura, inferiora vero eius prisco in tenebris remanere sinendo.* Et inferius expressè dicit, *illum vnum diem primò expletum viginti quatuor horarum fuisse.* Vnde non videtur Beda auctor præcedentis sententiæ, sed potius illi repugnare.

Tertia igitur opinio est, lucem factam esse post aliquam moram, seu durationem temporalem à mundi exordio, quæ mora successiua dici potest actu, vel potentia; quia certo aliquo tempore successiuo potuit mensurari. Addit verò hæc opinio, incognitum esse hominibus, quanti temporis illa duratio fuerit. Hęc videtur fuisse opinio Hugonis de S. Victor. in c. 6. & 9. suprà citatis, & eandem significat in c. 29. & sequitur Magist. in 2. d. 13. & Pereira lib. 1. cap. 1. Gen. Et prior pars probari potest ex verbis illis de tempore ante creationem lucis scriptis, *Et spiritus Domini ferebatur super aquas.* Nam per illa, motio aeris, aut venti super aquas facta significatur: ille autem motus non nisi in temporali mora fieri poterat. Ratione item probatur, quia creatio mundi, & lucis productio factæ sunt in instanti, & non in vno, & eodem, vt probatum est: ergo in duobus. Sed inter quælibet duo instantia mediat tempus: Ergo inter primum instans creationis, & aliud instans productionis lucis aliquod tenebrarum tempus intercesit. Altera vero pars de incertitudine, vel potius ignorantia quantitatis illius moræ manifestè sequitur ex hac sententia, quia illa mora antecesit primi diei initium. Vnde omnes primos sex dies antecesit: sed nullibi reuelatum est, quanta fuerit duratio ante sex dies primos si temporalis fuit, nec ex rebus, aut effectibus reuelatis colligi potest: ergo est nobis ignota.

Hæc sententia vel supponit, lucem primo die creatam fuisse corpus aliquod lucidum ad illuminandum mundum denuo tunc productum, & illo fundamento posito magnam habet verisimilitudinem: vel illo fundamento sublato, prout à nobis improbatum est, nulla sufficienti ratione suaderi potest. Vnde simpliciter verisimilius videtur, lucem factam ex vi illius imperij, *fiat lux*, immediate post primum instans creationis mundi factam esse, seu intrinsecè fieri incepisse. Probatur, quia verisimilius est, motum primi mobilis factū esse intrinsecè immediatè post primum instans creationis, seu, quod perinde est, cepisse extrinsecè in ipso instanti creatoris: ergo in eodem instanti cœpit hic mundus quoad hoc hemisphęrium illuminari à sole. Antecedens sumitur ex D. Thom. 1. p. q. 46. a. 3. & 66. a. 4. ad 3. quatenus ibi ait tempus esse concreatum cum cælo, & terra, & tempus illud fuisse in motu cæli, si supponatur primum mobile in principio creatum, vt nos supponimus, & tanquam probabilius defendimus in superiori li. c. 9. Consequentia vero probatur, quia lumē post creationem factum, non fuit, nisi huius hemisphærij illuminatio, quæ per motum Solis fieri incepit. Potuit autem sol in tali dispositione situs creari, vt immediatè post motus eius fieret, & ipse incipiret supra nostrum horizontem ascendere, & totam hanc superiorem partem illuminare: ergo ita factum esse credendum est. Probatur hæc vltima consequentia (cætera enim plana sunt.) Primò quia hoc modo melius, & magis propriè saluatur, mundum fuisse creatum in principio temporis,

quentia (quæ ipsa est proposita resolutio) suadetur primo secundo.

8. *Tertio.*

Euasio præcluditur.

Quarta suæ sio bipartita.

Eius prior pars ostenditur.

9. *Ostenditur posterior.*

vt habet communis doctrina, quæ de hoc tempore, quod est communis, & publica mensura, melius intelligitur. Secundò, quia etiam hoc modo facilius, & melius saluatur commune axioma Theologorum, quod tempus fuerit concreatum cum Angelis, cælo, & terra, vt in dicto cap. 9. explicatum est.

Tertiò, quia etiam hoc modo melius intelliguntur loca Scripturæ, in quibus creatio mundi cum eius ornatu dicitur sex diebus facta, & consummata. Nam si prima dies solaris, & naturalis incepit extrinsecè in ipso instanti creationis, merito illud instans computatur tanquam initium primi diei, ac proinde duratio primi diei æqualis est cæteris diebus, quia indiuisibile instans non auget quantitatem eius, atque ita illi dies sunt præcisè sex sine vlla additione. At vero si inter initium creationis & lucis temporalis duratio intercesit, plus temporis quam sex dierum in toto illo opere consummatum est, & creatio non potest propriè dici facta in initio primi diei. Respondeti solet, moram illam, quæ primum diem antecesit, breuem fuisse, & ideo totam reputari principium primi diei, & numerum dierum non augere. Sed in primis gratis dicitur fuisse breuem, cum sciri non possit, quanta fuerit, si aliqua fuit, vt etiam auctores alterius sententiæ fatentur, & bene probatum est. Ac deinde, licet illa mora breuis fuisset, nihilominus negari non potest, quin absque illa locutiones dictæ, in maiori rigore, & proprietate sustineantur. Accedit quartò, quod nulla est necessitas moram illam excogitandi, quia neque ex Scriptura, neque ex ratione colligi potest. Prior pars probatur, quia, vt verba illa, *tenebræ erant super faciem abyssi*, in omni rigore vera sint, satis est, quod in aliqua reali duratione saltem momentanea præcesserint Solis illuminationem, sicut è contrario in spiritualibus Angelis verè dici potest, lumen aliquod spirituale in eis ante tenebras præcessisse, quanuis lumen illud per solum instans durauerit, quod verum erit, etiamsi tale instans per coexistentiam ad nostrum tempus indiuisibile cogitetur. Et eadem ratione hoc satis est vt creatio realiter dicatur antecesisse effectionem lucis, quia instans temporis reale est, & in eo realiter existit aliquid, & est prius illo opere, quod in eodem instanti intrinsecè factum non est. In Scriptura autem nihil aliud inuenitur, ex quo illa diuisibilis mora colligi possit.

Altera vero pars probatur, quia illa sententia solum fundatur in ratione supra facta, quod inter duo instantia intercedit tempus, quam nos ita retorquemus, quia inter instans & tempus nulla mora ex necessitate intercedit, sed lux facta primo die non incepit in instanti per primum sui esse, sed incepit in tempore immediate post vltimum non esse: ergo nulla mora necessariò intercesit inter creationem, & lucis productionem. Vnde opposita sententia supponit, lucem factam primo die fuisse nouum corpus lucidum & illuminans, quod secundum ordinarium cursum naturæ in instanti fieri oportebat, & ideo probabiliter colligit intercesisse moram: illo autem fundamento à nobis ablato cessat vis illationis. Lumen autem in aëre productum, licet ex se natum sit, fieri in instanti, & ita fiat, quando luminosum in instanti applicatur: nihilominus quando applicatur per motum, & ad inceptionem motus incipit illuminatio: tūc etiam ipsum lumen incipit per vltimum non esse, & consequenter non incipit simul in determinata parte aëris, vel in determinata luminis intentione, sed quacunque designata priùs incepit in minori, vt est vulgare in Philosophia. Ita ergo factum credimus in prima illuminatione Solis supra hoc hemisphærium, nam potuit facile sol in tali

tali dispositione in nostro hemisphærio creari, vt in primo instanti suæ creationis illuminatio eius supra nostrum hemisphærium non ascenderet, sed ad lineam nostri horizontis pertingeret, & ibi terminaretur intrinsecè, & vltra non procederet. Ita ergo creatus est, vt statim dicam, & ita immediate post per motum successiue cœpit hoc hemisphærium illuminari, & ideo non fuit necessarium vt aliqua tẽporalis mora intercederet. Et hoc ipsum seruata proportione dicere tenentur auctores cõtrariæ sententiæ de nube, seu corpore lucido à sole distincto, quod in hoc die, & in alio instanti post creationem cæli & terræ productum esse existimant, nam inter productionem illius & illuminationem successiuam huius hemisphærij non ponunt aliquam moram, quia immediate postquã factum est, cœpit moueri, ad illuminandum hoc hemisphærium, vt ex sequenti puncto patebit. Quod ergo ipsi dicunt de hoc corpore lucido, nos de sole affirmamus, quia ab illo, primam huius orbis illuminationem processisse credimus, & illius productionem non ad effectionem lucis, sed ad creationem cæli pertinuisse existimamus.

10. *Dubitatio principalis.*

Atque ex his ferè expeditum est aliud dubium, quod hic tractari solet de loco seu situ orbis, in quo sol, vel corpus illud, quod primo illuminauit hoc nostrum hemisphærium, respectu illius creatum est: & consequenter quale fuerit lumen primo productum in hoc hemisphærio, & cum qua proportione per totum illud fuerit diffusum, nam hoc posterius cum illo priori coniunctum est. In quo puncto tot possunt opiniones, & modi dicẽdi excogitari, quot situs Solis respectu huius hemisphærij possunt apprehendi, vt sunt, Oriens, Meridies, Occidens, & alij inter hos medij, qui in infinitum multiplicari possunt. Nihilominus tamen de duobus tantum sunt probabiles opiniones, quia de cæteris nulla inuenta est ratio probabilis, ad credendum in aliquo illorum situum factum esse solem, seu illuminantem lucem, quæcunque illa fuerit, incepisse.

11. *1. Opinio apud Bonau.*

Prima opinio est, lucem illam seu nubem creatam fuisse in meridie. Ac proinde statim perfectè illuminasse totum hoc hemisphærium, vniformiter difformiter omnes eius partes illuminans cũ ea proportione, qua id nunc facit meridiano tempore. Hanc refert, & probabilem putat Bonauent. supra, & tribuit illam Bedæ, qui certè in Examer. illam non docet, si attentè legatur, solet etiam tribui August. 4. Gen. ad lit. & Chrys. hom. 2. & 3. in Gen. Sed neque apud illos eam inuenio. Illam tamen supponit Ægid. in suo Exaëm. p. 1. c. 16. Fundamentum præcipuum huius sententiæ est supra tactum, quod prima dies incepit à vespera. Congruentia verò est, quia opera Dei sunt perfecta, & ideo conueniens fuit primum diem incipere à perfecta luce, quæ est meridiana. Vnde cum fuerit etiam congruum, hanc perfectionem obseruasse Deum respectu huius hemisphærij, in quo paradisus terrenalis futurus erat: verisimile etiam est, in hoc hemisphærio solem, & diem à meridie cœpisse. Hæc vero sententia à nobis defendi non potest.

Præcipuum illius fund. & congruentia.

Reiicitur 1.

Primò quia credimus, corpus illud luminosum, quod primum diem effecit, non fuisse aliud à sole, & solem fuisse creatum cum sua luce in primo instanti, in quo tenebræ erant in hoc hemisphærio: ergo non potuit incipere esse in meridiano puncto supra hoc hemisphærium. Secundo, quia diximus, primum diem incepisse immediate post instans creationis in suo intrinseco esse, seu extrinsece in ipsomet instanti creationis, ac proinde fuisse integrum diem naturalem ab ortu Solis vsq; ad initiũ alterius diei cõpletum: ergo non potuit sol, vel aliud corpus loco eius, lucere incipere ab instãti meridiano: ergo nec; illo situ creat⁹ est.

Reiicitur 2.

Est ergo secunda opinio, quæ affirmat, creatum fuisse solem in parte orientali huius hemisphærij, vt inde illud illuminare inciperet. Quæ sententia solet tribui Augustino, qui eam insinuat primo Geneseos ad literam capite quarto, & sexto, quamuis expresse non loquatur, magis eam significant Beda in Exaëmeron, & Hugo de Sancto Victore libro primo de Sacram. parte prima capite 6. 9. & 29. & sequitur Perei. in Gen. & nouissime August. Torniel. in Annalib. sacris tom. primo in expositione primi diei numero quinto, & sexto. Et mihi etiam placet hæc sententia, quæ intelligenda est modo in præcedenti puncto explicato. Et ita ex dictis satis probata est. Neque obstat fundamentum alterius sententiæ, quia iam supra dictum est, non esse necessarium, vt primus dies à vespera inceperit, quia prius nominata est, in illis verbis, *Factum est vespere & mane dies vnus*, quia eodem modo cæteri dies rereruntur. Vnde rectè dixit Basilius homilia secunda in Exaëmeron, nominatam esse prius vesperam, quia est finis diei, vtique artificialis, & postea mane, quia est finis noctis, vt hinc constaret, in illo primo die naturali artificialem diem integrum præcessisse, & noctem etiam integram subsecutam fuisse. In quo Basil. multum nostræ sententiæ fauet. Ad congruentiam vero dicimus, meliorem ordinem fuisse, vt primus dies ab initio diei inciperet respectu istius hemisphærij, in quo, & conditus paradisus, & primus homo creatus est. Et hoc magis pertinet ad perfectionem operum Dei. Nam sol in quocunq; situ fuerit creatus, perfectus factus est. Et primus etiam dies qui fuit veluti propriũ opus eiusdẽ diei, vt supra dixit Ambrosius, perfectus fuit simul cum diuisione diei à nocte, in qua huius diei opus terminatum est. Et ita obiter constat, quomodo huius diei opus per totum spatium vnius diei paulatim fuerit factum, quia per vnam integram conuersionem Solis consummatum est.

CAPVT IV.

Quæ fuerit aquarum diuisio secundo die facta.

OPus secundæ diei his verbis Geneseos primo refertur. Dixit quoque Deus, *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum, & factum est ita, vocauitque Deus firmamentum cælum.* In quibus verbis duo opera insinuantur, vnum est effectio firmamenti, & aquarum diuisio, quę ita sunt connexa inter se, vt vix possit vnum sine alio explicari. Nihilominus tamen ad maiorem claritatem de illis figillatim dicemus, ea, quantum fieri poterit, distinguendo. Et quamuis effectio firmamenti prius referatur, nihilominus prius de aquarum diuisione dicemus, quia finis fuisse videtur, propter quem firmamentum cõstitutum est. Circa diuisionem autem aquarum duo explicanda occurrũt. Vnum est, quales fuerint illæ aquæ, aliud est, qualis diuisio inter eas facta fuerit. In priori puncto, quoniam ex illis aquis, quædam dicuntur mansisse sub firmamento, & aliæ supra firmamentum, de prioribus, certum est apud omnes fuisse aquas elementares, seu ipsum aquæ elementum, quod tunc totam terram tegebat, vt nos credim⁹. De aquis autem, quæ supra firmamentum positæ sunt, aut permanserunt, magna est difficultas quia illud firmamentum vocatum est cælum: supra cælum autem non apparet, quæ aquæ mansisse potuerint, & vsque hodie in loco illo durare.

Propter hanc ergo difficultatem prima opinio de illis aquis fuit, non esse corporales, sed spirituales,

1. Opinio 1.

tuales, id est, Angelos ipsos cælestes, qui per metaphoram quandam aquæ cœlorum vocantur, vel quia ornant, & quasi fœcundant cælos, sicut aquæ terram, vel quia super cælos discurrunt, sicut aquæ super terram. Hanc sententiam indicare videtur Philo libro de Mundi opificio, in principio: nam prius aquam vocat incorpoream essentiam: & postea in opere secundi diei non declarat alias aquas super firmamentum relictas. Clarius hoc sensit Augustin. lib. 13. Confession. cap. 15. & 32. & lib. 1. de Gen. contr. Manich. cap. 11. vbi aquas supra cælum vocat *inuisibiles, quæ à paucis intelliguntur non locorum spatijs, sed dignitate naturæ superare cælum.* Idem insinuat Hieronymus (si eius est expositio,) in id Psal. 76. *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ*, & id, *Viderunt te aquæ Deus.* Et adducit illud Apoc. 17. *Aquæ multæ, populi multi*, & illud Psal. 148. *Et aquæ omnes quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini: mentes* (inquit) *& animæ puræ.* Et expressius in id Psal. 103. *Qui tegis aquis superiora eius. Superiora* (inquit) *cæli iuxta Genes. ab aquis teguntur quia aquas super firmamentum positas multitudine Angelorũ intelligimus, iuxta illud: Aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.* Præcipuus vero auctor huius sententiæ censetur Origen. *qui aquas supra cælum sanctos Angelos, infra cælum vero malos Angelos interpretatur.* Ita de illo refert Epiphan. in epist. ad Ioan. Episcop. Hierosol. quæ inter Epist. Hieronymi est 60. & satis insinuatur ab eodem Orig. hom. 1. in Gen. prope initium.

Veruntamen hæc sententia nullo modo sustineri potest, sed vt certum statuendum est, aquas illas, quæ supra firmamentum mansisse dicuntur, materiales, & corporales esse. Ita docet, improbata priori sententia, & tacito nomine auctoris eius, Basil. homil. 3. Exaëmer. & Ambrosius idem supponit ferè toto libr. 2. Exaëmeron, & probat Rupertus lib. 1. in Gen. ca. 23. & Hugo Victor. libr. 1. de Sacram. p. 1. c. 17. vsque ad 23. & consentiunt Theologi, & Doctores in sequentib. opinion. allegandi. Ratio vero non est alia nisi ipsamet historica narratio Geneseos, quæ omnino destruitur, si verba violenter exponantur, quod maximè fit, cum ad metaphoras discurras, & inusitatas, detorquẽtur sine vllo fundamento in verbis, & sine vlla necessitate, quod ab illa sententia manifestè fit. Præsertim quia in alijs locis Scripturæ satis significatur, illas aquas esse corporeas, & ab Angelis distinctas. Primum probant verba illa Psalm. 103. *Extendens cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius.* Nam sicut in eis de cælo corporeo sermo est, ita de corporeis aquis intelligenda sunt, quibus tanquam tecto, seu tignis ornata esse dicuntur: & ita ab omnibus illa verba intelliguntur. Secundum autem probari potest ex verbis illis Psal. 148. *Et aquæ, quæ super cælos sunt, laudant nomen Domini.* Nam prius ad Deum laudandum, Angelos Dei, & virtutes eius, & solem, & lunam, & stellas, & cœlos cælorum Dauid vocauerat: & tandem descendit ad aquas, quæ super cælos sunt: ergo per illas aquas aliquid ab Angelis distinctum intellexit. Ac proinde eas ad laudandum Deum prouocat, non quia intellectuales sint, vel animatæ, sed quia ad laudandum Deum nos excitare debent, vt Basil. notauit, & constat ex sequentibus versibus, in quibus omnes abyssos, ignem, grandinem, niuem, glaciem, &c. ad eandem Dei laudem vocat. Præterea absurdissimum est, per aquas, quæ sunt sub firmamento, spiritus malos intelligere, cum de illis aquis statim dicatur, *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida.* Ergo etiam est absurdum, per aquas supra cælum spiritus bonos interpretari. Neque obstat nobis Augustini auctoritas, nam prius testimonium idem August. 2. Retract. cap. 6. correxit his verbis, *Non satis considerate dictum est. Res autem in abdito est valde.* In altero vero loco nihil affirmat, nam concludit, *quanquam de hac re nihil temerè affirmandum est, obscura est enim, & remota à sensibus hominum.* Expositio autem illa in Psalmos non habet Hieronymi auctoritatem. Et præterea auctor eius in priori loco expresse declarat, sensũ illum esse tantum spiritualem.

Ad Aug. & alios nu. 2. allatos.

Secunda opinio est, aquas supra firmamentum esse quidem corporeas, non tamen elementares, neque ex aqua elementari factas, sed esse quoddam corpus cæleste, quod crystallinum vocant incorruptibile, & per creationem ex cæsti materia factum. Hæc sententia satis communis est inter Scholasticos. Eam inter alias refert D. Thomas 1. part. quæst. 68. a. 2. & problematicè illam defendit. Magis vero illam probat Bonauent. in 2. d. 14. in prima eius parte art. 1. q. 1. & ibi Durand. cum alijs. Et placuit etiam Abulensi, Caietan. Lyran. & Cathar. in Gen. & Ægidio in 2. p. Exaëmer. cap. 14 Qui consequentur dicunt, cælum illud aquam vocari, non propter naturam aquæ, sed propter similitudinem in aliquibus proprietatibus, vt in perspicuitate, & vniformitate omnium partium, quia nullam stellam habet, sed partibus omnino similibus constat, sicut aqua: item in frigiditate non quidem formali, sed virtuali, putant enim cælum illud vim habere frigefaciendi, & in hoc etiam aquis assimilari. Fundamentum huius sententiæ est, quia per firmamentum hoc die factum intelligunt, vel octauam sphæram cælestem, vel collectionem omnium orbium cælestium vsque ad illam inclusiue, & supra hoc cælum, seu firmamentum, ponunt esse collocatas aquas, quæ supra firmamentum esse dicuntur. Et hinc inferunt, illas non posse esse elementares, quia cum firmamẽtum, & orbes cæleste sint corpora incorruptibilia, non est verisimile supra incorruptibiles cælos aquas corruptibiles permansisse. Atq; ita concludunt, esse aliquod cælum incorruptibile, quod aqueum vocatum est propter similitudinem, vt declarauimus, & crystallinum, quia non est corpus fluidum, sed densum & firmum, siue illud sit nonum, siue decimum cælum, & infra cælum empyreum existens, vt aliqui opinati sunt.

4. 2. *Opinio communis inter Scholasticos.*

Ratio fund.

Sed hæc sententia, nobis non probatur. Primò quia nimis metaphorica interpretatione vocem aquarum exponit, quod est contra synceritatem historicæ narrationis, vt sæpe dixi. Secundò, quia in allegatis verbis prius dicitur, *Fiat firmamentum in medio aquarum.* Per quæ verba satis profecto significatur non fuisse tunc aquas factas, sed potius factas supponi, & interiectum esse corpus, quo separarentur inter se. Interrogo ergo, in qua significatione ibi sumatur nomen aquarum, non enim potest simul elementum aquæ, & corpus illud cæleste significare, quia non dicuntur aquæ nisi equiuocè: & non est verisimile, vnam vocem in eadem oratione æquiuoce sumi. Neque etiam potest significare solum corpus cæleste, quia pars illarum aquarum sub firmamento mansisse dicitur. Ergo tantum significat aquas elementares, quarum pars etiam fuit aqua, quæ super fundamentum mansit: ergo non potest esse cæleste corpus incorruptibile. Et non parum confirmatur hæc ratio ex vniformi appellatione aquarum, quæ sæpius ibi repetitur, nam si æquiuocatio vocis ibi admittatur, tota certitudo illius historiæ ambigua relinquitur. Nam cum prius dicitur, *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*, non poterimus cum fundamento dicere, quod supra elementum aquæ, magis quam super cælum illud aqueum spiritus ferebatur. Deinde incredibile est in sententia illa, *Fiat firmamentum in medio aquarum*, vocem aquarum in vna significatione vniuoca sumptam esse, & cum statim addit, *& diuidat aquas ab aquis*, in duplici significatione, & æquiuoca sumi. Accedit, quod paulo

5. *Reijcitur etiam hæc 2. o. Primo. Secundo.*

Confirm.

miraculum, tum quia non est nouum, nec extraordinarium, sed quasi lege extraordinaria statutum: tum etiam, quia postquam semel factum est, sine vlla supernaturali actione conseruatur, & in principio ad conuenientem vniuersi constitutionem, propter aliquas rationes diuinæ prouidentiæ pertinere potuit.

14. *4 Difficultas quanam de causa manserint aquæ supra cœlos.*

Additur verò quarta difficultas, per quam etiam præcedens augetur, & responsio illius eneruatur, quia nulla ratio, vel commoditas vniuersi cogitari potest, propter quam elementares aquæ supra cœlum stellatum collocatæ fuerint. Ad hanc enim difficultatem euadendam variæ rationes à Patribus excogitatæ sunt, quæ certè non satisfaciunt. Vna est Cyrilli, quam supra his verbis proponit, *Cum futurum erat, vt propter agriculturam opus esset aquis, constituit aquas supra cœlos, vt cum terra pluuiarum irrigatione indigeret, paratum sit à natura ad hoc cœlum.* Imò Epiphan. putat, quod factum legimus Gen. 7. *Ruptisunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram*, de illis aquis esse intelligendum &c. Et Ioseph. etiam dixit, illud *crystallum* (sic enim aquas illas vocat) *humidum esse, & ad pluuialem vtilitatem, quæ sit ex terræ imbribus, congrue fabricatum esse.* & Beda lib. de natura rerum cap. 8. eandem rationem refert, dicens, *seruatas esse aquas ad mundationem diluuij*, & non improbat, quãuis aliam rationem magis probet. Et Richard. Pampolitanus in Psalm. 148. vt Ascanius suprà refert, dixit, *aquas illas defluere per plauias, quando non nisi missas*, quod etiam refert ex Magistro sententiarum in Psalm. 113.

1. *Causa ex Cyrillo, Epiphan. Iosepho, Beda, Richard. Magistro.*

15. *Explodituř multipliciter.*

Veruntamen ratio hæc, vt à Cyrillo proponitur, accommodatissima est pro aquis, quas Deus ligauit in nubibus suis, vt dicitur Iob 26. de aquis autem supra cœlos incorruptibiles parum profectò accommodata est. Quomodo enim aquæ illæ ad irrigandam terram descenderent, nisi vel penetrando cœlos in eodem loco cum ipsis permanentes, vel diuidendo illos, sicut aerem descendẽdo partiuntur, & loco mouent. Alterum autem est miraculosum, alterum perfectioni cœli repugnans. Est etiam alienum à suaui, & omnipotenti prouidentia Dei, quasi non valuerit alio faciliori modo, & magis connaturali terræ, & inferioris orbis necessitatibus prouidere. Accedit, quod tales aquæ per ignem descendentes, vel illum extinguerent, vel ab illo consumerentur, nisi Deus peculiari, & nouo miraculo litem cõponeret. Propter quæ incredibile etiam est, quod de aquis diluuij dicitur, nullumque fundamentum habet in litera Genesis, vt per se patet, & ex dicendis magis constabit. Deinde est noua difficultas, si tanta multitudo aquarum tunc è cœlo cecidit, vel alijs temporibus cadit, an locus, quem ibi occupabant, vacuus maneat, vel nouo cõpore creato, aut alijs partibus aquæ rarefactis repleatur, nihil autem horũ sine nouo opere miraculoso, vel valde præternaturali cogitari potest. Hæc ergo ratio difficultatem non euacuat, sed illam potius auget.

16. *2. Causa bipartita ex Iustino Martyr. Hilar. Theodor. Beda.*

Aliam ob causam dicitur esse necessaria aqua illa supra cœlum, ad temperandam ignitam, & ardentem naturam cœlorum, ne actione sua cætera corpora corrumpant. Hanc rationem probat Iustin. Martyr. dicta q. 93. & declarat, hoc temperamentum fuisse necessarium tum ad stabilitatem firmamenti, quasi per resistentiam, quam aqua illa adhibet, ne astra suo calore firmamentum destruant: tum etiam ad temperationem inferioris aeris, & ad conseruationem animalium in terra degentium. *Nam summum*, inquit, *frigus ab illis aquis mittitur, quo Solis calor in aere temperatur.* Quam rationem etiam Hilar. probat quoad posteriorem partem. Theodoret. autem q. 11. in Gen. priorem partem magis exprimit: Beda verò *lib. de natura rerum c. 8.* simpliciter dixit *aquas illas fuisse in cœlo sustensas ad ignem syderum temperandum.* Sed profectò neutra pars huius rationis verisimilis est, non solùm secundum Philosophiam, verumetiam secundum Theologiam, eminentem sapientiam, & potentiã diuinæ prouidentiæ considerando. Nam iuxta Philosophiam firmamentum, (si cœlum stellatũ est) corpus est incorruptibile, & incapax alterationis, & elementaris caloris: ergo non indigebat extrinseco resistente, ne per Solis, aut stellarum ardorem consumeretur. Imo licèt daremus, corpus illud cœleste fuisse ex aqua productum, ac proinde ex materia eius constare, & ex parte illius esse capax peregrinarum impressionum, & qualitatum: nihilominus dicendum potius esset, ex vi suæ formæ habere qualitates intrinsecas, quibus omni alterationi corruptiuæ resistere posset. Cum enim Deus corpus illud conderet, vt sine corruptione, vel dispositione ad illam conseruaretur, non est verisimile, fecisse illud corruptioni expositum, & extrinsecus illi adiunxisse aliud infirmum corpus, quod illud à contrarijs defenderet, cùm & facilius, & magis consentaneum omnipotentiæ, & sapientiæ Dei esset, illam resistendi vim intrinsecam conferre. Sicut nunc corporibus gloriosis similem qualitatem conferre creditur, quod autem illis confert per gratiam, potuit corpori cœlesti conferre per naturam. Et confirmatur, nam Deus posuit stellas in octaua sphæra, & ex illis, ac alijs partibus quasi heterogeneis illud corpus compoluit: ergo nõ est verisimile, stellas ita esse per actionem suam alijs partibus contrarias, vt istæ sine extrinseca aquæ protectione conseruari non possint, neque actioni corruptiuæ suarum comparium resistere.

Refutatur prima pars. *Confirmatio.*

Nec verisimilior est alia causa de frigore ad tẽperandum aerem inferius misso. Nam in primis credibile non est, posse aquam in loco adeo distante positam frigefactione sua aerem contingere. Deinde quomodo posset aqua illa in hũc inferiorem aerem efficere nihil agendo in corporibus intermedijs. Quid enim agere potest aqua illa in cælos omnes intermedios à primo mobili vsque ad lunam, cum neque ipsi per frigus alterari debeant, aut possint, neque aqua virtutem habeat imprimendi qualitatem aliquam, quæ eminenter, vel virtute frigus contineat: Quomodo etiam frigefactio illa per ignem transiret, aut cur ignis ei non resisteret? Non sunt igitur hæc verisimilia. Deinde, esto fuerit necessaria illa aeris temperies, certe fieri sufficienter potuit per planetas virtutem frigefaciendi habentes, etsi illi formaliter frigidi nõ sint, vt dicitur esse Saturnus, & luna, & fortasse aliquæ etiam stellæ fixæ hanc influentiam habent. Ergo totam efficientiã frigoris, quæ ab illis aquis prouenire fingitur, potuit sufficienter, & melius per cœlos ipsos, & eorum influentiam facere Deus: cur ergo fingemus, vsum esse tam violento, & extraordinario medio ad illum finem. Præsertim, quia (vt aiunt) frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora. Et potest vtraque pars confirmari & ex eo; quòd istæ aquæ non censentur esse proximæ cœlo stellato sed supra omnes cœlos mobiles. Interponitur ergo inter illas primum mobile, quod densum, & opacum corpus esse creditur. Et præterea etiam interponitur cœlum crystallinum, quod fortasse (vt aliqui putant) à primo mobili distinctum est. Ergo à loco tam distanti, & tot interiectis impedimẽtis, vix intelligi potest, quomodo possint illæ aquæ naturaliter, aut firmamentum tueri, non agendo, sed contrarijs resistẽdo, aut inferiorem aerem virtute sui frigoris temperare, agendo vsque ad terram, in qua animalia habitant, vt illo temperamento foueri, & conseruari possint.

Refutatur secunda pars.

Cum

Cum ergo nulla ratio quasi naturalis, & physica, pertinensve ad commoditatem vniuersi satis faciat, alij ad rationes morales recurrunt. Et quidam sentiunt, aquas esse ibi repositas ad exercitiũ fidei nostræ, quod significauit Prosper Psalm. 103. dicens, cum August. ibi, partem aquarum esse cœlo superpositam, & à nostro aspectu remotam, & *fidei commendatam*. Alij verò dicunt, esse ibi relictas, vt ex tam mirabili opere, ad laudandum Deum tam homines, quàm Angeli magis excitarentur, quod significant Haymo, & Cassiodor. in Psalm. 148. & Scriptura quoties aquas cælestes ad laudem Dei prouocat. Denique Beda, & Glossa ordinaria *in Gen.* cùm credendum putent ibi esse aquas, adiungunt, *quales autem, & ad quid vtiles nouit, qui condidit*. Quod optime dictum esset, si sufficienter reuelatum esset, supra cœlos omnes mobiles esse aquas elementares. Sed quia talis reuelatio facta non est, vt videbimus, & rationes morales cessant, præsertim prima, non enim exercetur fides in re incerta, neque illud opus per se erat necessarium ad laudẽ, & gloriam Dei augendam, si alioqui ad mundi cõmoditatem nõ erat vtile: nam ex cæteris vniuersi operibus satis laus Dei commendatur. Et magis ex eo augetur, quòd omnia in numero, pondere, & mensura constituit, & ordinatissimè, & absque vlla superfluitate cuncta disposuit.

Quanuis ergo hæc sententia contemnenda non sit propter Patrum auctoritatem: nihilominus illam non probamus, nec defendimus, quia multũ à ratione abhorret, & non solùm Scriptura non probatur, verumetiam illi non est satis consentanea. Ad quod ostendendum inferiùs alijs testimonijs vtemur, nunc autem id probamus ex primis verbis Geneseos, prout *in primo lib.* à nobis tractata sunt. Ibi enim ex illis verbis, *In principio creauit Deus cælum & terram*, &c. Probauimus, in illo principio, non solùm cœlum empyreum, sed etiam alios fuisse creatos. Huius autem oppositum dicta sententia supponit, dum dicit, illas aquas esse supra omnes cœlos mobiles, nam inde fit, vt sint immediatè sub cœlo empyreo: si autem hoc ita esset, nõ potuisset aliud cœlum simul cum empyreo esse creatum. Probatur hæc consequentia si cum cælo empyreo aliud cœlum fuit creatũ, vel fuit proximum, & contiguum cœlo empyreo, vel ab illo distans: si contiguum, oportuisset illud vel destrui, vel saltem à toto illo loco adæquato expelli, vt ad illum aqua ascenderet: vtrumque autem est & contra naturam corporis cœlestis, & per se incredibile. Nam supra in simili diximus, nihil Deum tunc creasse, vt illud statim destrueret, & maximè in corporibus cœlestibus de se perpetuis, ac nobilissimis. Sine destructione autem nõ poterat corpus illud à toto illo loco supero ad inferiorẽ pelli, nisi comprimeretur, & densaretur, vt ad minorem locum circularem coarctari posit, quod etiam est valde alienum à cœlesti natura. Et ideo naturale est cœlis, vt nonnisi intra eundem locum totalem moueri possint, & secundùm partes, non secundùm totum, loca mutare. Si autem aliud cœlum creatum fuit simul cum empyreo, & loco distans ab illo, non potuit, vel certè non debuit, spatium illud inter illos cœlos interiectum vacuum relinqui vsque ad secundũ diem, tum quia fuisset magna imperfectio, sine fundamẽto excogitata: tum etiam quia alias aqua sub inferiori cœlo contenta ad illum superiorem locum ascendere non potuisset per medium cœlum interpositum, nisi per diuisionem, aut penetrationem eius, aut per aliud simile miraculum, quod etiam admittendum nõ est, vt sæpe cum Augustino dixi. Neque etiam dici potest, aquam non ascendisse, sed creatam esse ibi iuxta empyreum cœlum. Quia vel creata fuit simul cum ipsis cœlis empyreo, & primo mobili, v.g. Et hoc repugnat operi secundi diei, quia diuisio aquarum ab aquis non secundo die, sed in ipso creationis instanti facta fuisset, quia tunc iam essent aquæ supra cœlos, & infra cœlos in abysso, & inter eas esset primum mobile interpositum. Vel creatio illa aquarum in illo superiori loco facta fuisset secunda die: & hoc in primis repugnat principio supra posito, quod post primam creationem non est aliquid ex nihilo factum, præter animam rationalem. Et deinde sequitur inconueniens illatum, quòd spatium illud esset vacuum, antequam ibi crearentur aquæ, quia fingi non potest, fuisse ibi aliud corpus, ex quo aqua illa fuerit producta. Ac denique hoc repugnat literæ Geneseos, quæ satis clarè significat, diuisisse Deum aquas ab aquis, non aliquas nouas aquas creando, sed iam creatas locis separando secundum partes, & inter eas aliquod corpus interponendo, ac firmando. Nullo ergo modo subsistere potest opinio ponens aquas elementares supra cœlum stellatũ, seu supra omnes mobiles, nisi supponendo, solum cœlum empyreum fuisse in principio creatum, & iuxta illud fuisse creatas aquas, quæ nunc etiam sunt illi contiguæ, & consequenter sub illis aquis totum spatium vsque ad inferiores aquas, seu vsque ad terram fuisse aqua plenum, ne diuisio aquarum à principio facta fuisse credatur contra Scripturam. Ergo necessario dicendum est in illa sententia, solam creationem cœli empyrei in verbis illis, *In principio creauit Deus cœlum*, comprehendi. Cum ergo hoc nobis parum credibile videatur, non possumus illam sententiam de aquis elementaribus existentibus supra cælos æthereos descendere. Præterquam quòd ex illa sententia alia incommoda sequuntur, vt quòd cæli ætherei sint ab intrinseco corruptibiles, & facti ex præiacente materia elementari, & non per propriam creationem ex nihilo, quæ omnia auctores contrariæ sententiæ facilè admittunt, nobis autem probari nullo modo possunt. *Confirmatio.*

Est ergo vltima sententia, cui ego assentior, quę cum præcedenti docet aquas supra cœlos esse veras, & elementares, eas tamen non esse supra cœlos ætheros, sed supra cœlum aereum, id est, in superiori quadam regione eius, illasque aquas non esse alias, nisi aquas nubium, & aliarum similium impressionum, quæ in superna aeris regione fiunt. Hanc sententiam referens Augustinus lib. 2. de Genes. ad litter. cap. 4. dixit *laudabiliter* excogitatam esse, & *hanc diligentiam, considerationemque laudè dignissimam iudicat*, & rationem subdit, *quia contra fidem non est, & in promptu posito documento credi potest*, de quo documento statim dicemus. Et ita sententiam hanc sequutus est Beda in lib. 2. de elementis Philosophię in principio, vbi priùs improbat precedentem sententiam, dicens, *nihil miserius esse, quã dicere, istud est, quia Deus illud facere potuit, neque ostendere rationem quare hoc sit, neque vtilitatem, ad quam hoc sit.* Postea verò ait aquas supra firmamentum esse illas, quæ vaporaliter in nubibus sunt suspensæ, & ab his, quæ sunt sub aere, distinguũtur. De quibus aquis latiùs in lib. 3. disp. Eandem opinionẽ tenet Glossa interlinealis, & Eugub. in Cosmopæia & Hamerus in Gen. Vielmius, & Rabbini Hebræor. quos refert Ascan. & latè Pererius l. 1. in Gen. circa opus secundæ diei in fine, qui in hunc sensum interpretatur Epiphanium dicentem, ex aquis illis superioribus generale diluuium factum esse, quia ex nubibus aeris processit, non ex nona sphæra cœlesti. Sed an hic fuerit sensus Epiphanij, incertum est, fit tamen verisimile, ex eo, quòd alius sensus incredibilis est, & magnam habet absurditatem. Atque eandem sententiam defendit August. Torniel. in Annalib. sacris tom. 1. in secundo die mundi. Denique Diuus Thomas 1. p. q. 68. art. 2. præce- 80. *Vltima opinio tenẽda.*

dentem

dentem opinionem de aquis proprijs, & elementaribus supra cœlum sydereum existentibus simpliciter fallam, imò & impossibilem reputat, vtique secundum naturæ leges : hanc verò saltem vt valde probabilem amplectitur.

21. *Eius probatio bipartita Prior pars suadetur.*

Ad probationem autem huius sententiæ satis erit ostendere, esse consentaneam vsitatæ phrasi Scripturæ, & hanc phrasim, seu loquendi modum optimè ad verba Geneseos adaptari. Priorem partem probamus, quia in primis sæpe nubes, & vapores superiores aeris nomine aquarum in Scriptura significantur, vt Iob 28. *Qui aquas appendit in mensura, quando ponebat pluuijs legem & viam procellis sonantibus.* & c. 26. *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum.* Quod verbum vltimum apertè ostendit priorem partem intelligi de superioribus aquis. Et de eisdem loquitur Dauid Psal. 28. dicens, *Vox Domini super aquas Deus maiestatis intonuit*, & Sapiens Prouerbiorum 8. *Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum*, per illos enim fontes, multi nubes intelligunt. Imò Pereyra aduertit, vbi vulgatus interpres legit, *quando æthera firmabat*, Hebraicè haberi nomen significans nubes : quod etiam adnotat Iansenius, retento autẽ nomine *æthera* exponit de elemento ignis, aut de superiori aeris regione, & consequenter alia verba intelligit, *de fontibus cœlestibus. Significat enim*, (ait) *Deum quasi in libra suspendisse fontes aquarum, hoc est nubes ipsas ita vt eas diuiserit ab aquis, quæ in terris sunt, & impondere atque mensuratas diffundat super terram.* Et de eisdem aquis est sermo Isai. 28. & in alijs locis statim citandis. Deinde aquæ pluuiales, seu nubium etiam dicuntur in Scriptura aquæ cælestes, seu cœlorum, vt patet Ierem. 10. & 51. *Ad vocem suam, dat multitudinem aquarum in cœlo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ*, & Psalm. 146. *Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam.* Et de eadem aqua est sermo Psalm. 17. cum dicitur, *Et posuit tenebras latibulum suũ.* Et infra, *Tenebrosa aqua in nubibus aerij* Et infrà, *& intonuit de cælo Dominus.* Et Psalm. 76. *Multitudo sonitus aquarum vocem dederunt nubes.*

22. *Pars posterior suadetur.*

Denique quòd iuxta hanc phrasim, & modum loquendi Scripturæ optimè possint verba Geneseos intelligi, probatur, quia ibi solũ dicitur, Deum diuisisse aquas ab aquis, & quasdam supra firmamentum, quod statim dicit vocatum esse cœlum, posuisse, & alias sub cœlum reliquisse : ergo sine vlla coactione, aut vi intelligimus, aquas illas supra cælum esse, quæ in alijs locis cæleſtes, seu operire cælos dicuntur. Imò videtur certè Ierem. *in loco citato*, ita dicta verba Geneseos interpretari, sic enim inquit : *Qui fecit terram in fortitudine sua, & præparauit orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cœlos.* In quibus verbis aperte de opere creationis loquitur, & statim subiungit verba suprà citata, *Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cœlo, qui leuat nubes ab extremo terræ.* Per quam *vocem* meritò imperium Dei intelligere possumus. Et quanuis non incongruè possint hæc verba de quotidiano opere diuinæ prouidentiæ aquarum pluuialium intelligi : nihilominus non minori proprietate, & verborum consecutione de initio, & quasi fundamento illius operis, & prouidentiæ intelliguntur.

23. *Progreditur ipsa posterioris partis suasio, & simul satisfit locis Scripturæ allatis num. 10.*

Atque idem dicendum est de alijs locis, quæ in concordiam verborum Geneseos, & confirmationem superioris sententiæ afferebantur. Nam quod dicitur Psalm. 103. *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius.* recte intelligitur de expansione aeris, qui passim cœlum appellatur, vt sæpe dicimus. Et quanuis concedamus, illam extensionem cœli omnium cœlorum creationem, & extensionem comprehendere Non inde sequitur, aquas, quæ tegunt superiora eius, esse in suprema parte totius extensionis, alioqui etiam super cœlum empyreum essent collocandæ. Ergò satis est, quod tegant aliquam superiorem partem, secundùm quam idem Psalmista alibi dixit, nubes operire cœlum. Neque magis vrgent alia verba Psalmi 148. *Laudate cœli cœlorum, & aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Nam iuxta eundem loquendi sacræ Scripturæ modum, aquas nubium, aquas cœlorum vocari dicimus. Solet enim diuina Scriptura prouocare homines in admirationem omnipotentiæ Dei ex hoc opere continendi aquas nubium in sublimi aere, & ex varijs effectibus meteorologicis, qui ex ascensu vaporum, & exhalationum in aere fiunt. Quia ergo hominibus qui sensibus ducuntur, hæc sunt admirabilia, ideo aquæ cælestes ad laudem Dei specialiter excitantur, id est, homines per earum considerationem, vt suprà exposui. Hic autem mos Scripturæ facilè innotescet considgranti verba Iob suprà citata ex cap. 26. & 28. Item ex cap. 12. 37. & 38. & ex Psalm. 76. à vers. 18. & Isai. 28.

24. *Obiectio solutio dilata.*

Sed replicatur, quia Dauid loquitur de cœlis cœlorum, per quæ verba significari solent cœli superiores : non ergo loquitur de cœlo aereo. Sed respondemus, hinc potius confirmari expositionem dictam. Nam cùm priùs cœlos cœlorum ad laudem Dei prouocasset, postea non dicit, *& aquæ, quæ super cœlos cœlorum sunt.* sed *quæ supra cœlos sunt*, vtique supra illos cœlos, respectu quorum alij dicuntur cœli cœlorum, sub quibus intelligere possumus omnes cœlos æthereos, nam respectu aeris merito dici possunt cœli cœlorum. Sed instant, quia nomen plurale cœlorum plusquam aerem comprehendere videtur : sed certa & trita responsio est, in Hebræo nomen *cœli* carere singulari, & ideo nihil obstare quominus illa locutio ad vnum cœlum aeteum proprie accommodetur. Atque in eodem sensu loquuti sunt tres pueri in suo hymno, dicẽtes, *Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt Domino*, &c. Quam generalem locutionem postea per species declarant, dicentes, *Benedicite omnis imber, & ros Domino : benedicite rores, & pruina Domino : benedicite glu glacies niues fulgura & nubes Domino.* 25. *Explicatur.*

Sed instatur, quia ibi certo ordine prouocantur creaturæ, ad laudem Dei. Primò Angeli, secundò cœli, scilicet, empyreum, tertiò aquæ, quæ super cœlos sunt. postea verò sol, luna, & stellæ. Ergo signum est, aquas supercœleſtes esse proximè sub cælo empyreo, & supra sydereum. Respondemus, ex hoc ordine nullum indicium sumi. Tum quia post aquas illas quarto loco ponuntur virtutes Domini, & infrà post imbres, & ros ponuntur spiritus Dei, & multo inferius ponuntur nox, & dies, lux, & tenebræ, quæ & prius facta, & suo modo mobiliora sunt. Tum denique quia *in dicto Psalmo* 148. priùs sol, luna, stellæ, & lumen, & postea aquæ supercœleſtes ad Deum laudandum prouocantur. Igitur ex ordine nullum argumentum sumitur, nam spiritus, vbi vult, spirat, & similiter, quo voluit ordine mentem, & linguam Psalmistæ, & puerorum ad laudem Dei excitauit. Igitur si omnia Scripturæ loca attente ponderentur, & inter se conferantur, vel huic nostræ sententiæ magis fauent, vel certè nihil repugnant. Ergo cùm ratio pro hac sententia multum præualeat, & iuxta illam vitentur incommoda, quæ naturali rationi repugnare videntur, alijs meritò præferenda est. Neque auctoritas Patrum mouere debet, quia neque ipsi inter se consentiunt, neque suam sententiam tanquam certam tradunt, neque altera quam defendimus, sufficienti auctoritate destituta est. Vnicum tamen dubium circa illam superest, quod ex nomine, & opere *firmamenti* sumitur, quod in cap. sequenti tractandum est.

Ibi Pererius num. 10.

)?(CA-

CAPVT V.

Quodnam corpus fuerit firmamentum secundo die factum, & quomodo ad diuidendas aquas ab aquis firmatum, seu positum sit.

1. Prima sententia est, firmamentum illud fuisse proprium cælum æthereum, quod in illo die fuit substantialiter productum. In hoc conuenire videntur omnes auctores, qui aquas supra cælum stellatum collocant. Videtur tamen inter eos esse aliqua diuersitas. Nam quidam dicunt esse cælum stellatum, quia in quarto die dicitur Deus posuisse stellas in firmamento: ita sentit Chrysostomus hom. 4. in Genes. & fertur sub nomine D. Thomæ in expositione in Genes. & sequitur Catherinus ibidem. Alij omnes cælos planetarum cum stellato sub nomine firmamenti comprehendũt, quod insinuat Damascenus libro secundo de Fide capite sexto, quamuis non satis rem declaret, nam etiam cælum stellatum firmamentum appellat, vt ibi etiam Clichtoueus notat, & sequi videtur. Et eodem modo loquitur Beda in Exaëmeron, & sequitur Magist. sentent. in 2. distinct. 14. in princip. Et duci videntur, quia dicta verba quartæ diei ad omnes hos cælos possunt accommodari, quia omnes aliquo modo stellati sunt, nam singuli vnam saltem stellam habent.

2. Veruntamen consequenter in hac sententia loquendo, dicendum videtur sub nomine firmamenti comprehendi etiam cælos supra octauam sphæram existentes, si duo sunt præter empyreum, vel saltem primum mobile. Nam elementares aquæ sunt supra cælum stellatum, profecto etiam sunt supra crystallinum, & supra primum mobile, si ab hoc est distinctum. Quia non est credibile inter primum mobile, & inferiores cælos aquas esse interpositas, aliàs circunferrentur & raperentur per motum primi mobilis, quia non posset aliter primum mobile secum rapere inferiores cælos, imo etiamsi secum moueret aquas, non parum eius impetus retardaretur, ne posset ad inferiores cælos peruenire. Et ideo qui melius in ea sententia loquuntur, dicunt aquas esse supra omnes mobiles cælos. Ergo isti consequenter dicere debent, omnes illos cælos factos esse hac secunda die, & nomine firmamenti esse comprehensos. Probatur hæc vltima illatio, tum quia inter aquas existentes iuxta cælum empyreum, & existentes in hoc inferiori hemisphærio, non minus interponitur primum mobile, quam cælum stellatum, nec magis hoc cælum, quam cælum lunæ: ergo tota illa cælorum congeries diuidit aquas ab aquis: ergo tota illa munus firmamenti subit: ergo tota sub nomine firmamenti comprehendi debet. Tum etiam, quia si nunc est aqua supra omnes cælos mobiles, non fuit illuc eleuata ab hoc inferiori orbe per motum localem, sed ibi creata fuit prius, & postea ibi firmata, vt cap. superiori ostensum est. Ergo ante secundum diem nullum erat cælum inter illam aquam, & inferiorem interpositum, alias (vt supra argumentabar) iam esset facta diuisio aquarum ab aquis. Ergo firmamentum, quod postea diuisit aquas ab aquis illo modo intellectis, non potest esse nisi tota congeries, seu expansio cælorum mobilium.

3. Hinc consequenter in hac sententia loquentes, dicunt, firmamentum fuisse hoc die factum quoad substantialem productionem eius, vt in Basil. Ambr. & alijs videre licet. Et probatur consequutio ex proximè dictis, quia ante diuisionem aquarum ab aquis non poterant esse cæli in substantia sua: ergo tunc facti sunt substantialiter, quando aquas ab aquis separare cœperunt. Consequentia est euidens, & antecedens probatur, quia si iã corporæ cælestia substantialiter existebant, vbinam quæso erant, aut in quo orbis situ? Nam vbi nunc sunt, esse non poterant, quin diuiderent aquas ab aquis, vt iam argumentati sumus: in alio vero situ, quem postea totaliter mutauerint, cogitari nõ possunt, vt cap. præcedenti probaui. Ergo necessario dicendum est in hac sententia, cælos in opere huius secundæ diei substantialiter esse productos. Quapropter non loquuntur consequenter, qui cũ docent nomine firmamenti significari corpora cælestia, nihilominus dicunt, non esse firmamentum factum quoad substantiam, sed quoad aliquã qualitatem, quod sentit Lyran. Hoc enim nec in Scriptura fundamentum habet, nec consequenter dici potest, quia si substantia cælorum iam erat, iam diuidebat aquas, vt dixi. Neq; etiam explicari potest, quæ fuerit qualitas illa, secundum quã cælum secundo die factum dicitur. Respondet Lyr. fuisse qualitatem datam cælis ad influendum super elementa ad eorum conseruationem, & gubernationem. Sed hoc nec Scripturę, nec Philosophię consonat. Nam Scriptura non dicit hoc die factũ esse firmamentum, vt influat, sed vt diuidat aquas ab aquis: ad quod munus impertinens est influentia, nam etiamsi nihil influeret, si esset terminus, & quasi paries interpositus inter aquas, & aquas, esset ad illud munus sufficiens. Et prætereą secundum veram Philosophiam in cælo non sunt qualitates extrinsece, aut aduentitiæ, præter lumen quatenus à sole communicatur: si quæ vero sunt in singulis cælis propriæ & inseparabiles qualitates ad peculiari modo influendum, illæ concreatæ sunt cum ipsis astris seu cælis, & non postea per propriam actionem, seu quasi alterationem inditæ, quia sunt propriæ passiones à formis cælestibus manantes, sicut supra de luce diximus, vel sicut de herbis, vel lapidibus, seu petris peculiares virtutes habentibus, credimus. Si enim in corporibus terrestribus similes virtutes manant à proprijs formis, cur non magis in cęlestibus?

Lyranum tamen in eã consequẽter non loqui probatur.

Lyrani responsio refutatur dupliciter incommodo.

4. Vnde alij dixerunt illam qualitatem fuisse peculiarem soliditatem, seu firmitatem datam cælis ad sustinendas aquas. Sed vtrunq; incommodum in hoc inuenio, quia non prius tempore facta est diuisio aquarum, quam cælum fuerit sufficienter firmatum ad vtrasque aquas terminandas. At vero si prius essent facti cæli quoad substãtiam, quam quoad firmitatem, prius etiam diuisissent aquas, quam in se firmitatem illam recepissent. Ergo non consonat illa sententia cũ Scriptura, quæ dicit, *fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas.* Deinde etiam non est philosophicum fingere talem qualitatem extrinsecus additam substantiæ cæli, nam illa esse non potest nisi vel densitas, aut quasi durities, vel indiuisibilitas aut incorruptibilitas: quidquid autem huiusmodi est in cælo, intrinsecum illi est, & connaturale, ac proinde cũ illo concreatum: ergo frustra fingitur prius substantialiter creatum quasi monstrosum vtpote in ternis dispositionib. & connaturalib. qualitatib. priuatum, quę postea illi additæ fuerint. Si ergo firmamentum illud fuit cælum, sine dubio fuit tunc substantialiter productum.

Aliorum rẽsponsio prædicto duplici incommodo etiam rẽiicitur.

5. Ex quo vlterius consequenter dicendum est, non fuisse creationem firmamenti productionem ex nihilo, sed ex præiacente materia. Huius oppositum docuit Burgen. in Addition. ad Lyran. Gen. 1. Sed re vera non loquitur consequenter, dum asserit, firmamentum esse factum secunda die quoad substantiam: & nihilominus non esse factum ex materia alicuius corporis præexistentis in illo loco, vbi firmamentum factum est. Nam illud spacium, quod firmamentum in hoc mundo repleuit, quodq; iam erat intra sphærã cæli empyrei inclusum,

3. Ex eadem sententia consectatio à qua discit Burgensis.

Et redarguitur.

incluſum, non erat vacuum priuſquam firmamẽtum fieret: ergo alio corpore erat repletum, quod ibi poſtea manere non potuit: ergo neceſſarium fuit, vt ex illo firmamentum produceretur, quia neque annihilari debuit, nec per motum localem conuenienter inde expelli potuit. Quia non eſt verisimile, tantam molem corpoream fuiſſe ab illo loco excluſam, & ſimul cum præexiſtentibus corporibus in eorum locis intromiſſam eſſe: nam id ſine corporum penetratione, vel nimia, & præternaturali condenſatione fieri non poterat. Vnde propter hanc rationem, præter alias ſuprà poſitas veriſimum eſt principium ſæpe repetitum, & communiter receptum, Deum poſt primam corporum creationem, nullum nouum corpus ex nihilo creaſſe, ſed ex aliquo priùs creato illud formaſſe. Quæ formatio ſolet dici creatio, quia & materia, ex qua fit, ab eodẽ auctore creata eſt, & quia tunc fiebat per actionem propriam auctoris naturæ, & à communi modo generationis, quæ per cauſas ſecundas fit, diſtincta, ad quam diſtinctionem ſignificandam nomine creationis ſignificatur: atque etiam, vt indicetur, illam fuiſſe originariam, vt ſic dicam, talis rei, vel ſpeciei ab auctore ſuo emanationem. Si ergo firmamentum, id eſt, cœlum ſtellatum, vel ſolum, vel cum alijs cœlis mobilibus, ſecundo die ſubſtantialiter creatum eſt, profectò hoc ſecũdo modo creationis, ſeu formationis ex præſuppoſito ſubiecto, non ex nihilo fuit productum. Et in hoc ferè, conueniunt alij huius ſententiæ auctores.

6. *Ex qua materia iuxta dictam 1 ſẽtentiam factum fuerit firmamentum.*

Multum autem inter ſe variant, & diſſentiunt in explicanda materia, ex qua tunc firmamentũ, ſeu cœlum productum eſt: nam alij ex igne factum eſſe cogitarunt, vt refert Auguſtinus lib. 2. Gen. ad litter. c. 3. Et videtur ſequi Gregor. Niſſenus *in Exaemeron*, dum exiſtimat, firmamentum eſſe igneæ naturæ, & ſubtile potius, quàm craſſum, aut denſum. Quem ſequutus eſt Anſelm. lib. 1. de Imagine mundi c. 25. & Alcuin. q. 23. in Geneſim. Baſil. verò homil. 3. Exaemeron ex nullo elementorum, neq; ex commiſtione elementorum, ſed ex alia quadam ſubtili materia putauit eſſe factum: quod etiam ſentit Ambroſius lib. 1. Exaemeron c. 6. qui allegant verba Iſaiæ dicentis, *qui firmauit cœlum ſicut fumum*. Communior tamẽ horum auctorum ſententia eſt, fuiſſe ex aqua formarũ. Eſtque hic modus dicendi probabilior, illa ſententia ſuppoſita, quem Beda *in Exaemeron* ex D. Petro refert in lib. 1. Recognit. Clementis, vbi expreſsè hæc ſententia habetur, quam ſequuti ſunt Theodor. q. 11. & 14. in Geneſim, & Anaſtaſ. Sinaita lib. 2. Exaemer. & Cyrill. Hieroſol. Catecheſi 3. & 9. & plures alij, quos Gloſſ. magna refert. Habet enim hic modus aliquam fundamenti ſpeciem in Scriptura, & narratione Moyſis: ait enim dixiſſe Deum, *fiat firmamentum in medio aquarum*. Vnde apparenter, & conſequenter colligunt, vſque ad ſecundum diem totũ ſpacium à ſupremo cœlo vſque ad terram aquis plenum fuiſſe, Deum autem ſecunda die ex aquis in loco medio collocatis, firmamentum, ſeu congeriem cœlorum mobilium formaſſe, & ſolidaſſe, atque ita producendo firmamentum, aquas ab aquis diuiſiſſe. Atque ita ferè totum huius ſententiæ fundamentum in proprietate iſtorum verborum poſitum eſt, vnumquodque illorum ponderando, vt paulo poſt noſtram ſententiam explicãdo, & huic fundamento ſatisfaciendo, videbimus. Solent etiam hic adiungere verba Petri Epiſt. 2. c. 3. quæ nunc omitto, quia in libro primo, tractata ſunt.

7. *Reiecta 1. ſententia hactenus tractata*

Nihilominus ſententia hæc à nobis probari nõ poteſt: tum quia diximus ſuprà cœlos ſtellatos, aut mobiles nullas eſſe veras aquas: ergo non ſunt illi cœli, qui diuidunt aquas ab aquis: ergo non ſunt firmamentum. Tum etiam quia diximus, omnes illos cœlos fuiſſe creatos ex nihilo in primo inſtanti: poſtea verò per nullam mutationem accidentalem, ſiue localem, ſiue alterationis potuiſſe denominationem firmamenti accipere. Dicimus ergo in primis, firmamentum illud hoc die factum inter aquas, eſſe aerem, ſeu aliquam partem eius, nempe aliquam regionem aeris. Hanc ſententiam magis probat Diuus Thomas 1. p. q. 68. art. 1. & 76. art. 1. Durand. in 2. d. 14. q. 1. n. 14. Caietanus & Pereyra in Gen. & Eugubin. *in Coſmopœia*, & ſequitur Lorinus in id Pſalmi 18. *& opera manuum eius annunciat firmamentum*. Vbi idem tenuit Arias Monta. & Genebrardus ibi refert Chaldæum exponentem de aere, qui inter cœlum, & terram latiſsimè eſt expanſus, & in quo mirabilia meteora cernuntur, & mirabilia Dei prædicant; & hanc interpretationem ad locum Geneſis accommodat, eamque dicit eſſe multorum ſententiam, quam ipſe non reprobat. Et eandem ſequitur Pineda in id Iob. 37. *Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, &c.* eundem locum de aere interpretando. Conſentit etiam Tornielus *in Annalibus*: ac denique neceſſariò idem dicunt omnes, qui negant, aquas, eſſe ſupra cœlos incorruptibiles. Et ex Patribus illi fauet Auguſtinus lib. 2. Geneſis ad litter. cap. 4. cuius verba iam ſuprà retuli. *Et in imperfecto Geneſi ad litter. c.* 8. ſic inquit, *Quoniam cœlum firmamentum vocauit, non abſurde intelligitur quidquid infra æthereum cœlum eſt*. At verò in cap. 12. explicans opus quartæ diei dicit, *In hoc loco, cum dicitur ſit firmamentum cœli, intelligendum eſt, omnem iſtam ætheream machinam dici. Quæ omnia ſubſtantia continet ſub qua puri, & tranquilli aeris ſerenitas viget, ſub qua item iſte aer turbulentus, & procelloſus agitatur*. Quæ verba parum noſtræ ſententiæ fauent, & oſtendunt Auguſtinum in illare fuiſſe dubium, quanuis in eis aerem à ſignificatione firmamenti non excludat. Deinde fauet etiam Hieron. in Epiſt. 83. ad Ocean. cùm dicit, *Inter cœlum, & terram medium deſtruitur firmamentum*. Et cũ ſubdit, *iuxta Hebraici ſermonis etymologiam, & aqui ſortitur vocabulum*, ſcilicet *cœlum*, Hebraicè *Samaim*. Expreſsiùs hanc ſententiam docuit Rupertus lib. 1. in Gen. c. 22. cuius verba paulo poſt referam.

8. *Ratio probationis.*

Ratione probatur hæc ſententia primò à ſufficienti partium enumeratione: quia ſi nomine *firmamenti* ibi non intelliguntur ſuperiores cœli, oportet, vt cœlum inferius intelligatur, quandoquidem firmamentum cœlum appellatũ eſt: hoc autem cœlum iuxta Scripturæ vſum non eſt niſi aer. Secundo, quia nullum aliud corpus dici poteſt diuidere aquas ab aquis. Ergo nullum aliud poteſt eſſe firmamentum, cui hoc munus tribuitur. Antecedens iuxta explicationem aquarum, quam ſequimur, per ſe notum eſt. Veruntamen etiam iuxta ſententiam ponentem aquas ſupra cœlos incorruptibiles, non poteſt deſignari corpus, aut corporum collectio diuidens aquas ab aquis, niſi aer in ea includatur. Nam firmamentum diuidens aquas ab aquis occupare debet totum ſpacium inter aquas ſuperiores, & inferiores, interiectum: ita vt ſicut ex parte ſuperiori cœleſtes aquas proxime contingit, & continet: ita inferiores aquas terreſtres ſub ſe immediatè contineat, & attingat. Nam firmamentum eſt tanquam terminus vtrarunque aquarum: de ratione autem termini eſt, vt immediatè attingat ea, quæ terminat, ſeu diuidit. Ergo neceſſe eſt, vt ſaltem ex inferiori parte aer ad firmamentum pertineat. Vnde vlterius cùm ſuperiores aquæ infra omnes cœlos æthereos, imò etiam infra ignem, & tertiam, ſeu ſupremam regionem aeris ſint, recte concludimus, ſolum aerem eſſe firmamentum diuidens aquas ab aquis.

Sed

Sed quæri potest, quis aër, seu quæ pars eius sit huius modi firmamentum; scilicet, an aer infimæ, vel mediæ regionis: nam qui est in suprema excluditur à ratione firmamenti eo ipso, quod nullas aquas vel in se, vel supra se continet. Inter alias vero duas regiones, ratio dubitandi esse potest, quia multi ex auctoribus, qui per firmamentum aerem intelligunt, appellationem hanc aëri secundæ regionis attribuunt. Id significat Rupertus supra, & clarius D. Thomas dicens, firmamentum esse illam partem aëris, *in qua condensantur nubes, & dicit firmamentum propter spissitudinem aeris in parte illa.* Eadem significant Pereyra, & alij, qui dicũt firmamentum hoc die factum esse locum naturalem generationis aquarum sublimiũ, seu pluuialium. Constat autem, huius modi locum esse mediam regionem aeris. Ergo illa significatur nomine firmamenti. In contrarium vero est, quia illa regio non videtur diuidere aquas ab aquis: ergo non potest cum proprietate dici firmamentum. Antecedens probatur, quia aer secundæ regionis potius est locus continens superiores aquas, & ita non attingit vtrumq; extremum, sed vnum tantum. Ergo potius aer huius infimæ regionis dicẽdus est firmamentum, quia est quasi paries interiectus inter aquas inferiores, & superiores, & quasi terminus vtrasque attingens, & separans: nam proxime sub se continet inferiores aquas: superiores autem non in se, sed supra se immediatè habet. Et in hunc modum videtur explicare firmamentum Eugubinus *in Cosmopœia*, & Abulensis ex Rabbinis refert, *Quod istud firmamentum sit prima pars, vel interstitium aeris, quod est inter nos, & locum aeris, in quo fiunt meteorologicæ impressiones.* Nec discrepat Glossa ordinaria, cum ex mente Augustini dicit, cœlum, & firmamentum hic accipi propter hoc tantum, quia inter ea illum eius diuidit inter quosdam vapores aquarum, & aquas, quę sunt in terris. Et eodem modo explicat hanc sententiam Eucherius, quam non improbat.

Ego vtramque sententiam probabilem censeo. Si tamen aliqua illarum necessario reijcienda esset, magis eligerem, & probarem posteriorem propter rationes factas: & quia hęc inferior pars aeris frequentius appellari solet nomine cœli, quo nomine firmamentum etiam appellatum est, & probabiliter intelligitur de propinquiori cælo, & (vt ita dicam) magis peruulgato, & sensibili hominibus, à quo volucres cæli denominantur, quia in eo volitant. Maximè autem videmus volare illas in hac infima regione aeris: ergo sicut illa vocatur cælum, ita etiam nomine firmamenti intelligi potest, cum aquas ab aquis diuidat. Existimo tamen neutram illarum sententiarum esse reijciendam, quia vtraque est veluti peculiaris affirmatiua, quę cum altera contradictionem seu repugnantiam non inuoluit. Nam totus aer infimæ, & mediæ regionis potest dici firmamentum, quia re vera integrum munus firmamenti non per alteram partem tantum, sed per vtramq; simul expletur. Quod de aere infimę regionis probat efficaciter ratio facta, quia est quasi terminus inferiorum aquarum, veluti detinens illas, ne vlterius ascendant. De altera vero parte optimè etiam probatur ratione innuata à D. Thoma, quia vt aquę possent consistere in aliqua superiori parte aeris, necessaria fuit aliqua peculiaris dispositio talis aeris, per quam redderetur aptus locus, ad aquas in se continendas ergo ex parte alterius extremi, scilicet superioris, etiam aer ille concurrit, ad diuidendas aquas ab aquis: ergo aer vtriusque regionis secundum varias consideraciones potuit ab illis auctoribus firmamentum appellari: cumque totus ille aer sit vnum corpus continuum, quod per extremas partes suas infimam & superiorem vtrasque aquas attingit, optime dicitur, totum illum aerem esse cælum, ac firmamentum ad aquas ab aquis diuidendas, hoc secundo die factum.

11. *Obiectio 1. contra proxime resoluta in 2. sententia.*

Contra hanc vero sententiam maxime ponderatur primo, & expenditur nomen *firmamentum*, quia nullo modo videtur posse cum proprietate aeri adaptari. Nam firmamentum proprie significat corpus solidum, & firmum ad continendas aquas, vt in citatis auctoribus videre licet, & latius prosequitur Ascanius in sua Glossa, & vox Græca στερέωμα, qua vsi sunt Septuaginta, satis persuadet, nam significat corpus solidum, & firmum, & ideo superioribus cælis tribuitur, qui solidissimi, & quasi ære fusi sunt, vt dicitur Iob 37. Hoc autem non potest in aerem conuenire, quia aer non est corpus firmum, & solidum, sed fluidum, & facile diuisibile: ergo non potuit nomine *firmamenti* significari. Et confirmatur, quia in quarto die dixit Deus, *Fiãt luminaria in firmamento cœli*, non dixit autem, vt fierent in aere, quia non in illo, sed in superioribus cælis facta sunt: ergo non est aer firmamentum. Propter quod argumentum ausus est Ascanius eam sententiam, quæ nomine firmamenti aerem intelligit, erroneam vocare: sed excessit, & sine sufficienti distinctione, & claritate loquens, alijs errandi occasionem præbuit, vt exponam.

Eius confirmatio.

Ascanius notatur.

12. *Ad obiectionem pradictam responsio.*

Ad priorem ergo partem in primis negamus, nomen *firmamenti* semper significare corpus solidum, & firmum in ea significatione, in qua sumitur in argumento, id est, quòd sit corpus densum, & durum ad modum crystalli, vt dicti auctores loquuntur. Nam in primis vox Hebræa, ibi respõdens רקיע ad huiusmodi significationem non cogit, quia vel tantum significat extensionem, aut effusionem, quæ in aere proprijssime reperitur, vt ex Rabbinis notant Oleaster, Caietanus, & alij. Vel certe ambigua est vox, & vtranque significationem recipit, vt notant Lippomanus in Catena, & Ascanius non negat. Vnde alij auctores communiter expansionem, seu extensionem interpretantur, iuxta illud, *Extendens cœlum, sicut pellem.* De quo cælo in eodem capite primo Geneseos dicitur, posuisse Deum aues *sub firmamento cœli*, at certè nõ posuit aues in corpore duro, ac impenetrabili, sed in corpore raro, & quod facile cedat. Ergo negari non potest, quin aer sub firmamento comprehendatur. Secundo admittimus, firmamentum propter firmitatem dictum esse, & nihilominus aeri optime conuenire, quia non oportet, illam firmitatem in duritie, aut densitate corporis ponere, vt dicti auctores sentiunt. Neque etiam in incorruptibilitate, vt putauit Albertus de quatuor coæquæuis 1. part. quæst. 4. art. 19. Sed in alijs proprietatibus, quæ in corpore etiam tenui, & subtili inueniri possunt.

Vlterior responsio.

13. *Locupletatur proxima responsio.*

Quin potius, vt sentit Origenes homilia prima in Genesin, omne corpus physicum, vt à mathematico distinguitur, firmum, seu firmamentum dici potest. Et Basilius homilia tertia dixit, *Externi homines id firmum corpus dicunt, quod, quasi solidum est, densum, ac plenum, vt à mathematico corpore distinguerent: est autem mathematicum corpus, quod in dimensionibus solis consistit, firmum autem, quod cum dimensionibus resistere, & reniti potest. Scriptura autem sacra, quod perrobustum est neque cedit, id omne firmamentum dicere consueuit. Atque adeo vt in aere addensato hac ipsa vocepleruque vti videatur.* Vnde etiam Diuus Thomas supra, Basilium allegans, dixit, partem aeris mediam dictam esse firmamentum *propter spissitudinem, quam ibi habet.* Et eandem expositionem latè prosequitur Ambrosius libro secundo Exaëmeron capite quarto vbi hanc firmitatem tribuit cælo, in quo nubes & tonitrua, niues, & similia generantur, & rupto aere descendunt. *Neque enim*, ait, *firmamentum*

tum hoc potest sine aliquo rumpi fragore, & penetrari. Ideo & firmamentum dicitur, quod non sit inualidum, neque remissum. Vnde concludit, *A firmitate ergo firmamentum est nuncupatum, vel quòd diuina virtute firmatum sit.* Nam (vt statim dicam) credibile est, illam aëris partem peculiarem dispositionem ad continendas aquas nubium ab auctore naturæ accepisse.

14 *Infima quoque regio aëris nomine firmamēti venire potest.*

Addimus verò, etiam inferiorem partem aëris quantumuis raram, & subtilem habere aliquam sufficientem firmitatem ad officium continendi aquas, ratione cuius propriè valeat firmamētum appellari. Sic Rupertus suprà, *Firmamentum, ait, non solidum quid, aut durum est, vt vulgò putatur, sed aër est extensus, & subtilizatus, qualicet solidum corpus non sit, Scriptura illud firmamētum vocat, eo quòd diuidat aquas ab aquis.* Quod amplius ipse non declarat: August. verò lib. 2. Gen. ad liter. c. 10. dixit, *vocari firmamentum, aut propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum & inferiorum aquarum.* Quod etiam ex Chrysost. Ambros. Origene, Eucherio, Beda, & alijs refert Ascan. suprà. Et addit Eugubinum Geneseos primo dicentem, potuisse vocari firmamentum ex firmitate situs, sicut de terra dicitur, *qui firmauit terram super aquas* Psal. 135. & Psal. 92. *firmauit orbem terræ.* His ergo modis tota etiam inferior pars aëris firmamentum, seu pars firmamenti dici potest, quia magnam firmitatem habet in situ suo, præsertim respectu aquarum, quas ita sub se continet, vt terminum illum nullo modo transgredi valeant. Ergo ex nomine firmamēti nullum probabile argumentum cōtra nostram sententiam sumitur. *Ad confirm. in num. 11.* Quomodo autem inferius dicatur Deus posuisse stellas in firmamento, in opere quartæ diei declarabitur, capite nono, numero 11.

15 *Obiectio 1. contra eandem secundæ sententiam. Quorundā responsio.*

Sed tunc altera obiectio insurgit ex ponderatione verbi, *fiat firmamentum.* Quoniam aër iam existebat in toto loco suo, nam ibi primo die creatus est, vt in primo lib. diximus: ergo vel non potuit firmamentum fieri secundo die, vel aër non est. Respondetur, propter hanc causam aliquos dixisse, aërem fuisse factum quoad substantiam hoc secundo die. Ita refert Pereyra, & non putat improbabile, explicatque in hunc modum: nam in primo die totum spatium à terra vsque ad lunam non erat tribus alijs elementis plenum, sed quadam nebulosa materia, seu tenui vapore quasi medio inter aërem, & aquam. Quod colligunt ex illo Ecclesiast. 24. vbi diuina Sapientia dicit, *Ego feci, vt oriretur in cœlis lumen indeficiens, & quasi nebula texi omnem terram.* Et Iob 38. *Quis conclusit ostia mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens, cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem?* Ex hac ergo nebulosa materia dicunt, factum esse aërem, imò etiam ignem in hac secunda die, per quandam veluti extenuationem, & rarefactionem diuina virtute factam.

16 *Refellitur præcedens responsio quòd non sit consentanea scripturæ.*

Sed hæc sententia nec Scripturæ, nec rationi consentanea est. Nam Scriptura manifestè supponit, aquas præextitisse ante secundum diem, sic enim in principio huius diei dixit Deus, *Fiat firmamentum in medio aquarum*, & infrà, *diuisitque aquas*, &c. non ergo tunc fecit aquas, sed diuisit, quæ iam erant: ergo eadem ratione non fecit tunc aërem, sed iam erat. Deinde non est ordini naturali consentaneum, vt in prima productione corpora simplicia fiant ex multis, sed potius è contrario. Propter quas rationes, & alias suprà conclusimus, omnia elementa sub proprijs formis in primo instanti simul cum cœlis creata fuisse. Neque assertio illius nebulæ in principio tegentis terram, & ascendentis vsque ad concauum lunæ in Scriptura fundamentum habet. Nam in primo testimonio Ecclesiastici 24. non dicit Sapientia, *nebula texi omnem terram*, sed *sicut nebula*, &c. ac si diceret, instar nebulæ, seu ad modum caliginis. Quod sentit Ianssenius ibi dicens, *Sapientiam in principio cœlos ornasse lumine, terram verò obtexisse caligine, vel quia nebulæ erant super faciem abyssi, vel quia in terra factum est, vt nox diei succederet*: quamuis enim nox, aut nebulæ non sint nebula, nihilominus rectè de ijs dicitur, tegere terram instar nebulæ. Vel certè ad illam comparationem satis esse potuit, quòd DEVS terram aqua texerit, perinde ac soler nebula tegi. Potest etiam esse alius sensus magis reconditus, quòd ipsa sapientia increata dicatur, texisse terram instar nebulæ, quia maiestate sua & præsentia terram implebat, ad eum modum quo de diuino spiritu explicantur illa verba, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, quia fouebat illas præsentia, & virtute sua. Quem sensum etiam notat Ianssenius, adnertendo, vocem illam *nebula* non esse ablatiui casus, sed nominatiui, Vatablus autem expressè vertit *ad modum nebulæ*. In verbis autem Iob non est sermo de opere secundæ diei, sed tertiæ, vt patet ex antecedentibus verbis, *quis conclusit ostijs mare*, &c. Quod sine dubio tertia die factum est, vt paulo post videbimus. Vnde postea non dicitur, Deum texisse terram nebula, aut caligine, sed mare: nam verba sunt, *cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem.* Vbi illa relatiua *eius*, & *illud*, mare, quod præcesserat, referunt, non terram, de qua mentio facta non fuerat. Vnde etiamsi voces illæ *nubes, & caligo* cum omni proprietate, & vt ad literam sonant, intelligantur, nihil probant de nebulosa illa materia in principio creata supra terram, sed ad summum probant, in tertio die, quando Deus aquas intra locum maris congregauit, nubem aliquam ex eisdem aquis eleuatam esse, quæ caligine quadam mare ipsum obuoluebat. Quod an ita sit, vel cur ita factum fuerit, incertum est: nunc verò satis est verba illa nihil ad præsentem causam facere, vt ex dictis constat.

Dicendum est ergo, aërem illum, qui nomine *firmamenti* in verbis illis significatus est, non esse factum, quoad substantiam per illa verba, *fiat firmamentum in medio aquarum*, sed tantùm accepisse per illa verba munus, & statum firmamenti. Ita docet Diuus Thomas dicta quæstione sexagesimaoctaua, articulo primo, & hanc sententiam magis probat Pereyra suprà, & est satis communis. Et declaratur breuiter, explicando simul totum opus huius secundæ diei. Omnia enim opera istorum dierum ordinata sunt ad dispositionem vniuersi faciendam generationi, conseruationi, & habitationi hominum, & aliorum mistorum accommodata. Et quia hæc omnia ex luce, & motu primi mobilis maximè pendent, dispositio vniuersi ab illis in primo die inchoata est. Deinde verò necessarium erat, aquam segregare, & in vnum locum colligere, vt terra esset locus mistis accommodatus. Quia verò terra per se & in sola sua dispositione, & ariditate sumpta non est ad generationem mistorum apta materia: nisi conuenienti humiditate disponatur, ideo necessarium fuit ante separationem aquæ à terra, seu ante maris effectionem, aquas eleuare in superiorem locum, vt inde postea possent opportunis temporibus descendere, & terram irrigare, & ad rerum procreationem fœcundare, simulq; vt descendendo calorem aëris temperarent. Hac igitur de causa in hoc secūdo die primum omnium magna portio aquarum terrestrium vsque ad secundam regionem aëris eleuata est, & ita diuisæ sunt aquæ ab aquis, manstitq; aer interpositus, tanquā terminus separans aquas pluuiales à terrestribus, & ita factus est non simpliciter in esse aeris, sed

sed secundùm quid in esse firmamenti, seu intransgressibilis termini, vt Augustinus dixit. Et hoc significatur, quia non simpliciter dictum est, *fiat firmamentum*, sed additum est, *& diuidat aquas ab aquis*. Addendum verò vlteriùs est ex D. Th. non solùm in aqua factam esse mutationē, vel localem, per ascensionem alicuius partis eius, vel alterationis per mutationem in vapores, vel nubes: sed etiam in ipso aëre factam esse aliquam alterationem per condensationem partium eius, quam D. Tho. spissitudinem vocat, per quam alterationem ille locus aptus, & quasi connaturalis factus est ad generationem aquarum pluuialium, & ad recipiendam, & quasi sustentandam materiam illi generationi aptam. Et hinc consequenter etiam factum est, vt totus aër vsq; ad terram eam dispositionem reciperet, vel retineret, quæ ad illud munus diuidendi aquas ab aquis, apta esset, & ita totum huius diei opus fuit consummatum.

Tertiò tamen & vltimò instare aliquis potest, vrgendo illa verba, *& diuisit aquas ab aquis*. Primò quidem, quia non est verisimile in hoc ipso die eleuatos esse vapores, & nubes in sublimem partem aëris: tum quia illa eleuatio fit virtute solis, & caloris eius, non potuit autem Sol tam breui tempore tantam multitudinē vaporum eleuare: tum etiam quia cap. 2. dicitur, quòd post conditum paradisum, *Deus nondum pluerat super terram*. Deinde quia licet dicamus, nubes, & vapores fuisse eleuatos hoc secundo die, nihilominus nunquam tum proprietate verum est, aquas fuisse diuisas ab aquis, quia aqua non ascendit vsque ad aërem sub propria forma aquæ, sed per præuiam mutationē in vapores, & nubes, quæ reuera non sunt aqua, quamdiu ex illis non generatur. Neque etiam sunt in eodem die genitæ pluuiales aquæ in superiori regione aëris: ergo simpliciter, & propriè verum non est, fuisse in illo die aquas supra firmamētum ab inferioribus aquis diuisas.

In hoc puncto aliqui dixerunt, non esse necessarium, vt in hoc die fuerint subleuati vapores, & nubes vsque ad secundam regionem aëris, vel in eodem die fuisse aquas pluuiales genitas, sed satis esse, quòd hoc die fuerit designatus, & destinatus aër, vt esset naturalis locus, in quo pluuiales aquæ generandæ essent, vt ita diuisio aquarum ab aquis fieret. Sed hoc cum grano salis accipiendum est. Nam sine dubio dicendum est, hoc die factam esse, & executioni mandatam diuisionem aquarum ab aquis, & interpositionem firmamenti inter illas: nam hæc duo historicè referuntur hoc die facta, & cum veritate, & proprietate sunt intelligenda: ergo corporaliter (vt sic dicam) & per physicam mutationem in aqua, & in firmamento, seu in aëre factam, executioni mandata sunt. Igitur non solum est designatus, seu destinatus aër, seu aliqua eius pars, vt postea esset locus naturalis generationis aquarū (nam hæc designatio, vel destinatio magis ad internum actum mentis, quàm ad externam executionem pertinere videtur) sed etiam aër ipse intrinsecè dispositus, & præparatus est, vt esse posset aptus aquarum locus: imò etiam in possessione (vt ita dicam) ipsarum aquarum missus est illas recipiendo, & continendo, & à terrenis aquis diuidendo. Vnde vlteriùs omninò asserendum est, hoc die medijs nubibus, aut vaporibus, vel alijs similibus meteoricis substantijs magnam partem aquarum in aëra seu supra firmamentum fuisse eleuatam, quia sine hac eleuatione vera, & corporalis diuisio aquarum ab aquis intelligi non potest. Neque contra hoc obstat prima pars obiectionis facta, quia nō oportet totam illam actionem, & mutationem tantum efficaciæ Solis, vel lucis, aut caloris eius tribuere, (vt quidam volunt) nam potissimum facta est per efficaciam auctoris naturæ, dicentis, *Fiat firmamentum in medio aquarum*. De quo imperio rectè intelligi potest illud Amos 5. & 6. *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen est eius*. Diuina autem virtute facilè fieri potuit illa eleuatio, & alteratio, quantumuis magna cogitetur, intra vnius diei tempus, imò & breuiori, si Deus voluisset. Neque hoc opus propter velocitatem, vel aliam similem causam censeri potest miraculosum, seu supernaturale etiam quoad modum, quia pertinuit ad primā rerum creationem latè sumptam, id est, ad primam huius mundi conditionem, & conuenientem institutionem, prout ab ipso auctore naturæ modo maximè connaturali dispositā, & consummata fuit.

20 Quoad alterum verò partem de propria generatione aquarum pluuialium facilè concedam, non fuisse hoc die factam in superiori regione aëris. Et hoc ad summum probant verba ex 2. Genesis citata, *Non pluerat Dominus Deus super terram*. Fieri enim potuit, vt nubes, & vapores, & tota materia aquea ad pluuias necessaria vsque ad secundam regionem aëris hoc die ascenderent, & nihilominus non statim, nec post aliquos dies generarentur, aut descenderet pluuia. Quanquam si quis vellet mordicùs resistere, non posset contrarium citatis verbis Genesis omnino conuinci. Nam in dictis verbis solùm dicitur, quòd non pluerat Deus super terram, hoc autem esset verum, etiam si hoc ipso secundo die post ascensum nubium essent genitæ aquæ pluuiales, & descendissent per aërem: quia nihilominus non descendissent super terram, nec irrigassent illam, quod Scriptura in illis verbis intendit: sed descendissent super inferiorem aquam, quæ tunc totam terram circūdabat. Quòd si Deus fortasse hoc totum isto die facere voluisset, nec otiosum, nec superuacaneum esset, sed ad ostentionem perfecti, & consummati operis pertinere potuisset. Nihilominus tamen, vt dixi, verisimilius videtur, non fuisse hoc eodem die nubes, & vapores iterum redactos in pluuiam, sicut non est etiam verisimile, statim fuisse genitam niuem, grandinem, & similia, & eodem die ad inferiores aquas descendisse. Quia hæc omnia per se necessaria non sunt, nec tunc erant vtilia ad mundi ornamentum, & distinctionem, & alioqui in Scriptura fundamentum non habent. Nam vt verè, ac propriè dicantur aquæ diuisæ ab aquis, & supra firmamentum collocatæ, satis est, quòd per nubes, & vapores ascenderint, & supra firmamentum detentæ fuerint. Quidquid enim sit de quæstione Physica, an vapores isti, vel nubes habeant formam substantialem distinctam à forma aquæ, vel an aqua sit formaliter in nube quoad substantiam suam, vel tantùm potentia, & quasi in materia proxima: nihilominus communi, & vulgari sermone dicitur aqua in nubibus contineri, & Scriptura ipsa interdum ita loquitur, iuxta illud Iob 26. *Qui ligat aquas in nubibus suis*. Vnde dixit eleganter Gregorius Nazianzenus oratio. 34. quæ est secunda de Theologia parum à fine, *Quis aquam in nubibus alligat, eamque partim in nubibus figit (ô rem admirandam!) verbo compressam, tametsi naturæ suæ fluxam, & labilem: partim in totius terræ faciem effundit, ac tempestiuè, & æquali modo spargit*. Sic ergo cum omni proprietate communis, & vsitati sermonis dicuntur aquæ pluuiales diuisæ à terrestribus, & supra firmamentum eleuatæ ratione nubium, & vaporum, etiamsi nō statim fuerint in pluuiales aquas transmutatæ.

Ad 2. partē ibid.

21 Tandem ex omnibus dictis responderi facilè potest ad vulgarem interrogationem, cur in opere huius diei non sint addita illa verba, *& vidit Deus, quòd esset bonum*, neque adiuncta est benedictio, sicut in operibus aliorum dierum factum legitur.

Cur in hac 2. die nō sit addita benedictio.

gitur. Cuius rei moralis ratio reddi solet, quia numerus binarius ab vnitate recedit, cùm vnitas ad perfectionem pertineat. Ita refert Diuus Thomas 1.p.q.74 art.3.ad 3.& habetur apud Hieronym.lib. 3.contr.Iouini. & Ezechiel. 11. & Aggæi 2.& refertur in cap.nuptiæ 32.q.1. Veruntamen ratio literalis est, quam D. Thom. suprà ponit, nimirum, diuisionem aquarum fuisse inchoatam in hac secunda die, non tamen fuisse perfectam vsque ad tertiam: & ideo de isto opere non fuisse addita illa verba, quæ perfectionem, & consummationem operis indicare solent, qualia sunt illa, *vidit Deus, quod esset bonum.* Et ob eandem rationem dilata est benedictio vsque ad diem tertium, & benedictio tunc data, etiam opus huius diei comprehendit. Et hæc est sufficiens ratio, & communiter recepta, alias verò addunt D.Thom. suprà, & expositores in Genesim, quas nunc referre, aut expendere, necessarium non arbitramur.

CAPVT VI.

Quomodo tertio die aquæ in locum vnum congregatæ fuerint, & apparuerit terra.

1. *Ex quibus veluti partibus totum opus tertij diei constet.*

OPus tertij diei his verbis describitur Gen. 1. *Dixit vero Deus, congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum vnum, & appareat arida, & factum est ita, & vocauit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellauit maria Et vidit Deus, quod esset bonum Et ait: Germinet terra herbam virentē*, &c. Ex quibus verbis constat, duo fecisse Deum opera hoc die tertio, scilicet, congregationem aquarum, & vegetabilium productionem, quæ inter se valde distincta sunt, & ideo de priori dicemus in hoc cap. de altero verò in sequenti. In priori etiam opere, duo illa subdistingui possent, scilic. aquarum congregatio, & terræ detectio. Veruntamen quia hæc duo vna actione facta sunt: nam reuelatio terræ fuit quasi terminus à quo congregationis aquarum, ideo vtrunque horum sub eodem opere computantur. Necessarium etiam fuit, actiones alias in hoc opere interuenire, vt enim, aquæ quæ vniuersam terram tegebant, in locum vnum recipi possent, necessarium fuit, priùs locum præparare, & quasi terram effodere, quod alia actione, & mutatione fieri oportuit. Quia verò omnis hæc operatio ad illum finem congregandi aquas in locum vnum, & detegendi terram ordinatur, ideo totum hoc vnum opus censetur, & omnis illa mutatio quasi connexione quadam, & necessaria successione facta est, vt paulatim, & quasi per partes distinctius explicabitur.

2. *1 Dub. an terra, vel aqua in 3. die sit producta. Quid dicendum iuxta Augustinū.*

Primum autem omnium inquiri potest, an in hoc opere aliqua mutatio, vel substantialis productio aquæ aut terræ interuenerit. Multi enim ex antiquis censuerunt, aquam, & terram hoc die fuisse substantialiter productas. Ita sentit Augustin. supposita illa sententia, quòd isti dies non sunt materiales, sed intellectuales, & quòd omnia simul fuerunt in reali duratione producta ex materia informi, ita vt informitas tantùm ordine naturæ præcesserit, & in eodem instanti temporis formatio secuta fuerit. His enim principijs positis sensit August. tertio loco narrari formationē substantialem aquæ, & terræ, eamque illis verbis significari, *Congregentur aquæ*, &c. *& appareat arida.* Ita exponit hanc sententiam D.Thom.1.p.q.69. art.1. ex Augustin.lib.1.de Genesi contr. Manich.c.5. & 12.& in Imperf. Gen.c.10. & lib.1. super Gen.ad liter.c.15.lib.4.c.22.& 34. Præter Augustin. autem nonnulli ex Doctoribus, qui hos dies naturales esse, & opera eorum cum reali successione facta esse, fatentur, dixerunt etiam aquam, & terram fuisse hoc die substantialiter productas in illis sitibus, in quibus ita essent dispositæ, vt aquæ essent congregatæ in locum vnum, & terra visibilis appareret. Ita sensit Philo *lib. de opificio mundi*, & Gregor. Nissenus *in historia sex dierum*, & Abulensis *in Genesim*, qui etiam aerem & ignem putat hoc ipso die fuisse substantialiter productos. Consentit Bona. in 2.d.14.p.2.dub.3.litterali. Magist. verò *ibi*, & Hugo de Sanct. Vict. lib.1.de Sacram.p.1.c.12. Saltem aquam asseruerūt productam quoad substantiam in hoc die. Nam terrā in principio cum cœlo creatam fuisse supponunt, ignem autem, & aerem in secundo die putant esse productos, ex materia nebulosa, quæ totum spatium inter cœlum, & terram priùs occupabat, nam partes illius superiores, ac leuiores in aerem, & ignem in die secūdo (vt aiunt) commutatæ sunt: hoc autem die tertio quæ in infima parte illius spatij circa terram relicta est, in elementum aquæ condensata, & formata est, & in præparatum sibi locum congregata.

Quid alij Doctores sēserint.

Veruntamen hæc omnia, & sine fundamento in Scriptura dicta sunt, & sufficienter possunt ex dictis in primo libro impugnari, & ad explicandum huius diei opus nihil deseruiunt, nec verbis, quibus hoc opus refertur, adaptari possunt. Dico ergo, neque aquam, neque terram fuisse hoc die substantialiter productam: neque aliquā aliam mutationem substantialem fuisse per se, & propter aquarum congregationem necessariam. Sed mutationem tantum localem, cum aliqua congruenti alteratione admista. Hæc sententia est cōmunior antiquorum Patrum, & Doctorum, etiam moderatorum, quos in progressu referam, quanuis sufficere posset in primo libro allegati, ex quo nunc supponimus, opera horum dierum successiuè fuisse facta per veros dies naturales: & ideo de sententia Augustini nihil hic addere oportet. Probatur ergo prima pars assertionis ex verbis illis, *congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt. Et appareat arida.* Nam primum verbum congregandi in rigore, & proprietate non significat productionem rerum quæ congregantur, sed jam existentium coacteruationem, quæ per mutationem localem, vel aliam similem accidentalem mutationem fit. Et vt nullus relinqueretur dubitandi locus, additum est, *aqua quæ sub cælo sunt.* Quia nimirum non aquæ, quæ tūc fiebant, sed quæ iam erant, in eundem locum coire iussæ sunt, & præterea in illis verbis euidenter significatur, sermonem esse de aquis, de quibus in secundo die fuerat dictum, sub firmamento manfisse, nam quod ibi dicitur, *sub firmamento*, perinde est, ac quod tertio die dicitur, *sub cælo*: vocant enim *firmamentum cœlum*, vt ibidem scribitur. Sunt ergo cœlum aquæ, de quibus in secundo, & tertio die fit mentio, vt etiam ipsum nomen *aquarum* persuadet, & ipse etiam contextus. Nam in hoc die fit mentio illarum aquarum tanquam de re iam nota, & de qua sermo præcesserat: ergo non potuerit illæ aquę in hoc tertio die substantialiter produci. Simile argumentum non minus efficax sumitur *terram* de productione terræ ex illo verbo, *appareat arida*: nam idem est apparere, quod detegi, seu manifestari, quod sub aquis latebat. Hoc autem non fit per substantialem productionem, nec verbum illud *appareat*, illam significat, aut significare potest. Nam in rigore, quod apparere dicitur, existere supponitur, sicut quando Christus Dominus post mortem apparuisse dicitur, priùs resurrexisse supponitur. Præterquam quòd, si aquæ præexistebāt, & in vnum locum congregabantur, vt appareret terra, necessaria consecutione infertur, terram ipsam præextitisse. Vt omittam alia, quæ de creatione terræ suprà dicta sunt, ponderando verba illa, *In principio creauit Deus cœlum, & terram.*

Et

Et hinc facile persuadetur, quod in secunda parte assertionis dicitur, nullam aliam mutationem substantialem fuisse per se necessariam in hoc primo huius diei opere. Quia in dictis verbis Scripturæ nullum est, quod talem productionem, vel transmutationem substantialem indicet: quia præter duo dicta verba nullum est aliud mutationem significans, & illa duo, vt dixi, substantialem non indicant, siue in terra, aut aqua, siue in quolibet alio corpore. Ratio vero optima est, quia ad finem per hoc opus intentum nullius rei substantialis mutatio necessaria est, vt per se notum videtur, quia sicut terra non apparebat propter situm aquę vniuersam terram circundantis: ita potuit apparere propter solam mutationem situs, vel aquæ, vel terræ, vel vtriusq;, vnde tandem pars vltima conclusionis probata relinquitur. Quia terra, & aqua ita fuerunt à principio creata, vt aqua esset supra terram, & totam illam ex omni parte circundaret, ac tegeret: nam hunc naturalem locorum ordinem illa elementa secundum proprias, & particulares inclinationes postulant, & ideo in principio ita creata sunt, quia nondum ad mistorum commoditatem disponebantur. Et hoc manifestè supponunt verba Scripturæ, quæ nunc tractamus: nam si necessarium fuit de nouo facere, vt terra appareret, profecto nunquam antea apparuerat, sed aquis tegebatur. Igitur necessaria fuit aliqua mutatio saltem localis, vt terra detegeretur, & appareret. Imo hoc opus tertij diei per solum motum localem fuisse perfectum, dixit D. Thom. dicta q. 69. a. 1. ad 1. Nos vero in assertione addimus aliquam alterationem fuisse huic mutationi locali coniunctam, quia vel mutatio ipsa loci per alterationem aliquam facta est, vel certe ex ipsa mutatione loci naturaliter est consecuta. Quid autem horum verius sit, & quomodo tota hæc mutatio facta fuerit, & quem integrum terminum habuerit, explicandum nobis superest, quod per alia breuia dubia clarius, & distinctius præstabimus.

Est ergo secundum dubium, an congregatio aquarum facta fuerit supra eandem conuexam superficiem terræ, cogendo vniuersam aquam ad quandam partem eiusdem superficiei, & reliquam terræ partem discoopertam, & oculis expositam relinquendo, absque vlla mutatione in terra facta. Ita enim aliqui opinati sunt. Sed hoc ipsum duobus modis cogitatum & affirmatum est. Prior est, vt mutatio illa facta sit sine vlla compressione vel condensatione partium aquę per solam eleuationem aquarum ad altiores partes aeris, qui ex alia parte vsq; ad terram descendit per omnes illas regiones, & oras terræ, per quas visibilis apparuit. Et hunc modum congregationis aquarum tradit Origen. & sequuntur Carth. & Catherin. in Gen. & ex parte attigerunt illum Basil. homilia quarta, & Ambros. libr. 3. Exaëmeron cap. 2. Et D. Thom. supra ad 2. præfert hunc modum dicendi cæteris. Mihi tamen non satisfacit. Primo quia non est verisimile, elementum aquæ in tantam sublimitatem ascendisse supra terram, quanta necessaria fuisset ad illum congregationis modum. Præsertim si verum est, quod 4. Esd. cap. 6. dicitur, sex partes terræ fuisse siccatas, & in septima sola aquas fuisse congregatas. Veruntamen quia hoc est incertum, & inter Philosophos, seu Geographos dubium est, quæ pars superficiei terræ maior sit, an illa, quæ sub aquis manfit, vel quæ apparuit, & vsque nunc discooperta est, nobis sat est, quòd quantum experientia docere potuit, probabile creditur, aut esse æquales, aut parum inæquales. Nam vt aqua, quæ totam terram cooperiebat, per solum ascensum, versus regionem aeris intra dimidiam partem superficiei terræ cogeretur, necessarium fuisset, aquam ascendisse supra terram per multa milliaria, seu per duplo maiorem profunditatem, quam prius supra totam terram habuerit.

6. *Attingitur quæstio, an terra sit elatior mari, vel è contra.*

At hoc incredibile, & contra omnem experientiam videtur. Quod potest à nobis declarari ex quæstione illa philosophica, an terra sit altior, quã mare, vel è conuerso, quam aliqui hoc loco tractant, nobis autem eam Philosophis relinquere visum est. Solum ergo, quod ad præsens spectat, consideramus, rem ad minimum esse incertam, & vtranque partem graues habere patronos. Nam aquam esse altiorem terra, Diuus Thomas supra cum Basilio sensit, & sequuti sunt Burgens. & Catherin. in Genes. Nihilominus contraria sententia communior est Philosophorum, & Astrologorum, & eam sequuti sunt in Genes. Ægid. Caiet. & Honcala, ac Perey. qui dicit esse rem claram, & exploratam. Quam etiam multis experientijs comprobant nostri Conimbricenses, simul ex Patrib. allegando pro eadem sententia, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, & Damascenum. Ex hac ergo dissensione nos colligimus, saltem credibile non esse, aquam maris in tantam altitudinem hac die ascendisse. Nam si eiusmodi locum tunc obtinuisset, in eodem vsque hodie permansisset: quia præceptum illi positum est, quod non præteribit, Ierem. 5. cum alijs locis similibus. At vero si aqua maris in tanta altitudine terram superaret, profecto non esset res tam dubia, sed aliquo experimento certo per tot nauigationes maris, per omnem latitudinem eius cognosci potuisset. Hoc autem non ita est, nam potius experientiæ videntur ostendere, superficiem maris vel esse inferiorem, vel certe non esse superiorem superficie terræ, vt in citatis auctoribus videre licet. Ergo verisimile non est, congregationem illam aquarũ, per solam ascensionem in superiorem locum, factam esse. Accedit, quod modus ille locandi aquã in tali situ esset nimis contrarius naturæ aquæ grauis, & fluidæ, & non erat necessarium ad conuenientem vniuersi dispositionem in ordine ad mistorum generationem, & animantium habitationem, vt per se videtur clarum, & ex sequentibus magis patebit. Imò fuisset modus ille parum accommodatus ad marium nauigationem, & ad fluuiorum, seu fontium originem, vel terminum. Ergo non est, cur credamus, Deum illo modo congregasse aquas, cum hoc Scriptura non dicat. Atque hoc magis ex sequenti puncto patebit.

Vide Conimbricenses l. 2. de cælo q. 4. a. 2. Mol. disc. 10 tract. d. 11. Clauium ad cap. 1. sphæræ.

Reiicitur 1:

7. *2. Sententia:*

Secundus modus dicendi est, hanc congregationem aquarum factam esse per solam condensationem aquæ absque alio motu locali, præter illum, qui condensationem ipsam necessario comitatur. Vnde hæc sententia cum præcedenti in hoc conuenit, quod ex vi huius operis nulla mutatio localis vel alterationis in terra, vel partibus eius facta est, sed in aqua sola. Deinde in hoc etiam conuenit quod totam aquam dicit mansisse terra superiorem, sicut antea erat: redacta tamen, v. g. ad dimidiam partem superficiei terræ, & intra illam coarctatam. Differt tamen primo, quia non putat, ascendisse aquam vltra terminum, quem antea habebat, sed eandem profunditatem retinuisse, & sub eadem superficie concaua aeris, à superficie conuexa terræ æquè distanti, permansisse. Secundo, ac principaliter differt, quia non putat, hanc congregationem esse factam per se primo per motum localem, sed per condensationem partium aquæ, ad quam sequuta est mutatio loci aquæ secundum partes. Existimant enim auctores huius sententiæ, ante hunc diem aquam, quæ totam terram tegebat, fuisse rariorem ad modum nebulæ, & hoc die per condensationem fuisse ad locum duplo minorem redactam. Hanc opinio-

In quo conueniat cum prima.

In quo differat.

nem refert Diuus Thomas suprà, eamque secundo loco ponit, & probabilem iudicat, cùm solùm ei præferat præcedentem tanquam probabiliorem. Hunc tamen modum præcedenti præfert Augustinus libro 1. Genes. ad liter. capite 12. quanuis non simpliciter approbet, & eodem modo loquitur Beda in Exaëmeron, & alij moderni non dissentiunt.

8. *Impugnatur tamen 1.* Mihi verò etiam hic modus non satisfacit. Primò, quia multum accedit ad opinionem eorum, qui aquam ex præiacenti materia fuisse substantialiter generatam existimarunt, quia nebulam illam duplo rariorem, quàm sit aqua, facilè credi potest, fuisse futuram substantialiter distinctam ab aqua, quia vix potest forma aquæ sub tanta raritate conseruari. Sed esto fuerit illa nebula eiusdem substantiæ cum aqua, profectò vel tanta raritas, quanta hunc diem præcessit, vel tanta densitas, quanta hoc tertio die facta est, fuisset aquæ præternaturalis, quia tam contrariæ, seu diuersæ qualitates, seu dispositiones non possunt esse connaturales eidem formæ. Et nulla erat ratio, cur Deus vel aquam in principio cum imperfecta forma, & præternaturali dispositione produceret, vel postea in præternaturali dispositione constituerit, & conseruet, cùm ad communem vsum aquæ, & ad commodum animantium, vel mistorum id necessarium non sit. *Confirm.* Et augetur hæc difficultas, quia si hæc congregatio aquarum per solam condensationem aquæ facta fuisset, necessarium consequenter esset, totam illam distantiam loci, seu spatij, quam aqua deserebat, impleri aëre per illius rarefactionem. Quia nec illud spatium aliqua ex parte vacuum manet, nec terra ascendit ad replendum illud, nec nouus aer ibi productus est: ergo per illam rarefactionem præexistentis aeris repleri necessarium fuit. Quod quidem in tam ingenti loco, & distantia sine magna, & præternaturali ac violenta aeris alteratione fieri non poterat. Ergo ille modus congregationis aquarum valde violētus est, ac propterea non est admittendus, cùm nec narratione, nec auctoritate probetur.

9. *Impugnatur 2.* Vltra hæc verò vrget contra hunc dicendi modum difficultas contra præcedentem posita, quia licet iuxta hanc opinionem aqua non intumuerit supra terram in tanta altitudine, quanta iuxta præcedentem sententiam ponitur, nihilominus sequitur ex hac sententia, totam aquam mansisse altiorem terra saltē in illa altitudine, in qua creata fuit: hoc autem æquè est contra experientiam, & habet reliqua incōmoda, quæ in superiori sententia tacta sunt. Et præterea addi potest aliud vtrique sententiæ commune: nam sequitur aquam perpetuo miraculo detineri, ne vniuersam terram occupet, & operiat, quia aqua in superiori loco cū sua densitate, & grauitate existens, & nullis terminis corporalibus, & ad resistendum sufficientibus inclusa naturaliter fluit supra terram. Ergo si tota moles aquæ nullis receptaculis inclusa supra terram mansit, violenter, & miraculosè detinetur, ne descendat, & terram obruat, consequens autem videtur esse incredibile, & contra suauem ordinem prouidentiæ diuinæ, quæ ita res creatas administrat, vt vnamquamque suum naturalem motum agere sinat, vt dixit August. lib. 7. de ciuit. cap. 30.

10 *Ratio Burgensis præcluditur à Pereira.* At verò Burgens. respondet, ita Deum separasse aquam à terra, vt per se suum globum efficeret, nouumque centrum distinctum à centro terræ habere inciperet, quem globum aquæ mansisse dicit supra terram, nō omnino, sed maxima ex parte intrinsecè intersecando terram: & ad rationem respondet, Deum mutasse naturam aquæ, vt non inclineturin centrum terræ, sicut antea: sed in proprium centrum, quod nunc ex diuina ordinatione habet. Sed hoc meritò tanquam commentitium Pereira reijcit, quia non potuit intrinseca propensio aquæ mutari, nisi natura eius in aliam speciem transmutata. Propter quod moderni quidam dixerunt, naturale esse aquæ circulariter cōglobari, & proprium centrum constituere, vt in guttis pluuiæ, vel roris experientia ostendit, & hoc modo dicunt fuisse naturalem illam aquarum conglobationem. *Alterum modus.*

At hoc etiam incredibilius est. Nam in primis est cōtra experientiam, quia videmus, aquas fluere ad centrum terræ, quantum eis permittitur, vt in fluminibus, fontibus, &c. Quod non facerent, sed in se conglobarentur, & ascenderent, globum suum augendo, si hoc eis esset naturale. In stagnis etiam conspicimus, non conglobari, sed figuram loci accipere, quia fluere non sinuntur. Item aliàs etiam à principio aqua suam sequens inclinationem non circumdaret terram, sed suum globum efficeret: hoc autem planè falsum est, aliàs opus huius diei non fuisset necessarium. Denique ex illa experientia guttarum nullum argumentum sumitur: sufficiensque signum est illam non contingere in magna quantitate aquæ, sed in minutioribus quibusdam guttulis: ergo non rectè applicatur ad immensitatem aquarum maris: id ergo prouenit in guttis vel ab extrinseco, quia ex aliquo motu locali, vel densationis illa figura resultat: vel quia non possunt moueri, nisi diuidantur, vel dissipentur, & ita facilè corrumpantur, & ideo ex appetitu ad suam conseruationem partes vniuntur potius, quàm extendantur, seu fluant, quæ ratio in magna aquæ copia cessat, quia & grauitas multo maior est, & sine diuisione, aut corruptione naturalis motus descensionis fieri potest. Non potuit ergo modus ille congregationis aquarum sine magno miraculo fieri, ac perpetuò conseruari. *Refutatur.*

Nihilominus alij dictam sententiam defendentes hoc facilè concedunt, & inde argumentum hoc contra nos inflectunt, quia Scriptura diuina quasi miraculo omnipotentiæ Dei, & efficacitati imperij eius tribuit opus hoc, & hanc obedientiam aquæ, vt contra inclinationem propriæ naturæ intra terminos sibi præscriptos sine alio corpore eam impediente, aut circumdante se contineat: ergo signum est, fuisse congregatam supra terram altero ex duobus modis prædictis. Consequentia clara est, & antecedens luculenter describitur Iob. 38. vbi Dominus de mari ait, *Circundedi illud terminis meis & posui vectem & ostia.* Et vt declaret, illa nihil aliud præter præceptum suum fuisse, subdit, *& dixi, vsque huc venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Et simile est illud Prou. 8. *Et legem ponebat aquis ne transirent fines suos.* Et de eodem termino aquarum loquitur Dauid Psalm. 103. dicens, *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.* Prius enim dixerat: *Super montes stabunt aquæ, ab increpatione tua fugient,* &c. Et sic etiam dixit Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Et infrà, *Congregans sicut vtre aquas maris,* vtique virtute verbi sui, sicut Psal. 77. dicitur, de transitu populi Israel per mare rubrum, *statuit aquas quasi in vtre.* Et sic etiam dicitur Eccles. 39. *In verbo eius stetit aqua sicut congeries,* &c. Ac deniq; Ierem. 5. *Posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit.* &c. Ergo tribuendum est hoc opus efficacitati verbi Dei, & non alijs extrinsecis impedimentis. Neque propterea tale opus dicendum erit simpliciter violentum, aut contra suauem DEI prouidentiam, quia est ad bonum vniuersi ordinatum, ac proinde secundum inclinationem naturæ vniuersalis, sicut est ascensus aquæ ad replendum vacuum.

Nihilo-

Nihilominus respondemus, quamuis potuerit DEVS illo modo perpetuò continere aquas solo verbo suo, non fuisse consentaneum communi ordini prouidentiæ Dei, sine vllo naturali medio per solam suam potentiam id perpetuò conseruare, quia Deus vtitur causis secundis in ordinarijs effectibus vniuersi, quando commodè potest: poterat autem alio modo magis naturali aquam intra definitum locum includere, & definire, vt videbimus: ergo non oportet fingere illud perpetuum miraculum: tale enim reputãdum est, cùm ad conuenientem ordinem vniuersi non sit necessarium. Melius enim erit vniuersum dispositum etiam in ordine ad finem conseruandi, & procreandi mista, licet aqua non sit altior terra, sed potius sit intra certos terræ limites ita conclusa, vt nec ascendere possit, nec fluere. Nec ea citatis locis Scripturæ tale miraculum colligitur, sed in hoc mirabilis potentia, & sapientia DEI prædicatur, quòd certa lege, & efficaci potentia ita in vnum locum aquas congregauerit, vt amplius exire ad operiendam terram nequeant, vel virtute sua naturali, vel impetu, & motione aliorum corporum.

Quod vt meliùs intelligatur, aduertere oportet, duobus modis posse aquam maris moueri ad operiendam terram, scilicet, vel naturali impetu grauitatis suæ, vel extrinseco impulsu astrorum, aut ventorum. Aqua igitur maris ita fuit à DEO in aliquo loco terræ concluſa, vt ibi posita naturaliter quiescat, nec moueri supra terram, vel per terram possit: quia aqua in quocumque loco terræ posita, naturaliter non ascendit, etiamsi aliunde superiorem terram habeat, neque fluit, nisi declivior locus alia ex parte illi peruius sit, vt in aqua putei, vel stagni videre licet. Sic ergo facilè potuit DEVS aquam maris intra concaua loca terræ includere. Et totam in circuitu montibus, & quasi altiori muro terræ circumdare: sic ergo locata quiescit ab intrinseco, quia de se ad inferiora loca tendit, & per latera fluere non finitur. Et hac ratione optimè dicere potuit DEVS, *concluſi ostium mare & circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia.* Item dici possunt aquæ maris *congregatæ quasi in vtre.* At vero quoad alterum modum motionis aquarum maris ab extrinseco ita Deus disposuit vniuersales causas mundi, vt ab eis posset sæpius aqua maris per ventos, & influentias cælorum vehementer commoueri: hoc enim & experientia ostendit, & ad alios effectus vniuersi fuit necessarium. Veruntamen omnes causæ motrices aquarum ita sunt per diuinam, & sapientissimam Dei voluntatem dispositæ, & moderatæ, vt nunquam possent aquæ ab huiusmodi causis tam vehementer, & constanter moueri, vt terminos à Deo præfixos pertrãsirent. Et huiusmodi Dei prouidentia rectè intelligitur nomine legis, quã Deus posuit aquis, ne tranirent fines suos, dicens, *Vsque hùc venies, & non procedes amplius.* Nam huiusmodi dispositio diuinæ prouidẽtiæ solet in Scriptura præceptum appellari, seu lex, quia per illam causę vniuersi intra definitum ordinem detinentur, seu coercentur. Et hoc ipsum declaratur Ierem. 5. illis verbis, *qui posui arenam terminum mari, præceptum æternum, quod non præteribit, & commouebuntur, & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud.* Ac denique hac ratione dicit Manasses in oratione sua, *Deum ligasse mare verbo præcepti sui.* Atq; ita præceptum hoc & efficacissimè, & sine nouo miraculo impletur, quia dispositio causarum vniuersi immutabilis est, neq; aliud possunt efficere, nisi quod ipse præscripsit.

Est ergo tertia, & vera sententia, quæ affirmat hanc congregationem aquarum principaliter factam esse per motum localem aquæ maris per naturalem impetum, quem habet ad descendendum deorsum, quãdo viam inuenit expeditam. Sequitur enim hic modus quasi à sufficienti partium enumeratione. Quia aqua non fuit congregata in vnum locum ascendendo, neque etiam permanẽdo, & quasi se comprimendo in eodẽ situ ac loco, seu in parte eius, vt probatum est. Ergo necessarium fuit, vt se colligeret, seu congregaret in nõuum locum descendendo. Hic autem locus aptus ad recipiendas aquas non erat factus in visceribus terræ ante hunc diem, quamuis opposítum senserit Hugo de Sancto Victore libro primo de Sacramentis, parte prima, capite vigesimo primo, vbi hunc locum credit esse *abyssum magnam, quæ ab ipso mundi exordio*, inquit, *in terræ corpore tantæ capacitatis facta fuisse putatur.* Sed longè probabilius est, totum elementum terræ in principio fuisse solidum, & ex omni parte continuum, & in vltima superficiẽ fuisse vndique æquale, ac sphæricum, tum quia naturalis dispositio terræ huiusmodi compositionem natura sua postulat, elementa autem, vt sæpè diximus, in principio secundum naturalem constitutionem suam condita sunt. Tum etiam quia illa concauitas, aut esset vacua duob. primis diebus, quod credibile non est, vel esset plena aere, quod violentum est. Tum deniq; quia nullum habet fundamentum in Scriptura, quæ nomine abysi non significat terræ concauitatem, sed aquæ profunditatem, vt dixi. Quapropter necessarium fuit, ante motionem aquæ ordine saltem naturæ præcessisse mutationem in inferioribus partibus terræ. Nam Deus in visceribus terræ magnam concauitatem, & sinum in ea aperuit, in quam stante aquæ sese demiserunt, & ita fuerunt in vnum locum congregatæ. Ita sensit August. 1. de Gen. ad liter. c. 12. & optimè Damasc. libr. 2. de Fide, cã. 9. & 10. & Beda in Exaemeron, & refert, ac probabile reputat D. Thom. supra, & cæteri ferè omnes magis approbant. Et sanè meritò, quia (præter omnia dicta) est facilis, & expeditus modus, & ferè omni carens difficultate. Item est valde consentaneus experientiæ, & consequenter etiam Philosophiæ, nam etiam Aristot. 1. & 2. libro Meteororum dixit, ex terra, & aqua quasi vnum mũdi medium coalescere, dum aqua in ipsis concauitatibus terræ continetur.

Excluditur modus dicendi Hugonis pro hac 3. sententia.

Verior diuersi modus affertur ex Aug. Beda & alijs, ac probatur.

Præterea ex hoc modo congregationis aquarũ alia mũdi commoditas orta est, nam Deus præparando locum terræ ad congregandas aquas aliud beneficium vniuerso contulit, montes, & colles in partib. eleuando, & vniuersum terræ habitabilis situ mira varietate disponendo, prout viuẽtibus, & alijs mistis vtile, ac commodum futurum erat. Nã hæc terræ dispositio sine vllo dubio in mundi initio facta fuit, quia ante diluuium mõtes, & inæqualitates in terra fuerunt, nã Gen. 7. dicitur, q; *aquæ prævaluerunt nimis super terram, operti q; sunt omnes montes excelsi sub vniverso cælo.* Vbi & plures fuisse, & quosdam altiores alijs, significatur per verba illa *montes excelsi*, indicatur enim etiam inferiores mõtes, seu colles fuisse. Ideoq; vt bene notat Pereyr. nõ rectè dixerunt, qui ante diluuium terrã æquabilem, & vniformem esse putarunt, easq; inæqualitates, quas in ea videmus, occasione aquarũ diluuij factas esse. Est enim hoc improbabile, tum quia multum repugnat allegato testimonio Scripturæ: tum etiam quia in alijs locis significat scriptura, montes inter primordia mundi factos esse, Prou. 8. & Ps. 75. Tum præterea, quia hæc varietas in figura & situ partiũ terræ, vt altitudo montiũ, profunditas vallium, & camporum planicies, ac similia non sunt per accidens in vniverso, sed per se fuerunt intenta ab auctore naturæ tanquam necessaria ad vitam, & commoditatem hominũ, & aliorum animalium, & ad varios terræ fructus

16 *Montes ac adeò cauitates terræ ad opus tertiæ diei spectare ostenditur.*

vt eleganter dictus auctor declarat, cum Rupert. lib.1. in Gen. c.34. Ergo non est verisimile illa omnia, & tempore diluuij, & solùm per occasionē, & impetum aquarum eius facta fuisse. Tū deniq; quia solus fluxus & refluxus aquarum diluuij non poterat esse sufficiens ad tot ingentes montes efficiendos. Præsertim cùm Gen.8.dicatur, quòd cessantibus aquis diluuij post aliquos menses *apparuerūt cacumina montium*, & quòd *requieuit arca super montes Armeniæ*: qui certè fieri non potuerunt solo aquarum impetu, quandiu sub aquis latuerunt. Ergo iam erant, quando aquæ diluuij inundarūt, quanquam occasione illarum mutatio aliqua in his terræ partibus fieri potuerit. Veruntamen illa secundaria, & accidentaria est, & nimis parua respectu totius constitutionis, & magnitudinis terræ, ideoque sæpius aliqua ex parte discursu temporum facta est: nihilominus tamen hæc constitutio terræ cum hac varietate montium, vallium, &c. opus proprium fuit auctoris naturæ, & ideo sine dubio inter opera creationis, distinctionis, & ornatus per se, & ex intentione auctoris naturæ factum est.

17. *Insulæ quoque ad idem opus spectāt.*

Hoc ergo opus recte hoc tertio die factum intelligitur, & sub congregatione aquarum esse cōprehensum: cùm enim ad conuenientem dispositionem vniuersi valde pertineat, & magnum fuerit opus omnipotentiæ Dei, & neque in primo instanti, nec post diuturna tēpora fuerit factum, non est verisimile, non esse comprehensum in operibus sex dierum, aut alteri melius, quam huic tertio posse attribui. Ergo meritò coniectamus, simul cum præparatione loci subterranei ad recipiendas aquas, factum esse hoc opus distinguendi montes, & valles, & alia similia loca in superficie terræ. Cuius etiam optimum signum ex insulis maris sumitur, quia insulæ non sunt nisi quædam terræ partes vndique altiores aquis, à quibus ex omni parte circundantur, quod certè fieri non potuit per aquas diluuij: tum quia verisimilius est ante diluuium fuisse insulas: tum etiam, quia intelligi non potest, quomodo propter aquas aut per aquas diluuij pars terræ, quæ prius erat sub aquis maris, postea eminentior facta fuerit, & quasi caput ex aquis eduxerit. Ergo non per accidens ex impetu aquarum factæ sunt, sed ex libera Dei voluntate, & prouidentia, qui in locis illis voluit quasi in circulum cauare terram promontorijs illis in medio relictis. Est ergo hoc opus & per se ex intentione diuina, & simul cum terræ concauitatibus ad receptionem aquarum factum. Hęc enim duo non repugnant: nam licet cum fit fouea extrahendo terram, respectu foueæ accidentarium sit, quòd in terra promontorium aliquod fiat: nihilominus respectu artificis operantis potest vtrunq; per se intentum esse: imo ad sapientiam, & prudētiam artificis pertinet, vno labore, vt sic dicam, duo simul opera toti artificiato vtilia simul facere, ac intendere. Hoc igitur (vt modo nostro loquamur, & rem explicemus) in hoc opere obseruauit omnipotens, ac sapientissimus artifex Deus. In quo sensu aptissimè intelligi potest illud Psalmi 103. *Abyssus sicut vestimentum amictus eius* (id est, terræ) quæ in principio circundabatur aquis. Et ideo subdit, *super montes stabunt* (id est, stabant) *aquæ*. Non quia tunc montes iam essent, vt iuxta opinionem Hugonis cogitare quis posset, quod iam impugnatum est, sed quia supra loca, quæ nunc montes transcendunt, tunc stabant aquæ. Statim verò de congregatione aquarum subditur, *Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui* (id est, imperij tui) *formidabunt*. Quia, iubente Deo, ad cauernas terræ decurrerunt. Et tunc subditur, *ascendant mōtes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis*.

18. Solùm potest quis interrogare, quomodo cùm vniuersa terra esset aquis cooperta, potuerint in ipsa concauitates fieri ex vna parte, & ex alia crescere, & augeri altitudines terræ, & eminere supra aquam, cùm adhuc esset aquis cooperta. Sed facilè respondetur, nihil esse operosum, aut difficile omnipotentiæ Dei, cuius efficacitate subito seu velocissimo motu simul, & in eodem tempore fiebat, vt in vna parte terræ concauitas fieret, & aquis ex ea parte repleretur, & aliunde altitudo aquarum minueretur, ibique assurgeret terra, in principio quidem sub aquis, donec hinc ascendentibus aquis, & illinc crescentibus terræ promontorijs arida per cacumina montium apparere inciperet. Et ita paulatim consummatis locis, & cōcauitatibus sufficientibus ad recipiendam totam aquarum multitudinem omnes aliæ partes terræ in ea dispositione apparuerunt, quam Deus iuxta consilium sapientiæ suæ illi tribuere voluit, vt ad conuenientem locum vniuersi magis expediret iudicauit. Atque ita quoad hæc omnia factum est hoc opus per solum motum localem, tum aquæ, tum etiam terræ.

Quod vniuersa terra esset aquis cooperta.

Verisimile autem est in vtroque elemento factam esse aliquam non paruam alterationem. Et in primis in aqua credi potest, factam esse aliquam condensationem, non quidem propter loci angustias, quia neque in terra deerat capacitas, vt intra eam terrent concauitates amplissimæ, quæ vniuersam aquam sine vlla eius condensatione in se possent recipere, quia profunditas terræ multo maior est, quàm fuerit aquæ, vt Mathematici ostendunt: neque etiam deerat potentia Deo ad faciendum amplissimum aquarum locum, quantum vellet, vt per se notum est. Si ergo in aquis facta est aliqua condensatio, propter mista & commoditates hominum facta est. Nimirum, vt essent aptè dispositæ ad productionem, & conseruationem piscium: vel fortasse etiam ad generationem fluminum, & fontium, vel etiam nubium, & ventorum, vtique melius recipiendo influentiam cælorum, & ministrando materiam ad hos effectus necessariam. Denique etiam ad maris nauigationem potuit esse illa dispositio aquæ conueniens, & necessaria, quia quo aqua est crassior, eo est grauior, & consequenter aptior ad nauium pondera sustinenda. Hæc autem vtilitas etiam intenta, & inspecta fuit ab auctore naturæ, tum ad maiorem hominum societatem, & communicationē, tum etiam ad rerum necessariarum transuectionē, & reciprocam participationem, vt bene prosequitur Theodoret. serm.2.de Prouid.

Addit etiam Philo lib.de Opif. mundi, separatas esse ab aqua partes salsas à dulcibus, & priores in locum maris confluxisse: posteriores verò intra terram fuisse relictas: tum ad conglutinationem partium terræ, ne in puluerem redigeretur: tum ad ipsius terræ fœcunditatem. sed frustra fingitur illa distinctio partim in puro aquæ elemēto, quale ante hunc tertium diem fuit. Neque vlla causa salsedinis in aqua tunc inueniri potuit, quia nec ab intrinseco illam habebat, alioqui & in omnibus partibus illam habuisset, & nunc etiam omnis aqua illam haberet: nec ab extrinseco, quia non ex influentia Solis, aut cœlorum, quia vel nulla, vel leuissima tunc præcesserat: neo denique ex peculiari actione Dei, quia cum hæc proprietas non debeatur aquæ secundum propriam, & particularem naturam, & ideo præternaturalis dici posit, non fuit concreata ipsi aquæ, neque illi data, donec in ordine ad mistorum vtilitatem cœpit disponi. Quocirca non cœpit aqua maris esse salsa, donec in vnum locum congregata est, & tunc non per separationem partium dulcium, sed per nouam alterationem, quæ tunc in aqua facta est.

Circa hanc verò mutationem dubitari potest, an hæc

an hæc qualitas salsedinis hoc ipso die statim fuerit aquis maris indita, vel discursu temporis actione Solis, & aliorum astrorum facta fuerit, excitatis adustis exhalationibus terrestribus, ex aquarum admixtione cum humido aqueo salsedo generatur, teste Aristot. 2. Meteoror. c. 3. Nam virtute Solis, hoc modo factam esse maris salsedinem multi censent, vt refert Basil. hom. 3. Exaemer. quod ipse non reprobat. Vnde videri potest probabile illam mutationem non statim hoc die, sed paulatim cursu temporis factam esse in aquis, quia salsedo aquæ non videtur fuisse per se intenta, sed ex concursu variarum causarum, veluti per accidens subsequuta, & ideo non oportuit statim fieri, sed permitti, vt successu temporis fieret. Quamuis autem aliquis ita opinetur, negare non poterit, tunc saltem remote statim cœpisse aqua per alterationem aliquam à sua simplicitate recedere, & ad salsedinem disponi. Simpliciter autem probabilius est, statim in ipsa aquarum congregatione ab ipso auctore naturæ, aquam esse salsedine affectam interuentu terrestrium exhalationum. Quod fortasse indicatum est illis verbis, *congregationesque aquarum appellauit maria.* Dicit enim Isidor. libr. 3. Originum cap. 14. propriè mare appellatum esse, eo quod aquæ eius amaræ sint: ideo igitur dici videtur tunc hoc nomen esse aquis impositum, quia illam proprietatem tunc receperunt. Melius autem ratione hoc ostenditur, quia salsedo non per accidens, sed per se ex intentione auctoris naturæ aquæ maris indita est propter commune bonum vniuersi. Nam habet easdem vtilitates, quas maior eius condensatio, tum ad multorum piscium conseruationem, qui in dulcibus aquis, vel non diu, vel omnino non viuũt, tum vt ipsa aqua melius conseruaretur, & calore Solis non putresceret: tum denique ad alias hominum vtilitates, quibus sal ipsum inseruit, quod ex aquâ maris in pluribus locis conficitur. Et hæc de mutatione aquæ.

Hinc consequenter in elemento terræ aliqua alteratio necessaria fuit. Primò quidem, quia exhalationes terrestres non potuerunt ascendere, & commisceri aquis sine magna terræ alteratione. Diximus autem huiusmodi exhalationes necessarias fuisse ad saliendas aquas: ergo per alterationem terræ eleuatæ sunt. Secundo verisimile est, concauitates illas terræ, quæ ad congregandas aquas præparatæ sunt, simul fuisse vndique dispositas, vt essent loca apta ad habitationem, & conseruationem piscium, qui paulo post ex aquis erant in eodem loco generandi: quod etiam sine aliqua alteratione in elemento terræ fieri non poterat. Denique eo ipso, quod illa duo elementa, aquæ, & terræ à proprijs locis immutata sunt aliqua ex parte, & aqua etiam densior, & grauior facta est: consequenter inter illa necessitate naturali alteratio aliqua consequuta est, quæ quidem in eodem die saltem inter partes vicinliores aquæ, & terræ incipere potuit. An vero in hoc eodem die aliquæ partes terræ in lapides, saxa, rupes, arenam, & similia commutatæ sint, vel paulatim actione Solis, & alijs influentijs cælorum, interuenientibus alijs mutationibus, & mistionibus elementorum facta fuerint, incertum est, & ad explicationem huius operis tertij diei non multum refert, infra vero aliquid circa hoc addemus.

Atque ex his, quæ de loco, & congregatione aquarum diximus, facile possunt expediri alia dubia, quæ hic consequenter excitari solent. Est ergo 3. dubium à qua efficiente causa hæc congregatio aquarum facta fuerit. Fuit enim opinio Eugubini in Cosmopœia illam congregationem, & separationem aquarum non esse factam immediatè à Deo, & per potentiam eius, sed per actionem Solis attenuantis aquam, & excitantis terram potentissima, & calidissima virtute, quâ tunc vigebat. Quod si obijciatur, quia hoc modo non potuisset congregatio aquarum tam breui tempore consummari. Respondet, illud non esse inconueniens, quia licet in illo die fuerit congregatio aquarũ inchoata, non oportuit eodẽ die consummari. Vnde etiam concedit, non totam terram eodem die, sed successu temporis apparuisse. Sed hæc sententia multa falsa continet. Primum, ac præcipuum est hoc vltimum, nam repugnat Scripturæ dicenti, statim ac Deus dixit, *Congregentur aquæ in locum vnum*, ita factum esse, & terram apparuisse in eodem die, quod certe non dictum est de particula terræ, sed de terra, quæ habitanda erat, & herbis, & arboribus ornanda. Secundò mera fictio est, quod actione Solis potuerit illa congregatio aquarum fieri, non solum propter rationem factam, scilicet, quod illo modo, nec per diuturnam annorum multitudinem potuisset illa congregatio aquarum fieri: sed etiam quia illa congregatio aquarum non est facta per attenuationem, aut eleuationem aquæ, sed per motum localem, quem sol efficere non poterat. *Reiicitur duplicitèr.*

Distinguenda ergo sunt duo, quę circa aquam, & terram in hoc opere facta esse diximus. Primum fuit quasi effodere terram, & concaua loca in ea facere: & hæc pars illius operis sine dubio facta fuit brachio diuinæ omnipotentiæ. Manifestum est enim, nulla actione cælorum, aut ventorum fieri potuisse. Non dubito tamen, quin ministerio Angelorum fieri potuerit, quia naturalem potestatem habent mouendi localiter corpora: actio autem illa, vt diximus, per solam motionem localẽ facta est, si per se, ac præcise spectetur, vt ad congregationem aquarum ordinabatur. An vero Deus in illo opere ministerio Angelorum vsus fuerit, mihi incertum est, quia nec Scriptura aliquid insinuat, neq; apud graues auctores aliquid in hoc dictum inuenio. Si cui tamen placuerit id affirmare, nihil erit incommodi, tũ quia in formatione corporis humani aliquod ministerium Angelos exhibuisse, multi sentiunt, vt infra videbimus, cùm tamen opus illud & nobilius fuerit, & ad opera sex dierum pertinuerit: tum etiam, quia simile argumẽtum sumi potest ex motib. cælorum, qui in eisdem dieb. ministerio Angelorum facti sunt: tum præterea, quia ex tunc potuit Deus vti opera Angelorum ad distinctionem, vel ornatum corporũ vniuersi quoad ea, quæ per naturalem virtutem angelicam fieri poterant. Talis autem erat, vt dixi terræ mutatio, quia licet esset magnę quantitatis, & ponderis, & velocissimo, & quasi subitaneo motu in loca excelsa, & per medium aqs plenum trãsferenda esset, hoc totum non videtur naturalem vim motiuam omniũ Angelorum superare. Ergo non est incredibile factã esse Angelorũ ministerio. Nihilominus tamen semp verum erit, fuisse peculiare opus omnipotẽtiæ Dei, & ab ipso principaliter vt à primo auctore naturæ factũ esse, quia Angelis non est cõcessum immutare corpora simplicia, quæ sunt primariæ partes vniuersi pro suo arbitrio, sed solum quantum per diuinam voluntatem, & prouidentiam illis conceditur. Et ideo neque tunc potuissent tantam mutationem in elemento terræ facere, nisi illis peculiariter iussum fuisset. Vnde si per illos facta est illa mutatio, illo modo, & ex illis locis, & in ea quantitate, & ad ea loca tetra transposita est, quæ per diuinam iussionem designata sunt: propter quod Deus semper fuit principalis illius operis auctor, præter concursum generalem, quem etiam dare oportuit. Addo denique, tam arduum, & difficile fuisse illud opus, vt non sit incredibile, superasse naturalem virtutem motiuam cuiuscunque angeli, 24. *Congregauit ad tum terrã ad congregãdas aquas præcipuus author Deus.* *Et fortasse solus id præstitit.*

geli, etiam maximi. Fortasse enim difficilius fuit sic transmutare terram, quàm mouere cœlum, quia cœlum in suo motu nihil resistit: terra autem multum resistebat, præsertim si circunstantiæ pōderentur: quas paulo antea indicauimus. Virtus autē motiua Angeli, etiamsi magna sit, finita est: vnde fieri potest, vt per resistentiam mobilis superetur. Et hac ratione fortasse solus Deus sua infinita virtute illud opus perfecit, quia si virtus Angeli erat naturaliter insufficiens, neque illam superna turaliter confortare, aut eleuare, vel alia simili ratione ea vti oportebat.

23. *Ipsa vero aquarum confluentia localis ad cauitates, non à vento causata est, vt Eugub. fingit.*

Alia pars illius operis fuit, aquam in illa terræ loca intrudere. Et hoc dicunt aliqui, & sentit etiam Eugub. supra, factum esse per aliquē ventum validum, & vehementem à Deo ad id operis excitatum. Sed hoc dicitur sine fundamento: & præterea nō videtur fieri potuisse secundùm ordinatam prouidentiam, quia neque tunc videtur fuisse sufficiens naturalis materia ventorum ad illā mutationem aquarum sufficientium sine magna, multumque violenta totius aeris mutatione: neque etiam erant causæ naturales, quibus posset vel materia illa præparari, vel tam vehementer commoueri. Vnde si necessaria fuisset causa creata extrinsecus impellens aquam, potius alicui Angelo, quàm vento esset ille impulsus tribuendus. Veruntamen D. Basil. in homil. 4. Exaemer. dicit, Deum impressisse aquis peculiarem vim internā, à qua in loca illa impellerentur. Idēmq; sensit Ambros. lib. 3. Exaemer. cap. 3. Primum autē omnium natiua proprietas aquæ, & naturalis propensio ibi operata est. Nam licèt aqua supra terram naturaliter quiescat, si tamen inferius terra subtrahatur, naturaliter etiam descendit, vbicunque foramen, aut viam procliuiorem inueniat, quod non Philosophia solùm, sed etiam experientia satis monstrat. Ita ergo in illa congregatione aquarum factum est, nam per effossionem terræ subtrahebatur vicinis aquis sustentaculum, & ideo naturaliter ad inferiora loca delabi cœperunt: & crescente hiatu terræ aquæ procliuiùs defluebant, donec omnium congregatio facta est. Quòd si fortasse, vt illa congregatio citiùs consummaretur, necessarius erat velocior motus, quàm per solam aquæ grauitatem naturalem fieri posset, ad hanc velocitatem deseruire potuit vis diuinitus impressa, illa tamen naturalis non esset, sed pro eo tempore addita, & naturæ non repugnans. Considerari verò etiam potest, cùm terra velocissimè subtraheretur, consequenter fuisse etiam necessarium velocissimum motum aquę ad replendum vacuum, & ex hac parte totam illam velocitatem fuisse aliquo modo naturalem & ab intrinseco, quanuis fortasse etiam hoc titulo sine peculiari adiutorio, seu impulsu auctoris naturæ fieri non potuerit.

Sed vel ab Angelis, vel rectius à grauitate aquarū, vel ab inclinatione replendi vacuum, addito fortasse peculiari Dei adiutorio.

26. *4. Dub. de alteratione alia terræ, nempe siccatione, à quo sit facta.*

Eidem operi addi solet terræ exsiccatio, quæ illius verbis indicatur, *& appareat arida*. Quod notauit Ambros. lib. 3. Exaemer. cap. 4. dicens, *non terram*, quia potest esse *lutopermixta*, *& aquis madida*, sed *aridam*, dictam esse *vt siccam*, *& aptam culturæ fuisse notetur*. Cùm autem sub aquis humida, & lutulenta, seu limosa fuisse videatur, quartū dubium est per quam causam tam breui exsiccari potuerit. Eugubinus suprà id tribuit Soli. Sed hoc impugnat Ambros. *loco citato*, quia nondum sol creatus erat. Sed in eo Eugubino fauere potest, quod supponere videtur, si sol creatus fuisset, ad exsiccandam terram sufficere potuisse. Nos autem credimus, solem iam tunc fuisse creatum, & nihilominus verisimilius opinamur, nō potuisse tam breui tempore totam terram exsiccare. Primum quidē, quia terra non solùm apparuit, & exsiccata est in hoc nostro hemisphærio (vt putarunt antiqui, & credibile putat Augustinus lib. 16. de Ciuit. c. 9.) sed etiam in toto mundo habitabili, cuius pars est etiam aliud hemisphærium, vt experiētia docuit. At verò non potuit sol vtrunque hemisphærium exsiccare tam breui tempore, quia priusquam integrum cursum vnius diei per vtrūque hemisphærium absoluerit, tota terra apparuit arida. Quia simul ac congregatio aquarum consummata est, terra exsiccata est: congregatio autem aquarum in quadam parte huius diei absoluta est: nam in altera terra germinauit, vt dicemus: ergo non potuit illa exsiccatio terræ per actionem Solis vllig fieri. Imò neque in isto hemisphærio potuit sol in tam breui tempore omnino terram exsiccare: si verum est, quod supponitur, terram fuisse relictā profundè madefactam, & oblimatam: nam experimento constat, non posse solem tam breui tempore terram nimis lutulentam exsiccare. Quod autem Eugub. ait, solem fuisse tunc ardentiorem, & ad vrendum, & exsiccandum maiori virtute præditum, fictitium est, nam sol incorruptibilis est, & contrarium non habet, & ideo semper idem tam in substantia, quàm in proprietatibus, & virtute agendi perseuerauit.

Eugubinus illam siccationem tribuit Soli, sed refellitur

Alij verò addunt, misisse Deum ventum vrentem super terram ad exsiccandam illam, quod putant in illis verbis indicatum, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, & adducunt exemplum de tempore diluuij, *Gen.* 8. & de exsiccatione maris rubri, Exodi 14. Sed in superiori lib. reiecimus huiusmodi sensum illorum verborum, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, quia nec spiritus ille fuit ventus, & quanuis esset, non mouebatur super terram ad exsiccandam illam, sed super aquas ad fouēdas illas, nec ferebatur hoc tertio die, sed ante omnem diem. Nec exemplum de diluuio est accommodatum, tum quia etiam ventus non videtur tunc excitatus ad exsiccandam terram, sed ad nubes dissipandas, quantum ex illis verbis colligi potest, *Adduxit Deus spiritum super terram, & imminuæ sunt aquæ*. Tum etiam, quia licet Deus spiritum illum flasset ad exsiccandam terram, non vno, sed multis diebus potuit terram exsiccare, vt ex dicto loco Gen. conitat. Exsiccatio etiam maris rubri non est cum effectu exsiccandi vniuersam terram comparabilis, quia locus maris rubri breuis erat, & facilius, quantum ad commoditatem transitus sufficeret, exsiccari poterat. Denique in præsenti loco nulla fit mentio venti, aut spiritus, quo Deus ad exsiccandam terram vsus fuerit, & ideo sine fundamento asserendum non est. Præsertim cum vix sit credibile, potuisse id tam breui tempore per ventum fieri sine maiori miraculo.

Alij vnde ventum supponant.

Et ideo multo facilius dicitur, Deum sua potentia exsiccasse terram, quod non tantum agendo, sed etiam impedimenta subtrahendo, & qualitates contrarias non conseruando, id facere potuit. Hoc enim satis erat, vt terra ipsa ad propriā, & natiuam siccitatem se reduceret. Imò hinc aliqui coniectant, non fuisse tunc terram sub aquis nimis lutulentam, & madefactam, quia tunc erat vtrunque elementum in sua puritate, & integritate: est autem probabilis Philosophorum sententia inter elementa sic constituta in suis locis naturalibus non esse mutuam alterationem, vel permixtionem in confinijs eorum. Quia alias nō possent in suis naturalibus locis conseruari, sed potius progressu tēporis vnum aliud corrumperet. Sic ergo existimo fieri potuisse, vt licèt terra esset sub aquis, nulla pars aquæ descenderet, & penetraret terram, quia & terra erat sufficienter obdurata, & compacta, & aqua non grauitabat, sed quieta permanebat. Et simili ratione poterant illa elementa ita esse disposita secundum proportionem æqualitatis, vt inter ea nulla vel tenuis valde fieret alteratio. Quod si ita est, facillime fieri potuit,

Vtrum impossibile fuerit.

tuit, vt statim, aut breuissimo tempore terra exsiccaretur, etiam sine extrinseco agente per solam aquæ subtractionem, & per reductionem ab intrinseco, si ea indigebat, id est, si naturalis eius dispositio aliqua ex parte immutata fuerat, nam, vt dixi, hoc etiam incertum est. Et ad hoc etiam ponderantur verba illa, *congregentur aquæ, & appareat arida*, nam in illis significatur, non prius apparuisse terram, & postea fuisse aridam factam, sed statim aridam, & siccam apparuisse: nunc verò non examinando illam philosophicam doctrinam, valde probabile credimus, saltem diuina efficacitate factum esse, vt terra statim sicca, & in sua naturali dispositione apparuerit. Ita enim verba Scripturæ sonant, & nullum hoc est inconueniens: imò perfectioni diuini operis valdè consentaneum est.

Vnde obiter colligo cum Basilio suprà vniuersam aquam fuisse in loco præparato cõgregatam, & omnino, ac omni ex parte, à terra, quæ apparet, fuisse separatam. Nam Scriptura indefinitè dicit, *congregentur aquæ*, in quo modo loquendi omnes aquas includit, & nullam excipere permittit. Præsertim cùm addat, *quæ sub cœlo sunt*, nam omnes aquæ existentes in terra, vel proximè supra terrã, sub cœlo sunt. Ergo omnes illæ in loco maris sunt congregatæ. Et ideo non rectè aliqui, vt suprà referebam, inter aquas dulces, & salsas distinguunt, dicentes, solùm aquas salsas congregatas esse in locum peculiarem, relictis aquis dulcibus in alijs terræ locis. Nam hæc distinctio in primis repugnat verbis Scripturæ, vt ponderauimus. Et deinde non potest accommodari, nam omnes aquæ ante hanc congregationem dulces erant, id est, sine sapore, vt naturalis dispositio aquæ postulat: ergo potius aquæ dulces congregatæ fuerunt: postea verò distinctio illa fieri potuit, non omnes partes aquæ saliendo, quod an ita factum sit non satis constat, quomodo autem fieri potuerit statim dicam, nunc solum assero, nullam aquam intra terram quasi illi admistam relictam fuisse. Excipit tamen Pererius humorem aqueum, nam illum censet non fuisse à terra separatum, quia illo veluti glutine compacta terra consistit, & sine illo in minutissimum puluerem dissolueretur. Hoc tamen, vt verum fatear, non satis intelligo, nam si humor ille aqueus est aliqua substantia corporea, tunc in hoc orbe terræ nulla erat præter elementum aquæ & terræ. Ergo ille humor esset vera aqua, atque ita non omnis aqua fuisset à terra seiuncta. Si verò ille humor non est substantia, erit aliqua humiditas, quæ est dispositio contraria naturali conditioni terræ, vt simplex elementum est. Quapropter non credo indigere elementum terræ extrinseco humore aqueo, vt in se compactum, & in suis partibus integrum, & continuum subsistat. Nullam enim rationem huius necessitatis inuenio, nec video, cur substantia terræ pura non possit ita consistere, sicut cætera elementa pura, & integra conseruantur.

Hic tamen oritur ex dictis vltimum dubium, quo sensu dictum fuerit, aquas fuisse congregatas in vnum locum, cùm videamus nunc in plura loca, imò & in plura maria esse diuisas, nimirum, Oceanum, Mediterraneum, Rubrum, Arabicum, Persicum, Caspium: præter quæ sunt etiam multa flumina, stagna, paludes, &c. Quæ omnia non est verisimile postea fuisse diuisa, sed à principio ita fuisse aquas congregatas: non ergo in vnum, sed in plura loca congregatæ sunt. Et augetur difficultas, quia non est verisimile, totam aquam vniuersi hoc die salsam fuisse effectam, id enim non fuisset terræ proficuum: ergo necessarium fuit plura esse aquarum loca, quia in eodem non potuissent aquæ salsa, & dulcis simul existere. Respõderi potest primo, non esse necessarium, illam loci vnitatem respectu omnium aquarum intelligere, sed tantùm respectu terræ, ita vt perinde dictum sit, *in locum vnum*, ac si diceretur, in locum separatum, ita vt amplius terram non operiret. Quod fieri optimè potuit, congregando aquas in varia loca partialia, quæ ad prædictum finem vnus integer locus dici possunt, quamuis non sit continuus. Addit verò Basilius, estque valde probabile, locum illum verè & propriè fuisse vnum, cuius principale corpus est Oceanus, eius verò partes minùs principales sunt cætera aquarum loca, quæ non sunt omnino diuisa, sed per externas vias, vel internos meatus terræ illi coniunguntur. Nam cætera maria illi continuantur manifestè, præter Caspium, de quo inter auctores controuersia est, an cum Oceano continuetur, quam hîc disputare non est necesse, quia licèt exterior continuatio illius cum Oceano nulla sit, verisimilius est per plura flumina, quæ in illud confluunt, habere communicationem cum illo per varias vias subterraneas. Cuius indicium esse potest, quòd cùm magna quatuor flumina in illud mare continuò ingrediantur, illud nunquam redundat. Vnde coniectare possumus illa flumina per alias vias subterraneas exire, & in locum, vnde egressa sunt, reuerti, sicut de fluminibus vniuersaliter dixit Sapiens Eccl. 1. Ex quo loco etiam colligimus, omnes aquas continuè currentes, quæ viuæ dicuntur, communicationem, & continuationem inter se, vel cum mari Oceano habere ad eum modum, quo sanguis in corpore, licèt in hepate principalem sedem habeat, per venas corporis diffunditur, & continuatur. Atq; hac etiam ratione, licèt aquæ dicantur congregatæ fuisse in locum vnum, nihilominus statim in plurali dicitur, *congregationesque aquarum appellauit maria*, vt indicauit Ambros. lib. 3. Exaëmeron, cap. 5. Possunt enim illa loca, & plura maria vocari propter magnam distinctionem, & vnus locus propter aliquam continuationem. Et ita etiam facilè soluitur confirmatio, quia verisimile est, etiam loca luminum, præsertim principalium, in hoc ipso die facta fuisse, & in eis, & fortasse in aliquibus paludibus, vel stagnis, quæ ab illis conficiuntur, & in quibus aqua continuè per ingressum, & egressum fluit, aquas dulces permansisse, quia licèt in principio, & fine cum aqua salsa continuetur, in locis aliquantulum à mare distantibus dulcis existit, vt experimento etiam comprobatur.

Responsio ad terra ex Basil.

Vide Conimbricenses in libros Meteororum tract. 8. c. 2. & Peyrã Gen. 1.

Ad confirm.

CAPVT VII.

Quomodo herba virens, & cætera vegetabilia hoc die fuerint producta.

1. HOc est aliud huius diei tertij opus, quod his verbis Gen. 1. describitur, *Vidit Deus, quod esset bonum*, & ait, *Germinet terra herbam virentem*, &c. Circa quæ verba, & totam huius partis narrationem nulla ferè occurrit noua quæstio grauis: & ideo per breuia dubia rem totam expediemus. Præcipua enim difficultas hîc est, quam attingit D. Th. 1. par. q. 69. art. 2. an hæc productio plantarum hoc die facta intelligenda sit de productione ipsarum in proprio esse actuali, & formali, (vt sic rem explicem) vel de productione tantùm in semine, & in potentia. Nam Diuus Augustinus libro quinto, Genes. ad liter. cap. 4. & 5. & libro 8. cap. 3. posteriorem partem tradit, dicens, terram in hoc die accepisse virtutem germinandi omnia vegetabilia quasi concepto omnium illorum semine, non tamen statim vegetabilia omnia produxisse. Quod primo suadet verbis illis capitis secundi. *In die, quo fecit*

Prima & præcipua quæstio tacta à D. Thom.

Quid respondeat Aug.

Eius propositio 1.

fecit Deus cœlũ, & terram, & omne virgultum agri, priusquam germinaret. Quomodo enim potuerunt virgulta fieri, antequam terra germinaret, nisi quia cuiusaliter prius, & quasi in radice, seu in semine facta sunt, & postea in actu producta? Secundò confirmari potest, quia verbum illud *germinet terra*, optimè exponitur potestatiuè vt sic dicam, id est, accipiat terra vim germinandi. Sicut in eodem capite dicitur, *Crescite, & multiplicamini.* Tertiò potest cõfirmari, quia actualis productio vegetabilium nõ tam ad opus creationis, quàm ad opus propagationis pertinet, quod postea factum est. Et hanc sententiam sequitur Eucherius lib. 1. in Gen. cap. 11. & illi fauent Glossa interli. Hugo, & Lyran. dum verbum *germinet* dicto modo exponunt.

Probatio 2.

Tertia

2. *Communis & verior aliorum Patrum responsio.*

Nihilominus contraria sententia tenenda est, scilicet, produxisse Deum hoc die herbam, arbores, & alia vegetabilia actu in propria specie, & natura. Hæc est communis sententia Patrum Basil. homil. 5. Exaemer. Ambros. lib. 3. Exaemer. cap. 8. 11. & 16. Chrysost. homil. 5. in Gen. Damascen. lib. 2. de Fide, cap. 10. Theodor. Cyrilli, Bedæ, Glossæ ordinariæ, & aliorum, *in Gen.* Et idem sentit Diuus Thomas *supra*, soluens argumenta Augustini, quãuis propter reuerentiam eius quasi problematicè semper procedat. Denique idem sentiunt omnes, qui in his operibus veram successionem, & temporalem distinctionem agnoscant. Nam August. in eam sententiam inductus est, quia omnia istorum dierum opera in eodem puncto creationis simul credidit fuisse facta, alioqui verò inter primã creationem, & actualem mistorum productionem temporis successionem intercessisse negare non potuit: & ideo in hoc die tantum in virtute, & in semine plantas fuisse productas dicere compulsus est. Quapropter, ablato priori fundamento, & posita in his diebus vera, ac temporali successione, vt alij Patres tradiderunt, & nos defendimus; illa expositio Augustini necessaria non est. Et præterea si discursus ille solidus est, idem dicẽdum esset de productione piscium, & volatilium in quinto die, & aliorum animalium in die sexto, quia omnia hæc animantia sunt mista, & ideo in seipsis non fuerunt facta in primo instanti: ergo necessarium erit dicere in illis quinto & sexto diebus solum in virtute, seu in semine esse facta: Hoc autem nullo modo dici potest. Primò, quia manifestè repugnat verbis Scripturæ, nam primo dicit, *Creauit que Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, & omne volatile*, &c. Quæ verba per se sunt satis expressa, euidentius tamen declarantur, quia statim rebus sic productis, *benedixit Deus*, dicens, *Crescite, & multipl. cantini.* Quæ verba manifestè supponunt, fuisse iam producta animalia, quæ possent sibi similia generare. Et eodem modo inducì possunt verba sextæ diei, in quibus euidentissimum est, quod dicitur, *& creauit Deus hominem.* Accedit præterea specialis ratio in animalibus, quia non possunt in semine produci, quia semen debet esse decisum ab ipso animali, neque naturaliter potest extra ipsum animal conseruari, aut operationem suam efficere, & ideo necessarium fuit, species singulas eorum immediatè ab auctore naturæ in aliquo, vel aliquibus individuis primò fieri.

Suadetur 1. excludendo fundamentũ Augusti.

Suadetur 2. ab incõmodo

Suadetur 3.

Hinc ergo eandem argumentandi rationem ad plantas conuertimus. Primò quidem, quia non solum dictum est, *germinet terra*, sed etiam additum est, *& factum est ita.* Quid autem fuerit factum, declaratur, cùm subditur, *Et protulit terra herbam viventem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque semen secundum speciem suam* Vbi in primis non video, quomodo possit verbum illud, *protulit terra*, de productione in semine verificari. Quia terra si prius habuit semen, quàm plantam, non protulit ipsa semen, sed potius à Deo recepit: ergo si protulit herbam, vt Scriptura dicit, oportet, quòd herbam in actu, non in semine, seu virtute produxerit. Accedit, quod Scriptura statim declarat, qualis illa herba fuerit, scilicet, *herba virens, & faciens semen, & lignum faciens fructum, & habens sementem*, vbi distinguendo herbam, & lignum à semente, manifestè declaratur, non produxisse terram herbam in semine, vel lignum in semente, sed potius produxisse herbam, vel lignum: à quibus semina similium rerum procedunt. Præterea altera ratio de animalibus facta potest de plantis, seu vegetabilibus cũ proportione fieri: nam hæc etiam non fiunt sine proprio semine, præsertim illa, quæ perfectiora sunt: imò in aliquibus frugibus terræ fructus, & semen idem sunt: ergo non potuerunt prius in semine, quàm in fructu fieri, vt in tritico, & similibus videre licet. Ergo illa non potuerunt fieri in primo instanti creationis in virtute, seu in semine magis, quã in actu, cùm vtroque modo sint eiusdem naturę. Ergo facta sunt hoc tertio die, non vt semina, sed vt fructus, vel saltem in herba, sicut ad literam narrantur facta. In lignis autem, seu arboribus, licèt semen soleat à fructu distingui: etiam ipsum semen est quoddam mistum quod non magis potuit in principio creari, quàm cætera mista: post ut tans autem creationis potius dicendum est, talia semina facta esse ex ipsis lignis, & arboribus, vt Scriptura sonat, quàm è conuerso. Quod si fortasse quis dicat, per virtutem illam seu potentiam non intelligere Augustinum huiusmodi semina plantarum, sed aliã peculiarem virtutem terræ ad germinandum inditam: hoc eadem facilitate, qua dictum fuerit, reijciendum est, quia neque in Scriptura habet fundamentum, neque ipse Augustinus hoc declarat, neque secundùm naturas rerum explicari potest, qualis illa virtus sit: opera autem miraculosa, vel extraordinaria absque necessitate, vel sufficienti testimonio audienda non sunt. Et hoc magis respondendo ad argumenta prioris sententiæ confirmabitur.

Euasio obiectionis.

Primum testimonium ex *Gen.* 2. in superioribus explicatum est. Non enim dicitur Deus fecisse omne virgultum agri antequam oriretur in terra, vel produxisse herbam antequam terra germinaret, quia fecit illa in virtute, prius quàm in actu: sed quia ipse solus illa produxit quasi per modum primæ creationis, priusquam naturali, & ordinario modo possent ab ipsa terra produci. Quam expositionem ex contextu ipso, & verbis sequentibus confirmauimus, & illam tradit D. Thomas, estque communis, & satis plana. Ad secundum ex verbo *germinet terra* respondetur in primis, si verbum illud solum, & sine maiori declaratione fuisset positum, tolerabilem futurã fuisse expositionem illam: tamen ex verbis adiunctis manifestè constare, Deum non tantum dedisse terræ virtutem germinandi, sed etiam illam statim germinare fecisse, vel ipsum virtute sua herbam, & plantas in ea produxisse. Vnde addi etiam potest, dedisse quidem Deum terræ in hac die virtutem germinandi in perpetuum per continuam generationum successionem, & in hoc etiam verbo *germinet* significatum fuisse: nihilominus tamen hanc virtutem datam esse terræ, producendo in illa primas plantas, arbores, &c. à quibus semina procederent, quibus postea posset terra fœcunda fieri ad similia germinandum. Quod etiam in ipsis verbis indicari videtur, cùm explicatur, *produxisse terram herbam facientem semen, & lignum habens semen, vnumquodque secundum speciem suam.* Ad tertium respondet optimè D. Thomas, opus hoc, prout in hos die factum est, non ad opus propagationis per-

Ad 1. obiect.

Ad 2. dam.

Ad tertium

pertinuisse, quia non est ex præiacto semine ordinario generationis modo factum, sed ad primam constitutionem vniuersi, quatenus ab auctore totius naturæ non solùm quoad corpora simplicia, sed etiam quoad mista præcipua, (vt ita dicam) in vniuerso per se intenta, immediatè productum est. Et specialiter pertinuit ad opus ornatus respectu terræ, nam cùm in principio inanis esset, & vacua, atq; etiam inuisibilis, & operta aquis, remotione aquarum visibilis facta est, saltem quoad remotionem impedimenti, ne autem esset vacua & inanis, herbis, & arboribus statim ornata est. Atq; hoc confirmari potest ex cap. 2. Geneseos, vbi dicitur quòd in his sex diebus *perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum.* Nemo autem negare potest, quin plantæ & herbæ actu productæ, & radicatæ in terra ad magnum eius ornatum pertineant, quem sola semina, aut potentia producendi illa non conferunt.

Ethinc obiter colligitur ratio, ob quam Deus in hac ipsa die, post congregationem, seu segregationem aquarum statim plantas produxit, nimirum, vt terram, ne turpis (vt sic dicam) seu incomposita appareret, statim herbis, ac floribus vestiret. Accedit, quòd si Deus statim vegetabilia non produceret, etiamsi illorum seminibus terram repleret, non potuisset, nisi longo tempore plantarum productio, præsertim arborum, & fructuum fieri: non decebat autem terram, quæ de se informe quoddam elementum est, multo tempore in ea dispositione manere. Aliunde verò, quia paulo post Deus animalia terrestria producturus erat, cibum etiam illis præparare voluit, & ideo opportunè statim in hoc die herbam, & cætera plantas, seu arbores produxit.

Secundò autem quæri hoc loco solet, an solus Deus sua virtute hoc opus fecerit, vel mediante aliqua causa secunda. Vbi non est dubium de materiali causa, nam certum est, ex terra hæc omnia produxisse, ac subinde in genere causæ materialis terram, seu eius materiam concurrisse, quod ad minimum verba Scripturæ statim tractanda connuncunt. Propria ergo interrogatio est de causa efficiente. Et quidem de Angelis pro certo supponitur in hoc opere nullam efficientiam, etiam remotam habuisse, quia ad hunc effectum nullus prævius motus localis necessarius erat, quem solum Angeli possunt efficere. De corporalibus item causis manifestum est, non potuisse ad illud opus effectiuè concurrere virtute naturali, quia subitò factum est, & per vniuersam terram. Solus Eugubinus in Cosmopæia finxit, Deum in primis duobus diebus, simul cum priori actione huius tertij diei, ita elementum terræ præparasse, vt naturaliter sequuta fuerit hæc plantarum productio, vtique virtute Solis, & aliarum causarum vniuersalium. Veruntamen hæc sententia non solùm est omnibus Patribus, & Theologis contraria, sed etiam est per se incredibilis, & prorsus voluntaria, quia in terra nulla præparatio præcedere potuit, antequam remotis aquis appareret, nam licet fortasse aliquantulum humefacta relinqui potuerit, illa non erat dispositio sufficiens, nec sol, etiamsi in terra dispositio præcederet, posset virtute naturali subitò, seu breuissimo tempore talem, ac tantam plantarum productionem efficere.

De sola ergo terra est aliqua controuersia, nam Caietan. & Burgensis affirmant, terram fuisse proximam causam efficientem huius operis. Fundantur in verbis Genes. *Protulit terra herbam virentem*, &c. nam verbum *protulit* efficientiam significat. Nihilominus contraria sententia est magis recepta, quòd solus Deus tanquam principale, proximum, ac totale principium efficiens ex terra tanquam ex materiali causa plantas produxerit. Hæc sententia sumitur ex Basilio, Ambrosio, Chrysostomo in Gen. vbi etiam Lyran. Abulēs. Pereyr. Ascan. & alij illam defendunt, & fauet D. Thom. 1. p. q. 71. art. vnic. ad 1. vbi de animalibus loquitur, videtur autem esse eadem ratio de vegetabilibus. Et hæc sententia est magis philosophica, & rationi conformis, cui magis inhærendum est, quando Scriptura non cogit. Ratio autem est, quia credendum non est, terram fuisse supernaturaliter eleuatam ad efficiendum per modum diuini instrumenti, quia (vt sæpe diximus) hæc opera miraculosa & supernaturalia non sunt per se ad primam naturæ institutionem accommodata: & ideo sine reuelatione fingenda non sunt. Neque etiam potuit terra naturali virtute dictam efficientiam habere, quia neque ipsa per se habet huiusmodi virtutem naturalem, neque etiam habebat semina rerum, in quibus hæc virtus esse solet. Præterquam quòd, licet illa haberet, etiam ipsa semina non possent tam breui tempore, & quasi in momento huiusmodi effectus naturaliter producere. Præterea possumus hoc modo philosophicam rationem efficere, quia illa pars terræ, ex qua vnaquæque planta generata est, non poterat effectiuè concurrere ad illius productionem, quia ex illa sequuta est eiusdem terræ productio, & non poterat ipsamet suam corruptionem efficere. Neque etiam vna pars terræ potuit ex alia parte eiusdem terræ plantam producere, cùm essent similes non tantùm in forma substantiali, sed etiam in dispositionibus. Solus ergo Deus author illius operis fuit tanquam naturæ auctor, & institutor. Neque obstant citata verba Gen. 1. nam explicanda sunt per alia capitis 2. *Fecit Dominus cœlum & terram, & omne vigultum agri*, &c. Et clariùs infra: *Produxitq; Dominus Deus de humo omne lignum*, &c. Ergo cùm priùs dictum est, *germinet terra* vel *protulit terra*, in suo genere intelligendum est. Et specialiter significatum est, DEVM produxisse plantas non ex nihilo, sed ex ipsa terra, sicut etiam nunc dicitur producere terra, quamuis ipsa non faciat, sed semen, quod est in ipsa, vel etiam Sol & aliæ similes causæ.

Ratio theologica.

Ratio philosophica.

Ad fundam. Caietani & Burgens.

Tertia quæstiuncula est, in quanta varietate, seu specierum multitudine fuerint vegetabilia illo die producta. In qua dubitatione omnes conueniunt, tunc fuisse productas omnes species arborum, segetum, & olerum perfectorum, quæ & ad perfectionem vniuersi, & ad vsum hominum, vel etiam ad cibum iumentorum necessaria sunt. Nam ista ab auctore naturæ per se intenta fuerunt, & ad dictos fines ordinata. Item quia non fiunt nisi per propagationem, & seminationem: nec semina eorum possunt naturaliter decidi, nisi ab aliquibus individuis talium specierum: & ideo oportuit omnes species primo produci in aliquo, vel aliquibus individuis. Ergo omnia simul in eo die facta sunt, quia post primam mundi creationem, distinctionem & ornatum Deus non produxit immediatè, & tanquam naturæ artifex nouas rerum species, sed solùm quantum ex primis tunc productis derivari potuerunt. Quot verò individua Deus in vnaquaque istarum specierum produxerit, incertum nostris est. Iam an omnes istæ species in omnibus regionibus, & prouintijs vniuersi produxerit, etiam est incognitum. Quantum verò experientia docet, verisimile est, non omnes vegetabilium species vbique esse productas, sed quasdam in hoc hemisphærio, & alias in alio, & simili modo in varijs vtriusq; regionibus iuxta sapientissimam Dei distributionem productas fuisse, quia Deus optimè nouit varia terrarum climata, & syderum influentias, ac regionum dispositiones, his vel illis fructibus terræ magis accommoda-

S. *Quæstio.*

Quæ species vegetabiles sint productæ hac die 3.

Quot earum individua, & quibus in regionibus, incertum.

modatas. Si verò aliquæ sunt plantæ, quæ vbique facilè conseruari, aut propagari possunt, fortasse illæ in omnibus regionibus, vel saltem in nimis distantibus, ad quas non poterant facile ex alijs transferri, simul productas fuisse, credibilius est.

9. *De Vegetabilib. noxijs sensit olim Augustin. productas fuisse post peccatū.*

At vero de quibusdam plantis, aut venenosis, & nociuis, aut noxijs humano corpori, dubitari solet, an fuerint hoc die productæ. Et ratio dubitandi est, quia ista non videntur introducta in mundo, nisi propter peccatum hominis, videntur enim effectus illius maledictionis Dei, Genes. 3. *Quia comedisti de ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas, & tribulos germinabit tibi.* Ergo si homo non peccasset, terra tribulos, & spinas non germinaret, & à fortiori, nec alias herbas magis nociuas, & venenosas. Propter quod argumentum videtur ita sensisse Augustinus libro primo de Genesi, contra Manichæos capite 23. vbi verba illa Genes. *Germinet terra herbam virentem*, ipse legit, *herbam pabuli*. Et subiungit obiectionem Manichæorum, *Si Deus iussit nasci de terra herbam pabuli & lignum fructiferum, quis iussit nasci tantas herbas, vel spinosas, vel venenosas, vel infructiferas?* Et respondet, ante peccatum hominis non esse scriptum, quod terra aliud protulerit, post peccatum autem ortæ sunt spinæ, & alia propter peccatum.

Ex parte cōsentiunt Bas. Ambr. Beda Raban. Damasc. Alcinus.

Et ad hoc inducit prædicta verba Genes. Et in eadem sententia saltem quoad spinas, & tribulos sunt Basil. homil. 5. Ambros. libr. 3. cap. 9. & 11. Beda, & Rabanus in Genes. Damascenus libro secundo de Fide, capite 10. cum tanta exaggeratione, vt dicant, etiam rosam futuram fuisse sine spinis, si homo non peccasset. Quod etiam sentit Alcuin. quæstion. 78. in Genes. Et potest tandem hoc confirmari, quia productis à Deo plantis, additur, *Et vidit Deus quod esset bonum*. Ergo signum est solum produxisse herbas proficuas, non verò noxias, & (vt ita dicam) pœnales.

Confirmatio.

10. *Oppositum Verius.*

Nihilominus contrariam sententiam docet Diuus Thomas quantum ad spinas, & tribulos 1. part. quæst. 69. art. 2. ad 2. & 2. 2. q. 164. articul. 2. ad 1. Et fuit sententia Augustini 3. Genes. ad liter. c. 18. vbi, & dicta in priori loco retractat, & locum Genesis aliter exponit, vt statim dicam. Et quo ad alteram partem de herbis noxijs consentiunt Ambrosius, Basilius, & alij in præcedenti §. allegati. Et hæc etiam est communior sententia expositorum in Genes. & Theologorum. Et quidem, quoad herbas noxias, seu venenosas non videtur dubitandum, quia istæ sunt in suis speciebus perfectæ, & ideo per se pertinent ad perfectionem vniuersi. Deinde quoniam licet ad quosdam effectus sint noxiæ, ad alios sunt vtiles, & medicinales, præsertim cum alijs mistæ, & bene temperatæ. Aliquæ etiam ex his herbis aliquibus animalibus in pabulum deseruiunt. Denique si huiusmodi plantæ non fuissent ante peccatum hominis productæ, oportuisset postea ab auctore naturę denuo creari, saltem illo lato modo, quo alias rerum species in istis sex diebus procreauit, quod est contra supra dicta, & contra illud Gen. 1. in fine. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat. & erant valde bona*. id est, omni ex parte perfecta & consummata, & ideo subditur in principio capitis secundi, *Perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum: compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat.* Ex quibus omnes colligunt, nullas rerum species Deum postea per se creasse. Nec vero ad istarum rerum productionem necessaria erat occasio peccati, tum quia, licet homo peccaturus non fuisset, huiusmodi herbæ illi non nocerent, sicut neque ignis illi posset nocere, quia modo suo immortalis, & impassibilis esset, vtiq;

Id probatur quoad vegetabil. venenosa.

passione noxia, aut corrumpente. Postquàm autem lapsus hominis erat futurus, Deus præscius futuri peccati potuit has herbas antea producere, non in pœnam, sed in medicinam, vel alias vtilitates hominis per peccatum facti mortalis.

Vnde etiam de spinis, & tribulis verisimum censeo, non fuisse productа solum in pœnam peccati, & futura fuisse, etiamsi homo non peccasset. Quod rectè ostendit Augustinus in posteriori loco, quia etiam ista omnia habent suas vtilitates, vel notas, vel occultas, & aliquibus animalibus hæc in cibum conuenientem esse solent. Deinde est hoc multo euidentius de spinis rosarum, & alia rum arborum, & fructuum perfectorum. Namillæ spinæ pungentes, quas habent, connaturales illis sunt, & à natura datæ quasi in munimentum, & defensionem. Ergo non magis habent originem à peccato, quam ipsæ rosæ, vel similes plantæ. Imo esset miraculum, huiusmodi flores vel fructus sine his naturalibus ornamentis nasci. Denique aliæ etiam spinæ, & tribuli, licet nascerentur homine non peccante, illum non affligerent, nec aliquo dolore afficerent: cur ergo propter alios fines non fierent, aut fieri sinerentur. An vero huiusmodi herbæ sint factæ hoc die tantum in potentia, vel etiam in actu, magis dubitari potest. Distinctione tamen vtendum videtur. Nam vel istæ sunt plantæ, quæ ex proprio semine generantur, vel tantum fiunt ex quadam putredine terræ, aut aquarum, vel aliquorum mistorum, vt experientia compertum est. Quæ sunt prioris generis credendum est fuisse factas hoc die non in virtute tantum, sed in actu, propter rationes supra factas, quæ in omnibus huiusmodi plantis vniuersaliter procedunt, etiamsi minus perfectæ, vel minus necessariæ, aut fructuosæ sint. De posterioribus vero non est necesse, vt fuerint in actu productæ, sed in potentia, passiua quidem terræ, & aquæ, actiua autem Solis, & aliorum astrorum. Quia huiusmodi herbæ non sunt quasi per se intentæ ad ornatum, vel commoditatem vniuersi, sed quasi per accidens ex concursu plurium causarum vniuersalium sequuntur: & ideo non oportuit, vt Deus à principio sua sola virtute hęc faceret: nam primario, & ex se nō ad corruptionem, sed ad perfectionem conferendam operabatur. Fuit tamen consentaneum prouidentiæ Dei sinere, hæc fieri concurrendo cum causis secundis, quia hoc ad munus vniuersalis causæ pertinet. Ita notauit Tornielus in 1. tom. die 3. numero 10. vbi plura alia inducit exempla huiusmodi plantarum. Et quamuis spinas, & tribulos non numeret, ad hoc tamen genus pertinere videntur: & ideo verisimile est, ante peccatum primi hominis actu non extitisse, non quia sine peccato futura non essent, sed quia non præcessit tempus sufficiens, vt ex terra, per efficientiam Solis & stellarum procrearentur. Nihilominus tamen discursu temporis producendę essent, etiamsi peccatum non fuisset. Quia etiamsi essent, nullum nocumentum, vel pœnam inferrent hominibus, & alias vtilitates habere potuissent, & lex generalis obseruaretur, qua *Deus ita administrat omnia, quæ creauit, vt etiam ipsa propria exercere, & agere motus sinat.* Quę est Augustini sententia libr. 7. de Ciuit. cap. 30.

Neque contra hoc obstant verba Genes. 3. Primò, quia, vt notant Augustinus, & Diuus Thom. ibi non dicitur absolute de terra, *spinas, & tribulos germinabit*, sed additur, *germinabit tibi*: nam si homo non peccasset, produceret quidem terra spinas, & tribulos, sed illa in pœnam, vel incommoditatem hominis non redundarent, vt in sequenti dubio magis declarabitur. Post peccatum a. hæc cedunt in hominis pœnam, quod significatum est per illud additum, *germinabit tibi*, hoc est, in pœ-

in pœnam delicti tui. Et ita est limitanda sententia Basilij, & Ambrosij de spinis rosæ, scilicet, quòd sine peccato non inferrent homini, vel minimam læsionem, quia ita erat corpore, & animo perfectè dispositus, vt facilè posset etiam vtendo huiusmodi rebus, omnem ab eis incommoditatem cauere: non verò quòd simpliciter tales spinæ non essent. Quod si amplius illorum Patrum verba significãt, eorum sententiam non sequimur. Sicut etiam Augustinus quam priùs tenuerat, postea non probauit. Vnde ad confirmationem respondetur, illa verba, *& vidit Deus quòd esset bonum*, in omnes plantas etiam venenosas, vel incommoditates aliquas afferentes, conuenire, quia omnes habent perfectionem, quam ex natura sua postulant. Maximeque hoc locum habet in illis, quas Deus per se, & actu produxit, quia omnes fuerunt accommodatæ ad finem à Deo intentum, & omnes habent aliquem vsum vtilem, vt diximus. Et latè prosequitur August. lib. 1. de Gen. contr. Manich. cap. 16. Ac denique omnes secundùm genus suum semen proferunt, & ideo suprà dictis verbis Geneseos sine dubio comprehenduntur.

Quarta interrogatio est, vtrùm Paradisus terrestris fuerit hoc die productus, seu plantatus, & sub generalibus verbis, *germinet terra*, & *protulit terra*, fuerit comprehensus, licet in specie declaratus non fuerit. Et ratio dubitandi esse potest, quia si opus tam insigne fuisset hoc die factum, verisimile est, fuisse in specie narrandum: ergo è contrario ex Moysi taciturnitate coniectura fit, non fuisse Paradisum hoc die factum. In contrarium verò est, quia statim in cap. 2. dicitur: *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat.* Ex quibus verbis apertè colligitur, Paradisũ fuisse intra hos sex dies factum: tum quia hoc ad minimum significat illa particula *à principio*. Tum etiam, quia cùm homo creatus fuit, iam Deus Paradisum plantauerat, vt in eisdem verbis apertè continetur: homo autem creatus fuit sexto die: ergo ante illum fuit factus Paradisus. Sed nulla est ratio cogitandi fuisse plãtatum in die quarto, vel quinto: ergo in tertio plantatus est. Atque hæc posterior pars communis est, & argumento facto sufficienter probari videtur. Coniectura verò in contrarium nullius momenti est, alioqui etiam probaret, in nullo sex dierum factum esse Paradisum, quia in nullo specialis eius mentio fit. Non fuit igitur hoc necessarium, quia illud opus ad vniuersalem mundi fabricam, vt sic dicam, non spectabat, sed specialiter ad statum hominis, & ideo peculiaris eius mentio in commodiorem locum reseruata est: satisque fuit particulare illud opus in generali plantatione vniuersi, vt sic dicam, comprehendere.

14. Nec designari potest aliud tempus magis opportunum. Nam sicut hoc die omnes alias terræ partes Deus aptè disposuit, ad eas plantas producendas, quas in vnoquoque loco facere decreuerat. Ita etiam partem illam terræ, in qua Paradisum plantare volebat, simul peculiari modo disposuit, & fœcundauit. Et similiter vnico illo verbo *germinet*, illi parti terræ, sicut cæteris omnibus iuxta vniuscuiusque proportionem imperauit. Alioqui oportuisset vel illam partem terræ ab efficacia illius iussionis excipere, ita vt pars illa terræ sine ornatu plantarum manserit, quod incredibile est, & contra generalitatem illius diuini imperij: vel dicendum erit, priùs Deum plantasse illum locum generali modo, & paulo post plantationem illam in aliam maioris pulchritudinis, amœnitatis, ac suauitatis transmutasse, quod superfluum est, cùm diuina operatio hæc tarda momenta nesciat. De hoc autem loco in sequenti libro ex professo dicturi sumus. Nunc solum aduer-

to, propter ea, quæ in præcedenti dubio dicta sunt, probabile esse, si homo in innocentia permansisset, in illo loco non fuisse futuras spinas, & tribulos, neque similes herbas, quæ & fructus terræ vtiles impedire solent, & in illo statu nullam vtilitatem possent homini afferre. Et ideo meritò dictum esse homini post peccatũ, *Maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi.* Nam si homo non peccasset, semper in Paradiso permansisset, in quo terra ferè nullo labore culta, sine impedimento illi fructificaret: propter peccatum autem inde eiectus est in terram, quæ non sine magno labore daret fructus, & spinas, ac tribulos germinaret, quæ & molestiam inferre, & magna ex parte vtiles fructus impedire solent. Et hunc sensum habet maledictio terræ, quam post peccatum Deus homini manifestauit.

Si Adam nõ peccasset in Parad. io, nõ essent noxia vegetabilia.

15 Quinta dubitatio est, in quo statu, augmento, seu dispositione creauerit DEVS singulas plantas, id est, an creauerit arbores perfectas, vel tantùm inchoatas, & an cum fructibus, vel folijs, aut floribus. Item an produxerit segetes recenter natas, vel perfectas, & aptas ad messem, vel in aliquo statu medio, & simili modo de cæteris. Aliquibus enim visum est omnes arbores, & plantas fuisse per vniuersum orbem productas in perfecto augmento, & cum fructibus maturis. Quia DEI perfecta sunt opera. Sed verior sententia est, hoc non oportuisse ita fieri simul in vniuerso orbe, quia neque ad ornatum orbis id erat necessarium, nam potiùs mira quadam varietate decorari poterat, (vt statim dicam) neque etiam ad perfectionem diuini operis spectabat: nam hæc perfectio sæpius in proportione magis, quàm in æqualitate consistit. Neque etiam erat necessarium ad sustentationem hominis, vel animalium, quæ quinto, & sexto die creanda erat, quia in singulis speciebus pauca indiuidua producenda erant: ideoque tot fructibus simul creatis non indigebant. Ac denique illa æqualitas non erat proportionata omnibus regionibus, & climatibus vniuersi. Vnde obseruandum est, in eodem momento, in quo fuit mundus consummatus, cœpisse etiam in terra illas temporum varietates, quas in vere, æstu, autumno, & hyeme experimur. Nam hæc varietas fit per motus cœlorum, qui motus in primo & quarto die facti sunt. Varietas autem illorum temporum in diuersis regionibus incepit, quia si fortasse tempus illud respectu habito ad hoc hemisphærium fuit ver, respectu alterius fuit autumnus, & in vna parte fuit hyems, in alia verò æstas, sicut nunc etiam contingit: est enim eadem ratio, & proportio.

15 Quæstio in quo statu pro auxerit Deus vegetabilia.

Refelluntur putantes fa. isse vbiq; pro ductam statu perfecto.

Notatio pro veriori sententia.

Hoc ergo posito dicendum est, in omni loco terræ fuisse plantas productas in statu perfecto singulis regionibus accommodato pro illo tempore anni, in quo talis regio terræ facta est, atque esse incepit. Atque ita vbi erat hyems, plantæ habuerunt illam perfectam, quam in hyeme naturaliter habere possunt, & simili modo de cæteris tribus temporibus anni. Quòd si velimus etiam in singulis distinguere principium, medium, & finẽ, eadem proportio in eis seruanda est. Nam, verbi gratiâ, in principio veris solent arbores florere, postea frondere, deinde fructus emittere, & sic cõsequenter. In diuersis ergo regionibus, vel prouincijs, prout hanc temporum varietatem participare cœperunt, cum simili varietate arbores, & plãtæ perfectionem habuerunt. Vnde fit, vt illam perfectionem, quam arbores in qualibet parte anni in eadem terra conseruant, simul habuerint hoc die omnes arbores, vbique productæ. Qualis est, verbi gratia, perfecta magnitudo, seu augmentum, quia cùm illa perfectio non minuatur, neque augeatur propter temporum anni varieta-

16 *Statuitur ve ra sententia.*

tem, potuit commodè, & connaturaliter omnib. arboribus vbiq; productis simul tribui: & ideo ad perfectionem operis Dei pertinuit, vt ita fieret. At verò quia flores, folia, fructus, & eorum maturitas distinctam eorum temporum qualitatem requirunt, ideo in his varietas cum debita proportione seruata est: & in hoc magis est sapientia, potentia & perfectio diuini operis manifestata. Ita docuerunt inter alios Pererius in fine operis 3. diei, & Molin. de opere sex dierum, disp. 12. & 14. Fundamentum autem non est aliud, nisi quod exponendo rem ipsam indicatum est. Atque hinc de Paradiso terrestri constat ex cap. 3. Geneseos, statim in principio habuisse fructus maturos, nam de vno illorum, *tulit Eua, & comedit, & dedit viro suo, qui comedit* itemque fuisse tunc folia ficus, ex quibus Adam, & Eua fecerunt sibi perizomata. Inde tamen colligendum non est, in eodem statu creatas fuisse vbiq; omnes arbores: sed colligendum potius est, in ea regione, seu loco Paradisi tempus fuisse idoneum, vt in eo arbores, & folia, & fructus maturos, & omnem aliam similem perfectionem connaturaliter habere possent.

Fundamentum eius vnde habeatur.

Applicatur data resolutio plantis paradisi.

17. *Dubium incident.*

Occasione vero huius puncti tractant hoc loco auctores, præsertim duo allegati, aliud de tempore anni, in quo productus est mundus, an scilicet, in æquinoctio vernali, vel in autūnali, vel in neutro, sed in æstate, v.g. Cum autem dictum sit, hæc omnia tempora simul cum mundo in diuersis eius partibus incepisse, non potest dicta quæstio habere locum, nisi habito respectu ad certam terræ partem, seu regionem. Et quoniam in superioribus dictum est, Deum in creatione mundi, & à principio eius ad hoc nostrum hemisphærium, & in eo ad eum locum, in quo & Paradisus erat futurus, & homo creandus, respectum habuisse: ideo per cōparationem ad illam terræ partem dicta quæstio tractatur. In qua prædicti auctores contraria sentiunt, nam Pererius vult creatum esse mūdum in æquinoctio autumnali, Molina verò in vernali, vel prope illud, seu in veris initio. Fundamenta vtriusque partis in ipsis legi possunt, nunc enim cōtrouersiam hanc latius expendere non decreui: tū quia præsenti instituto non est necessaria: tum etiam, quia vix aliquid addere possum his quæ prædicti auctores eruditè tractant: tum denique quia neutra pars firmum habet fundamentum. In re tamen dubia, & quæ mera ratione definiri non potest, sententia, quæ asserit, mundum fuisse creatum in æquinoctio vernali, præferenda videtur. Tum quia Patres communiter illam sequuntur: tum etiam quia est magis consentanea rationi, his suppositis, quæ de Paradiso terrestri Scriptura narrat. Coniecturæ autem, quæ ex alijs locis Scripturæ pro vtraque parte sumuntur, facilem responsionem habent, vt in eisdem auctoribus videri potest.

Exponitur sensus dubij.

Qui hinc inde sentiāt vide etiam Conimbricenses 8. phy. co 6. 2. q. 3. a. 2. Clauium in c. 2. Sphæræ.

Authoris iudicium.

18. *6. Quæstio ac partis negantis motiua.*

Sexta dubitatio est, an mineralia, seu metalla, quæ in visceribus terræ inueniuntur, fuerint hoc die facta. Et ratio dubitandi est, quia Moyses neque illa in particulari numerat inter res hoc die productas: neque etiam sub generali nomine *plantarum*, illa comprehendere potuit, quia non sunt plantæ, neque vitam habent vegetatiuam. Accedit, quod ista non pertinent ad ornatum terræ, hoc autem die tantum facta sunt, quæ terræ superficiem ornant. Denique hæc mista non est necesse fieri per propagationem, neque per seminalem rationem, sed sufficienter fieri possunt ex materia elementari, seu mistione elementorum cum Solis, & astrorum efficientia: ergo non fuit necessarium immediatè produci ab auctore naturę. Sic enim antea dicebamus, plantas, seu herbas imperfectas, quæ absque semine generantur actione Solis, non fuisse in principio immediatè à Deo productas, idemque inferius dicemus de animalibus, quæ ex putrefactione generantur. Ergo maiori ratione necessarium non fuit, hæc metalla immediatè à Deo produci.

In contrarium verò est: Primò quod hæc metalla ad mundi decorem, & perfectionem suo modo pertinent: ergo debuerunt simul fieri cum mūdo ab illius auctore. Secundo quia, quod Moyses illorum mentionem non faciat, nullum argumētum est, quod non fuerint facta, quia Moyses non omnia expresse narrauit, sed ea, quæ præcipua sunt, & conspicua hominibus: hæc autem occulta sunt. Et præterea adeo sunt terrę admista, vt abilla difficulter distinguantur. Quas duas rationes, ob quas hæc à Moyse fuerint omissa, tradit Diuus Thomas quæst. 69. artic. 2. ad 3. Non tamen distincte declarat, an fuerint actu producta, videtur autem id supponere. Et eum imitatur Pererius. Molina vero disput. 11. simpliciter affirmat, ita credendum esse. Additque hæc fuisse facta hoc die ante plantas, quando Deus vniuersam terram (vt ita dicam) commouebat, vt locum aquis præpararet, quod est probabile iuxta ea, quæ supra diximus. Facile tamen defendi posset tantum fuisse facta in potentia: nam hoc etiam superiores rationes probabiliter suadent: neque negari potest, quin saltem hoc modo facta fuerint. De quo videri possunt Conimbricenses in Meteoris tractat. 13. capit. 2. secundo. Omnibus vero pensatis probabilius apparet, hæc omnia à principio fuisse actu producta. Vnde non multo post in vsum hominum venerunt, vt Gen. 4. legitur.

Auctor. in oppositum.

CAPVT VIII.

Quomodo sol, & luna cæterique planetæ & stellæ, quarto die productæ fuerint.

OPus quarti diei his verbis Genes. primo narratur, *Dixit autem Deus: fiant luminaria in firmamento cæli & diuidant diem ac noctem & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram*, &c. Quæ verba, suppositis, quę hactenus diximus, magnam habent difficultatē. Quia ex vna parte nisi magna vis verbis fiat, significare videntur, Deum hoc die produxisse solem, lunam, & astra simpliciter, & quoad substantiam eorum, quia illa omnia sunt res substantiales: substantia autem non dicitur fieri simpliciter, nisi quando substantialiter producitur. Ergo cum Scriptura dicat, Deum præcepisse, vt luminaria fierent, & ita factum esse: & iterum dicat, *Fecitque Deus duo luminaria magna, & stellas.* Videtur satis aperte significare, hęc omnia fuisse hoc die substantialiter producta. Nam (vt sæpe dixi) Scripturæ verba simpliciter, & in sua proprietate accipienda sunt præsertim in historica narratione. In contrarium verò est, quia multa sunt à nobis in superioribus dicta, quæ cum hac simplici intelligentia subsistere non possunt. Nam in primis dixi. diximus, omnes cælos in principio, & (vt ita dicam) ante omnem diem fuisse creatos, & consequenter fuisse integros, & perfectos, omnibusque partibus suis constantes: sed omnia astra cum sole etiam, & luna sunt partes orbium cælestium, & eiusdem ordinis, seu incorruptibilis naturæ: ergo simul cum orbibus creata sunt. Probatur consequentia: tum quia aliàs cæli non fuissent in principio integri: tum etiam, quia aliàs loca illa, quæ astra in cælis occupant, seu replent, aut fuissent vacua his tribus diebus, aut essent ibi alia corpora, quæ inde fuerint hoc die expulsa, vel per annihilationem, vel per mutationem localem, vel per conuersionem in astra. Quæ omnia vel sine inconuenienti, vel sine aliquo miraculo, aut præternaturali

1. *Argumentum.*

Argum. quod fuerint substantialiter producta.

ternaturali opere cogitari non possunt. Et ita vel repugnant incorruptibilitati cælorum, vel regulæ ab Augustino traditæ, & à nobis sæpe repetitæ, quod in hoc opere primæ creationis non quid Deo possit, sed quid naturæ conueniat, cogitandum est, ac subinde non esse multiplicanda miracula, nisi vbi manifestè fuerint reuelata. Et augetur hæc difficultas, quia etiam diximus, lucem primi diei fuisse lucem Solis, id est, à sole ipso procedentem, ac proinde iam tunc solem fuisse: quod est ergo luminare maius, quod hoc die factum dicitur, aut quod luminare minus, cum etiam luna in primo die desse non potuerit, & consequenter à sole etiam illuminata fuerit? Tandem hæc difficultas etiam habet locum in sententia, quæ asserit, firmamentum factum secundo die fuisse cælum stellatum, vel solum, vel simul cum omnibus orbibus planetarum, vt per se manifestum est. Imo in illa sententia est specialis difficultas, quia si verbum *fiat*, aut *fecit*, vel *factum est*, in vno loco de productione substantiali accipitur, cur non in alio? vel si in vtroque, quomodo inter se cohærent?

Propter hanc difficultatem variæ fuerunt opiniones de proprio effectu, seu termino hoc die producto, quæ in duas principales classes diuiduntur. Vna est dicentium productionem, de qua agimus, substantialem fuisse. Alia, quod tantum accidentalis mutatio fuerit: & in vtraque sunt varij dicendi modi. Prima opinio est, fuisse hoc die producta luminaria per propriam creationem ex nihilo, ac subinde fuisse producta tam quoad materiam, quàm formam substantialem. Quæ opinio videtur consequenter loqui, supposita in genere altera sententia, quod fuerint producta quoad substantias suas, quia cum luminaria, & astra sint corpora incorruptibilia, non possunt consentaneè ad suam naturam, nisi per creationem ex nihilo produci. Nihilominus hæc sententia non habet graues assertores, nec probanda est. Quia quæ Deus per propriam creationem ex nihilo produxit, simul creauit, vt habet ecclesiasticum dogma à Theologis receptum. Et ideo sicut post primam creationem nullum Angelum Deus creauit: ita etiam nullum nouum corpus ex nihilo produxit, sed solam animam rationalem, quia fit propter hominem, & per modum humanæ propagationis, ideoque natura sua postulat, & supponit corpus dispositum, in quo fiat.

Secunda opinio est, hoc die fuisse producta luminaria substantialiter ex præiacente materia. Et hanc defendit Molina in dicto opusc. disput. 15. Ad quam probandam supponit, prius astra distingui specie substantiali ab alijs partibus cælorum in quibus sunt. Quod maximè suadet ex influentia peculiari, quam habent, cum tamen reliquæ partes illa careant. Nam vis influendi est proprietas naturalis, consequens formam. Ergo distincta virtus ad influendum est argumentum diuersæ formæ substantialis, & consequenter essentialis distinctionis. Et certe in sole videtur manifesta distinctio, quia quamuis lux non sit forma substantialis eius, nihilominus est propria passio eius insignis, & singularis, quæ satis indicat substantialem distinctionem Solis ab alijs planetis: ergo multo magis eandem distinctionem indicat inter solem, & alias sui orbis partes. Idemque argumentum sumi potest in alijs stellis præter lunam, si verum est habere propriam, & intrinsecam lucem, quam aliæ partes suorum orbium non habent. Imò etiam lunam aliquam nativam lucem habere censetur præter lumen, quod à sole recipit, quamuis remissior in illa sit, quàm in cæteris stellis: illa vero sufficit ad simile argumentum conficiendum, cum illa qualiscunque lux in alijs partibus orbis lunæ non inueniatur. Hoc ergo supposito, fundatur ita sententia, quia luminaria, & stellæ non habuerunt ante hunc diem quartum proprias formas substantiales: ergo receperunt illas hoc die, & non per creationem, quia non sunt spirituales, nec per concreationem cum materia, quia nulla propria creatio rei corporalis hoc die facta est: ergo per eductionem ex potentia materiæ. Consequentiæ sunt claræ, & minor etiam probata est. Maior autem probari potest, quia astra ante hunc diem non habuerunt proprias virtutes influendi: ergo nec formas proprias substantiales, alioqui producta fuisset essentia, & substantia sine propria passione, quod miraculosum, & monstrosum fuisset. Quod si interrogetur, ex qua materia eductæ fuerint illæ partiales formæ. Respondetur, fuisse eductas ex materia eorundem cælorum, quæ in eisdem locis, seu partibus erat expellendo partes formarum, quæ prius in illis erat, & alias introducendo. Quia vero astra densiora sunt cæteris partibus orbium, consequenter necessarium fuit, in eisdem partibus materiam multiplicari. Hoc autem sine noua creatione per rarefactionem aliarum partium factum esse censet Molina.

Statuitur 1. fundamentum.

Hæc opinio est contra D. Thomam, & communiorem sententiam, & à nobis probari non potest, quia vel supponit, cælum esse natura sua generabile, & corruptibile, vel miraculoso supernaturali modo fuisse genitum, & corruptum saltem secundum aliquas partes. Quorum primum valde alienum est à perfectione cælorum, & à fine propter quem à Deo creati sunt, vt sæpe dixi. Secundum vero est miraculum, vel supernaturale opus, minimè necessarium. Imò, si verum est, omnia corpora cælestia habentia formas substantiales differentes specie habere etiam materias substantialiter distinctas, idem profectò de illis partibus consequenter erit dicendum. Atque ita vel prius extitisset materia connaturalis astris sine illorum formis, vel postea relicta essent, & perpetuò manerent cum aliena materia, & sibi non connaturali: vtrumque autem valde extraordinarium est, & incredibile. Præterea nulla verisimilis ratio afferri potest, ob quam per tot circuitus, vt sic dicam, & substantiales productiones, ac mutationes, tam nobilia corpora luminarium, & stellarum Deus effecerit. Ergo cum Scriptura non cogat ad credendum illum productionis modum, non est cur illum verum esse credamus. Denique quod in opinionem sequentem dicemus, hanc etiam impugnat. Et ad fundamentum huius sententiæ paulo post respondebimus.

4. *Reiicitur opinio Molinæ.*

Ad eius fundamentum.

Tertia igitur opinio est, luminaria non esse facta hoc die simpliciter, & absolutè quoad substantiam, seu per productionem substantialem sed per accidentalem, quæ tamen præexistêtem substantiam per rarefactionem, & condensationem multum transmutauerit. Supponit autem hæc sententia, astra, & luminaria, non differre specie substantiali ab alijs partibus suorum orbium, sed tantum in multitudine materiæ cum maiori eius densitate. Ex qua densitate prouenire dicuntur tam illuminatio, quam maior astrorum influentia. Quo supposito dicit, vnumquodque cælum in principio, vel in secundo die creatum fuisse vniforme quoad raritatem in omnibus partib. suis: in hoc verò quarto die partes quasdam Deum condensasse, multiplicando in illis materiæ partes cum suis partialibus formis, aduocando, & quasi attrahendo illas ab alijs partibus, & consequenter cæteras partes rariores efficiendo, quam per creationem factæ fuerant. Hanc sententiam refert Molina *supra*, & quamuis pro illa nullum referat doctorem, nihilominus eam censet probabiliorem cæteris, supposito fundamento de identitate specifica inter astra, & cæteras partes.

5. *Opinio.*

Ex qua suppositione procedat.

naturam æquè incorruptibilem, & impassibilem habuit: ergo nunquam vis, & facultas eius, & consequenter nec lux eius potuit postea contendi, vel augeri siue intensiuè, siue extensiuè, nisi contra naturam, & per miraculum: quo sanè modo etiam potuisset sol esse ardentior in illis primis sex diebus, quàm postea: ergo sicut hoc miraculum non admittitur, ita neque illud admittendum est.

14. *Quo tãdem modo nonnulli prædictam difficultatem enodant.*

Propter has fortasse difficultates aliqui totum opus huius diei per recapitulationem intelligendum putant. Aiunt enim, Deum in principio creasse solem, lunam & stellas, & hoc totum comprehendisse Moysem sub illis verbis, *In principio creauit Deus cœlum.* Noluisse tamen Moysem statim explicare ornatum, quem cœli habebant per solem, lunam, & stellas, priusquam elementorum separationem, & terræ ornatum per plantarum productionem describeret, vel quia res cœlestes minus notæ nobis sunt, & ideo voluit à notioribus nobis incipere: vel ne homines rudes existimarent, solem & stellas esse creatores plantarum, & aliarum rerum terrestrium, & inde occasionem idolatriæ sumerent. Hanc enim posteriorem rationem narrationis huius operis in quarto die, post Philonem *in lib. de Mundi opificio* tradunt Basil. Ambrosius, & Beda *in Exaemer.* & Chrysost. *homil.* 6. Nihilominus tamen, ne luminarium, & stellarum creatio sine expressa narratione omitteretur, conuenienter hoc 4. die per recapitulationem explicatam fuisse, vt simul explicarentur fines, propter quos hæc luminaria facta fuerant. Hanc sententiam attingit Eugubin. *in Cosmopœia*, & Catherin. *in Gen.* & eandem refert Vatablus *Gen.* 1. & non reiicit, & similiter Ludouicus Ystella *Genesis* 1. n. 51. eam approbare videtur, in sequentibus verò numeris cum opinione ex D. Thom. suprà recitata illam conciliat.

15. *Quo sensu improbabiliter loquantur prædicti authores*

Si hæc opinio omnia verba, quibus opus huius diei explicatur, per recapitulationem interpretetur, ita vt per illa solùm explicetur, quod antea iam factum erat, & nihil speciale hoc die de nouo factum referatur, improbabilis mihi videtur, & nullo modo sustineri posse. Primò quia magnam vim infert Scripturæ, quæ eodem modo narrat opus huius diei, sicut aliorum, dicens, in eo operatum esse Deum, & vidisse, bonum esse, quod fecerat, & factum esse vespere, & mane diem quartum, quæ omnia frustra dicerentur, si nihil de nouo Deus in toto hoc die operatus esset. Deinde *in cap.* 2. & in multis alijs locis Scripturæ dicitur Deus sex diebus operatus esse mundum, & die septimo requieuisse ab vniuerso opere. At verò si in quarto die nihil effecisset, profectò non sex, sed quinque diebus fuisset operatus, & in hoc die ab omni opere cessasset. Est ergo interpretatio illa multum repugnans Scripturis. Denique etiam est contra Patres & expositores, omnes enim in hoc conueniunt, quòd aliquod peculiare opus huic diei assignant ad astrorum productionem, vel ornatum pertinens, etiamsi in modo illud explicandi inter se differant. At verò si dicta sententia solùm intelligat aliqua verba dicta esse à Moyse per recapitulationẽ, vt commodiùs narraret, & texeret historiam operis in hoc die facti, sic est probabilis sententia, sicut in simili diximus in opere primi diei, quanuis absolutè non sit necessaria, vt ex dicendis *in c. sequenti* constabit.

Quo autem loquantur probabiliter.

16. *Authoris bimembris resolutio in dicta difficultate.*

Dico ergo in hoc die solum tribuisse Deum omnibus cœlis planetarum, & octauæ sphæræ (supponimus enim non esse primum mobile) proprios motus, quibus ab Occidente in Oriens mouentur, & per illos contulisse astris omnia, quæ de ipsis hoc die narrantur, etiamsi nec nouas qualitates, nec maiorem intensionem in eis, quas habebant, eis addiderit. Prior pars affirmatiua quòd in hoc die acceperint cœli stellati motus proprios, expressa est D. Thomæ *in dicta q.* 70. *art.* 2. *ad* 3. Etidem dixerat *q.* 67. *art.* 4. *ad* 3. & est opinio communis recepta à Theologis cum Magistro *in* 2. *d.* 14. & sequitur Burgen. *Gen.* 1. & alij. Et suaderi potest primò à sufficienti partium enumeratione, quia nihil aliud apparet, ratione cuius dici potuerint astra, seu luminaria facta esse hoc die etiam accidentaliter, & secundùm quid, vt videntur probare, quæ hactenus diximus. Motus autem vnicuique proprius optimè potuit hoc die singulis addi, neque in eo illa incommoda inueniuntur, quæ in alijs notauimus: ergo nihil verisimilius dici potest, quàm quòd sphæræ luminarium, & stellarum hoc die suos motus receperint. Dices, etiam hi motus sunt proprietates naturales debitæ his cœlis: ergo etiam est inconueniens, quòd primis diebus illis caruerint. Præsertim quia hic effectus non magis narratur factus in hoc die, quàm in præcedentibus. Respondeo ad priorem partem, in primis huic motum non esse naturalem ab intrinseco principio actiuo, à quo naturaliter fluat, sicut sunt aliæ propriæ qualitates, sed ab intrinseco motore, seu intelligentia fit, vt habet communis, & vera sententia. In hoc ergo est magnum discrimen inter motum, & alias proprietates, ratione cuius cessat omne miraculum, etiamsi talis motus simul cum mobili non inceperit. Fitque hoc faciliùs secundùm opinionem, quam probabiliorem reputo, quod isti motus non sunt connaturales his cœlis tanquam eis debiti, vel propter perfectionem propriam, vel propter peculiarem appetitum, quem cœli ad illos habeant etiam secundùm potentiam passiuam, quia neque tales motus suis mobilibus aliquod augmentum perfectionis per se conferũt, neque ad illud acquirendum tendunt. Et ideo respectu illorum nec monstrosum, nec præternaturale fuit aliquo tempore his motibus carere. Sunt ergo illi motus naturales respectu vniuersalis naturæ, seu respectu ordinis totius vniuersi, & consequenter sunt etiam consentanei naturali inclinationi, quam cœli habent ad fluendum, & se cõmunicandum, quantum naturaliter possunt. At verò habito respectu ad commune bonum vniuersi conuenientissimè isti motus hoc die inceperunt, & fieri antea non oportebat, vt statim explicabimus. Nec per illam dilationem aliqua violentia dictis cœlis facta est, quia licèt agenti naturali debita fit actio positis omnibus requisitis ad agẽdum: non tamen est ei debitum, vt semper habeat omnia requisita ad agendum, vel ad omnem modum agendi, hic autem motus solùm requiritur in cœlo, vel ad agendum, vel ad peculiarem agendi modum: & ideo licèt non semper datus fuerit, nulla vis facta est cœlis.

Ad alteram verò partẽ de narratione Scripturæ negatur assumptum, & retorquemus argumẽtum: nam conferre his cœlis proprios motus fuit vnum ex operibus Dei maxime necessarijs ad vniuersi ornamentum, pulchritudinem, & vtilitatem: ergo debuit in aliquo istorum dierum fieri, & narrari, sed in primis tribus diebus factum non est, neque in verbis illorum dierum aliqua significatio talis operis inuenitur, vt in dicto argumẽto sumitur, & nos libenter admittimus tanquam sufficienter probatum in his, quæ de operibus illorum dierum dicta sunt. Idemque de quinto & sexto die tanquam notum relinquimus: superest ergo, vt in hoc die tale opus fuerit factum. Quod etiam ex verbis Scripturæ colligimus, quia ea, quæ hoc die narrantur facta, non nisi interuentu istorum motuum fieri potuerunt, vt paulo post explicabimus. Vnde sicut in superiorib⁹ ex eo, quòd in primo die sol cœpit illuminare mundum cum distinctione diei, & noctis, recte intulimus, motum

tum primi mobilis illo die incepisse, ita in præsenti die, quia in ea facta est peculiaris diuisio temporum, dierum, & annorum, quæ per hos motus cœlorum fit, inde rectè colligimus, hos motus in hoc ipso die incepisse. Denique comprobatur hoc ex ratione, propter quam conueniens fuit hoc opus fieri hoc die, & non antea: neque etiam amplius differri. Nam hi motus proprij cœlorum præcipuè inducti sunt ab auctore naturæ, vt sol, & planetæ conuenienti modo diuersis partibus vniuersi, in distinctis temporibus, & ad conseruationem mistorum, & ad fructus terræ producendos applicarentur, quod per hos motus fit, vt Philosophi, & experientia docent. At verò ante hunc diem quartum nondum erat terra aquis discooperta, nec fructificare cœperat, imò nec ad fructus ferendos fuerat disposita, nec aquis cooperta peculiares influentias cœlorum recipere poterat. Et ideo ante hunc diem proprij motus cœlorum, nec necessarij fuerunt, nec opportuni. Postquam autem in fine tertij diei terra, quæ iam apparuerat, herbis, & plantis ornata fuit, cœpit huiusmodi influentijs cœlorum indigere: & ideo conuenientissimo ordine, ac prouidentia post opus tertij diei hunc motū cœlorum statim in die quarto Deus adiunxit. Et hāc existimo esse propriam, & literalem rationem huius ordinis. Quanuis aliam spiritualem Patres addere soleant, scil. id fecisse Deum, vt ostenderet solem, lunam, & stellas, non propter se, sed propter hominis vtilitatem factas fuisse, vt videre licèt in Leone Papa serm. 2. & 7. de Natiu. & in alijs super Gen. Sic ergo sufficiēter probata relinquitur pars affirmans hunc motum hoc die fuisse factum.

Altera verò pars exclusiua ex dictis probata relinquitur, quia nulla perfectio intrinseca Soli, aut stellis hoc die addi potuit præter motum, qui qualitas, vel qualitatis augmentum, quia neque in substantia, neque in quantitate, vel intrinseco modo quantitatis illud accipere potuerunt, vt probauimus, sed ostensum etiam est, secundùm qualitatem non potuisse intrinsecè perfici: ergo nihil aliud eis addi potuit præter proprios motus, nam communem iam habebant. Loquor autem semper de intrinseca perfectione qualitatis, aut virtutis actiuæ, quia latiùs loquendo de quadam extrinseca perfectione, concedi potest factam esse astris nonnullam perfectionis additionem: illa autem qualiscunque sit, solùm cœlestibus corporibus accreuit, quatenus ex prædictis motibus resultauit. Declaratur breuiter, quia duobus modis potest aliqua perfectio dici extrinseca qui duobus alijs modis perfectionis intrinsecæ respondent. Rigorosè enim dicitur perfectio intrinseca, quæ non solùm inhæret, sed etiam ab intrinseco manat, vel ratione alicuius principij intrinseci rei conuenit. Et in hoc sensu loquimur, cùm dicimus, nullam perfectionem intrinsecam esse cœlis additam, nam in hoc sensu procedunt rationes factę. Alio verò modo omnis perfectio, quę subiecto inhæret, & illud perficit, dici potest intrinseca, quanuis nullo modo à principio intrinseco proueniat, sed ab extrinseco agente, sicut est lumen in aere: & hæc ipsa perfectio, quatenus ab extrinseco agente prouenit, dici solet extrinseca secundùm illum respectum, & ita constituitur primus gradus, seu modus extrinsecæ perfectionis. Alius verò est, quando perfectio nec manat ab intrinseco, nec inhęret rei, sed alio modo magis extrinseco illi coniungitur, vt illam adiuuet, aut confortet, qualis dici potest societas amicorum, vel aliquid simile. Dico ergo his duobus modis potuisse aliquid perfectionis extrinsecus accrescere astris ex proprijs ipsorum motibus. Quia ex his motibus resultant diuersi aspectus, seu coniunctiones planetarum inter se, vel etiā respectu stellarum fixarum octauæ sphæræ. Quatenus ratione illorum motuum interdum viciniores, seu propinquiores inter se sunt, interdū verò magis distant. Ex quibus varijs coniunctionibus duo in astris ipsis resultant. Vnum est, vt quodammodo inuicem confortentur, iuuentur, seu determinentur ad hos, vel illos effectus producendos. Et hinc oriuntur variæ influentiæ astrorum in hæc inferiora. Et hanc voco perfectionem omnino extrinsecam, &, vt ita dicam, per iuxtapositionem, quę ex his motibus in astra redundauit. Aliud est, quia ratione horum motuum fortasse inter ipsam & astra resultat aliqua actio, qua vnum aliud perficit, influendo in illo qualitatem ipsi inhærentem, & iuuantem ad aliquem effectum producendum, vel ad eundem faciliori, seu meliori modo efficiendum. Quod in planetis quoad participationem luminis à sole euidentiùs conspicitur, nam quo magis Soli appropinquant, ab illo magis illuminantur. Et fortasse in alijs qualitatibus, & influentijs nobis occultis, similem communicationē, & actionem inter se habent. Nam huiusmodi cōmunicatio non est per alterationem corruptiuam, sed potiùs perfectiuam, & ideo à cœlorū incorruptibilitate, seu impassibilitate aliena nō est.

19. *Qui modus perfectionis intrinsecæ addi potuit cœlis die 4.*

Iuxta hunc ergo modum etiam fieri potuit hoc die in stellis aliquod perfectionis augmentum extrinsecum quoad causam, & quoad inhærentiam intrinsecum. Solùm tamen fieri potuit, quatenus ex proprijs astrorum motibus modo explicato resultauit. Non enim possunt astra naturali modo aliunde extrinsecas qualitates recipere, quàm ex actione ipsorum inter se, quia inferiora corpora, seu elementa non possunt qualitatem aliquam cœlis imprimere, neque etiam Angeli illam virtutem habent, vt nunc suppono. Deus autem, licèt nouas qualitates in cœlis possit efficere, quæ illis secundùm naturæ ordinem debitæ nō sint: nihilominus secundùm ordinariam legem naturalem id non facit, quia solùm operatur concurrendo cum causis secundis. Altior verò perfectio cœlorum pro statu gloriæ, consummato mundi cursu, reseruatur. Et fortasse cœlo Empyreo similē perfectionem iam Deus addidit, quod si ita est, simul cum illo cœlo tota huiusmodi perfectio concreata est, iuxta ea, quæ de illo cœlo in superioribus diximus. At verò in hoc quarto die non est verisimile, aliquam inhærentem perfectionem additā esse astris sola voluntate, ac virtute diuina, quæ sit illis naturalis, & intrinseca primo modo, sed ab extrinseco agente tantùm prouenientis. Quia, vt dixi, hic modus agendi Dei non est secundùm ordinarium naturę modum, neque ad vniuersalem, & communem influentiam Dei pertinet, & ideo non est sine maiori fundamento asserendus.

20. *Instantiā contra supra dicta.*

Dicere autem quis posset, quanuis stellæ ab intrinseco non habeant aliquas qualitates, ac virtutes, neque illis sint debitæ secundùm proprias, & particulares naturas: nihilominus propter vniuersalem naturam illis infundi potuisse, idq; hoc quarto die factum esse, vt haberent astra omnem necessariam virtutem ad influenda in hęc inferiora. Sed respondemus, si supponātur astra esse adeò imperfecta, vt ab intrinseca natura, & per mutuā communicationem non possint habere omnem influentiam huic inferiori mundo necessariam, & sufficientem: rectè quidem, & consequenter dici, Deum illis eam virtutem addidisse, & suppleuisse, vt per astra tanquam per causas secundas vniuersales postea operaretur. Veruntamen, etiam hoc concesso, non video, quo fundamento dicatur contulisse Deum illas virtutes in hoc quarto die, magis quàm in principio, quia ex tota narratione huius quarti diei id colligi non potest. Addo verò sine fundamento dici, astra creata

Expeditur

esse

esse adeò imperfectà, vt non possint ab intrinseco habere virtutem requisitâ ad omnes influentias huic inferiori mundo opportunas, & necessarias. Vnde nos è cõtrario dicimus potuisse Deum producere planetas, seu stellas tantæ perfectionis essentialis, vt ab illa dimanent omnes virtutes ad dictam influentiam sufficientes. Quis enim hoc diuinæ omnipotentiæ neget? At hic modus condendi vniuersum, & principales eius causas naturales, nobilior & excellentior est: ergo credendum potiùs est, ita fuisse astra à principio condita, & postea non aliud virtutis augmentum præter illud, quod diximus, accepisse. Nec, vt opinor, de alio genere augmenti Diuus Thomas loquutus est, neque de alia determinatione virtutis, præter eam, quæ ex diuersis aspectibus, coniunctionibus, vel oppositionibus astrorum resultat, quia nec verba eius in prioribus locis alium sensum postulant, & in posterioribus locis allegatis ita videtur tacitè suam mentem explicare.

Explicatur D. Thom. allatus in num II.

CAPVT IX.

Quomodo per solos motus proprios cœlorum sufficienter explicentur omnia, quæ hoc die facta narrantur.

1. Expendunturverba Scripturæ pro difficultate cap. præced. in num. 1 *ac primum illa,* Dixit Deus, fiant luminaria. *Responsio ex Vatablo tolerabilis. Non tamen necessaria.*

IN hoc capite respondendum est ad difficultatem præcipuâ in principio præcedentis capitis propositam, quod distinctiùs & exactiùs fiet discurrendo per singula Scripturæ verba. Prima igitur sunt, *Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento cœli.* In quibus, si verbum *fiant* rigorosè accipiatur pro *fieri* simpliciter, & substantialiter, verbum *dixit* per recapitulationem accipiendum est, ac si diceretur, *dixerat autem Deus,* &c. atque ita exponit Vatablus ex sententia Hebræorum, dicens, præteritum ibi accipi pro plusquam perfecto, quę expositio in sensu suprà dicto tolerabilis est. Veruntamen ille sensus per recapitulationẽ etiam in verbis *dixit*, vel *fiant*, necessariùs non est, nam optimè intelligi possunt de effectu, quem Deus in hoc ipso die fieri præcepit. Quia necessarium non est illud intelligere de effectione simpliciter, seu substantiali, quia per sequentia verba determinatur, & limitatur ad accidentalem motionem. Additur enim, *& diuidant diem ac noctem & sint in signa, & tempora,* &c. Vbi particula *&*, per particulam *vt*, explicanda est, quod non est nouum in Scriptura, & in hoc loco obseruauit Oleaster. Et idẽ sentit Caiet. & sumunt ex verbis Hebræis, quæ ad literam ita habent, *erunt luminaria in extensione cœlorum, ad diuidendum diem & noctem,* &c. Vnde vterque notat, nõ esse hoc quarto die simpliciter facta luminaria, vt sint, sed ad alia munera, quæ per verba prædicta explicantur. Quæ quidem officia fiunt à luminaribus mediantibus suis motibus, neque ratione illorum munerum alia qualitate, vel perfectione indigebant.

2. Instantia.

Dices, diuisio diei, & noctis non fit per motum proprium Solis, sed per diurnum, & ideo primo die legimus diuisisse Deum diem, & noctem: ergo non rectè dicitur, sol factus hoc quarto die quoad hoc munus. Respondetur cum D. Thoma dicta q. 70. art. 2. ad 3. aliter factam esse diuisionem diei, & noctis primo, & quarto die. Nam in primo facta est communi modo, secundùm distinctionem solam inter lucem, & tenebras, & illo modo verum est fieri distinctionem illam per motum diurnum cum quadam æqualitate, & vniformitate. Alio verò modo specialiori fit distinctio inter diem, & noctem cum quadam varietate, & inæqualitate, quatenus aliquando dies sunt maiores noctibus, aliquando minores, quod ex proprijs motibus astrorum prouenit. Dici etiam potest, quod indicauit Caietan. in primo die distinctionem diei, & noctis factam esse tanquam inter lucem, & tenebras, hoc autem die factam esse tanquam inter lucem & lucem, quia lux diei est Solis immediatè, lux autem noctis est lumen lunæ, & stellarum. Vnde paulo post subditur de luminaribus, *vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram.* Et iterum: *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius vt præesset diei, & luminare minus vt præesse: nocti, & stellas.* Nam illud *præesse* optimè intelligitur quoad illuminationem. Rectè ergo intelligitur distinctio illa inter diem, & noctem quoad vtriusque lumen factam esse. Vnde consequenter etiam potest dici facta distinctio quoad virtutem influendi, nam in die Solis influentia efficacior est, in nocte verò lunæ, & stellarum actio magis viget. Quia verò paulo post iterum dicitur, facta esse luminaria, *vt lucerent super terram & præessent diei, ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras*: negari non debet, aut potest, quod D. Thomas dixit, factam esse hoc die speciali modo distinctionem inter lucem, & tenebras, sed hoc supposito, explicatur amplius illa specialis distinctio, quia non solùm facta est secundùm durationem dierum, ac noctium, sed etiam secundùm lucis, & aliarum influentiarum participationem.

Solutur ex D. Thom.

Additur verò etiam esse facta luminaria hoc die, *vt sint in signa.* Circa quæ verba multa dicta sunt à Doctoribus propter antiquos errores, qui de signis cœlorum inuenti sunt, & ineptissimè in his verbis fundati. Aliqui verò signa hæc non propriè de signis significantibus, sed de miraculis, & stupendis operibus interpretantur. Hæc enim apud Hebræos, & frequenter in Scriptura signa vocantur, vt in Exodo cap. 3. & seq. & Deut. 4. & 7. vnde est illud Psalmi 73. *Signa nostra non vidimus.* Et Ecclesiast. 36. *Innoua signa & immuta mirabilia,* &c. Et sic Iudæi sæpe à Christo signa petebant, Matth. 12. Ioan. 4. Ipse autẽ discipulos suos ea facturos promisit & impleuit, vt Marci 16. refertur, & Act. 2. & 4. Hæc tamen significatio non rectè huic loco adaptatur, quia sol, & luna non sunt facta, vt faciant opera prodigiosa, seu miraculosa. Quòd si aliquando aliqua prodigia facta sunt circa ipsum solem, & lunam, vt Iosue 10. vel fiunt, vt Isaiæ 11. dicitur, non sunt facta sol, & luna propter talia signa, sed Deus speciali prouidentia propter alios fines illa circa solem, & lunam operatur. Præterquam quòd ipsa non vocãtur signa, nisi quatenus diuinam reuelationem, aut iussionem indicant, vel promissionem confirmant, & ideo talis significatio præsenti operi non rectè adaptatur. Nisi fortè quis dicat, ipsum solem, & lunam, & concẽtum stellarum cum suis ordinatis motibus vocari signa, quia sunt veluti portenta quædam, & diuinam potentiam maximè significant, sicut alibi Propheta regius dixit, *Cœli narrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiant firmamentum,* &c. Sed hic sensus licèt vt secundarius, & spiritualis tolerari possit, non est tamen literalis sed nimis metaphoricus, vt per se notum est.

Dicuntur ergo astra facta in signa aliquid significantia hominibus, quod ad communem eorum vsum, & vtilitatem pertineat. Duobus autem modis intelligi potest, astra esse signa, scilicet, vel pura signa, id est, habentia munus significandi, non fundata in causalitate, seu influentia, sed vel in aliqua impositione, vel in aliqua ratione figuræ, seu imaginis: vel certè dici possunt astra facta esse in signa, quia facta sunt ad influendum, ratione cuius influentiæ etiam habent, quod significent. Priorem sensum sequutus est Origenes, cuius sententia fuisse dicitur, omnes effectus futuros in astris tanquam in signis cognosci posse, non tanquam in causis, sed quia in illis tanquã in imagi-

nibus

nibus omnia descripta sunt. Quam sententiam fuisse hominum non mediocriter doctorum, dixit Augustinus lib. 5. de Ciuit. cap. 1. eandemque latè refert ex Origene *super Genesim* Eusebius lib. 6. de Præparat. euangelica, cap. vlt. vbi formalia verba Origenis refert, de quibus non videtur per se dubitari, quanuis nunc in homilijs super Genesim, non inueniantur. Et *in homilia 5. super Ieremiam*, reprobat quidem Origen. errorem dicentium, stellas esse causas efficientes, quę omnibus futuris necessitatem imponunt: quòd verò sint signa sine causalitate neque affirmat, neq; negat. Et ipsemet Eusеb. approbando sententiam Origenis quoad priorem partem, in qua stellis prædictam causalitatem negat: de altera, in qua illis significationem tribuit, nihil dicit. Eandem sententiã tribuit Senecæ, & Plotino Ludouicus Viues *in scholiis ad August. suprà*.

Veruntamen hęc sententia, quanuis apertè nõ incidat in errorem Stoicorum, de fati necessitate, non multum ab illa distat, tum quia secundùm rectam consequutionem sine illo subsistere non potest, vt statim dicam, tum etiam quia incidit in alium errorem, quòd futura contingentia ab alio quàm à Deo certò cognosci possint, quod est erroneum, vt suprà de Angelis diximus. Deinde est omnino vana illa sententia, quia illa significatio syderum vel est naturalis, vel ad placitum. Priori modo cogitari nõ potest in stellis respectu omniũ futurorum sine causalitate circa illa, quia hæc significatio non est nisi vel in effectu respectu causę, vel in causa respectu effectus, sed stellæ non sunt effectus futurorũ, vt per se patet: ergo si non sunt causæ, nõ possunt illa naturaliter significare. Maior, seu sufficientia partitionis probatur, quia inter signum naturale, & signatum, debet esse aliqua naturalis, & necessaria cõnexio, quæ nulla esse potest nisi causæ, vel effectus. Nam cõnexio inter relationem, & terminum ad rem nõ pertinet, vt nũc tanquam clarum suppono. Dices relationem imaginis, seu similitudinis ad hoc posse conferre. Respondeo, in primis vanum esse fingere in astris, & stellis hãc formalem repræsentationem omnium futurorum, cùm re vera nulla sit, imò nec mente sana cogitari possit. Et deinde talis repræsentatio non fit per propriam relationem prædicamẽtalem similitudinis, vel imaginis, sed per ipsam figuram, vel formam, in qua talis relatio fundari potest, & ideo per huiusmodi repræsentationem imaginis, nisi ratio causæ, vel effectus illi adiungatur, cognosci non potest an res repræsentata sit, fuerit, vel futura sit: ergo, etiamsi fingendi tales imagines in cœlis licentia detur, non poterunt esse signa naturalia futurorum, vt futura sunt.

Quòd si hæc significatio dicatur esse ad placitũ, non minus facilè tanquam vana refelletur. Quia illa significatio ad placitum, solùm esse posset ex impositione Dei, quia nullus alius cognoscit omnia futura, præsertim contingentia, neq; aliqua creatura tantam in vniuerso auctoritatem habet, vt talia signa instituere potuerit. Nullus autem potest cum fundamento dicere, Deum talia signa imposuisse. Vbi enim Deus hoc reuelauit? Aut quis sine reuelatione posset talis impositionis habere notitiam? Vel quis erit vsus talis significationis, si impositio illius nemini reuelata est? Cum ergo sit certum, Deum huiusmodi significationẽ, vel impositionem hominibus non reuelasse, vana, & ridicula est talium signorum assertio. Respondeti potest ex Origene apud Eusebium, hanc significationem non hominibus sed Angelis notam esse, & per illos hominibus aliquibus non integrè, sed ex parte innotuisse. At isti non hoc somniarunt, vel crediderunt, nisi à malis angelis illusi ita senserũt. Vnde quantum erroris est in adhibenda fide dæmonijs, & in vtendo eorum consortio, & confabulatione, tantum erroris, & vanitatis est in illa responsione. Et præterea repugnat ille error Scripturis dicentibus, solum Deum omnia futura cognoscere. Dicet fortasse aliquis, per hoc non excludi, quin per diuinam reuelationem Angeli ea cognoscere potuerint. Respondetur, vanum esse, & erroneum hanc notitiam per reuelationem factam in talibus signis omnibus Angelis, & de omnibus futuris ascribere. Alioqui hæc scientia omnibus Angelis quasi ordinaria lege conueniret, quod planè repugnat modo loquendi Scripturarum. Ac denique quod ad verba Genesis attinet, cùm ibi dicitur, *vt sint in signa*, sermo est respectu hominum, non Angelorum, & de signis naturalibus, non de supernaturalibus. Vnde rectè dixit Augustinus libro 2. Gen. ad liter. cap. 14: *Cum dicit de syderibus, vt sint in signa, non illa dicit, quæ obseruare vanitas est, sed vtique vtilia, & huius vitæ vsibus necessaria.*

Replica dilluitur.

7. *Refellitur præterea significatio astrorũ qua fundatur in ipsorũ causalitate, seu influxu.*

Et hinc facilè etiam refutatur error antiquorum Gentilium, & hæreticorum, qui hanc significationem in causalitate fundatam stellis tribuerunt respectu omnium euentuum futurorum, etiam illorum, quæ à voluntate humana, vel angelica pendent. Nam hic error, & libertati arbitrij, & immaterialitati humanæ voluntatis repugnat, quia nõ possunt corpora in spiritus agere, nec voluntatem libertate sua priuare. De qua re in locis alijs ex professo tractatur, & ideo hic adnotare sufficiat, hunc errorem damnatum esse à Leone Papa Epist. 91. aliàs 93. ad Turiuium, cap. 11. & in Concil. Bracharensi 1. cap. 9. & impugnari latè ab Origene, & Eusеb *suprà*, & August. dicto lib. 5. de Ciuit. & D. Thoma in opusc. 26. de Iudicijs, seu indicijs astrorum, & multis alijs, qui contra Fatum scripserunt. Quocirca verum quidem est significationem luminarium fundatam esse in causalitate, vt tradit D. Thomas dicta q. 70. art. 2. ad 2. Vbi etiam aduertit, non ideo esse dicta signa, quia non sint causæ, nam significatio non excludit causalitatem, sed potiùs interdum in ea fundatur, *Sed dicta* (inquit) *sunt potius signa, quàm causæ, vt occasio idololatriæ tolleretur.* Hinc tamen optimè concluditur, astra non esse signa omnium futurorum, sed illorũ quos facere possunt, quosque cursu suo naturaliter, & ordinariè efficiunt. Et quia istorum effectuum varietas ex proprijs motibus cœlorum, & ex diuersis aspectibus, & coniunctionibus astrorum, quæ per eosdem motus fiunt, oriuntur: ideo ratione eorundem motuum dictum est, lumināria facta esse, *vt sint in signa*, vt Augustin. & D. Thomas suprà notarunt. Et hoc modo significatio illa ad hominum vtilitatem ordinata est, quia per illa discernunt homines opportunitatem negotiorũ, vel actionum, quam nautæ obseruant ad nauigandum, & agricolæ ad seminandum, & alij ad cætera negotia præuidendo temporũ qualitates, vt pluuiæ, aut serenitatis, frigoris, aut caloris &c.

8. *Exponitur 3. loco dicto in tempora*

Ex quibus facilè exponitur, quo sensu dicantur astra hoc die non solùm in signa, sed etiam *in tempora*. Istæ enim duæ particulæ possunt facilè ad idem referri, ita vt posterior priorẽ exponat, nam astra facta sunt in signa diuersorum temporum, non solùm quoad moras, sed etiam quoad qualitates eorum, nam signant tempus æstatis, hyemis, &c. Ita ferè exponit Augustinus dicto li. 2. de Gen. contr. Manich. c. 14. Et in Imperfecto c. 13. & li. 1. de Gen. contra Manich. c. 13. & 14. & idem sensit Chrysost. homil. 4. & Basil. homil. 6. in Gen. & Hugo de S. Victore Annotationib. in Gen. cap. 7. & ibi alij, quos Lypomanus in Caten refert, nec dissentit D. Thomas *supra*. Possunt verò illæ duæ particulæ etiam ad diuersa referri, nam astra signant varios

rios effectus suos, vt dictum est, constituunt autem vicissitudines temporum æstatis, hyemis, &c. & ideo specialiter dicuntur facta, vt sint in tempora. Omitto expositionem dicentium, per tempora intelligi illa, quæ festis, & solemnitatibus deputantur, quia alienam ab hoc loco censeo. Additur verò, *& dies, & annos, quos rsi: ate nouimus* (inquit Augustinus suprà) *qui non fierent, nisi motibus syderum* vtique proprijs, sicut de diebus suprà explicatum est, & de annis constat, quia per proprium Solis motum constituuntur. Omittuntur autem menses, quia sub annis (vt quidam volunt) comprehenduntur. Nam annus in quadam significatione dicitur integra conuersio propria cuiuscunque planetæ, & quia conuersio lunæ vno mense perficitur, ideo menses sub annis comprehendentur. Sed hoc non admodum placet, quia illa acceptio *anni*, mihi est valde incerta, nec in Scriptura eius fundamentum inuenio. Imò Hebræi menses lunares computabant, iuxta conuersionem lunæ, & ex eis lunares annos conficiebant. Vnde facilius dicitur menses fuisse omissos, quia in anno solari ad placitum hominum diuisi sunt, ob quam rationem etiam horæ sunt prætermissæ.

Exponuntur quarto loco verba, in dies & annos.

Menses cur prætermissi.

9. *Explanantur 5. loco verba*, duo luminaria magna, *qua de Sole & luna proferuntur. Sol maximus astrorum.*

Vltimò inquiri solet hoc loco, quo sensu sol & luna duo magna luminaria dicantur inter ea, quæ fecit Deus, qua occasione de horum, & aliorum astrorum magnitudine posset hoc loco disputari. Sed hoc Astrologis, & Philosophis relinquimus. Ac breuiter dicimus in re quidem ipsa solem fortasse esse absolutè maximum inter astra omnia, vt accuratè declarat Pererius tom. 1. in fine quartæ diei, & Conimbricenses 2. lib. de cælo, cap. 12. q. 1. art. 3. At verò luna absolutè non habet secundum magnitudinis locum, vt est constans apud Philosophos, & ideo solùm respectu nostri dicitur secundum luminare magnum, vtique formaliter (vt ita dicá) seu in lucendo. Quia per diem neque luna, neque aliæ stellæ lucent, propter Solis eminentiam, in nocte verò luna magis, quàm aliæ stellæ nobis lucet, vel propter maiorem propinquitatẽ, vel propter maiorem densitatem, & aptitudinem, quam ad lucendum habet. Et ita sensit Basil. homil. 6. in Exaemer. & Chrysost. homil. 7. in Gen. sicque intelligendus est Augustinus lib. 2. de Gen. ad liter. cap. 16. Addi potest, lunam etiam eminere in illis muneribus, ad quæ luminaria hoc die facta esse dicuntur. Nam vel propter maiorem vim illuminandi terram, vel propter alias etiam qualitates sibi connaturales maiorem habet influentiam in omnium mistorum generationem, & in corpora humana, quàm cæteri planetæ, præter solem, & ideo inter signa cœlestia horum naturalium effectuum, post solem principatum habet. Et ob eãdem rationem magis est in tempora, & dies, & annos, quàm reliqui planetæ, vtique post solem. Vnde secundùm illam etiam menses, & anni à multis nationibus connumerantur, & ad distinguenda tempora in ordine ad plures actiones humanas, præsertim ad opera medicinæ, vel agriculturę, aut nauigationis, augmenta, vel diminutiones lunæ plurimùm considerantur. Propter has ergo causas luna dicta est luminare minus, & in secundo gradu post solem collocatur.

Luna qua de causa dicatur secundum luminare magnum.

Causa altera additur.

10. *In pleniluminone, an statu alio sit luna creata. D. Thoma sententia ex Beda. Quid Augustinus de eadè re scripserit.*

Hac denique occasione dubitari hic solet, in quo statu augmenti, vel decrementi luminis luna creata fuerit. Quod attingit D. Thomas dicta q. 70. art. 2. ad 5. vbi probabile censet factam esse plenam, quia illa est perfecta eius dispositio, præsertim ad lucendum in nocte. Quæ fuit sententia Bedæ *in Exaemer. & lib. de ratione temporum.* Procop. in caput 1. Gen. Damascen. 1. de fide orthod. cap. 7. & Abul. Gen. 1. q. 25. At verò Augustinus lib. 2. Gen. ad liter. cap. 15. probabile censet, factam esse initio sui luminis, quia debuit incipere in principio sui mẽsis, seu conuersionis suæ secundùm motum proprium & respectu nostri. Alioqui non in prima luna, sed in decimaquarta moueri cœpisset. Et ad rationem in contrarium virtute respondet, *siue primam, siue plenam lunam Deus fecerit, fecisse perfectam.* Tandem verò nihil determinat, sed rem indecisam relinquit. Vnde non defuerunt, qui mediam viam tenuerint, dicentes, lunam factam esse in quarta parte sui augmenti, id est, in ea dispositione, quam in septimo die habere solet. Quia tunc oritur supra nostrum horizontem, quando sol occidit, & ita poterat totam noctem illuminare, atque ita statim exequi munus suum per illa verba explicatum, *vt præesset nocti*, quod facere non potuisset, si in prima luna creata fuisset, & aliunde conuenientius videtur, vt post illud initium non statim decresceret, vt necessarium fuisset, si plena creata esset, sed potius, vt per aliquod dies continue augeretur. Sed in hac re liberum est vnicuique quod voluerit sentire, quia ex Scriptura, vel Patribus nihil habemus, & rationes non multũ cogunt.

Audacter dictum.

Supersunt tantùm explicanda verba illa, quæ suprà cap. 5. num. 14. in hunc locum remisimus, & *posuit eas* (scilicet stellas) *in firmamento cœli.* In quibus duæ statim occurrunt difficultates. Prima est suprà posita, quia in opere secundi diei nomine *firmamenti* aërem exposuimus: quomodo ergo nunc potuerunt stellæ in firmamento poni. Sed ad hoc breuiter dicendum est nomine *firmamenti* intelligi totam expansionem corporum diaphanorum ab octaua sphæra vsq; ad terram: & ita iuxta lectionem Hebraicam proprie vertitur, *posuit stellam extensione cœlorum.* Vnde quia firmamentum sic sumptum plura corpora comprehendit, interdum aliquid ei tribuitur ratione vnius partis, interdum verò ratione alterius: & ita in præsenti dicuntur stellæ positæ in firmamento, quia sunt positæ in superiori parte eius, & denotatum est, omnes stellas esse sub primo mobili. Quæ expositio communiter recepta est, vt videre licet in Lypomano, Caietano, Perer. & alijs.

11. *Explicantur verba.*

Altera difficultas est circa verba, *posuit eas in firmamento*, nam videntur significare, prius fuisse firmamentum, & postea Deum stellas in illo posuisse. Respondemus tamen, non esse existimandum, posuisse Deum stellas in cœlo, tanquam in subiecto proprio, aut tanquam in loco extrinseco, sed tanquam partes in toto, cui vniuntur, & cum quo locum habent. Sicut ergo partes ponuntur in toto non præexistente, sed quando ipsum producitur, ita Deus tunc posuit stellas in firmamento, quando cœlum illis constans & compositum creauit, & ita in principio sui operis illas posuit. Hoc autem quarto die, vel illud per capitulationem repetitur, vt aliquid addatur, vel dicuntur hodie stellæ positæ in firmamento, non simpliciter, sed *vt lucerent super terram.* Nam antea super aquas lucebant: hoc autem die, cùm iam terra esset aquis discooperta, super illam cœperunt lucere, non vtcunque, sed determinato modo, & cum certa varietate, & influentia, vt explicatum est.

CAPVT X.

De animalium ratione carentium productione, quinto, & sexto die facta.

IN quinto die duo ab auctore naturæ facta narrantur, scilicet, pisces maris, & volatilia cœli, id est, aeris. Verba sunt: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cœli, &c.* In sexto item die prius brutorum creatio refertur his verbis: *Dixit quoque Deus, producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum*

1. *Reptile animæ viuentis.*
2. *Animam viuentem.*

secundum species suas, factumque est ita, & postea hominis creatio describitur, quę propter suam dignitatem specialem disputationem postulat, & ideo illam in sequentem librum reseruamus. At vero de cæteris animantibus, quia secundum quandam proportionem, communem doctrinam habent, hic dicemus. Quod breuiter expediri poterit ferè applicando ea, quæ de vegetabilibus dicta sunt, & in fine graue quoddam dubium explicando.

Primò ergo nobis certum sit, hæc animantia non in virtute tantum, aut in semine, sed actu, & in seipsis facta fuisse his diebus, in quibus facta narrantur. Quanquam Augustinus libr. 3. Gen. ad liter. cap 5. in sua persistens sententia, contrarium sentire videatur. Et probatur primò ex proprietate verborum, eorumque vniformitate: *Dixit Deus, fiat, & factum est.* Quæ in rigore eius rei, quæ fieri dicitur, actualem productionem significant, & ita in alijs diebus explicata sunt. Secundo ex ipsorum animantium perfectorum natura, quia tota species non potest incipere per naturalem generationem, quia vnumquodque indiuiduum ab alio simili procreatur: & ideo necessario sistendum est in aliquo primo indiuiduo ab alio simili non genito. Neque illud primum ex solo semine generari potuit, quia neque illud semen naturaliter fieri potest, nisi ab animali decisum, neque etiam conseruari potest, vel ad fœtum formandum perduci, nisi in vtero alicuius animalis generantis. Neque etiam talium animantium species, seu prima earum indiuidua per solas causas vniuersales, solem nimirum, & astra introduci in orbem potuerunt, vt etiam in Philosophia contra Auicennam, & alios antiquos Philosophos demonstratur. Ergo necessarium fuit, prima indiuidua horum animantium immediatè ab auctore naturæ fieri: ergo his diebus facta sunt actu, & in seipsis, nam post hos dies nihil hoc modo Deus procreauit, *requieuit enim die septimo ab omni opere, quod patrarat.* Tertio idem probari potest ex illa benedictione quinto die data: *Crescite, & multiplicamini*, nam vim generandi indicant, quæ non nisi rei iam actu productæ confertur, vt in capite septimo ponderatum est. Vbi etiam ex creatione hominis hoc confirmauimus: neque in hoc noua difficultas occurrit.

Dico secundo, quamuis productio istorum animalium, interdum creatio dicatur, nihilominus non fuit ex nihilo, sed ex præiacente materia, modo tamen proprio auctoris naturæ. Hæc assertio etiam est certa & communis: & prima quidem pars eius constat ex cap. 1. Genesis, illis verbis: *creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem*, &c. & ex alijs communibus locis Scripturæ. Secunda vero pars in illis verbis continetur, *producat aqua, producat terra.* Circa quæ verba occurrebat quæstio, an aqua, & terra in hac productione efficientiam habuerint. Veruntamen quod in simili dubio de vegetabilibus diximus, ad cætera viuentia applicandum est, nam Scriptura eodem modo de illis loquitur. Vnde Caietanus sicut in plantis, ita in animalib. docet, efficienter ab aqua vel terra producta esse propter vim verbi, *produc.at.* Nos tamen dicimus, verbum illud in omnibus significare causalitatem elemento accommodatam ac proinde ex verbis illis optimè probari causalitatem materialem: efficientem vero, nec probari, nec cum ratione posse subsistere, propter superius dicta.

Sic igitur probata relinquitur secunda pars assertionis, nam omnia hæc animalia facta sunt ex præiacente materia, aqua nimirum, vel terra. Ergo non sunt facta per rigorosam creationem, nimirum ex nihilo. Occurrebat autem dubium, vtrum aliqua ex his animalibus facta sint ex aëre, sed illud in fine c. à n. 13. tractandum relinquimus. Vltima deniq; pars assertionis in superioribus satis declarata est in plantis, & in præsenti eandem rationem habet. Intelligitur enim de productione quoad præuiam alterationem, & organizationem nam hæc non est facta modo ordinario, & communi, nec per moras, quibus naturaliter fieri solet, sed subito, vel mora breuissima, & sine effectiua cooperatione causarum secundarum diuina virtute facta est, & ob eam rem creatio appellatur lato modo, vt & ab ordinaria generatione distinguatur, & vt denotetur fuisse quendam modum productionis authoris naturæ proprium. Nihilominus tamen substantialis generatio talium viuentium, quæ in instanti facta est, eiusdem speciei fuit, cum simili generatione ordinario modo facta. Nam in se vtraq; productio est per veram eductionem de potentia materiæ, prius natura vltimatè dispositæ ad talem formam, diuersitas autem in præuio modo dispositionis essentiam, seu substantiam mutationis substantialis, quæ in momento fit, non variat, cum de eius essentia non sit. Tandem rectè hinc colligi potest, omnes formas, seu animas istorum animantium quantumuis perfectorum citra hominem ex potentia materiæ eductas esse, id enim significant illa verba, *produ.at terra an mam viuentem*: quæ statim distribuuntur ad omnes species per illa verba, *iumenta, reptilia, & bestias terræ.* quod rectè notauit Caietan. & Perer. consentit.

Probatio terræ, seu potius declaratio.

Tertio dicendum est, hæc animalia omnia his diebus producta esse, in perfecto statu in singulis indiuiduis, seu speciebus suis, iuxta vniuscuiusque naturam. Hæc assertio communis est: & fundatur in illo principio, quod opera Dei perfecta sunt. Et intelligenda est, ac explicanda eo modo, quo similem de plantis posuimus, Itaq; fuerunt omnia creata integra, & omnibus suis membris perfecta, item in quantitate & magnitudine corporis, ad quam solent huiusmodi animalia in termino augmenti peruenire. Non oportet autem, vt omnia fuerint æqualis magnitudinis, etiam indiuidua eiusdem speciei, nam de distinctis res est manifesta. De prioribus vero licet potuerit Deus ea producere æqualia, vel æquè fortia, aut æquè pulchra, non videtur necessarium, nam vniuersi pulchritudo varietatem aliquam requirit. Quæri autem hic potest, quot indiuidua creauerit Deus in vnaquaque specie in quo non est dubium quin ad minimum, bina facta fuerint, sed est dubium, an fuerint plura. Quod ex alia interrogatione potest pendere, scilicet, an Deus produxerit hæc animalia tantum in vno loco terræ, vel per totum orbem. Nam pro vno loco, id est, pro vno regno, vel alio simili bina sufficere potuerunt: pro diuersis autem plura necessaria erant, vt per se clarum est. Et quamuis res incerta sit, hæc posterior pars verisimilior videtur. Sicut de plantis diximus, nam ferè est eadem ratio. Semper tamen incognitum nobis est, quot indiuidua simul produxerit Deus in vniuerso orbe in singulis speciebus horum animalium: hoc ergo relinquendum est diuinæ sapientiæ, cuius consilio, & arbitrio hęc multiplicatio, & distributio facta est. Veruntamen sicut de plantis diximus, ita hic considerari potest ex animalibus quædam melius, seu commodius in quibusdam regionibus, quam in alijs procreari, & intra eandem etiam speciem, quædam esse maiora, vel fortiora: vel alijs huiusmodi qualitatibus affecta in vna regione, quam in alia. Ad hunc ergo modū verisimile est, diuinam sapientiam, proportionem, & varietatem in hac animalium productione obseruasse.

5. *Assertio 3. Fundatur, & enucleatur.*

Quot indiuidua in qualibet specie Deus creauerit, & in qua perfectione.

Ex quo etiam intelligi potest, produxisse Deum omnia hæc animalia cum virtute generandi sibi simili-

6. *Cum vi ge-*

Generandi fuere producta.

similia in generibus, seu speciebus suis. Probatur, quia hæc potestas pertinet ad naturalem perfectionem indiuidui, & ad conseruationem speciei necessaria est. Deinde probatur ex illa benedictione, *crescite, & multiplicamini*. Per illam enim benedictionem, nihil aliud significatur, quàm virtus, data his viuentibus ad multiplicanda indiuidua, & conseruandam speciem, per multiplicatas generationes. Nec refert, quòd animantibus terrestribus, præter hominem, non legatur data huiusmodi benedictio, quia cùm data fuit piscibus, & volatilibus virtute, cæteris etiã brutis data censetur, cùm eadem ratio, & necessitas in eis inueniatur. Quanquam postea in hominibus repetita sit, post eorũ creationem, ad denotandam singularem hominis excellentiam, & propter alias rationes, quæ videri possunt in August. lib. 3. Gen. ad lit. cap. 13. & Beda in Exaem. & alijs expositoribus in Gen.

7. *Assertio 4.*

Quartò dicendum est, hæc animalia ratione carentia in magna varietate generum, & specierum simul fuisse his diebus à Deo producta. *Simul* (inquam) cum partitione accommoda, vt statim explicabo. Hæc etiam assertio ex narratione Geneſis adiuncta Patrum expositione manifesta est. Nam in primis narrantur facti tres ordines, seu classes animantium, quę sunt veluti tria genera illorum, scilicet, piscium, volatilium, & terrestrium. Quæ sine dubio essentialem differentiam genericam inter se habent, vt motus, naturalia loca, figuræ, & aliæ actiones & proprietates euidenter ostendunt. Seruant autem inter se hunc ordinem perfectionis, quòd infimum habent pisces, medium aues, & superiorem animantia terrestria. Ita docent Philosophi, & in Genesi Patres, & expositores, quamuis diuersis rationibus, & signis ad illum ordinem ostendendum vtantur, sed non est præsentis instituti de animalium proprietatibus disputare. Solùm intelligere debemus illos gradus dictum seruare ordinem ex genere suo: nam inquiri posset, an aliqua species inferioris gradus posit esse essentialiter perfectior, quàm alia superioris gradus, sed hoc etiam nunc inquirere necessarium nõ est. Satis ergo est ex dicto pfectionis ordine colligere, Deum in productione mistorum ab imperfectis ad perfectiora processisse: ideoque sicut prius creauit plantas, quàm animalia, ita inter animalia priùs creasse pisces, postea verò volatilia, deinde terrestria, & vltimo loco hominem, vt postea dicemus. Atque ita respectu diuersorum ordinum horum animantium, non omnia simul creauit, tamen in vnoquoque ordine simul omnia produxit, nam vnico imperio dixit, *Producant aquæ reptile*, & cæt. *& producat terra animam viuentem*, &c. Nulla ergo successio generationum inter res productas in singulis ordinibus cum fundamento cogitari potest.

Vnde ostendatur. Natalia, volatilia terrestria constituunt ordines tres inæqualis perfectionis.

Deus productionem mistorũ ab imperfectioribus inchoauit.

Vniquodq; autem genus simul produxit.

8. *An pisces & aues simul sint producta.*

Imò etiam de volatilibus, & piscibus dubitari potest, an inter se simul creata fuerint: nam quòd hi duo ordines tertium præcesserint, manifestum est, quia producti sunt in quinto die, tertium autem genus brutorum in sexto: an verò pisces sint prius tempore creati, quàm volucres, dubitari potest: quia licet sint facti eodem die, potuerunt simul, vel cum successione fieri. Et quidem si intercesit successio, nõ est dubium, quin piscium creatio præcesit, quia primo loco ponitur. Suspicio autem successionis solùm ex ordine literæ accipi potest, quia illa duo genera distinctè narrantur, & priùs minus perfectum, postea perfectius recensetur. Quòd autem in reipsa non fuerit realis successio, videtur posse in litera Geneſis fundari: sic enim dicitur, *Dixit etiam Deus, producant aquæ reptile, & volatile*. In quo significatur quasi vnico imperio simul vtrunq; genus fuisse productum. Sicut cùm dicitur, *Creauit Deus cœlum & terrã*: sic enim in præsenti adiungitur, *creauitq; Deus cete grandia, & omnem animam*, &c. *& omne volatile*. Sicut ergo omnes pisces simul creati sunt, ita etiam pisces, & volatilia: ideoq; tanquam de vno operé statim dicitur, *vidit Deus, quod esset bonum*, & vna benedictio omnibus datur. Propter quæ pars hæc vèrisimilior videtur. Cur autem ita factum sit inter hos duos ordines, quis consiliarius Dei fuit, vt rationẽ reddere possit: fortasse tamen probabilis ratio est, quod ex eodem elemento fuerunt facti, vt infrà dicemus. Vel certè, quia pisces, & aues in multis similia sunt, quæ Pererius & Torniellus latè recensent.

Pars negatiua suadetur.

Credibilior pars affirm.

Deinde sub vtroque istorum generum, seu ordinum quamplurimæ species procreatæ sunt. Hoc constat in primis ex effectu ipso, addita ratione suprà facta, quòd post illos sex dies non fecit Deus se solo, & tanquam auctor naturæ nouas specierum productiones, & ideo omnes species animalium, quæ naturaliter fieri non possunt à causis secundis, nisi per seminalem generationem & propagationem ab alijs similibus in eadem specie, fuerunt à Deo procreatæ. Deinde hoc satis ostendunt verba Scripturæ, in quibus nonnulla diuersitas potest notari. Nam de piscibus dicitur, *creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atq; motabilem, quam produxerant aquæ in species suas*. Per quæ verba in primis significatur magna specierũ diuersitas: deinde indicatur, pisces ex suo genere in magnitudine excedere cætera animalia: nam ideo declarantur specialiter cete grandia, vt latèbi Pererius ex Patribus, & Philosophis prosequitur. Deniq; probabile est etiam in gradu isto animantium in aquis degentium maiorem esse multitudinem, & varietatẽ, quàm in volatilibus, vel terrestribus inueniatur. Ad quod ponderari solet verbum, *producant aquæ reptile*. quoniam in Hebræo habet emphasim quandam, & significat abundantem productionem, & quasi ebullitionem. Et hoc confirmat, quod infrà dicitur, *Multiplicamini, & replete aquas maris*. Meliùs aũt probatur ex illo Psl. 103. *Hoc mare magnũ, & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis*: vocat enim Scriptura pisces nomine reptilium, quia omnes natando quasi reptant super aquas, & per exaggerationem dicit, eorum non esse numerum, quia est eorum maxima multitudo, & vt denotetur diuersitas non tantùm in numero, sed etiam in specie, adduntur illa verba, *animalia pusilla cum magnis*, nam in his extremis media subintelliguntur. Sub genere autem terrestrium animalium tria proxima genera in illis verbis indicantur, *iumenta, reptilia, & bestias terræ*, & in omnibus varias esse species adiuncta verbâ declarant, *secundum species suas*. Vnde sub iumentis comprehenduntur omnes species animalium, quæ ab hominibus donantur, vt illis ad suam commoditatem vtantur: sub bestijs terræ comprehenduntur animalia agrestia, reptilia verò dicuntur serpentes, & alia, quæ super pectus suum gradiuntur, quia pedibus carent. Ad quę capita reuocantur omnia animalia perfecta, quæ super terram ambulant. De volatilibus autem nihil specialiter distinguitur, sed absolutè dicitur omne volatile secundum genus suum, & iterum, *aues multiplicãtur super terram*. In quo fortasse significatum est, in auibus nec tantam multitudinem, nec tantam varietatem, sicut in cæteris animantium ordinibus factam esse.

10. *An animalia imperfecta fuerint facta.*

Quæri autem hoc loco solet, an his diebus facta fuerint etiam animalia imperfecta, quæ per influentiam cælorum ex putrida materia terræ aut aqua generari solent. Nam Basilius homilia 7. in Gen. affirmare videtur, Augustin. verò lib. 3. Gen. ad lit. c. 14. sub distinctione respondet. Nam quædam ex his animalibus generantur ex cadaueribus mortuorum, alia verò ex aquis, vel terra procreã-

creantur : & priora negat fuisse tunc creata, quia nondum erant mortuorum corpora: de alijs vero affirmat, quia suo modo pertinent ad decorem vniuersi. Sequiturque hoc D. Thomas 1.p.q.72.ad 5. Sed profecto distinctio non videtur necessaria : tū quia non magis hæc, quam illa ad decorem vniuersi pertinent : tum etiam, quia si aliqua facta sunt his diebus, per omnipotentiam Dei facta sunt non expectata putrefactione materiæ, prout secundum ordinem naturalem causarum secundarum fieri solet. Vnde sine animalibus mortuis potuissent à Deo fieri imperfecta animalia, quæ nunc ex corporibus mortuorum generantur.

Probabilius ergo censeo huiusmodi imperfecta animalia non esse facta à Deo immediatè, & in actu his diebus, saltem per seloquendo. Probatur ex dictis in simili de herbis, nam est eadem ratio, nimirum quod huiusmodi imperfecta viuentia non sint veluti per se requisita ad perfectionem vniuersi, sed quasi per accidens ex concursu variarum causarum sequantur. Item quia sicut in speciebus perfectis non fuit necessarium, omnia individua immediatè fieri ab auctore naturæ, sed tantum prima, in quibus cætera potentia continerentur : ita in his imperfectis necessarium non fuit prima individua immediatè à Deo produci, quia in alijs causis sufficienter continebantur in potentia, & per illarum actionem, & non per propriam successionem vnius ab alio erant propaganda. Item quia alias dicendum esset, in omnib. speciebus, quantumuis imperfectis, aliqua individua in principio fuisse facta, quia non est maior ratio de quibusdam, quam de alijs. Consequens autem est incredibile : alias etiam pulices, & similia animalia homini infesta in illo principio creationis actu fuissent, quod certe probabile non est. Atque hanc partem sequuntur Pereyra, & Torniel. in sexto die. Dixi autem *per se loquendo*, id est, spectando talium rerum naturam secūdum seipsam. Nam ex his animalibus imperfectis quædam solent deseruire in cibum animalium perfectorum, vt pisces maiores ex minimis aluntur : & similiter passeres, vermicula terræ habent in cibum. Quia igitur in principio creauit Deus omnes species perfectas animalium, etiam eorum, quę carnibus, & piscibus aluntur : ideo si propter huiusmodi vsum necessaria tunc fuerunt aliqua animalia imperfecta, simul cum cæteris perfectis producta esse, credibile est, quia hoc titulo specialis causa, seu necessitas in eis inuenitur.

Solet etiam hic dubitari de quibusdam animantibus, quæ ex coniunctione maris, & fœminæ diuersarum specierum generātur, ideo quòd præter naturam, & per generationem quasi adulterinam nasci videntur, vt mulus, leopardus, lynx, & similia, solet (inquam) dubitari, an fuerint à principio in actu creata, vel solum in potentia. Et ratio dubitandi esse potest, quia hæc animalia in se spectata perfecta sunt, & multum vtilia : ac subinde videntur per se ad perfectionem vniuersi spectantia : ergo debuerunt simul cum alijs fieri ab auctore naturæ. Nihilominus contrarium censeo esse probabilius, quod tenet Rupertus Abbas li. 1. in Genes. cap. 57. & sequuntur Ysidella, & Torniel. in Genes. Ratio vero est, quia huiusmodi species animalium sufficienter continebantur potentialiter in illis individuis diuersarum specierum, ex quorum commistione generantur : & ideo non fuit necessariū aliqua eorum individua ab auctore naturæ immediate produci. Nam Deus ea tantum immediate produxit, quæ non nisi per ipsius actionem in rerum natura introduci poterant quoad species suas, nam cætera, quæ per causas secundas produci poterant, conuenientius fuit per illas fieri, & hoc ipsum magis ad perfectionem vniuersi pertinet. Accedit, quod huiusmodi generationes non fiunt sine interuentu alicuius industriæ humanæ, vt ex Leuitici 19. sumi potest, addita doctrina D. Thomæ 1.2.q.102.a.6.ad 8. Constat autem, non fecisse Deum omnes species rerum, quæ interueniente industria humana ex varijs commistionibus rerum diuersarum specierum discursu temporum ortæ sunt. Idem ergo est dicendum de ijs animalibus, quæ ex prædictis commistionibus generantur.

Supereſt dubium superius num. 4. in hunc locum remissum, ex qua materia volatilia facta sint. Nam in hoc magna est controuersia propter varia Scripturæ testimonia. Vnde tres de hac re inuenio sententias. Prima est, volatilia ex terra fuisse procreata. Ita tenent Caiet. & Catherinus in Genes. & Hieronym. Vielmius lect. 22. in Exaëm. quos Pererius in opere quintæ diei sequitur. Fundatur in verbis Moysis Gen. 2. *Formatu igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli adduxit ea ad Adam.* Nam in illis æqualiter dicit Moyses, animalia terrestria, & volatilia ex humo, id est, terra fuisse formata. Et ratione confirmari potest, quia aues ex terra nutriuntur, & in ea principaliter habitant, & viuunt : ergo signum est, de terra esse formatas.

13. *Ex qua materia sint producta aues.*

1 *Sententia.*

Fundamentum ex Scriptura.

Confirm. ratione.

Secunda opinio est, volatilia producta esse ex aqua, sicut pisces. Ita sentiunt super Genes. Basil. Ambrosius, & Chrysost. & D. Hieron. Epist. 83. ad Oceanum, vbi ficait : *Primum de aquis quod viuit, egreditur & pennatos fideles de terra ad cælum levat.* Et fauet Augustinus l. 3. Gen. ad. lit. c. 7. & 8. Et Ambros. in hymno, quem canit Ecclesia feria 5. ad vesper. sic dixit:

14.

2 *Sentent.*

Magnæ Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti,
Partim levas in aera.

Fundamentum est, quia Gen. 1. dixit Deus, *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terrā sub firmamento cæli.* Vbi expresse vtrorumq; animātium productio aquis tribuitur, vtiq; in suo genere materialis causæ, vt supra declaraui. Respondent, verbum *producat*, non esse construendum cum vtraque parte copulatiuæ propositionis, sed tantum cum prima : in secunda verò subintelligendum esse verbum *volent*, vel aliud simile : nam in Hebræa, & in Chaldaica Paraphrasi illud verbum additur. Nos vero vulgatam lectionem præterimus. Et profecto præter vulgatæ auctoritatem, sensus est planior. Quia non est verisimile non fuisse expresse narratam productionem volatilium, & materiam, ex qua facta sunt, sicut de alijs duobus generibus animalium factum est. Cur enim diceret Deus, vt aues volarent, quas nondum dixerat, vt fierent? Ergo verisimilius est, verbum *producat*, vtramq; partem comprehendere.

Fundam ex Scripsit.

Quorundā euasio.

Destruitur.

Sed obijcitur, quia non potest congruè exponi id, quod adiungitur, *super terram*, nisi subintelligatur verbum *volent*. Nam quomodo aquæ, quæ inferiores sunt terra, possent producere aues super terram? Sed hæc obiectio non habebit locum, si dicamus, volatilia esse facta ex aquis, quæ sunt super terram, de quo statim dicam. Veruntamen responderi etiam potest, licet facta sint ex aquis terrestribus volatilia, rectè additum esse, *super terram*, ad distinguendas aues à piscibus, qui reptant super aquam, & quasi in aquis volant (vt aliqui notant) nam quendam modum pennarum habent. Vnde illud *super terram*, est quasi additum quoddam, determinans, & declarans proprietatem volatilium. Quod magis explicarunt Septuaginta, dicentes: *Producant aquæ reptilia animarum viuentium & volatilia volantia super terram.* Et hoc magis significauit Paraphrasis Chaldaica, dicens : *Producant*

15. *Replica: quæ tamen & ipsa solvitur.*

aquæ reptile anima viuentium, & auem, quæ volet super terram. Ex quibus manifestum est, illud nomen *& volatile*, in nostra vulgata non esse nominatiui casus, sed accusatiui: ideoq; nullo modo subintelligi, ac suppleri posse verbum *volet*. Quod confirmatur ex verbis paulo post subiunctis, *& aues multiplicentur super terram*, vbi non dicit, *voluet*, sed *multiplicentur*, quod substantialem productionem significat. Ergo similiter in prioribus verbis præceperat Deus, vt volatilia producerentur super terram: ergo ex aquis productæ sunt.

16. *Ad fundã. positum n. 13. respondet Aug. dupliciter.*

Neque contra hanc sententiam obstant verba inducta ex c.2. tum quia illa particula *ex humo*, potest construi cum solis animantib. terræ, de quib. fit mentio in prima parte periodi, & non cum volatilibus de quib. in posteriori parte mentio fit. Ita respondet Aug. l.9. Gen. c.1. Eritq; facillima expositio si in 2.p. illius propositionis repetitum subintelligatur verbum *formatus*, isto modo, *formatis de humo cunctis animantib. terræ, & formatis etiam volatilibus adduxit ea*, &c. Sed August. præter ea aliam adhibet responsionem, scilicet, ibi sub nomine terræ etiam aquam esse comprehensam. Et vtraque responsio satis probabilis est. Posset etiam dici, remotè & quasi radicaliter etiam volatilia facta esse de terra, quia qualitates terræ prædominanter habent, & breuitatis causa terrestria, & volatilia dicta esse de humo formata, licet non eodem modo ex terra genita sint, quia proximè tantum terrestria, volatilia vero remotè modo nunc explicato, licèt ex aquis proximè.

Alia responsio authoris.

17. *3. Sententia magis probata Aug. Bed. Ruper. Euchero, D. Thom.*

At vera est tertia sententia dicere, volatilia facta esse ex aere. Hanc magis probat Aug. l.3. Gen. ad lit. c.3. & latius in Imperf. c.14. & sequitur Beda in Exaem. & Rup. l.1. in Gen. c.50. & Euch. qui his verbis illam explicat: *Volatilia ab aquis producta scribuntur, quia aer, in quo volitant, à sapientib. cum aquis deputatur qui aquarum humida exhalatione pingueſcit, vt volatus animalium sustinere possit.* Et eodē modo tenuit hanc sententiam D. Thom. q.71. ad 3. Et potest suaderi, quia aues magis de elemento aeris participare videntur, nam in aere volāt, & quoad fieri potest in illo degunt. Sed hæc sententia ita accipienda est, vt non sit contraria secundę, sed eā magis explicet. Nam cum scriptura dicat, volatilia facta esse ex aquis, hoc simpliciter negari non potest: vnde neq; ita potest affirmari facta esse ex aere, vt aqua excludatur. Præsertim quia solus aer propter suam raritatem, & leuitatem non potest esse apta materia, ex qua proximè generantur aues, & ideo oportet, vt vel in substantiam aquę transferatur, vel certe vt materiam aqueam in se habeat, vt possint ex illo aues generari. Sic ergo absolute dicendum est, volatilia ex aquis fuisse producta, tamen qa aquæ partim sunt in terra sub propria, & sensibili dispositione aquæ liquidæ, & fluidæ, partim sunt eleuatæ à terra in nubibus, & vaporibus: ideo rectè dici potest, pisces esse factos ex aquis priori modo spectatis, aues vero ex leuiorib. seu altiorib. aquis: & quia inter aues quædam sunt magis aqueæ, vt sic dicam, quia in ipsis aquis frequenter degunt: & super paludes, vel stagna libenter volitant, credibile est, has esse factas vel ex aquis terrestribus, vel ex vaporibus illis vicinioribus: alias vero, quæ subtilioris sunt naturæ, & altius volitāt & in arboribus, vel in alijs locis excelsioribus habitant, ex subtilioribus aquis magisq; à terra, & eius aquis eleuatis, creatas fuisse.

Eius suasio.

Exponitur tamen hæc sententia no repugnare secundæ.

18. *Ex elemento ignis nulla animalia producũ.*

Vltimo mouent aliqui quæstionem, cur ex elemento ignis nulla animalia producta sint. Sed ratio est in promptu, quia ignis non poterat esse apta materia proxima viuentium, neq; locus, in quo naturaliter viuerent propter nimiam ignis caliditatem, & actiuitatem. Nam quod de salamandra refert Arist. l.5. de hist. anim. c.19. quod in igne diu viuat, refellitur à Galeno l.3. de temperam. & alijs, quos Pereira refert in opere sexti diei, & l.3. in Dan. ad illa verba, *Angelus a Domini*, &c. Vnde non mirum incertum censeo, quod ibidem refert Arist. de pariuis animalib. quæ in ærarijs fornacib. in medio ignę ex quodam concremato lapide in Cypro generantur: nulla n. vt arbitror, experientia id satis probatum est: neq; etiam est satis rationi consentaneum, nec doctrinæ eiusdem Arist. l.4. Meteorum, c.1. & libr.2. de Generat. cap.3. Veruntamen, quamuis daremus dicta animalia in igne generari, illa essent imperfectissima, & his similia, quæ in alijs elementis per accidens, & ex putrefactione fiunt, ideoque ad primam rerum productionem non pertinuissent.

CAPVT XI.

Quomodo Deus opus suum die septimo compleuerit, & ab illo cessauerit, eundemque diem benedixerit.

TRia in hoc cap. breuiter explicanda sunt, quæ in titulo sufficienter indicantur. Primum est, quomodo dicatur Deus opus suum die septimo compleuisse, ita enim Gen.2. in principio legimus: *Igitur perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum, compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat.* Ratio autem dubitandi est, quia tunc dicitur cōpleri opus, quando illi vltima manus imponitur, quod sine additione alicuius operis non fit: ergo si Deus compleuit suum opus in die septimo, aliquid ei addidit in illo die, aliquid nouum in illo operando. Consequens autem falsum est: ergo non recte dicitur Deus compleuisse opus suum in die septimo. Propter hoc fortasse Cather. in Gen. dixit aliquid peculiare creasse Deum in die septimo, ratione cuius dicitur opus suum in eo compleuisse. Illud autem opus, dicit hic auctor, fuisse creationem Euæ. Et certe Hieronym. ita videtur intellexisse verbum *compleuit*, nam in quæstionibus Hebraicis sic argumentatur contra Iudæos: *Arctabimus igitur Iudæos, qui de otio sabbati gloriantur, quod iam tunc in principio sabbatum dissolutum sit, dum Deus operatur in sabbato complens opera sua in eo, & benedicens ipsi dici quia in illo vniuersa compleuerit.*

Nihilominus sententia hæc falsa est, nam Deus ita perfecit vniuersum intra sex dies, vt in septimo nullum opus ad complementum illius effecerit. Hoc censeo verum ex communi sententia Patrum, & consensu Ecclesiæ in Scriptura fundato: nam in ea sæpe dicitur, Deum sex diebus fecisse omnia, quæ in mundo sunt, & septimo die ab operibus vacasse, vt patet Exod. 20. & 31. & sumitur etiam ex illo ad Hebræos 4. *Relinquitur sabbatismus populo Dei. qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis sicut à suis Deus.* Idem concluditur ex eodem loco Genes. 2. nam statim post opera sex dierum dicitur, *perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum*: ergo opus ad perfectionem, vel ornatum mundi pertinens in diem septimum reseruatum est. Item additur, *compleuisse Deum opus suum, quod fecerat.* Ergo non compleuit illud, aliquid ei addendo, sed ab omni opere quiescendo. Deniq; nullum opus designari potest, quod Deus vt auctor naturæ in hoc die fecerit. Nam quod de Euæ creatione dicitur, vel nō ita est, vt in l. seq. latius ostendemus, vel si post sextū diem dicatur Euæ creata, dicendū est cōsequenter creationē eius ad vniuersi pfectionē, & consummationē nō ptinuisse, vt in cap.4. libr. seq. videbimus. Ac deniq; confirmari hoc potest ex verbis illis Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, nam illa particula *valde*, propter perfectionem, & consummationem, quā vniuersum iam habebat, addita est, vt omnes Patres expendunt.

Propter

Propter obiectionem autem factam dicunt aliqui in illo cap. 2. Gen. non esse legendum, *Compleuitque Deus die septimo*, sed *die sexto*, vt Septuaginta legunt, & videtur approbare Hieronymus *dicto lib. de Quæstionibus Hebraicis*, quanuis fateatur in Hebræo, *diem septimam* legi. Retinenda ergo est vulgata lectio, quam etiam habet Chaldæus, sic interpretans: *Et delectatus est Deus in die septimo opere suo quod fecerat.* Iuxta quam lectionem etiam cessat obiectio facta. Et iuxta eandem exponi optimè potest verbum *compleuit*, vt perinde dictum sit, ac *completum ostendit*, delectando se in illo, & in ipso quiescendo. Et in idem ferè redit, quod alij dicunt, Deum cõpleuisse opus suum in die septimo non intrinsecè, sed extrinsecè seu non positiuè aliquid addendo operi, ad consummationem eius, (sic enim completum fuit die sexto, in quo sensu Septuaginta loquuti sunt) sed negatiuè, seu cessando ab opere, ac per hoc extrinsecum terminum operi ponẽdo, & ita illud consummando, seu consummatum ostendendo. Ita sentit Theodor. q. 21. in Gen. idq; ipse Moyses significauit, addendo statim post verbum *compleuit*, verbum, *& requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat.*

Statim verò occurrit secundùm dubium, scilicet, qualis fuerit illa Dei requies. Et ratio dubitandi esse potest, quia requies, aut propriè, aut metaphoricè dicitur. Propriè significat cessationem ab opere, quod operantem defatigabat, & quasi opprimebat, & hoc modo non habet locum in Deo, vt per se notum est. Metaphoricè autem significat simplicem cessationem ab opere: (quæ metaphora tam est frequens in Scriptura, vt iam quasi propria significatio reputari possit) tamen in hoc etiam sensu nõ apparet quomodo requieuerit Deus in die septimo, cum dicat Christus Ioan. 5. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Non enim potuit Deus ab omni opere cessare, alias omnia eius opera iam facta esse desijssent, quia sine eius opere conseruari non possunt. Quòd si dicatur cessasse à nouis operibus, licèt à conseruatione priorum nõ cessauerit: contra hoc est, quia post illa opera sex dierum, multa noua opera sunt in mundo facta, quæ Deo non operante fieri non potuissent. Imò Isai. 43. ipse promittit, se facturum noua, & Apoc. 21. *Ecce noua facio omnia.*

Hoc verò punctum facilem habet expeditionem. Nam sine dubio sermo est de requie, vt præcisè dicit cessationem ab inchoato opere. Dicitur enim Deus requieuisse *ab omni opere, quod patrarat*, id est, quod facere proposuerat, & ad finem perduxerat. Et ita declarauit Moyses, cùm addidit, benedixisse Deum diem illum, *quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus, vt faceret.* Per quæ vltima verba proposita dubitatio declaratur. Nam dicitur Deus cessasse ab omni opere suo, non simpliciter, sed *quod creauit, vt faceret*, id est, quod creando ita perfecerat, vt vniuersum ad esse perduceret, & consummaret. Quod in superioribus inde explicuimus, quòd Deus à nouis rerum speciebus condendis cessauit. Quod etiam his verbis dixerat Iunilius African. lib. 2. de partibus diuinæ legis, cap. 2. *Significatum est* (vtique per verbum *requieuit*) *quòd post illos sex dies nullam mundo incognitam substantialem speciem aut naturam nouam, inexpertamque creauerit.* Et ratio est, quia omnes huiusmodi species ad perfectionem vniuersi pertinent. Vnde ob eandem rationem debuerunt in singulis produci illa saltem individua, quæ ad naturalem generationẽ necessaria erant, vt sunt ad minimum mas, & fœmina.

Non cessauit autem Deus ab opere conseruationis, quia sine illa mundus subsistere non posset. Quin potiùs aliqui existimant ad conseruationem pertinuisse illud complementum, quod Deus dicitur mundo in septimo die dedisse, & ad requiem Dei in opere suo, quasi fouendo, & conseruando illud. Neque etiã cessauit ab opere propagationis, sed potiùs cùm animantibus illam benedictionem dedit, *crescite, & multiplicamini*, quasi legem ordinariam statuit cooperandi cum causis secundis, per quas voluit huiusmodi propagationem fieri. Et hoc etiam indicatum esse in verbis illis, *Compleuit Deus die septimo*, sentit D. Thomas 1. p. q. 73. art. 1. ad 2. Et simili ratione non cessauit Deus ab opere gubernationis, & prouidentiæ suæ, de quo sermo est in dicto testimonio Ioan. 5. Quanuis ibi præcipuè videatur loqui Christus Dominus de operibus gratiæ. In quo genere multa operatus est Deus post illos sex dies, nam in illis præcipuè consummauit vniuersum quoad integritatem eius in suo esse naturali, & vt postea videbimus, etiam perfecit illud in esse gratiæ, quantum in hominibus viatoribus pro illo statu conueniens erat. Postea verò multa noua, & mirabilia, hominum necessitate id postulante, in illo ordine operatus est, præsertim quoad incarnationis mysterium, eiusque effectus, & similiter multa in fine mundi operabitur ad statum gloriæ pertinentia. Et de his sermo est in alijs Scripturæ locis allegatis: & ideo tota illa nouitas operum non repugnat cum requie diei septimi, quæ in sola cessatione à nouis rebus naturalibus condendis, quæ in causis vniuersi virtute non contineantur, & per illas fiant, consistit.

propagãdis, & prouidentia sua gubernandis

Ad locum Ioan. in n. 4

Ad cætera loca ibid.

Atque hanc doctrinam breuiter insinuauit ex Aristobulo, Eusebius lib. 13. de Præparatione euãgelica, cap. 7. dicens, *Quod Scriptura dicit, requieuisse Deum in septima die, id non quia Deus nihil postea faciat dictum est, vt nonnulli putant, sed quoniam ordo rerum fixũ habuit statum, qui nunquam mutatur, cessasse Deus dicitur. Ideo enim dicitur in sex diebus cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt creasse, & vt tempora, & ordo rerum secundum prius, & posterius significetur. Eo enim ordine facta sunt quo postea gubernantur, & transmutantur.* Latiùs hoc explicauit Augustin. lib. 4. de Gen. ad lit. ca. 12. & 15. 19. 20. Et ex illo D. Thomas 1. p. q. 73. Qui præter dicta animaduertunt, non esse dictum absolutè, requieuisse Deum in die septimo, nam ex æternitate in seipso requieuit: neque etiam esse dictum requieuisse in operibus suis, ac si ad suam requiem illis indiguisset, vel in eis propter suum commodum delectaretur, & non potius ad illorum commodum ea condidisset. Sed dictum esse, requieuisse, *ab omnibus operibus suis* quia ea condidit, quæ sibi placuit, & in se requieuit, quando à nouis condendis operibus sua voluntate cessauit. Vnde inquit Augustin. requies Dei ab omnibus operibus quæ fecit, ex eo cœpta est, ex quo illa perfecit.

7. Præcedens resolutio ãplius confirmatur ex Aristobulo.

Et ex Augusti. & D. Thom.

Tertium punctum est, quo sensu ibidem additum fuerit, *& benedixit die septimo & sanctificauit illũ.* Ratio autem dubitandi esse potest, quia benedicere Dei, nihil aliud est, quàm aliquid boni conferre, aut facere: non enim benedicit Deus desiderando, aut bene precando, sed efficaciter bene faciendo: non apparet autem, quòd peculiare beneficium Deus illi diei septimo contulerit, propter quod illum benedixisse dicatur. Simili modo difficile ad explicandum videtur, quam peculiarem sanctitatem Deus illi diei contulerit, vt propterea illum sanctificasse dicatur: eo vel maximè quòd nulla alia ratio illius benedictionis, vel sanctificationis redditur, nisi *quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus, vt faceret.* At verò sola cessatio ab opere non videtur esse posse ratio peculiaris benedictionis, aut sanctificationis, cùm maius bonum conferat Deus operando, quàm ab opere cessando: ergo.

8. 3. Punctum de benedictione, & sanctificatione diei 7. Arguitur contra benedictionem. Arguitur contra sanctificationẽ.

Suarez de opere sex dierum.

9. Resp. sic Cathenin. in Gen.

Facile esset vtriq; parti dubitationis satisfacere, si vera esset quorundam sententia, qui dixerũt, statim ab initio, seu ab illo primo septimo die statuisse Deum legem sanctificationis sabbati, obligando omnes homines ad obseruationem sabbati, cessando in illo ab omnibus operibus non pertinentibus aliquo modo ad cultum Dei, qui omnia creauit, & in illo die à suis operibus cessauit. Nam si hæc sententia vera esset, satis magna fuisset tũc data benedictio, & sanctificatio illi diei, diuino cultui illum consecrando. At verò sententia illa falsa est, vt ex Patrib. Iren. Tertul. Euseb. & Damasc. ostendi in tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 2. cap. 1. Et est communis sententia Theologorum dicentium, præceptum illud quoad illam temporis circumstantiam ceremoniale fuisse: ideoque neque ante legem Moysis incepisse, neq; tunc omnes homines, sed solum Iudaicum populum obligasse. Accedit optima ratio, quam Pereira tetigit, quia aliàs præceptum illud de obseruatione sabbati etiam in statu innocentiæ obligasset, quia ante lapsum hominis latum fuisset. Consequens autem est incredibile, tum quia in illo statu nullum fuit præceptum diuinum positiuum, præter illud de non edendo fructus arboris scientiæ boni, & mali. Tum etiam, quia in illo statu esset superuacaneũ, cùm in eo statu ferè nihil esset, quod homines à diuino cultu, & contemplatione auocaret. Deniq; tale præceptum nec aliunde ostendi potest, neq; ex verbis citatis colligitur, quia in eis nullum est, quod propriam vim præcipiendi, aut obligandi præ se ferat, & sine tali obligatione commodum sensum habere possunt.

Refutatur ex Patrib.

Itẽ ratione.

10 Ad argum. contra Benedict. in n. 8.

Quod ergo attinet ad verbum *benedixit*, rectè intelligi potest Deus, multa beneficia in hoc die mundo contulisse, propter quæ meritò hunc diem benedixisse dicatur. Hoc ex supra dictis patet, nã in hoc die quasi stabiliuit Deus opus suum, quod perfecerat, & quasi fixum statum, & suo modo perpetuum illi contulit. Nam tunc cœpit illud perfectum conseruare ex decreto firmo, & immutabili, & ex eodem auxilium dedit, seu obtulit, vt res iam productæ multiplicari, & conseruari possent. Nam hæc omnia in verbis *complevit*, & *cessauit* comprehendi possunt, vt exposuimus. Et hunc sensum approbat D. Thomas supra ar. 3. dicens benedictionem ad multiplicationem pertinere. Imò Cajetan. putat, hoc esse significatum in illis verbis, *cessauit ab opere suo quod creauit Deus vt faceret*. nam existimat, non Deum, sed opus Dei esse suppositum verbi, *vt faceret*, ita vt sensus sit, creasse Deum mundum vt faceret multiplicando, & generando, quod plus fortasse habet acuminis, quam solidi-tatis, parùm verò refert. Potest etiam verbum *benedixit*, per verbum *sanctificauit* explicari, quia quecunque sanctificatio aliqua benedictio est.

Quod itaque ad sanctificationem attinet putarunt aliqui, licèt tunc illa referatur per quandam anticipationem, non tamen fuisse tunc datam sanctificationem, sed tempore legis. Ita Beda, & Abul. Quod quidem suo modo verum est, quoad actualem obseruantiam illius diei, vt diximus. Nihilominus tamen dici potuit dies ille à principio sanctificatus, id est, propositus ac declaratus vt maximè conueniens, & congruum, ad colendum Deum in memoriam beneficij creationis: & præterea quia Deus ex tunc destinauit illum, vt tempore opportuno peculiari præcepto eundem sibi consecraret. Hoc ergo satis est ad illum sanctificationis modum, cui adiuncta est multiplex significatio sacra, nam per illius diei requiem significata censetur requies Christi Domini in sepulchro post consummatum opus redemptionis, & requies beatorum in Patria post consummatos huius vitæ labores, iuxta illud ad Hebr. 4. *Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam requieuit ab operibus suis, sicut a suis Deus.* Vnde etiam dixit Augustin. epist. 119. cap. 9. quòd illa *requies Dei, requiem sine fine* significat.

11. Ad oppos. contra sanctificationem fol. sequent. & Abul. Adiuncta. Vide Append. Dissert. 3. num.

ELENCHVS CAPITVM LIBRI TERTII.

Cap. I. An corpus Adæ fuerit immediatè à Deo ex limo terræ productum.
II. An corpus Euæ ex costa Adæ fuerit productum, & quo modo.
III. An primi homines perfectissima corpora in sua creatione acceperint.
IV. Quo tempore primi homines creati fuerint quantum ad corpora.
V. An primi homines in Paradiso terrestri, vel extra illum fuerint creati.
VI. De Paradiso terrestri, quis vel qualis locus sit, vel fuerit.
VII. An formatis corporibus primorum hominum in eodem instanti Deus animas illorum creauerit, corporibusq; coniunxerit.
VIII. An primus homo fuerit secundum animam creatus ad imaginem & similitudinem Dei.
IX. An primi homines cum perfecta scientia rerum naturalium creati fuerint.
X. An Adam ante peccatum tam perfectam scientiam habuerit, vt decipi in naturalibus non potuerit.
XI. An Adam in virtutibus voluntatis rectus, ac perfectus creatus fuerit.
XII. Vtrum in Adamo appetitus sensitiuus ita fuerit subiectus voluntati, & rationi, vt nunquam aut eam præueniret, aut illi imperanti repugnaret.
XIII. An in statu innocentiæ, potuerint homines peccare simul in eodem statu perseuerando.
XIV. An homo creatus fuerit aliquo modo immortalis, & impassibilis.
XV. De ligno vitæ, & quomodo, quantaq; efficacia homini immortalitatem largiretur.
XVI. An homo in statu innocentiæ peculiare dominium tanquam proprium illius status donum, ac beneficium acceperit.
XVII. An primus homo in statu gratiæ creatus fuerit.
XVIII. Quam perfectam rerum supernaturalium cognitionem homo ante peccatum habuerit.
XIX. An Adam in statu innocentiæ per pro prios actus sanctificatus fuerit, & consequenter meritum gloriæ habuerit.
XX. An præter omnia dona naturæ, & gratiæ habuerit homo in statu innocentiæ originalem iustitiam, quæ fuerit donum ab omnibus supra dictis distinctum.
XXI. Quale fuerit præceptum datum Adæ in Paradiso, & cur impositum fuerit.

LIBER

LIBER TERTIVS.

DE HOMINIS CREATIONE, AC STATV INNOCENTIÆ.

PEruenimus in discursu precedentis libri vsque ad vltimum opus, quo Deus intra sex dies mundum à se conditum ornauit, hominis vtique creatione: huic igitur præsentem librum dicare decreuimus. Nã sicut Deus ob illius operis excellẽtiam significandam, non simplici imperio, sed peculiari consilio, & consideratione, se vsum esse, illis verbis indicauit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris.* Ita eiusdem operis dignitas peculiarem, & copiosam disputationem à nobis postulat. Multa enim de primorum hominum creatione, eorumq; statu, quæ in primo, secundo, & tertio capite Genes. tradũntur, explicare necesse est. Primò igitur de illorum substantiali productione, tam secundum corpus, quàm secundum animam dicemus. Deinde circumstantias extrinsecas, nimirum temporis, & loci eius operis considerabimus. Tertiò de priuilegijs, & prærogatiuis illius status, in quo sunt homines conditi, simulque de intrinsecis perfectionibus, quibus affecti sunt, disseremus. Et consequenter leges illis datas, maximeq; singulare præceptum eis impositum, & conditionem, sub qua statum illum acceperunt, contemplabimur. Deinceps verò inquirendum erit, quomodo homines in illo statu perseuerarent, ac multiplicarentur, conditionemque seruarent. Denique qualis fuit primi hominis lapsus, & quas pœnas propter illũ meruerit, attingemus. Nam de ruina totius posteritatis in primo parente in tractatu de peccatis in tomo sequenti dicendum erit.

CAPVT I.

Vtrum corpus Adæ fuerit immediatè à Deo ex limo terræ productum.

1. CVm Moyses Genes. 1. solùm dixisset, creauit Deus hominem, modum creationis eius declarat statim capite 2. dicens: *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ.* Ex qua narratione occasionem fortasse sumpsit Francisc. Georgius tom. 1. Problematum, cap. 27. vt refert Sixtus Senen. lib. 5 Biblioth. annotat. 29. vt diceret, Deum priùs creasse hominem communem, & reipsa ab indiuiduis abstractum: & deinde fecisse illum particularem, quando ex limo formauit. Hæc tamen sententia erronea est, & rationi ẽt naturali repugnat, quia omnis productio, & creatio necessariò esse debet alicuius rei singularis. Imò omninò repugnat rem existentem in rerum natura singularem non esse: creatio autem ad rem existentem terminatur: ergo cum Scriptura dicit DEVM creasse hominem, de indiuiduo aliquo humanæ naturæ loquitur. Deinde in eodem cap. 1. statim subdit: *masculum, & fœminam creauit eos*: at verò in homine in communi non est distinctio sexuum: ergo intelligit creasse hominem in suis indiuiduis ad generandum idoneis: nam statim illis dixit, *Crescite, & multiplicamini*: generatio autem non est nisi à singulari suppositо. Denique etiam in posteriori loco dicitur Deus formasse hominem de limo, sub eodem communi nomine, sub quo priùs dictum fuerat creasse hominem: ergo frustrà fingitur illa distinctio, vel differentia. De eadem igitur productione in vtroque loco sermo est, sed quod priùs minus distinctè fuerat dictum, postea magis declaratur. Vnde in prioribus verbis confusè videtur esse sermo de creatione tam Adami, quàm Euæ: in posteriori verò Adæ formatio, deinde productio Euæ describitur.

Hinc ergo dicimus primò, Adam quoad corpus non fuisse ex nihilo productum, sed ex limo terræ formatum. Hoc certum est ex prædictis verbis Genes. secundo, nam in eis de sola formatione Adæ sermo est, quia productio Euæ postea describitur, vt capite sequenti videbimus. Vnde Iob. 8. dicitur: *Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adiutorium Euam.* Vbi distinguitur Adam ab Eua, & solus Adam dicitur de limo terræ formatus, tacitèque exponitur locus Geneseos, vt licet de homine absolutè loquatur, de solo primo, scilicet viro, intelligendum sit. Vnde in Hebræo legitur *Adam.* Nomine autem *limi terræ* significatur puluis terræ aquæ admistus. Nam licèt de puluere solùm mentionem fecerint Septuaginta, dicentes: *Finxit Deus hominem, puluere de terra sumpto*, tamen Augustinus libro 13. de Ciuitate, cap. 24. rectè notat, non esse intelligendum de solo puluere, & omnino sicco, sed humiditate aquæ admisto, & concreto, vt esset ad formandum solidum corpus, quale est humanum, accommodatum. Et confiderat, ad hoc significandum, proximè antè illa verba, *formauit*, & cæt. illa fuisse præmissa, *Fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam faciem terræ*, nam per hæc indicatur, iam fuisse terram quasi præparatã & dispositam, vt ex ea corpus hominis commodè formari posset. Et ipsum nomen *limi*, hoc ipsum declarat, nam propriè lutum molle, & humidum, quod ab aquis differri solet, significat, vt ex proprietate Latina constat. Et ideo Isaias cap. 64. dicebat, *Pater noster es tu, & nos lutum, & figulus noster tu* &c. Et eadem comparatione luti, & figuli vtitur Ierem. capite decimo octauo, & Paulus ad Roman. 9. qui in eodem sensu dixit: *Primus homo de terra terrenus*, 1. Corinth. 15. Denique congruentiam, quasi literalem huius materiæ ad formandum primum hominis corpus reddit D. Thomas, quia in substantia corporis humani terra, & aqua prædominantur, vt possint temperare vim aeris, & ignis, id est, caloris, & humidi, in quibus vita consistit, ideoq; limus terræ fuit apta materia ad corpus humanũ formandum, vt D. Th. ibidem in solutionib. argumentorum latiùs declarat, & Caiet. magis exponit. Morales autem rationes illius materiæ legi possunt in Basil. hom. 11. in Exaemer. Chrys. hom. 12. in Gen. circa fin. Ambros. lib. 6. Exaemer. cap. 8. & 9. & Bonau. in 2. d. 17. ar. 2. q. 1.

2. *Assertio* 1.

Probatur ex Script.

Rationes morales apud Basil. Chrys. Ambr. Bon.

Quæ autem fuerit pars illa terræ, ex qua formatum fuit corpus Adæ, incertum est. Dicunt verò aliqui

3. *Ex qua tellu ri glebã for-*

matum sit corpus Adæ. Quorundã existimatio.

aliqui, sumptam fuisse illam terram ex quatuor extremis partibus terræ, Oriente, Occidente, Meridie, & Septentrione, quia in quatuor literis nominis *Adam* secundum idioma Græcum, illæ quatuor partes orbis significantur, vt notat Augustin. tract. 9. & 10. in Ioan. Et ita sentit Beda super Ioan.

Reijcitur.

& tribuitur etiam Cypriano in tract. de Montibus Sina, & Sion, non longè à principio. Veruntamen licèt dicti Patres illam mysticam etymologiam nominis *Adam*, tradant, non tamen dicunt, terram illam ex quatuor illis mundi partibus fuisse assumptam, neq; vnum ex alio sequitur. Nam Beda in expositione Genes. cap. 4. dicit, in quatuor illis literis nominis Adam significatum esse, quòd in quatuor mundi partibus dominaturus esset. Et ibi alia mysteria in illis quatuor literis cõsiderat, quæ piè potius excogitata, quàm in nominis appellatione fundata esse existimo. Quia, vt dixit Hieronym. in traditionibus Hebraicis, in principio, & lib. 1. contr. Iouinian. circa medium, & Epiphan. in principio de Hæresibus, & Augustin. libro 15. de Ciuitate, cap. 17. Nomen *Adam* commune est, idem significans, quod homo, & ita non videtur peculiare mysterium continere, nam virum, &

Iosephi sententia.

fœminam, & omnes homines de se significat, iuxta illud Genes. 5. *Vocauit nomen eorum Adam.* Nihilominus tamen addit Ioseph. lib. 1. Antiq. cap. 2. nomen *Adam* secundum Hebraicam linguam Rufum significare, & ita fuisse appellatum primum hominem, quia *è rufa humo fermentata est factus, talis enim est intacta terra, & vera.* Vnde etiam Beda suprà inter alias illius nominis interpretationes ponit, quòd significet terram rubeam, & sanguineã. Sed

Non satisfacit.

quicquid sit de nominis etymologia, aut significatione, de reipsa non video, cur credendum sit, terram illam, ex qua vel corpus Adæ formatum est, vel temperatus limus, ex quo formaretur, rufam, aut sanguineam fuisse, quia neque ille color est naturalis elemento terræ in sua puritate sumpto, neque est verisimile, habuisse tunc terram mistionem, ex qua talis color resultaret. Nihil ergo aliud de illo limo dicere possumus, nisi fuisse partem quandam terræ eius loci, in quo creatus est Adam, de quo loco postea dicemus.

Authorũ iudicium.

4. Assertio 2. contra quã errauit Philo & alij ex hæreticis.

Secundò dicendum est, corpus Adæ à solo Deo fuisse immediatè productum, seu formatum. In hoc puncto fuit sententia Philonis libr. de Opific. mundi, non solùm Deum fecisse hoc opus, sed habuisse Angelos cooperatores, & ad eos locutum fuisse Deum, cùm dixit, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Qui error ex Platone in Timæo ortus est, vt sumitur ex Augustino libro 12. de Ciuit. cap. 24. & eum sequuti sunt Basilides, & Cherint. & Manichæi, vt refert Epiphan. hæresi 23. & 66. & hanc fuisse sententiam Iudæorum refert Chrysost. homil. 8. in Genes. Veruntamen as-

Probatur catholica assertio authoritate D. Th. cum aliis Theologis.

sertio posita catholica doctrina est, quam tradit D. Thom. 1. part. q. 91. art. 2. vbi in confirmationem adducit illud Ecclesiast. 17. *Deus de terra creauit hominem* & consentiunt cæteri Theologi, & Patres, præsertim Chrysost. loco citato, & Ambros. lib. 6. Exaemer. cap. 7. Basil. homil. 9. Exaemer. & Theodor. q. 19. in Genes. & Cyrill. Alex. lib. 1. contra Iulian. §. Ad hoc & illud. & August. dicto libro 12. de Ciuit. cap. 24. & lib. 9. Gen. ad liter. cap. 15. vbi de formatione corporis Euæ specialiter loquitur: sed ratio, quam adducit, communis est, idem habet de Ciuit. lib. 16. cap. 6. vbi probat, illud verbum, *faciamus hominem*, non posse de Angelis exponi, quia additur, *ad imaginem, & similitudinem nostram. Nefas autem* (inquit) *est credere ad imaginem angelorum hominem factum.* Denique pro hac veritate adduci possent omnes Patres, qui docent, verba illa, *faciamus hominem*, intelligenda esse de tribus personis inter se colloquentibus, & nullo modo de Deo cum Angelis loquente. Quod præter Epiphan. Cyrill. & alios citatos, docuerunt Hilarius lib. 4. de Trinit. & Athanas. orat. contra idola, Ambros. lib. de Dignit. hominis, & August. in Imperfect. in Gen. cap. vlt. & Clemens lib. 5. Constit. Apost. cap. 6. Exclusa enim illa falsa interpretatione, etiã ille error euertitur, quia nullum fundamentum habet, & quia statim additur, *Creauit Deus hominem ad imaginem.* Quòd si quis dicat, hoc esse dictum de toto homine, non de corpore. Contra hoc est, tum quia non potest vnum ab altero seiungi, vt infrà declarabo: tum quia statim cap. 2. dicitur, *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ*, quod de formatione corporis necessariò intelligendum est.

Vt autẽ ratione hoc declaretur, obijcitur primò, quia non repugnabat, Angelos cooperari Deo in formatione corporis humani: ergo sine errore, & verisimiliter credi potest, ita factum esse. Antecedens probatur, quia August. & D. Thomas suprà docent, potuisse Angelos in corporis Adæ formatione aliquod ministerium habere. Item quia illa cooperatio non fuisset ad creationẽ, quia iam supponebatur materia, & ad illam disponendam poterant Angeli aliquam præstare cooperationem. Respondetur, duo posse in formatione illius corporis considerari. Vnum est localis cõgregatio terræ in locum aptum, & conuenientem ad disponẽdum corpus illud: alterum est, organizatio, & dispositio illius materiæ formæ humanæ conueniens. Primum istorum facilè potuit Angelorum ministerio fieri. Et de illo præcipuè loquitur D. Thom. dicto ar. 2. ad 1. in exemplum adducens ministerium, quod in vltima resurrectione Angeli exhibebunt, cineres humanos colligendo. Illud autem ministerium non sufficit, vt Angeli dicantur homines creasse, vel corpus eius formasse, sicut nec in resurrectione sufficeret, vt corpora resurgentium creasse, aut formasse Angeli dicãtur, quia illud ministerium est valde remotũ per solam applicationem materiæ. Quod variis exemplis declarat Aug. lib. 9. Gen. ad lit. c. 15. Quia neque agricola producit fructus, nec medicus efficit salutem, neque qui cibum præbet dat carnem, sanguinem, aut vires: licet omnes isti applicando actiua passiuis remotè cõcurrant. Vnde quod quidam dicunt ministerio Angelorum factam esse quandam luteam statuam habentem figuram corporis humani, quam Deus viuificauit, & in corpus humanum transmutauit: hoc (inquam) licet incertum sit, quia nec est simpliciter necessarium, nec Scriptura probatur: non est tamen contra positam assertionem, quia illa statua non esset corpus humanum, nec excederet naturales vires Angelorum, quia per solum motum localem fieri potuisset: an verò ita factum sit, paulo post dicam.

6. De altero verò, scilicet organizatione, & dispositione hominis præsertim procedit conclusio posita, & in hoc sensu probatur, quia Angeli non possunt organizare corpus, & illud ad recipiendam animam sufficienter disponere: ergo à solo Deo potuit tunc fieri opus illud. Loquor de illo corpore, vt tunc factum est, & ad receptionem animæ præparatum, nam cùm homo fit per naturalem generationem, illa organizatio, & dispositio corporis naturali virtute à generante fit: secluso tamen ordine naturalis propagationis non potest illud opus fieri ab vlla causa creata siue elementari, aut cælesti, siue ab omnibus simul, & multo minus ab Angelis, qui non possunt naturaliter materiam transmutare, aut corpora per se alterare: sed organizatio corporis primi hominis non fuit facta per viam naturalis generationis, vt per se notum est: ergo à solo Deo fieri potuit. Quòd si quis dicat, quamuis Angeli non potuerint naturaliter cooperari illi actioni, potuisse nihilominus vt instrumen-

strumenta Dei illa coëfficere. Respondemus, esto id fuerit possibile, nullo modo affirmari posse, ita esse factum, quia fuisset opus miraculosum, quod sine fundamento asserendum non est. Præsertim quia inde sequeretur Angelos cum Deo hominem procreasse, quia qui sufficienter disponit materiam ad introductionem, & vnionem formæ, cõpositum producit, physicè loquendo, hoc enim modo homo generat hominem: hoc autem Angelis tribuere, erroneum est, quia repugnat Scripturis, ex quibus habemus solum Deum ex terra hominem creasse, vt allegatum est ex Gen. 1. 2. & 5. Ecclesiast. 17. 1. ad Corinth. 10. & ad Colossens. 3. & confirmant omnia, quæ ex Patribus adduximus. Ac denique confirmatur, quia aliàs etiam omnia animantia, vt vegetabilia dici possent facta ministerio, & cooperatione Angelorum: imò consequenter, & maiori ratione ita dicendum esset. Consequens autem erroneum est, nam hoc esset facere Angelos creatores vniuersi, quamuis minùs principales.

7. Vt autem hæc veritas ampliùs declaretur, interrogari potest, an corpus Adæ in instanti fuerit formatum, seu productum, vel per successionem aliquam. Vt autem interrogationis sensus percipiatur, aduertendum est, non esse dubium, quin productio Adami in vno instanti facta sit, nimirum in illo, in quo anima fuit creata, & corpori vnita. Vnde consequenter etiam est certum corpus Adæ in vno determinato instante incepisse, esse corpus humanum, siue per corpus humanum intelligas corpus iam informatum anima humana, siue intelligas corpus vltimatè dispositum ad introductionem animæ humanæ, vt prius tantùm natura, quàm informatio eius: quia vtroque modo illa dispositio corporis simul duratione cum anima eiusque vnione incipit. Quia verò hæc vltima dispositio ante vltimum terminum suum habet latitudinem, vel in intensione qualitatum, vel in condensatione, vel rarefactione materiæ, vt ex illa possint varia membra duriora, vel meliora sub hac vel illa figura formari: ideo quærimus, an illud instans, in quo fuit consummata vltima dispositio, & organizatio illius corporis, fuerit terminus præcedentis alterationis, & mutationis successiuæ, sicut est in humana generatione. Vel potiùs fuerit tota facta in vno instanti, in quo simul inceperit, & totum corpus Adæ, & omnia membra eius, & omnes qualitates, & variæ dispositiones, ac figuræ membrorum omnium. Ita vt tota illa materia immediatè ante illud instans fuerit sub forma terræ, aut luti, & sub vniformi dispositione in omnibus partibus suis, in illo verò instanti cœperit tota esse cum integra varietate membrorum, & omnium dispositionum corporis humani, anima rationali in eodem instanti formati.

In hoc dubio nihil inuenio expressè dictum à D. Thoma in hac materia, tamen si attentè legatur in dicta q. 91. art. 2. & sequentib. insinuare videtur productionem, seu formationem illius corporis subitò, & in momento totam factam esse, superiori modo suprà explicato. Et idem videntur sentire alij Theologi. Et videtur posse colligi ex Damasc. lib. 2. de Fide, cap. 12. dicente, *Corpus, & anima vnà creata sunt non autem vt Origenes delirauit, hæc prius, illud posterius.* Quod etiam sentit Gregor. Nyssen. libro de Opificio homin. cap. 28. & 29. vbi ex professo impugnat eos, qui dixerunt, corpus Adæ fuisse productum prius tempore, quàm anima informaretur: quod etiam docet D. Thom. d. q. art. 4. ad 3. Ergo consequenter sentiunt hi Patres, totam corporis dispositionem, & organizationẽ in vno instanti fuisse perfectam. Nam si paulatim, & successiuè facta esset, necessariò corpus illud aliquo modo tempore præcessisset animæ introductionem.

Et suadetur hæc sententia primò ex verbis illis Gen. 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ.* Quibus verbis insinuantur duo. Primum est hominem formatum esse immediatè ex limo terræ, sine vlla mora intermedia. Aliud est, simul fuisse corpus illud formatum, & hominem productum. Vnde sicut homo in illo instanti incepit esse, in quo creatur anima, ita in illo solo instanti totum corpus formatum est. Secundò idem suadetur, quia aliàs illa materia limi, si paulatim, & successiuè ad formam hominis disposita est, prius extitisset sub forma vegetatiua tantùm, vel sensitiua, quàm perueniret ad rationalem, sicut fit in naturali hominis generatione: nam est eadem ratio, quia id non prouenit, nisi ex eo quòd in successiua mutatione non fit transitus ab extremo ad extremum, nisi per medium. Consequens autem non videtur admittendum, tum quia aliàs prius fecisset DEVS embrionem, quàm hominem: tum etiam quia eadem ratione dici posset successiuè fuisse dispositas partes organicas corporis Adæ, & consequenter principaliores partes, vt sunt cor, cerebrum, & hepar, prius fuissent informatæ anima rationali, quàm reliquæ partes, sicut fit in hominis generatione. Hæc autem absurda sunt, cùm tamen eadem sit de omnibus ratio.

9. *Suadetur hæc sententia 1. ex Gen. 2.*

2. *Ex incommodis.*

Contraria verò pars, nimirum corpus illud successiuè organizatum esse, attribui potest auctoribus dicentibus, corpus Adami prius fuisse productum, quàm anima rationali informatum. Quam docuit Chrysostomus homilia duodecima & decima tertia in Genesin, & sequitur Abulensis Genesis secundo, & Castro contra Hæres. verbo *Anima* hæres. 3. Nam hi auctores non intellexerunt corpus Adæ perfectè humanum, id est, cum vltima dispositione ad animam tempore præcessisse informationem animæ: hoc enim contra rationem philosophicam est, & sine vllo fundamento fuisset excogitatum: intelligunt ergo corpus hominis delineatum, & externa hominis forma compositum, & imperfectè dispositum præcessisse tempore introductionem animæ, ac proinde ab imperfecto ad perfectum successiuè producendo, tandem ad vltimam dispositionem peruenisse. Et sic probatur hæc sententia ex illo Genes. 2. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Nam hoc loco sermo est de formatione hominis quoad corpus, vt sentit Aug. lib. 13. de Ciuit. cap. 24. *Quia Deus non nisi corpori inspirauit spiraculum vitæ.* At verò corpus illud iam habebat faciem hominis, quando Deus inspirauit in illud: ergo prius fuit homo formatus de limo terræ, & externam formam hominis habuit, quàm informaretur anima, ac proinde successiuè formatum est.

10. *Quibus tribui queat successiua formatio.*

Probatur ex Gen. 2.

Ratione ostendi hoc potest, quia non potest formari corpus hominis ex terra nisi intercedente aliqua mutatione locali: sed mutatio localis non potest fieri in instanti: ergo nec transitus ille materiæ existentis sub forma terræ in corpus humanum perfectum potuit fieri in instanti, ac subinde necessaria fuit aliqua successio, in qua corpus hominis formaretur. Maior probatur, quia limus terræ erat vniformis in figura raritate, vel densitate: ergo vt ex illo fierent varia membra corporis humani distincta in figuris, situ, condensatione, vel raritate, necessarium fuit partes illas secundum locum mutari, vt facilè consideranti patebit. Minor autem nota est in Philosophia. Et ideo, si portio illa terræ ex varijs locis congreganda fuisset, in aliquo tempore saltem breui id fieri oporteret: ergo similiter si pars limi densanda fuit ad conficiendum os, v. g. vel caput homi-

11. *Item ratione*

hominis, in tempore densari debuit, quia licèt cõdensatio non fit propriè motus localis, nõ tamen fit sine mutatione locali, ac proinde successionem requirit, & sic de cæteris membris: ergo non potuit illud corpus perfectè formari in vnico solo instanti.

12. *Dubiũ agitatum vtrinque difficile.*

Hoc dubium simile est illi, quod de conceptione corporis Christi Domini tractaui in 2. tom 3.p. disp.11.sect.2. vbi vtranque partem esse dixit difficilem. Nam spectando puram rationem philosophicam, videtur facilius dici, organizationem illius corporis cum aliqua successione factam esse, saltem quoad mutationem, per quam omnes, & singulæ partes materiæ in eo situ & loco constitutæ sunt, in quo in instanti productionis, & informationis animæ esse oportebat. At verò considerando testimonia, & rationes theologicas, censui, probabilius simpliciter esse, & omnino verum, corpus Christi in vno momento perfectè formatum esse, & immediatè ex sanguine Virginis. Ex qua resolutione in præsenti infero, potuisse Deum eodem modo corpus Adæ perfectum in momento, & immediatè ex limo formare, quia est eadem ratio. Nam licèt corpus Adæ fuerit maius, & perfectæ ætatis, & magnitudinis, vt infrà dicemus: nihilominus inde non oritur maior repugnantia, vt per se notum est. An verò ita factum sit, profecto non est ita certum de corpore Adæ, sicut fuit de corpore Christi. Tum quia neque ex alijs principijs fidei ita colligitur, nec ex Patrum doctrina æquè confirmatur. Tum etiam, quia illud non est factum in conceptione Christi sine magno miraculo, vt ibi declaraui, quod miraculum in summo Dei opere, & maximè miraculoso conuenientissimum fuit: in præsenti autem opere, quod tantùm ad productionem hominis in esse naturæ pertinebat, nõ videtur vel affirmandum, vel exaggerandum miraculum (vt sæpe dixi) cùm necessarium non sit. Nam sine dubio potuit Deus per mutationem successiuam formare corpus illud, vt probat ratio adducta in posteriori sententia. Quæ verò in priori adducuntur, solùm probant corpus vltimatè & perfectè dispositum non præcessisse tempore animæ creationem. Neque videtur necessariũ, vt transitus à limo terræ ad esse hominis immediatus fuerit. Et ita August. lib.2.de Gen.contr. Manich. cap.8. vtramque ex dictis sententijs sub disiunctione, & vt probabilem ponit. Licèt in lib. 1. Retractation. cap. 10. tandem sententiam de anteccessione corporis ad animam præferre videatur.

13. *Prior tamen sententia in num.8.posita magis probatur. Prima suasio.*

Nihilominus tamen primæ sententiæ vt probabiliori adhæreò, asseróque corpus illud in instanti fuisse formatum, ita vt ex terra immediatè fuerint facta ossa, caro, nerui, & omnia similia, quæ simul etiam inter se facta, & debitè ordinata composita fuerũt. Ducor primò, quia hoc est magis consentaneum verbis illis: *Faciamus hominem, & creauit Deus hominem, & formauit Deus hominem* In quibus verbis vltimis vel non est necesse intelligere solum corpus, sed totum hominem, sicut intelliguntur priora (nam totus homo dici potest formatus ex limo terræ, quanuis solùm ex parte corporis inde fuerit productus (vel licèt de solo corpore verba illa intelligantur, non inde colligitur, fuisse corpus illud prius tempore productum, sed ordine tantùm naturæ, explicatur enim ibi distinctè & per partes quòd simplicitur in cap. 1. dictum fuerat, Deum creasse hominem, id enim fecit, partim corpus ex luto configurando, partim spiraculum vitæ inspirando: vtrumque autem simul fieri potuit cum solo ordine naturæ, vel mutuo inter partes illas, in diuerso genere causarum: vel certè præcipuè ex parte corporis in ordine executionis, licèt anima fuerit prior ordine intẽtionis. Semper tamen significatur, vtrunque factum esse simul durationè per indiuisibilem, & instantaneam totius hominis productionem. Secundo moueor, quia hoc modo credimus produxisse Deum in instanti cætera animalia etiam quoad corporum accidentalẽ formationem, organizationem, & dispositionem, scilicet pisces, & volatilia ex aqua, & cætera animantia ex terra, quia omnia produxit simplici, & absoluto imperio, vt ex modo loquendi Scripturæ colligitur: ergo à fortiori de corpore hominis idem dicendum est. Tertiò est optima ratio, quia licèt Deus produxerit hominem, & cætera animantia ex præiacente materia, nihilominus produxit illa altiori modo quàm per naturalem generationẽ, ac proinde per quendam secundarium modum creationis, vt in superioribus declarau: & ideo sicut per creationem ex nihilo fiet corpus humanum simul quoad omnia sua membra, & omnem dispositionem, & figurationem eorum: ita non obstante præsuppositione materiæ subitò, creari potuit, & debuit. Nam licèt ille modus productionis altior fit, & in hoc sensu dici possit supernaturalior, nihilominus est magis accommodatus primæ productioni substantialium rerum à potentissimo auctore suo. 1. Augu. Tertio.

Quòd si hæc opinio verà est, certius etiam erit, Angelos non solùm non fuisse cooperatos ad productionem corporis humani, vt humanum est, (quod est certissimum, vt dixi) verum etiam nec ad illud corpus formandum, vel organizandum. Imò neque ad aliquam terram congregandam ministerium aliquod exhibuisse, quia ex illo limo terræ prout immediatè antea in limo iacebat, subitò creauit Deus hominem iuxta prædictam sententiam. Si autem aliqua successio admittatur in figuratione humani corporis quoad materię quãtæ densationem, & figurationem sic quidem facilius admitti potest aliquod Angelorum ministerium, non verò tale, quod pertingeret ad perfectionem corporis humani, non tantùm vt humanum est, verum etiam, vt animale prius tempore formatum, in aliquo esse minus perfecto, id est, habens carnem, & ossa, &c. nondum tamen apta & proximè dispositа ad animam rationalem, sed ad aliquam minus perfectam, & quasi in via ad illius introductionem. Nam hoc etiam non potest tribui Angelis, tum quia non est verisimile, hunc ordinem productionis in prima hominis creatione seruatum esse. Tum etiam quia etiam Angeli neque per se virtutem habent ad efficiendũ corpus illud animale in statu illo imperfecto, neque etiam applicando actiua passiuis illud efficere poterant, quia etiam corpus hominis sub illo statu non fit naturaliter, nisi per virtutem formatiuam seminis, quæ per solam applicationem extrinsecorum agentium suppleri non potest, sed tantum virtute diuina, sicut de animalibus perfectis in superioribus diximus. 14. *Conclusio ad quam præsens probatio ordinatur. Angelos formare non posse.*

Quapropter ad summum potuerunt Angeli iuxta illam sententiam congregare limum, & ex eo quasi statuam similem humano corpori per localem motum compingere, & configurare, & in eo statu constituere, in quo sine interuentu alicuius nouæ mutationis localis, vel condensationis, aut rarefactionis, quæ illam requirat, per subitam alterationem fuerit in instanti corpus illud à solo Deo factum humanum, & per inspirationem animæ viuificatum. Qui modus facilior quidem est, licèt non necessarius, nec fortasse conueniens, vt dixi. Et similiter illo posito fuit quidem possibile illud angelicum ministerium, tamen hoc etiam incertum est. Vnde D. Thomas suprà de possibili tantùm loquutus est, non de facto: imò Augustinus lib.9. de Gen. ad liter. cap. 15. dixit, neminem posse 15. *Quomodo Angeli formare corpus humanum possint.*

posse affirmare, quale fuerit, & consequenter neq; an fuerit, quia nulla auctoritate, vel sufficienti cōiectura id potest affirmari. Vnde fortasse etiam iuxta hanc sententiam probabilius creditur, Angelos nullum prorsus ministerium in hac productione, seu formatione corporis humani habuisse. Quia licèt corpus illud præuia aliqua mutatione successiua formatum fuerit: illa tamen cum tanta celeritate, & potentia creatoris facta est, vt nullum locum Angelorum ministerio concesserit, quia vel eorum naturalem virtutem superabat, vel certè superuacaneum erat.

Tandem inquiri hîc potest de illo corpore, an fuerit creatum cum omni perfectione necessaria, ac debita animæ rationali, seu corpori consentaneo tali animæ, vel (vt ita dicam) illa digno. Hoc autem dubium tractari potest, vel de perfectione quasi specifica, seu essentiali talis corporis, vel de indiuiduali, integrali, seu consummata etiā quoad statum, seu ætatem. In priori sensu non est quæstioni locus: necessarium enim fuit corpus illud habere huiusmodi specificam perfectionem, nō solùm quia propriè loquendo hanc perfectionē specificam, & essentialem ab anima formaliter recipit, sed etiam quia necessariò habere debuit illas dispositiones, & in eo gradu, quem anima ipsa rationalis ad informandum corpus ex vi suæ essentiæ, & speciei requirit. Nam corpus sic proximè dispositum potest suo modo dici specificum, & connaturale homini ratione suæ speciei: & ideo non est dubium, quin corpus Adæ hanc perfectionem habuerit ad tale indiuiduum determinatum. Statim verò succedit quæstio, cùm anima rationalis sit perfectissima omnium formarum, cur corpus etiam humanum nō fuerit factum cæteris omnibus excellentius, vel in materia vt cælesti, vel meliori, vel saltem in omnibus proprietatibus corporalibus, magnitudine, viribus, perspicacia sensuum, & similibus. sed hæc quæstio ad nos nō spectat in præsenti, est enim philosophica, & in libris de anima tractari solet, ideoq; vno verbo dicimus, animæ datum esse corpus, quod esset ad cognoscendum aptissimum, & ad hoc necessarium fuisse, vt ex tali materia conditum, & tali temperamento esset affectum: ideoq; in hac perfectione eminere debuisse, etiamsi in alijs proprietatibus, quæ cum hac coniungi non poterant, careret. Vt latiùs D. Th. prosequitur dicta q. 91. a. 3. & 4. & Gregor. Nyss. de hominis opific. c. 30. & Lactant. lib. de opific. Dei, à cap. 2. & Ambros. lib. 6. Exaem. c. 9. Basil. hom. 10. & 11. Exaem. & videri etiam potest Galen. libro 8. de vsu partium. De altero verò sensu quæstionis, scil. de indiuidui perfectione in 3. cap. commodiùs dicemus.

CAPVT II.

Vtrùm corpus Euæ ex costa Adæ fuerit productum, & quomodo.

PRimo quam de alijs circumstantijs huius creationis dicamus, de formatione corporis primę mulieris dicere oportet, quia cætera vtriusq; viro, & fœminæ, communia sunt. Creationem igitur Euæ in 2. cap. Genes. ita Moyses describit: *Immisit Dominus Deus soporem in Adam, cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & replevit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierē*, &c. Per quæ verba videtur prior pars quæstionis definita. Nihilominus tamen Caietan. super Gen. ausus est negare corpus Euę fuisse revera formatum ex costa Adæ, ideoq; verba Scripturæ metaphoricè interpretatur. Aliosq; in ea sententia fuisse refert Molin. tract. de opere sex dier. disp. 24. neminem tamen in particulari nominat, neq; ego illum reperi, nec Castro, aut Prateolus illum referunt: imò Pereira lib. 4. in Gen. disp. de format. Euę, vnum Caietan. (ait) hanc litem mouisse. Motus est autem Caiet. ob difficultates, quę ex tali modo productionis oriuntur. Prima est, quia aliàs vel corpus Adæ fuisset monstrosum ante formationem Euæ, vel post illam mancum permansisset. Cōsequens autem est absurdum: ergo nullatenus in prima rerum productione admittendum est. Sequela patet, quia vel Adam creatus fuit cum aliqua costa supra numerum corpori humano connaturalem, & ita habuit corpus monstrosum, vel tantùm habuit costas debitas corpori humano, & sic ablata vna, corpus mancum relictum est. *1. Arg. Cai.*

Secunda, quia in costa Adæ non erat sufficiens materia ad integrum Euæ corpus formandum: ergo si aliunde alia materia necessaria sumpta est, potius ex re alia formata fuit Eua, quàm ex costa Adæ, quia in maiori quantitate aliunde sumpta fuit. Et consequenter superfluum fuisset, costam ab Adamo auferre solùm ad illius materiæ complementum, cùm facilius multo potuerit tota aliunde sumi. Tertia ratio sit, quæ in superioribus sæpè tacta est, quia in prima rerum productione non sunt multiplicanda miracula sine necessitate. Non potuit autem mulier illo modo formari, nisi valdè miraculosè: ergo credendum non est, ita factum esse, vt litera Gen. in cortice sonare videtur. Quartò supponit Caiet. Adamum, & Euam prius fuisse simul creatos, ęquè primò (vt sic dicam) propter illa verba Gen. 1. *Masculum, & fœminam creauit Deus.* Vnde infert narrationem de formatione Euæ ex costa nō posse ad literam intelligi, quia non potuit Eua bis produci: ergo solùm fuit quædam parabola per quam & defectus mulieris comparatione viri, & diminutio roboris ex animo viri ob vxorem significata sunt, cum alijs, quæ latè prosequitur. Quintò exemplis id confirmat, & in primis ait, etiam soporem Adæ metaphoricè intelligendum esse, & per illum significari defectum virtutis in viro, quādo fœminam generat. Deinde ponderat, quod ibi præmittitur de anima, lib. quæ Deus adduxit coram Adam, ad inquirendum, an in eis inueniret adiutorium simile sibi, quod planè ridiculum esset, si ad literam intelligeretur. Aliud est de verbis illis, *& adduxit eam ad Adam.* Nam si Eua fuisset ex costa Adæ formata, creata esset illi coniunctissima: ergo non potuisset ad illum adduci: ergo non possunt verba illa vt sonant ad literam intelligi. Addit etiam aliud, *hoc nunc os ex ossibus meis*, quod per metaphoram exponit de omni muliere, & quòd dicatur os de ossibus viri, quia nimirum de robore viri in muliere saluatur, & caro de carne, quia in fœmina affectus carnis non minuitur. Deniq; inducit ex cap. 3. maledictionem serpentis, quam etiam figuratè intelligendum esse putat. *2. Secundum. 3. 4. 5. ab exēplis. 1. Exemplū. 2. 3. 4. 5.*

Nihilominus sententia catholica est, verba illa Scripturæ esse ad literam intelligenda. Ac proinde verè, ac realiter tuliſse Deum vnam costam Adæ, & ex illa corpus Euæ formasse. Probatur primò ex ipsa narratione Genesis. Tum ex illa ratione generali, quòd narratio illa est historica, & quòd historia non est ad metaphoras traducenda, nisi vbi fuerit manifesta, vel in alijs locis Scripturæ ita declarata, vel per Ecclesiam expositа: nihil autem horum in præsenti inuenitur. Tum etiam, quia ex ipso contextu sermonem esse proprium constare potest. Nam in fine capitis primi. Moyses breui compendio narrauit, Deum creasse hominem masculum, & fœminam. Statim verò cap. 2. vtriusq; corporis productionē distinctè, & singulatim declarare volēs, priùs de viro dicit, *Formauit Deus hominem de limo terræ*, postea verò productionem Euę describit, dicens, *Ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierē.* Ergo sicut, ppriè loquutus *Catholica ad sertio contra Caiet. Probatur 1. ex Script.*

quutus est, narrando creationem Adæ, ita etiam narrando creationem Euæ. Et comprobatur hic sensus ex alijs Scripturæ locis, dicitur enim Tobię 8. *Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adiutorium Euam*, & clarius Eccl. 17. *Deus creauit de terra hominē*, vbi de solo Adam euidenter loquitur, nam subdit inferius : Creauit ex ipso *adiutorium simile sibi*, vbi ponderanda est particula *ex ipso* : nihil enim clarius dici poterat. Nam sicut prius dixerat hominem de terra esse creatum, ita dicit postea fœminam ex viro, in hoc distinctionem constituens inter vtriusque productionem. Vnde dixit Paulus 1. ad Cor. 11. *Non vir ex muliere, sed mulier ex viro.* Et Actor. 17. dixit idem Paul. *Fecitque ex vno omne genus hominum, inhabitare super vniuersam faciem terræ.* Vnde non minus errat Caietan. dicens, simul creasse Deum Adam, & Euam, aliàs non fecisset Deus ex vno omne genus humanum, sed ex duobus contra verba Pauli. Imò etiam contra expressam sententiam Sapientiæ cap. 10. vbi de Adam dicitur, *Primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset factus.* Quomodo enim aliquando solus fuit, si semper sociam habuit? Denique Paulus 1. Tim. 2. expresse dixit, *Adam primus formatus est, deinde Eua.*

4. *Probatur 2. ex patribus, & communi sensu Ecclesiæ.*

Secundò Patres omnes, & vniuersa Ecclesia vsque ad Caiet. ita Scripturam intellexerunt, & tanquam rem certam, & catholicam crediderunt, Euam ex costa Adę fuisse formatam. Quod adeo verum credidit Hieronym. super Epist. ad Philem. vt dixerit, *non posse aliquem in Deum credere, nisi credat vera esse, quæ scripta sunt*, quæ sic numerat, *Adam à Deo plasmatum, Euam ex costa illius, & latere fabricatam. Enoch translatum*, &c. sentiens tam esse de fide illud secundum in proprietate intellectum, sicut primum, & tertium. Et epist. 61. ad Pammach. de erroribus Ioan. Hierosolymitani dicit, *Euam in typo Ecclesiæ fuisse de costa vi ædificatam.* consentit Chrys. homil. 15. in Genes. & Augustin. de Ciuit. cap. 21. & 23. Gregor. homil. 6. in Ezechiel. Consentiunt denique omnes Patres super locum Gen. & ad Eph. 5. Ac denique Concil. Vien. in Clement. 1. de Summa Trinit. ait Ecclesiam formatam esse de latere Christi, typumque eius fuisse formationem Euæ ex costa Adæ, consentit denique Innocent. III. in cap. gaudemus, de diuort. dicens: *Ab initio vna costa in vnam fœminam est conuersa.* Propter quæ Alfonsus de Castro in verb. Adam, non dubitauit, sententiam Caietani inter hæreses ponere, quem sequutus est Prateolus, qui declarant, se doctrinam, non personam damnare, quia sine dubio credendum est, absque pertinacia erasse.

5. *Probatur 3. ratione.*

Tertiò pro materiæ qualitate possumus ratione argumentari, quia Moyses per illa verba narrat aliquam actionem Dei circa primam mulierem, seu eius productionem : sed nulla potest designari actio Dei, quæ per illa verba metaphoricè intellecta describatur : ergo necessario intelligenda sunt de actione, quæ in omni proprietate per illa verba significatur. Minorem sufficienter probamus ex ipso discursu Caietani, dicit enim per ablationem costæ significatam esse diminutionem roboris ex animo viri ob vxorem, & per costam significatam esse socialem vitam inter virum, & vxorem, & per costam quatenus vna tantum nominatur significari debilitatem fœminæ, & in eo, quod dicitur, repleuisse Deum carnem pro ea, significatum esse, quod diminutio roboris in viro ob vxorem prolis fructu compensatur. Sed in his omnibus licet Caietanus suo arbitrio verba metaphoricè interpretetur, nunquam declarat aliquam actionem Dei, quę per verba illa metaphoricè narretur, vt facile consideranti patebit. Verba autem Scripturæ, quę actionem Dei narrant, etiamsi vel in re facta, vel in modo actionis aliquam metaphoram habere dicantur, necessario actionem aliquam significare debēt, vt vera in aliquo sensu sint. Illa autem verba, *tulit, repleuit, ædificauit*, actionem, imò actiones significant: ergo etiamsi metaphora in verbis permitteretur, ad veritatem semper est necessarium, saltem metaphorice aliquam Dei actionem significari. Nulla autem à Caietan. explicatur, nec facile excogitari potest, etiamsi fingendi detur licentia.

6. *Damnatur Caietanus adijciens quædam mysteria, quæ non sunt in Scriptura.*

Vnde illæ accommodationes Caietani essent quidem tolerabiles, si salua proprietate verborum in ipso opere tanquam mystico, & significatiuo considerarentur. Non tamen sunt prætermittenda altiora mysteria, quæ in illo modo productionis mulieris à sanctis Patribus considerantur, vt quod voluerit Deus fœminam ex viro creare, vt societatis vtilitatem, ac vinculum concordiæ vehementius eis commendaret, vt dixit August. 12. de Ciuit. cap. 21. Item ad significandam debitam subordinationem ad vnum caput, item ad repræsentandum maximum matrimonij vinculum non solum in matrimonio carnali Matt. 19. sed etiam in spirituali inter Christum, & Ecclesiam, vt sentit Paul. ad Ephes. 5. & plures Patres, quos citaui 3. part. q. 1. art. 3. in Comment. circa solut. ad 5. quæ omnia eludit Caietanus sua metaphorica interpretatione. Ipsi vero Patres, dum hæc mysteria non in metaphora verborum, sed in ipsius diuini operis significatione considerant, veritatem catholicam magis explicant, & confirmant.

7. *Satisfit argumentis Caietani.*

Superest, vt argumentis Caietani satisfaciam, quibus respondendo, alteram quęstionis partem expediemus, quomodo scilicet, opus hoc à Deo factum fuerit. Primum ergo, & ferè totum fundamentum Caietani fuit dilemma illud, quod Adamus vel fuisset monstruosus ante formationem Euæ, vel postea mancus. Quod argumentum iam proposuerat Diuus Thomas 1. p. q. 92. art. 3. secundo loco, & in solutione videtur illam partem eligere, scilicet quod Adam fuerit creatus habens illam costam, vltra eas, quæ ipsi erant connaturales, eamq; occupasse illum locum corporis, quem postea Deus carne repleuit, sicut in alijs corporibus humanis naturaliter inuenitur. Negat autem hoc fuisse monstruosum : quia costa illa erat de perfectione Adæ, non prout erat indiuiduum quoddam, sed vt erat principium speciei humanę. Sicut semen (inquit D. Thomas) si consideretur respectu indiuidui, superfluum videbitur, respectu vero conseruationis speciei necessarium est. Et hanc opinionem frequentius Theologi approbant, & eam late defendit Abulensis Genes. 13. quæstione 393. & ibi Hugo de S. Vict. & Lyra.

8. *Explicatur quomodo mulier sit facta de costa viri.*

Sed instari potest, quia non est simile in exemplo allato. Nam semen naturale est homini, non tanquam pars eius, sed tanquam superfluum alimenti, quod ex nutritione naturaliter sequitur, sicut etiam multæ aliæ superfluitates ex nutritione sequuntur : ad perfectionem autem naturæ, & sapientiam auctoris eius pertinuit illam partem superfluam ex alimento relictam ad bonum speciei ordinare, ita eam elaborando, & disponendo, vt aptum esset generationis instrumentum. At vero costa vltra numerum ordinarium non est naturalis homini, neque Adæ fuit : ergo quando Adam illam habuit, non potuit non esse monstruosus, sicut esset si sex digitos in manu habuisset. Respondetur, illam costam non fuisse naturalem tanquam requisitam ad naturale complementum corporis humani, vel per naturalem eius actionem producibilem. Nihilominus tamen dici posse aliquo modo naturalem ex institutione auctoris naturæ. Nam in prima emanatione à suo auctore, vel in modo eius natura non postulat ab intrinseco determinatum modum, sed in hoc auctoris naturæ subordinatur, & ita ille modus productionis

nis dici potest naturalis, quem ipse auctor tanquam magis consentaneum tali naturæ determinauit. Quia ergo Deus decreuerat vnum tantum hominem ex terra facere, vt ex illo reliqui homines originem ducerent, ideo illum produxit cum integritate corporis ad illum finem accommodata: & ideo talis integritas dici potest naturalis primo homini, vt primus fuit, etiamsi aliquid haberet, quod ipsi vt homini tantum necessarium non fuisset. Et ob eam rem non poterit dici talis homo fuisse monstrosus propter illam costam, quia quomodocunque aliquid naturale sit, monstrosum non efficit. Maximè quod id propriè appellatur monstrosum, quod casu, & per accidens euenit præter intentionem naturæ: illa autem costa per se, & ex intentione auctoris naturæ, & ad eiusdem naturæ bonum addita est. Accedit, quod illa costa etiamsi esset vltra naturalem numerum, nullam deformitatem in illo corpore causabat, eo quod esset occulta: nec mutabat corporis figuram, neq; eius magnitudinem augebat, nec actiones aliquo modo impediebat, & à vicinis partibus carnis solum in densitate, ac duritie, & similibus qualitatibus differebat, ideoq; vel nullam vel paruam imperfectionem illi corpori afferebat. Ac denique si qua fuit illa imperfectio, non fuit (vt ita dicam) permanenter, sed quasi in via per breuissimum tempus. Et ideo nullum fuit inconueniens primum hominem in via generationis (vt sic dicam) ita fuisse creatum.

Nihilominus alij alteram partem præferendā putant, nimirum, costam illam, ex qua formata fuit Eua, fuisse vnam ex numero earum, quæ corpori humano necessaria sunt. Ita tenet Catherin. Genes. 2. referens antiquiorem huius sententiæ auctorem, quem non nominat, & in eandem propendit Pereira, quia & videtur facilior, & aptior ad finem propter quem Deus mulierem ex costa viri formauit, scilicet, ad significandam coniunctionem aptissimam inter virum, & vxorem, nam hoc melius significatur, si formatio illa ex costa maxime propria, & necessaria, quam si ex superflua, & quasi aduentitia, & solum ad tempus data, facta fuit. Ad euitandum autem inconueniens, quod Caietan. infert, dicunt isti auctores, Deum non solam carnem, sed etiam costam aliam Adamo restituisse. Nam licet Scriptura dicat, *Et repleuit carnem pro ea*, non excludit costam. Vnde intelligi potest, suppleuisse costam carne circundatam. Sicut etiam dicit Scriptura tulisse Deum vnam de costis Adæ. Per quod non excludit carnem, nam quod illam etiam abstulerit, significauit Adam, cum dixit, *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Atque ita facile concluditur, nulla ex parte mansisse Adam mancum, seu diminutum per reliquum vitæ tempus post formationem Euæ. Atq; hæc sententia probabilis quidem est, & plausibilis. Obijci vero potest, quia iuxta vulgatam editionē, durum est dicere, repleuisse Deum costam pro costa, & carnem pro carne, cum Scriptura dicat, repleuisse carnem pro costa. Respondent aliqui, etiamsi illa costa ab Adamo ablata fuerit ex duodenario numero costarum quem natura hominis in vnoquoque latere postulat, & sola caro pro illa restituta fuerit, nihilominus Adam non mansisse mancum, quia caro, qua repletus fuit locus costæ, accepit à Deo robur, & firmitatem costæ, quod perinde est, ac si alteram costam loco prioris accepiret. Sed hoc non placet, quia si illud robur erat per solum extrinsecum adiutorium Dei, fuisset perpetuum miraculum, quod ponendum non est: præsertim quia per illud non tollitur, quin pars illa de se esset debilis, & homo ille ex aliqua parte mancus. Si autē robur illud esset ex intrinseca dispositione, & qualitatibus alius partis, perinde est, ac si dicatur carnem illam restitutam, fuisse costam: nam vix intelligi potest idem robur intrinsecum, & naturale in illa parte nisi habeat ficcitatem, & duritiam costæ, vel saltem melius, & facilius illud robur resarciretur, restituta costa, & omnis alius modus esset diminutus, & præternaturalis. Melius ergo respondebitur quod sicut nomine costæ, cum dicitur ablata, caro aliqua subintelligitur, vt infra videbimus, ita è contrario sub nomine carnis intelligi etiam costam cui adhærebat. Est ergo vtraque opinio probabilis. Ego tamen priori vt communiori adhæreo. De illis autem verbis Adæ, *Hoc nunc os, &c.* plura inferius dicam.

Aptior dilutio.

Iudicium Authoris de vtraque resp nsione principali ad argument. Caiet.

Secunda ratio Caietani postulat, quomodo ex parua costæ materia integrum mulieris corpus ædificari potuerit. Primus modus hoc explicandi fuit Hugonis de Sanct. Vict. libr. 1. de Sacram. part. 6. cap. 26. *De sola ipsius costæ substantia sine omni extrinseco additamento, per diuinam potentiam in semetipsa multiplicata corpus Euæ factum esse.* Quod declarat, quia ita Christus quinque panes multiplicauit, vt ex illis quinque millia hominum satiare potuerit. Hāc sententiam sequitur Magister in 2. distinct. 18. cap. 4. & confirmat argumento à nobis facto, quia alias potius dicenda esset Eua formata ex alia materia, quam ex costa, quia illa fuisset in maiori quantitate. Et videtur sequi Durand. ibi quæst. 1. nam licet in discursu quæstionis solum loquatur de possibili, tamen per hoc respondet quæstioni, quam de facto proposuerat. Definit ergo Euam fuisse formatam ex sola illa materia, & fundatur solum in hoc, quod potuit Deus id facere, & Scriptura indicat fecisse, cum aliam materiam non indicet, Gabriel item ibi art. 3. problematice vtranque sententiam defendit. Ægid. etiam ibidem q. 1. artic. 3. late demonstrare contendit id non fuisse impossibile: quid autem factum sit, non satis declarat. Argentinas vero ibidem articulo quarto, vtrumque distincte in duabus conclusionibus affirmauit. Item Henric. quodlib. 7. quæst. 9. affirmat de possibili, & de facto tacet. Denique Alens. 2. p. q. 58. membr. 4. §. 1. in fin. absolute dicit, in costa fuisse possibilitatem, vt ex illa parte reliqua formarentur.

10. Pro 2. arg. in num. 2. discutitur dubium.

1. Explicatio dubij.

At vero D. Thomas 1. part. quæst. 92. artic. 3. ad 1. non solum negat id factum esse, sed etiam affirmat fuisse omnino impossibile, & sequitur Gregor. dicta quæ. 18. q. vnic. & hæc sententia recte intellecta mihi magis probatur. Pendet autem fundamentum eius ex physica quæstione, scilicet, an portio materiæ sub parua quantitate existens possit sub maiori quantitate constitui sine rarefactione, & absque existentia materiæ in pluribus locis, & subdistinctis quantitatibus secundum easdem partes. In qua quæstione ego censeo id esse impossibile: & quoad hoc sequor sententiam D. Thomæ, & Gregorij, quam in Philosophia docui, & latius confirmaui. Et quoad hanc partem Gabr. non cōtradicit, si attente legatur. Addit tamen, posse Deum eandem partem materię in seipsa multiplicare, vtique replicando illam in diuersis sitibus, & sub diuersis partibus quantitatis, & hoc modo ait, totam materiam costę fuisse in brachio, & in pede, & in cæteris partibus ei æqualibus. Et sine hac multiplicatione fatetur, non potuisse maius corpus ex illa costa fieri, sine magna rarefactione. Et hunc modum ego etiam arbitror esse possibilem, quia reuera non implicat contradictionem, vt ex Philosophia etiam suppono.

11. Verior dilij explicat.

Dicta explicationis fundam. vnde petendum.

Vide etiam Conimbr. l. 1. de gener. c. q 5. 18

Materia eiusdem multiplicatio situalis non implicat.

Dico tamen de facto nullo modo esse asserendum, corpus Euæ hoc miraculoso modo, & maximè supernaturali fuisse formatum, id est, ita vt tota materia illius costæ fuerit repetita, & simul posita in singulis membris, vel partibus Adæ sub-

12. Non tamen ita formatū esse corpus Euæ ex par-

ma costa materia probatur.

distinctis partibus quantitatis. Quia aliàs non solum in fieri, sed etiam in facto esse, & in conseruatione Euæ corpus miraculosum fuisset, & supra naturam ita subsisteret, & conseruaretur, quod nullatenus dici potest, quia nullum rationis, vel auctoritatis fundamentũ habet, & quia est à prima institutione naturæ valde alienum. Item quia eadem ratione posset quis fingere etiam corpus Adæ fuisse ex parua terræ particula formatum, & totam illam materiam fuisse in toto corpore Adę, & totam etiam simul fuisse in singulis membris, & partibus illi æqualibus: nam eodem modo de vtroque corpore Scriptura loquitur. Secluso autem illo miraculo rectè concluditur, non potuisse totum corpus Euæ ex sola materia illius costæ fieri. Quia non totum Euæ fuit rarius, quam illa costa, quin potius in corpore Euæ erant multæ costæ, æquè densæ, & alia ossa densiora, & maioris quantitatis, ac subinde plus de materia habentia. Et ideo concludendum est, Deum aliunde

Sed aliunde suppleta à Deo est reliqua materia Vel creando illam, vt putat D. Thõ. Vel certe probabilius sumendo ex vicino elemento

suppleuisse reliquam materiam necessariam ad corpus Euæ ita formandum, vt postea naturaliter, & perfecto modo subsisteret. Et Diuus Thomas quidem probabilius credit, Deum de nouo creasse materiam, quam adiunxit. Mihi tamen verisimilius est, ex proximo aere, vel terra illam sumpsisse, quia post primam materiæ creationem non oportet nouam materiam Deum creare, quia creatio materiæ ad opus primæ creationis mundi pertinet. Et ideo omnes alias res siue inanimes, siue viuentes, & primum etiam hominem sine noua creatione materiæ Deus produxit. Et similiter quando quinque panes multiplicauit, non materiam nouam creauit, sed ex circunstante corpore illam mirabiliter, & inuisibiliter assumpsit. Nam, vt dicit Augustinus tractatu 24. in Ioannem. *Vnde multiplicat de paucis granus segetes, inde in manibus suis multiplicauit quinque panes.* Multiplicat autem segetes ex vicina terra: nulla ergo causa, vel ratio est, cur solam formationem Euæ ab hac generali regula excipiamus.

13. *Respondetur ad 1. argum. in num. 2.*

Ad argumentum autem in contrarium respondemus, hoc non obstare, quominus verè, & proprie dicatur Eua ex costa Adæ formata, quia illa costa fuit tanquam fundamentalis materia, ex qua Deus formationem illam inchoauit, sicut segetes ex grano seminato fiunt, vel sicut Christus ex quinque panibus quinque millia hominum pauit, nam illi panes quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo, qui terram fecit, multiplicata, vt Augustinus supra dixit. Et quamuis facillimè potuisset Deus sine illa costa totam materiam ad illud corpus necessariam aliũde sumere. Nihilominus propter plures prouidentiæ diuinæ rationes partim morales, partim allegoricas, non superfluo, sed prudentissimo consilio voluit Deus corpus Euæ illo modo formare. Rationes autem tradit optimè Diuus Thomas dicta quæstione 92. articulo secundo, & locupletat Pererius dicta disputatione quęstione prima, secunda, & quarta, & videri potest Aug. l. 12. de Ciuitat. cap. 21. & 26.

14. *Ad 3. arg. in num. 2.*

Et hinc satisfactum etiam est tertio argumento, quod ille modus productionis esset nimis prodigiosus. Respondetur enim, quod sicut in operibus illorum dierum non sunt asserenda miracula, quæ non narrantur, ita si aliquod narratur, omnino credendum est: hoc autem, de quo agimus, satis expressè nobis traditur vt ostensum est. Addo vero, in hoc opere nihil esse peculiaris prodigij, aut miraculi, nisi quod Deus tulerit costam de Adamo dormiente sine dolore, vel sensu, & sine excitatione eius ab somno, & quod subito carnem pro ea repleuerit. Nam post separatam costam formare corpus Euæ ex illa, non fuit maius

Verior solutio.

miraculum, quam corpus Adæ ex limo terræ fingere. Quod quidem licet fuerit opus omnipotentiæ Dei, non potest propriè dici miraculum; quia in prima illa productione necessarius erat extraordinarius, & superior modus productionis, qui non nisi arbitrio & consilio auctoris naturæ denominari poterat. Et eadem ratione potuit optimè Deus (vt diximus) propter alias rationes prouidentiæ suæ illum singularem modum eligere assumendi materiam, ex qua primam mulierem ædificaret.

In quarto argumento falsum est fundamentum, quod supponit Caietanus, scilicet, Adam, & Euam simul fuisse creatos. Nam oppositum aperte declarãt sacræ literæ, dum dicunt, Adam primò fuisse creatum, & aliquando fuisse solum, & exillo vno cæteros omnes aliquo modo duxisse originem, vt iam allegauimus. Imò ex cap. 2. Genes. hoc conuincitur, quatenus ibi dicitur: *Adæ vero non inueniebatur adiutor similis sibi*, ideo enim non inueniebatur, quia non erat: prius ergo Adam solus productus est, & ideo dixit etiam ibidem Deus, *Non est bonum hominem esse solum.* Vnde non obstat, quod in cap. 1. dicatur, *Masculum & fœminam creauit eos*, quia non dicitur *simul creauit eos.* Neque oportet, vt quæ simul, seu vno verbo narrantur, simul etiam facta sint: nam consuetum est in Scriptura prius summatim, & per compendium aliqua dicere, non explicando modum, aut tempus, quo facta sunt, & postea distinctius, & secundum ordinem, quo facta sunt, illa explicare, quod in hac primorum hominum creatione seruatum est. Et ita cessat illatio, quam Caietanus facit, quia non oportuit Euam bis produci, cum non fuerit prius creata, quam ex costa Adæ formata. Vnde quod vno verbo dicitur c. 1. Genes. & quod latius c. 2. explicatur, non sunt duo distincta, sed vnum & idem aliter relatum. Neque potest interpretatio metaphorica ad concilianda illa duo loca deseruire, quia, vt dixi, præter abusum verborum in significatione non propria, & mere voluntaria, per totam illam metaphoram non explicatur actio aliqua, quam Deus circa corpus Euæ exercuerit, quod ob veritatem aliquam verborum omnino necessarium erat.

In argumento quinto falsum est primum exemplum, scilicet, soporem Adæ metaphoricè accipiendum esse, propter easdem rationes supra factas. Et præterea, quia nulla est necessitas talis metaphoræ. Valde enim friuolum est, quod Caiet. ait, *vt metaphoricè somnus intelligeretur, narrari Adam dormisse, & non scribi ipsum expergefactum fuisse, seu euigilasse.* Hoc non indicium nullius momenti est. Tum quia non erat necessarium vtrunque expressè narrari, quia per se notum erat post somnum vigiliam sequi. Tum etiam quia statim dicitur Deus adduxisse Euam ad Adam, quod non potuit facere, nisi vel excitando illum, vel excitatum supponendo.

16. *Ad quartum argumentum respondetur.*

De illo verò somno dubium est, qualis fuerit. Nam Chrysost. homil. 15. in Genes. existimat fuisse somnum corporalem, quem Deus immisisse dicitur. quia naturalis causa corporalis somni, præsertim profundissimi. Talem enim illum fuisse Chrysostomus affirmat, & rationem huius reddit, ne Adam in ablatione costæ dolorem sentiret. Et in hoc consentit Epiphanius hæres. 48. in principio. Alij vero Patres de somno (vt ita dicam) spirituali, id est, de interna contemplatione, quæ Adam ab omni sensuum vsu abstraxerit, soporem illum interpretantur. Ita Aug. l. 12. de Gen. cont. Manic. c. 12. *Nam secedere*, inquit, *ab istis visibilib. rebus interiorem intelligentia quasi obdormiscere est.* Idem l. 9. Gen. ad lit. c. 19. tra. 9. in Ioã. post mediũ, vbi refellit illam rationẽ Chrysost. q somnus sit immissus Adæ ne sentiret dolorem.

Quale fuerit somnum Adæ.

dolorem. *Nam quis est* (inquit) *qui sic dormiat, vt ei ossa non euigilanti euellantur? An quia Deus euellebat, propterea non sentiebat? Poterat ergo & vigilanti sine dolore euellere, qui poterat dormienti.* Ac si diceret, etiamsi Adam dormiret, non poterat naturaliter non excitari, & dolorem sentire per auulsionem costæ: supernaturaliter autem, etiam à vigilante poterat Deus costam sine dolore auferre: non erat enim propter illam causam corporalis somnus necessarius: sopor autem spiritualis propter reuelationē, & cognitionem diuinorum mysteriorum necessarius fuit. Ita etiam exponit illum soporem Rupertus lib.2.in Genes.cap.34. Ambros. cum alijs ad Eph.5. & indicat Hieronym. in quæst. Hebraic. in Genes.c.2. vbi pro sopore, legit ecstasim, & mentis excessum. Tertull. etiam in lib. de Anim. cap.21. soporem illum vocat spiritualem vim, qua constat prophetia, quam etiam per excessum, & exaggerationem amentiam vocat, quod exponit ca. 45. dicens: *Hanc vim e statim dicimus excessum sensus, & amentiæ instar sic & in primordio somnus cum ecstasi delicatus.*

Quæ Patrum sententia fundatur in illis verbis Adæ; *Hoc nunc os ex ossibus meis*, &c. vsque ad illud, *propter hanc relinquet homo patrem, & matrem.* Quia in illis verbis duplex prophetia continetur. Vna de præterito: nam Adam dormiens non vidit formationem Euæ ex ossibus suis, & tamen illam cognouit, & professus est. Aliam de futuro, nimirum Christi incarnationem, nam hoc sacramentum agnoscit Paulus in illis posterioribus verbis Adæ ad Ephes. & Patres frequenter docent, & exponunt, quod alibi retuli. Ergo signum est, Adam cognouisse hæc mysteria, ac subinde soporem illum spiritualem ecstasim fuisse. At verò Chryt. suprà reuelationem quidem, & prophetiam Adæ agnoscit. Dicit tamen, non eo tempore, quo auferebatur costa, sed postea discusso iam somno Adamum vaticinium accepisse. Veruntamen probabilius est, in ipsomet sopore eleuatam esse mentem Adæ ad illa mysteria percipienda, non tamen negandum est etiam corporaliter obdormisse, quia vtrumq; videtur affirmare Scriptura, dicens, *Immisit Dominus soporem in Adam*, & statim addens, *cumque obdormisset*, & vtrumq; potest cum proprietate verificari: nam somnus corporalis non impedit diuinam reuelationem, imo quodammodo reddit mētem liberiorem ad illam recipiendam, vt dixit D. Th. q.12. de Verit. a.3. ad 2. & 2.2. q.172. a.1. ad 1. & 2. Atque ita vtrumq; fuisse in Adam, scilicet, & corporalem somnum, & spiritualem contemplationem, expresse docent Epiph. & Tert. in locis citatis.

Aliud exemplum, seu signum metaphoræ erat, quia Gen.2. dicitur, adduxisse Deum cætera animalia ad Adam, vt eis nomina imponeret, & quod ibi subditur, *Ada vero non inueniebatur similis sibi.* Ex quibus verbis sumit Caietanus occasionem fingendi, Deum adduxisse animalia coram Adam, vt inquireret, an inter ea aliquod simile Adæ inueniret, quod illi posset in adiutorium esse. Quam inquisitionem ad literam intellectam dicit esse ridiculam, & propterea fuisse à Moyse inductam, vt per metaphoram eius, cætera, quæ de formatione Euæ dicuntur, metaphoricè intelligere disceremus. Veruntamen non minus ridiculum est, tale signum inducere, & huiusmodi inquisitionem Deo, aut Moysi tribuere, quàm fuisset illam ad literam credere, aut excogitare. Negatur ergo illis verbis significari, Deum adduxisse animalia ad Adam, vt interea aliquod Adæ simile quæreret, nihil enim de hac inquisitione Scriptura narrat: Caietanus autem vt metaphoram inueniret, illam in verbo *inueniendi* quæsiuit, quia verbum *inuenio* in quodam Latino rigore, rem quæsitam offendere, significat. Veruntamen hoc leue fundamentum est, tum quia etiam illa significatio verbi *inuenien-*

di perpetua nō est, aut necessaria. Tum etiam quia licet non dicatur inuentum, nisi quod quæsitum est, nihilominus rectè dici potest non inuentum, quod nec quæsitum fuit. Tum maximè, quia illud *non inueniebatur*, iuxta verum sensum nō ad Deum, sed ad Adamum infertur. Cum enim Adam, quando animalibus nomina imposuit, vidisset in singulis speciebus marem, & fœminam, quasi ad se reuersus vidit, se non habuisse tunc sociam sibi similem. Hoc ergo modo inuenit Adam, id est, cognouit, se caruisse adiutorio simili sibi. Et addit Ioseph.1.antiquit.cap.2.in admirationem raptum fuisse, dicens: *Videns autem* (vtique Deus) *Adamum carentem societate, & coniuctu fœminæ* (nondum enim erat) *mirantemque quod reliquæ animantes ita se haberent sopito illi costa vna exempta mulierem ex ea formauit.*

In tertio exemplo fingit Caietan. verba illa, & *adduxit eam ad Adam*, non posse ad literam intelligi, quia ibi erat Eua præsentissima, maximè si ex costa eius formata fuit. Veruntamen nulla ibi est occasio metaphoræ. Nam in primis fieri potuit, vt Deus costam Adamo subtractam in locum aliquantulum separatum à loco, in quo Adamus iacens dormiebat, adduceret, vt ibi Euam formaret, & fortasse iam formatam instrueret, vt voluntarie illam ad Adam adduceret. Deinde necessarium non est, vt verbum *adduxit*, proprium motum localem significet: fortasse enim adducere Euam nihil aliud fuit, quam illam Adamo in vxorem offerre, quam ipse statim amplexus est, dicens, *Hoc nunc os ex ossibus meis*, &c. 20. *Ad 3. exemplum.*

Vnde ad quartum exemplum de his eisdem verbis negamus omnino esse metaphoricè intelligenda. Nā in primis non de omni fœmina, sed Eua specialiter, ac proinde ad literam, dicta sunt; & hoc significatum est per illam particulam, *hoc nunc*, quasi diceret, hac vice, vel hoc singulariter habet hæc mulier, quod de meis ossibus ædificata est. Item hoc etiam declarat impositio nominis, & ratio eius; *& vocabitur virago, quia de viro sumpta est.* Nā hæc ratio vel falsa, vel nullius momenti esset, si non propriè, & ad literam intelligeretur, & verificaretur. Denique idem probant verba sequentia: *Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem*, &c. quæ ad literam de arctissimo vinculo matrimonij, & amore inter virum, & vxorem dicta sunt. Significauit enim Adamus pro illa prima vice, voluisse Deum vxorem ex viro formare, vt facto ipso ostenderet, quantam vnitatem & coniunctionem inter virum, & vxorem esse oportet. 21. *Ad 4. exemplum.*

Interrogabit autem fortasse aliquis, cum Euā tantum ex costa Adæ fuerit formata, quomodo addiderit Adam, *& caro de carne mea.* Responsio communis, & probabilis est, Deum non abstulisse ab Adam nudam costam, sed aliqua parte carnis contectam: & ita ad literam fieri potuisse, vt ossa Euæ ex costa, & caro ex carne formarentur. Ita sentiunt super Genes. Abulen. Pereir. Oleaster, Catherin. & Ytella, & ex Scholasticis Bonauent. in 2.d.18.a.1.q.1.ad vlt. & Alen.2.p.q.85. membr.2. in fine, & sequitur Molin. tract. de opere sex dierū, disp.21. Et idem indicauit D. Thom.3.p.q.31.a.5.ad 2. dicens, Adam quia institutus est vt principium quoddam humanæ naturæ habebat in suo corpore aliquid carnis, & ossis, quod non pertinebat ad integritatem personalem ipsius, sed solum in quātum erat naturæ humanæ principium, & de tali formata est mulier absque viri detrimento. Nihilominus Aug. li.9. de Gen. ad lit. cap.13. significat costam illam sine carne fuisse detractam, & ex sola illa fuisse Euam formatam, & nihilominus carnem tantum pro costa fuisse restitutam. Et similiter tract.15. in Ioan. *Potuit* (inquit) *Deus carnem subtrahere homini, vnde faceret fœminam.* Et infrà, *Non detraxit carnem vnde faceret mulierem, sed detraxit os, &* 22. *An Deus costam Adæ carne vestitam tulerit? Responsio affirm. communis.* *Contrarium indicat Aug.*

detracto osse formata est mulier, & in loco ossis caro suppleta est. Et statim declarat mysteria, propter quæ significanda ita factum est. Quocirca probabiliter dici potest, solam, & nudam costam Deum ab Adamo tulisse, & ex illa sola, ossa, & carnem Euæ formasse. Nihilominus potuisse Adam dicere, *& caro de carne mea*, ad significandum, integrum corpus Euæ fuisse ex ipso formatum. Nam ibi tam nomine *ossis*, quam *carnis*, totum corpus Euæ significatum est: fit autem illa repetitio, tum (vt dixi) ad indicandã integritatem corporis Euæ: tum maximè ad magis commendandam vtriusque coniunctionem. Et quia costa Euæ per diuisionem carnis eius, & quasi ex visceribus eius educta fuerat: ideo etiam dicere potuit, *& caro de carne mea*, etiamsi ex particula carnis non fuisset formata. Fateor tamen priori modo magis propriè verba illa explicari. Quamuis autem concedamus, costam simul cum carne ex Adamo sumptam esse, nihilominus, iuxta opinionem D. Thomæ, dicendum est, non eodem modo esse restitutam, sed puram carnem, vt verba Scripturæ magis significant. Quia costa non erat necessaria, cum esset vltra naturalem numerum: caro autem necessaria erat. Tum quia pars illa corporis naturaliter carne est repleta. Tum etiam vt vacuitas illa corporis perfectè, & sine vllo signo diuisionis, aut cicatricis consolidaretur.

Quomodo iuxta hanc Augustini opinionem verè dixerit Adam, & caro de carne.

Prior tamẽ responsio magis probatur.

23. *Ad 5. exemplum.* Vltimum exemplum Caietani alienum est ab hac historia, quam tractamus, & ideo quicquid de illo sentiatur, scilicet, an verba, quibus fertur Deus maledixisse serpentem post peccatum primorum hominum, propriè vel metaphoricè accipiantur, nihil ad præsentem causam referet. Nam illa referuntur in cap. 3. hæc in cap. 2. Genes. & ibi materia ipsa, & circunstantiæ litteræ possunt sufficienter indicare metaphoram, quod in præsenti non inuenitur. Itaque illa verba Domini ad serpentem iuxta probabiliorem opinionem ad dæmonem sub figura serpentis repræsentati dirigebantur. Et ideo sub verbis, quæ secundum corticem litteræ in serpentem, prout re vera est quoddam animal abominabile, & horribile, ac infestum hominibus, metaphoricè continetur. Literalis sensus significans pœnam dæmoni impositam, & præsignificãs vindictam de illo sumendam, eo quod genus humanum in peccatum induxisset. De qua re videri potest Augustin. lib. 2. de Gen. contra Manich. c. 17. & 18. & lib. 11. Genes. ad lit. cap. 36. Epiphan. contr. Ophitas, hæresi 37. & Theodoret. q. 34. in Genes. & alij expositores ibi.

24. *Dubium vltimum.* Vltimo inquiri hic poterat, an corpus Euæ immediatè fuerit à Deo formatum, vel in eo opere ministerium aliquod Angeli habuerint, & an subito, & in instanti aut cum successione aliqua formatio illa facta fuerit. Sed hæc eodem fere modo definienda sunt, quo similia de corpore Adæ tractauimus. Solum est certius, in hac formatione aliquid fuisse præuium, quod successiuè, & per localem motum factum est, nimirum, ablationem costæ à corpore Adæ. Oportuit enim carnem aperiri, & costam euelli, seu diuidi ab alijs partibus, & extra corpus trahi, quæ omnia non fiunt sine motu, & successione. Quamuis enim cogitare quis valeat, potuisse Deum costam à corpore extrahere sine transitu per medium, ac proinde sine diuisione carnis Adæ, & sine motu locali successiuo, sed per subitum transitum ab extremo ad extremum sine medio: non oportet tamen tale miraculum in hoc opere fingere, cum neque in Scriptura insinuetur, neque necessarium sit. Vnde Patres supra allegati censent apertum fuisse latus Adæ, fuisseq; figuram apertionis lateris Christi dormientis in Cruce. Hinc ergo August. 9. Gen. ad lit. ca. 15. fatetur: dici posse, potuisse aliquid in hoc opere per Angelos fieri, quamuis formare Euam ex costa, & carne replere latus Adæ, solius Dei creatoris opus esse potuerit. Nam priora per motum localem fieri poterant: hæc vero posteriora altiori modo operandi, & disponendi materiam indigebant. Et hoc quidem posterius certum est ex dictis de corpore Adæ: illud vero prius, seu præuium Augustinus non audet affirmare, fuisse per Angelos factum, quanuis fieri potuerit: multo ergo minus nos audebimus. Imò verisimilius nobis videtur, totum illud opus à solo Deo fuisse factum, quia, vt sine vllo sensu costa educeretur aperto latere Adæ, manus Dei erat necessaria. De alio verò puncto, an postquam costa Adæ educta fuit, & in eo loco constituta, vbi erat in corpus Euæ transformanda, subito, vel cum aliqua successione tota illa ædificatio, & corporis Euæ organizatio, ac dispositio facta fuerit, incertum est, & eodem modo disputari potest, & resolui, quo circa creationem Adæ illud tractauimus.

Resolutio ex Augustin.

CAPVT III.

An primi homines perfectissima corpora in sua creatione acceperint.

TRactamus de perfectione indiuiduali, nam de specifica nihil noui est, quod dicamus. In quolibet autem particulari corpore humano, plures perfectiones desiderari, seu spectari possunt, scilicet integritas membrorum omnium, magnitudo corporis, quam habere solet in ætate perfecta, & consequenter proportionata quantitas singulorum membrorum, & vnicuique accommodata. Item conueniens dispositio, & temperamẽtum corporis, & debita humorum proportio, ex qua sanitas sequitur, & virtus, ac efficacia ad exterius, & interius sentiendum, & ad alias actiones corporis exercendas, ac denique hæc comitari solet corporis pulchritudo. De his ergo omnibus certum est primos homines in sua creatione has perfectiones in gradu conueniente simul accepisse. Quia vero non est de omnibus æqualis certitudo, neque etiam est eodem modo de omnibus intelligendum, ideo breuiter de singulis dicam. 1. *Perfectiones humanorum corporum.*

Primò ergo circa integritatem cauendus est error, quem Castro verbo Adam, hæres. 5. & Philaster hæresi 66. refert quorundam, qui dixerunt primos homines ante peccatum sensu visus caruisse, auctorem autem in particulari non refert. Quisquis autem fuerit, moueri potuit vel ex eo, quòd ante peccatum suã nuditatẽ non videbãt, vel ex eo, quod statim ac peccarunt, de illis dicitur, *Aperti sunt oculi amborum, cumque cognouissent se esse nudos.* &c. At verò hic error manifestè repugnat literæ Genesis. nam ca. 2. dicitur, adduxisse Deum animalia ad Adam, *vt videret, quid vocaret ea*, quod certe facere non posset, nisi videret ea. Et infrà, *Deus adduxit Euã ad Adam, dixitque Adam: Hoc nunc os*, &c. hoc autem dixit, visa Eua, sibi simili, & cap. 3. de Eua prius quàm peccasset, dicitur, *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile*, &c. Præterea, Deus posuit hominem in Paradiso, vt operaretur, & custoditet illum, dixitque illi, *De omni ligno Paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni & mali non comedas.* Quomodo autem vel illud faceret, vel inter hæc discerneret, si visu careret? Est ergo illa hæresis stultissima, & omni rationi repugnans. Cur enim Deus homines cæcos creauisset? Verba autem illa, *aperti sunt oculi amborum*, per illa, quæ habentur, in fine capitis secundi explicanda sunt, *erat* a. vter. *que nudus*, Adam scilicet, & vxor eius, *& non erubescebant.* Igitur ante peccatũ videbant Adam, & Eua, se esse nudos, sed non ita videbant, vt erubescerẽt, quia 2. *Error primorum hominum de visu.* *Refutatur.* *Ratio error.* *manifestus.* *Ad secundum.* *Ad tertium.*

nullam legem senserunt in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, vt dixit Alcuinus q. 59. in Genes. & addit, *nihil enim putabant velandum, quia nihil senserant refrænandum.* Post peccatum verò aperti dicuntur oculi eorum, quia ita videre inceperunt, vt rebellionem carnis sentirent, & ideo erubescerent. Sic Aug. 14. de Ciuit. c. 17. vbi inter alia dicit: *Neque enim cæci creati erant, vt imperitum vulgus opinatur*, &c. Eadem est communis interpretatio Patrum in Gen.

Hoc ergo excluso errore, certissimum est, primos homines, quoad omnem membrorum integritatem perfectos fuisse creatos, id est, cum omnibus partibus organicis, & sensibus omnibus internis, sine vllo defectu, vel impedimento ad operationes membrorum, & sensuum perfectè exercendas. Ita docent, vel potius vt manifestum supponunt Patres, & Theologi, & cæteri Scriptores in Gen. & probatur ex verbis illis: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Ergo etiam corpus hominis erat valde bonum: quod profecto nō haberet si esset mancum, aut mutilum: ergo saltem erat perfectum quoad integritatem debitam. Deinde cætera animalia integra fuerunt creata in corporibus suis. Vnde post eorum creationem dicitur: *vidit Deus, quod esset bonum*: ergo multo magis homo, qui, vt præesset cæteris, creatus est. Deniq; opera Dei perfecta sunt, & hoc pertinet ad bonitatem, sapientiam, & omnipotentiam eius. Ergo maximè debuit hanc perfectionem ostendere in homine, quem innocentem creabat. Vnde optima ratio colligitur, quia omnes defectus corporales humanæ naturæ per peccatum introducti sunt, nam sunt pœna peccati, vt infrà videbimus: ergo in sua creatione, & ante peccatum illos nō habuit, ac proinde cum corporibus intentis, & perfectis homines creati sunt.

Circa secundam perfectionem dicendum est, primos homines in perfecta ætate, & totius corporis, omniumque membrorum augmento consummato fuisse creatos. Hoc docuit Magist. sent. in 2. dist. 17. & ibi alij Scholastici. Et sumitur ex D. Thom. d. q. 91. artic. 3. & 4. Et probari solet ex Aug. 6. lib. Gen. ad liter. c. 13. Sed ibi (vt notauit Perer. lib. 4. in Gen. disp. de format. corporis humani, q. 3.) Augustin. interrogando magis, quàm asserendo loquitur. Affirmat autem & potuisse Deum hominem ita creare, *& id fecisse, quod omnipotentem, & sapientem posse ac facere congruebat.* Quis autem dubitet, congruentissimum fuisse, Deum creare primos homines cum perfecto augmento, & integris viribus corporis, ac membrorū omnium. Expressius id docet August. libr. 1. de Peccat. mer. & remis. ca. 37. vbi id confirmat exemplo aliorum animantiū. De quibus hoc supra diximus, imo etiam de omnibus viuentibus, id ibi adducta à fortiori de hominibus probant, scilicet, quia decet, vt quę à Deo immediatè fiunt, perfectam dispositionem recipiant. Item quia hoc pertinuit ad perfectam naturæ institutionem, quæ tunc fiebat, vt in hominis productione consummata est. Item ponderauimus verba illa, quæ hominibus etiam specialiter dicta fuerunt, *Crescite, & multiplicamini.* In quibus verbum *crescite*, non ad augmentum propriorum corporum refertur, sed ad augmentum in numero, & multitudine, vt statim explicatur per verbum *multiplicamini.* Et ideo præmittitur ibidem, *masculum, & fœminam creauit eos*, quia, scilicet, ad illud genus augmenti vterque sexus erat necessarius.

Quæri autem solet, in qua ætate fuerit Adam creatus. Et quia in eo ætas per cursum temporis computari non potuit, sensus interrogationis est de augmento corporis, ad quod in tanto, vel tanto tempore peruenire potuisset, si ordinario modo in corpore, & ætate creuisset. In hoc ergo sensu dixit Caietanus, creatum fuisse sexaginta annorum, quia hæc erat tunc ætas perfecta, quod tempus augmenti propter magnum naturæ vigorem per tot annos tunc durare potuisset. Pereira vero solum dicit credibilius esse eo tempore ætatem hominis perfectam non ante quinquagesimum annum futuram fuisse. Quia singulæ ætates debuissent esse proportionatæ durationi totius vitæ: tempus autem integræ vitę hominis tūc erat decuplo longior, quam nunc sit: ergo singulæ ætates etiam erant longiores, & consequenter ętas perfecta diuturniori etiam tempore consummabatur. Atenim profecto, si augmentum efficax est, non minus probat fuisse Adam sexaginta annorum, quam quinquaginta. Imò etiam probat, fuisse plus quam centum annorum, quia, seruata proportione, centum anni vix erat nona pars ętatis totius vitæ: nunc autem ætas perfecta multo ante nonam partem temporis vitæ acquiritur. At illud non multum credibile videtur.

fuit conditus. *Caietani responsio.* *Pereiij responsio.*

Quin potius D. Hieronym. epist. 27. ad Eustochi. quæ est epitaphium Paulæ matris, circa finem dicit, *non esse surrecturos in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, & addit, *In qua & Adam Iudæi conditum autumant.* Quod ipse non tantum refert, sed etiam probat, vt ibi notat, & sequitur Marianus Victor: iuxta quam sententiam creatus fuit Adam annorum vltra triginta, & citra quadraginta, seu annorum triginta quatuor, plus minusve, quod est profecto verisimile. Primum propter proportionem ad corpus Christi, & ad corpora resurgentium. Deinde magis ad litteram, quia in illo mundi initio propter naturæ vigorem illud tempus erat sufficiens, vt homo peruenire ad ætatem sufficienter perfectam, in qua & sufficientem corporis magnitudinem, & integras vires corporis, & optimam dispositionem organorum omnium, & sensuum ad vsum scientiæ, & prudentiæ, acquirere posset. Ergo illud tempus sufficientissimum erat, vt in ea ætate Adam crearetur. Neque est improbabile idem tempus fuisse tunc sufficiens ad totum corporis augmentum acquirendum, propter eundem naturæ vigorem: longior autem vita esse poterat in illo statu augmenti perfecto. Quia propter eundem naturæ vigorem, & propter alias fortasse circunstantias loci, & cælestis influentiæ, &c. difficilius virtus corporum diminuebatur, & ideo tardius mors eueniebat: vel certe quamuis intra illud tempus non peruueniretur ad statum augmenti, non erat necessarium, Adam in eo statu creari, sicut neque in alijs animalibus, aut arboribus erat id necessarium. Præsertim quia corpus humanum præcipuè datur ad vsum animæ rationalis, vt talis est: & ad hunc vsum poterat esse maximè perfectum, etiamsi in corporali augmento ad terminum non peruenisset.

6. *Responsio verisimilior ex Hier.* *Eius ratiocinatio parum valet.* *Suadetur multiplici ter.*

Solet vlterius quæri, quantæ magnitudinis fuerit corpus Adæ. Nam aliqui olim dixerunt fuisse ingentis magnitudinis. Refert enim Moses Barcepha in lib. de Paradi. ca. 14. tom. primo Biblioth. quosdam Doctores dixisse, *primos homines ex terra Paradiso affini in Syriam per maxepedibus commeasse, cum essent staturæ procerissimæ.* Quod, vt ait, ex Athanasio, & Cyrillo comprobare nitebantur, & ipse non reprobat. Ego vero nullum fabulæ huius vestigium in Athanasio, vel Cyrillo inuenio, & rem ipsam incredibilem iudico, propter multa, quæ omitto, quia (vt opinor) à quolibet prudenti facile considerari possunt. At vero Ioannes Lucidus libr. 1. de Emend. temporum, c. 4. licet non tantam proceritatem corpori Adæ tribuerit, dixit tamen fuisse inter gigantes maximum. Sed neque hoc etiam probabile est, quia quantum ex Gen 6. colligi potest,

7. *Cuius staturæ fuerit corpus Adæ.* *Responsio quorundam apud Bibliothecam Patrum fabulosa.* *Ioannis Lucidi responsio.* *Refellitur 1*

test, gigantes post mortem Adami inceperunt. Et præterea tanta proceritas corporis non pertinet per se ad perfectionem corporis humani, aliàs & Christus Dominus illam assumpsisset, saltem in resurrectione, & omnibus resurgentibus danda esset. Contrarium autem in vtroque exemplo certum est. Ratio verò esse videtur, quia illa proceritas nec ad pulchritudinem humanæ staturæ, neq; ad eas actiones, quæ maximè perfectæ, & humanę sunt, confert. Quocirca in hoc puncto nihil aliud dicere possumus, nisi datum esse Adæ corpus perfectæ magnitudinis, & humanæ naturæ maximè conuenientis, iuxta ea, quæ in sequenti puncto dicemus.

Secundò.

8. *Assertio 3 circa tertiã perfectionem*

Circa tertiam perfectionem de temperamento, & dispositione, ac pulchritudine corporis. In primis assero, primos homines habuisse magnam, & consummatam perfectionem in his omnibus, quę ad corpus pertinent quantum iuxta conditionem sui status, & naturę illis expediebat. Hoc in primis probatur ex illa generali ratione, quòd opera Dei perfecta sunt. Et deinde, quia cùm illi homines, vt essent parentes vniuersi humani generis procrearentur, decuit esse etiam in corporibus perfectissimos. Denique quia corpus, & temperamentum eius esse debet proportionatum perfectioni animæ in virtute, & acumine intelligendi, cui corpus maximè inseruire debet. Ad hoc autem maximè confert optima corporis complexio, & huic correspondet optima dispositio in organis sensuum, & in his omnibus cum perfecta quantitate, & perfectione membrorũ pulchritudo consurgit. Cùm ergo animæ primorum parentum valde perfectæ fuerint, vt infrà videbimus, etiam in corporibus omnes dictas perfectiones habuisse, dubitandum non est. Et hic addi possunt, quæ de similibus perfectionibus corporis Christi diximus in 1. tom. 3. p. disp. 32. sect. 2.

Probatur tripliciter.

Confirmatur à simili.

9. *In quo gradu sortitus est Adam perfectionem hanc.*

Solet autem quæri, an in his perfectionibus corporis Adam Christum excesserit, vel è conuerso. Quæ dubitatio ex alia quodammodo pendet, scil. an perfectissimum temperamentum corporis humani terminetur ad maximum, etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam, vel quocunque dato certo perfectionis gradu possit fieri perfectior intra latitudinem temperamenti connaturalis homini. Quod etiam de pulchritudine, & alijs dispositionibus corporis interrogari potest. Quia verò hæc quæstio physica est, illam omittimus, & breuiter dicimus, si in his perfectionibus datur summus terminus, qui connaturalis homini esse possit, verisimile est corpora Christi, & Adæ illum gradum perfectionis habuisse, quia non est inconueniens, vt in aliqua perfectione naturali æqualitatem habuerint. Si verò nullus est talis terminus, manifestum est, neque Christum, neque Adam habuisse in hoc genere summam perfectionem possibilem: & non minus certum est, vtrunque habuisse magnam, & in ea potuisse æqualitatem habere: si verò aliqua inter eos fuit inæqualitas, excessus quidem perfectionis Christo tribuendus est, vt ibidem dixi.

Responsio per distinctionẽ.

10 *An ad hanc perfectionẽ spectauerit impassibilitas.*

De hac verò corporis perfectione vlteriùs tractari potest dubium, an corpus Adæ mortale, & passibile fuerit. Tamen hoc dubium infrà ex professo tractandum est, & circa pœnas, quas genus humanum propter peccatum incurrit, & perfectionem status innocentiæ explicando. Et ideo nunc breuiter dicimus, corpus pluribus modis posse esse impassibile, & immortale. Vno modo per naturam, & ab intrinseco: & hoc modo certum est, corpus Adæ non fuisse impassibile. Tum quia tale corpus non est naturale homini. Habuit autem Adam corpus naturale, & essentiale homini, aliàs non fuisset verus, seu integer homo. Tum etiam, quia habuit corpus ex materia terræ, & cũ dispositionibus habentibus contrarium, ex quibus principijs passibilitas corporis oritur. Secundò potest corpus natura sua passibile, fieri intrinsecè impassibile per qualitates illi supernaturales pertinentes ad statum gloriæ: & neque isto modo fuit impassibile corpus Adæ. Tum quia corpus eius non erat gloriosum: tum etiam, quia de facto alicuius alterationis capax erat: nam ideo cibo, & potu indigebat, vt infrà videbimus. Præter hos autem duos modos dici potest corpus immortale, vel impassibile, quia licèt possit mori, vel pati, si suæ naturę omnino relinqueretur, nihilominus per prouidentiam specialẽ, partim ipsius hominis, partim à Deo promissam, posset ab omni passione corruptiua, & à morte præseruari, & hoc modo dici potest Adam creatus cum corpore immortali, vt declarat D. Thom. 1. p. q. 97. & inferiùs latiùs dicetur. Vbi etiam tractandum est de alia perfectione illius corporis, qua non erat subiectũ passionibus inordinatis præter rationem insurgẽtibus: quæ perfectio magis ad animam pertinet, quamuis in corpus etiam redundet, & ideo tractando de perfectionib. animæ illã explicabimus.

Secundò.

Tertiò.

CAPVT IV.

Quo tempore primi homines creati fuerint quantum ad corpora.

1. *Propositio quæstionis.*

QVamuis idem fuerit tempus, in quo corpora primorum hominum perfectè formata, seu disposita, & in quo ipsi hominis cum suis animabus conditi sunt, nihilominus hic solum agimus de tempore, in quo corpora sunt formata, quia de tempore, in quo creata est anima, & corpori infusa, specialis quæstio est infrà tractanda. Præsens autem quæstio in Adamo ferè nullam habet difficultatem, his suppositis, quæ de opere sexti diei in præcedenti libro diximus. Certum est enim, Adam fuisse sexto die creatum post brutorum animalium productionem. Hoc est manifestum ex litera Geneseos cap. 1. Nam postquam dictum fuerat, *fecit Deus bestias terræ &c. & vidit Deus quod esset bonum*, additur, *faciamus hominem*, ex quo contextu manifestè constat pro aliquo tempore, vel instanti extitisse cætera animantia, quando nondum erat homo: fuerunt ergo priùs tempore producta. Quod verò illa antecessio tantùm fuerit intra eundem diem sextum, probatur, quia eodem die, quo Deus vidit iam creata cætera animantia dixit, *faciamus hominem*, & creauit illum, vt ex eadem narratione Geneseos constat.

Explicatur quæstio.

2. *Obiectio ex tranquilla narratione Moysis.*

Dicere verò potest aliquis, in eo capite non dici omnia illa esse facta die sexto, & ideo potuisse creationem hominis fieri alio die post illum, in quo cętera animalia creata fuerunt. Respondetur, quamuis expressis verbis id non dicatur, nihilominus ex modo narrationis manifestè colligi. Primò, quia postquam de creatione brutorum dictum fuit, *& vidit Deus, quòd esset bonum*: non statim additur, sicut in cæteris diebus, *& factum est vespere & mane dies sextus*, sed continua narratione dicitur, & ait, *faciamus hominem*, ex quo clarè significatur, opus illius diei non fuisse in animalibus brutis terminatum, neque diem sextum completum, nam idcirco non sunt addita verba, quibus id significaretur, sed alia potiùs, quibus prosecutio, & consummatio operis eiusdem diei narraretur. Et postea in fine additur, *& factus est vespere & mane dies sextus*. Vnde idem confirmatur ex initio cap. 2. *Igitur perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum*, vtique in illis sex diebus, quorum historia in cap. 1. præcesserat: ergo in illis supponitur creatus homo, qui ad perfectionem, & ornatum mundi pertinet maximè. De hoc ergo tempore creationis

Explicatur.

Confirmatur.

Adæ

Adæ nulla quæstio, vel dubitatio esse potest, aliqua verò ratio vel congruentia huius temporis reddenda est.

Primò enim interrogari potest, cur Deus hominis productionem in vltimum locum reseruauerit, cùm homo cæteris animantibus perfectior sit. Quam quæstionem mouent plures Patres in Gen. & alijs locis cum Philon. lib. de opif. mund. Et varias reddunt rationes. Prima esse potest, quia homo compositus est ex spiritu, corpore, & ideo cõueniens fuit priùs creaturas purè spirituales, & purè corporeas, & deinde humanam ex vtraque compositam fieri. Quę ratio insinuatur in c. firmiter, de sum. Trin. cùm dicitur, *Deus ab initio temporis vtrang; de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem & deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* Eam expressiùs nobis exposuit Nazian. orat. 38. de Christi natiu. vbi cùm de rerũ visibilium, & inuisibilium creatione verba faciset, subiungit, *Animum mentemq; & sensus sic inter se disponere, similes sui se continebunt, effectorisq; veri imaginem in se sese ostendebant: nondum aut vtriusq; temperatio vlla erat, aut contrariorum mistura, quæ submissioris sapientiæ, ac circa naturarum creationem variatæ, & excellentiæ specimen exhiberet neq; omnes bonitatis diuinæ notas, atq; impressas erant. Hoc igitur cùm artifici verbo ostendere placuisset animal vnum ex vtroq; hoc est, ex inuisibili, ac visibili natura hominem fabricatur.* Et hanc rationem referendo Nazianz. commendat Damasc. lib. 2. de fide, cap. 12. addit verò aliam idem Gregor. dum ait, creasse Deum hominem, alterum quendam mundum, in paruo magnum in terra collocando. Tertiam etiam indicat, dum ait, creasse Deum hominem, eorum quæ in terra sunt Regem. *Opo, tebat autem*, vt idem Nazian. orat. 43. dicit, *vt Regis palatium prius construeretur, in quo postea Rex introduceretur. Quippe* (ait Nyssen. lib. de homine, c. 2.) *consentaneum non erat Imperatorem existere prius quàm eos, quibus erat cum potestate præfuturus. Præparato nimirum ante omnia imperio, tum deinde proximum erat regem designari.*

Copiosiùs verò punctum hoc prosequitur Ambros. enarrat. 1. ad Horontian. quæ in primo tomo habetur. Cùm enim Ambros. in Exaëmer. dubitationem hanc non mouisset, nec rationem istius ordinis in operibus Dei reddidisset, admonitus ab Horontiano, plures illius diuini consilij rationes eidem tradidit, quas attingendo eius verba breuiter percurremus. Prima est. *Etenim qui conuiuium parat, & ille euangelicus diues omnia priùs adornat, & tunc amicos ad cœnam inuitat.* Secunda. *Quid est mũdus nisi quidam agon plenum certaminis.* Et infra, *Q. asi athleta igitur postremus ingreditur in agonẽ* &c. Tertia. *Specta aliud, in omnibus rebus præstantiora sunt principia, & finis.* Et infra, *Nouissimus homo quasi quædam cælestis interris creatura.* Et infra, *Rectè in constitutione mundi primum cælum, & nouissimum cælum.* Et infrà clariùs, *Meritò ergo postremus quasi finis naturæ formatus.* Quartam item rationẽ de imperio hominis ab illis verbis prosequitur. *Vtrumq; igitur præstantissimum, vt & subiectas haberet omnes mundi opes*, &c. Quintam insinuat, dum ait, *Processit postremus creaturarum homo, specie gratus, mente sublimis, vt omni esset creaturæ miraculo*, & alia, quæ ibi prosequitur.

Denique Nemesius lib. de Natura hominis, cap. 1. optimè exponit, naturæ auctorem gradatim (vt ait) & concinnè in rerum creatione progressum esse. Atque ita ab imperfecto ad perfectum procedendo priùs res inanimes, deinde plantas vitam sine sensu habentes, postea sentientia bruta: tum imperfecta, tum etiam in suo gradu perfecta procreasse. Tandem verò animal rationis compos reddidisse, *non solum quòd cùm omnia propter ipsum essent condita, oportebat, primò quæ ad vsum illius pertinebant parata esse deinde eum, qui eis vsurus esset, produci, sed etiã, vt animaduertam, & qua ratione, & quas conueniens sensu natura percipitur, facta esset, oportebat esse quoddam vinculum vtriusq; vt vnum esset hoc vniuersum sibiq; consentiens, nec à seipso alienum. Proinde homo genitus est animal, quod vtramq; naturam coniungeret.* Quasi dicat, hominem esse ligamen, & vinculum, & quasi nexum totius vniuersi, & ideo conuenientissimè vltimo loco creatum esse. Addit Theod. q. 20. in Gen. *Deum cùm creaturam sensitiuam, & intellectiuam creasset, hominem postremò creasse, veluti sui quandam imaginem, medium illum ponendo inter animata, & inanimata sensitiua, & intellectiua, vt vtraq; quidem tam animata, quàm inanimata, vsum illi veluti quoddam tributum præberent: naturæ verò intellectiuæ dum hominis curam gerunt, beneuolentiam erga creatorem demonstrarent.* Denique Chrys. homil. 8. in Gen. id declarat exemplo regis, ciuitatem ingressuri, quem satellites præcedunt. *Nam ita* (inquit) *Deus, hominem quasi regem rebus terrenis præfecturus, priùs omnem hunc ornatum fabricauit, & tandem perficiendum hominem produxit, declarans factu istis, quanto honore hoc animal prosequatur.*

Rursus verò interrogari potest, cur Deus eodem die hominem cum animalibus brutis creare voluerit, & non potiùs tam insigni operi peculiarem diem multo magis quàm luci, & stellis destinauerit. Sed fortasse necessarium non est in his omnibus circumstantijs peculiaria inuestigare mysteria, nam in multis tota ratio facti est voluntas facientis. Probabilis tamen ratio, & (vt ita dicam) literalis esse videtur, quod commune est homini cum animalibus sexto die creatis, vt ex terra quãtum ad corpus formetur, & propterea eodem die cum cæteris creatus est. Accedit, quòd Deus statuerat intra sex dies suum opus perficere, & in septimo requiescere propter alias suæ prouidentiæ rationes suprà tactas, & ideo facta cõgruenti distributione omnium operum per sex dies, sextum ad producendos omnes animantes, quæ propriè terram inhabitant, & ornant, destinauit. Inter hos autem præcipuus est homo, quem non oportebat tardiùs, seu diutiùs procreare. Denique addi potest, quamuis eodem die hominis productio facta narretur, nihilominus longè fuisse digniorem, & ideo singularibus verbis, & dignitatem præ se ferentibus referri, vt suprà expendimus. Vnde fortasse vt ex oppositis, rationalibus, scilic. & irrationalibus, iuxta se positis clariùs hominis excellentia demonstraretur, ideo sine maiori mora homo eodem die cum cæteris animantibus creatus est.

6. *Interrogatio secunda cui satisfit multipliciter.*

1.

2.

3.

4.

5.

Super est dicendum de creatione Euæ, de qua nonnullum dubium est, quo tempore creata fuerit. Duæ namque extremæ sententiæ inueniuntur. Prima est Caietani dicentis, Adam, & Euam non solùm eodem die, sed etiam eodem momento fuisse creatos, sicut cætera animalia in vtroque sexu creata sunt. Propterea quod Genes. 1. dicitur: *Creauit Deus hominem*, vbi per hominem, non Adã, sed speciem hominis in vtroque sexu Caietanus intelligit, quia statim additur, *masculum, & fœminam creauit eos.* Sed hæc sententia in secundo capite reprobata est ex manifestis Scripturę locis, in quibus dicitur Adam primum, vel solum fuisse creatum, vt ex eo quòd Eua formata fuit ex costa Adæ, nam quia in hoc errauit Caietanus, ideo in alterum errorem inductus est. De illa ergo sententia iam dicta sufficiunt.

7. *De creatione Euæ specialiter, quo tempore fuerit.*

1 *Sentent. Caietani Eius fundã.*

Vnde sit hæc sententia cõuincenda.

Non oberit autem scire nonnullos ex antiquis Iudæis in illo fuisse errore, vt crederent, masculũ, & fœminam simul fuisse creatos in specie humana, propter prædicta verba Genes. 1. Vt tamen ea, quæ in cap. 2. Genes. referuntur, sustinerent, aliud portentum, & inanem fabulam inuenerunt. Nam quidam dixerunt, Adam duas habuisse vxores, vnam simul cum illo creatam, & aliam postea ex illo formatam. Ita refert Petr. Comestor in historia Scholastica. Verũtamen hic error & repugnat aliis

8 *Quorũdam Iudæorum error idem.*

Reijcitur duplicitèr.

testimonijs, in quibus dicitur, Adam priùs fuisse solum, & primum creatum, & præterea nouum addit figmentum, non minus historiæ Genesis repugnans. Nam ex toto discursu trium priorum capitum Genesis euidenter constat, tantùm fieri mentionem vnius vxoris Adæ, & eandē dici formatam de costa Adæ, & ante illam formationem Adam dici fuisse solum.

9. *Alter error Hebræorū.*

Neque minus damnabilis est, alius Hebræorum error, de quo Rabbi Moyses *in Gen.* dicentium Euam non solùm fuisse creatam simul cum Adam, sed etiam fuisse illi vnitam, & lateri eius indiuisè coniunctam, vt hoc modo saluent, quod postea dicitur Euam fuisse formatam ex costa Adæ. Nam hanc formationem in hoc solo putant consistere, quòd tunc dormiente Adam separauit Deus Euam à latere eius. Quem errorem vel ferè similem obiter refutat August. lib. 3. Gen. ad liter. cap. 22. Et eundem inter fabulas, & monstra Iudæorum cōputandum esse meritò dixit Lyra in cap. 1. Gen. circa illa verba, *masculum, & fœminam creauit eos*, & facilè refutatur, tum ratione, quia fingit mōstrosam creationem sine fundamento. Tum ex littera Genesis, ibi, *tulit vnam de costis eius, & ædificauit in mulierem.* Ex quo euidenter cōstat, Euam fuisse creatam diuisam, & separatam ab Adam, nam costam, quam tulerat Deus de Adam, id est, diuiserat, & separauerat, ab illo, ædificauit in mulierem, vt ca. 2. dicitur. Ergo creata est Eua diuisa, & separata, ab Adam. Item dicitur, *tulit costam, & repleuit carnem pro ea.* Si autem sola diuisio inter duo corpora priꝰ continua fuisset facta, nulla necessitas fuisset replendi carne latus Adæ. Et præterea non magis dici posset Eua formata ex Adamo, quàm Adam ex Eua. Neque etiam magis dici potuisset prius fuisse Adam solum, quàm Euam, ac subinde falsum fuisset illud, *Adæ non inueniebatur similis sibi.*

Ab Augustino & Lyra explodituꝛ.

Et ratione conuincitur.

10. *Concluditur Euam postAdam fuisse conditam. 2. Sententia in ordine, quæ de mora intercesserit. Cathorini responsio vnde refutanda. D. Thomæ responsio. Sequitur Carthus. fauens Chrysost. Origen. Gregor.*

His ergo reiectis erroribus, vt certum supponimus, Euam nullo modo fuisse creatam simul tēpore cum Adam. De tempore verò, quod inter vtriusque creationem interceſsit, est secunda opinio, asserens, Euam non fuisse creatam eodem die, quo Adam, sed die septimo, vel post illam. Primùm enim creatam fuisse in septimo die asseruit Catherin. contra quem disputauimus lib. præcedenti, cap. 12. Fuisse verò creatam post septimum diem, sentit D. Thomas 1. p. q. 73. art. 1. nam in argumento tertio opponit, post septimum diem multa fecisse Deum, & in solutione respondet, nihil esse factum post septimum diem, *quin aliqualiter in operibus sex dierum præexistat, saltem materialiter.* Et addit, *sicut quod Deus de costa Adæ formauit mulierem.* Quam sententiam sequitur Carthus. *in Gen.* & fauet Chrysost. homil. 10. in Gen. quatenus ait, quādo Deus benedixit hominibus, dicens, *Crescite, & multiplicamini*, nondum fuisse creatam Euā. Quod etiam ibi sentit Origenes. At in hoc significant sub creatione hominis, quæ sexto die facta narratur, Euam non comprehendi. Et simili modo allegari potest pro hac sententia Gregor. lib. 32. Moral. cap. 9. alias 10. quatenus tractans illa verba, *masculum & fœminam creauit eos* dicit, *nec dum Eua facta describitur, & iam homo masculus & fœmina perhibetur, sed quia ex Adæ latere proculdubio Eua erat processura, in illo iam computatur per substantiam, à quo erat producenda per formam.*

11. *Suadetur D. Thomæ responsio. Primo.*

Potestque suaderi hæc sententia, quia inter creationem Adæ, & Euæ tam multa narrantur facta Gen. 2. vt verisimile non videatur in eodem die vtranque creationem esse factam. Declaratur, quia Adam non videtur in principio sexti diei, sed potiùs versùs finem fuisse productus, cùm priùs eodem die cætera animalia terrestria creata fuerint. Deinde Adam postquam est creatus translatus est in Paradisum, & postea animalia omnia ad illum adducta sunt, & omnibus nomina imposuit, & tandem formatio Euæ sequuta est: ergo nō est verisimile illa omnia in eodem sexto die fuisse facta. Confirmatur, quia illud opus imponendi nomina animalibus ad opera sex dierū, seu, quod perinde est, ad ornatum vniuersi parū pertinuisse videtur, cùm solum ad vsum communitatis hominum fuerit necessarium: ergo verisimile est hæc omnia, quæ de creatione Adam, & Euæ ibi facta narrantur, post sextum diem facta fuisse, & consequenter etiam Euam fuisse creatam post illum diem, & fortasse etiam post septimum, quia in septimo requieuit Deus ab omni opere, quod patrarat.

Secundo.

Confirm.

12. *Probabilius responsio.*

Nihilominus dicendum est, probabilius videri, Euam sexto die fuisse creatam. Hanc conclusionem docuit Bonauent. in 2. d. 18. art. 1. q. 2. ad 1. & tenent super Gen. Lipom. in id cap. 2. ædificauit costam, &c. & Perer. lib. 4. in id, *Faciamus creaturorium*, & Molin. *in dicto opus disp.* 22. & Castro verbo Adam, hæresi 6. & Valentia in 1. tom. disp. 7. q. 1. p. 2. ad 1. Caietani. Sumiturque hæc sententia ex Iosepho 1. Antiquit. cap. 2. & ex Beda in Exaemer. & Theodoret. q. 21. Ambrosi. lib. 6. Exaemer. cap. 1. & August. lib. 6. Gen. ad liter. cap. 5. & 6. quatenus dicunt, Deum in sex diebus omnia opera sua consummasse. Et idem sentit Richard. lib. 2. in Gen. si attentè legantur, quæ docet cap. 7. & 8. 12. & 13. Euidentius hoc docet Augustinus in locis statim allegandis. Probatūrque primò, quia Gen. 1. cùm dicitur post cætera animantia creasse Deum hominem ad imaginem, & similitudinem suam, statim additur, *masculum, & fœminam creauit eos.* Quæ verba non minus Euam, quàm Adam comprehendunt, neque est vlla ratio, cur magis illud fit dictum per anticipationem de Eua, quàm de Adam. Neque etiam est verisimilis expositio, quòd masculum creauerit in actu, fœminam verò in potētia, cùm de vtroque pariter, ac subinde in eadem significationem dicatur. Præsertim quia nec secundùm verbi proprietatem, neque iuxta illius vsum, in toto illo capite res creari dicitur, nisi quando in se actu producitur. Confirmatur hoc maximè ex verbis sequentibus, *crescite & multiplicamini*, nam hæc verba ad duos dirigūntur, per quos posset species humana in suis individuis multiplicari, masculum scilicet, & fœminam. Sed illa verba dicta sunt sexta die, in qua referuntur: ergo in eadem iam erat creata Eua. Valde enim violentum est, dicere, loquutum esse Deum ad Adam solùm, tanquam ad duos, quia in potentia Euam continebat, quia neque congruæ locutionis vsus hoc habet, neque Adam solus, & nondum habens adiutorium simile sibi intelligere poterat, quomodo filios posset generare. Et præterea benedictio & fœcunditas vtrique parenti data est: debuit ergo priùs vterque subsistere. Et hanc totam expositionem illorum verborum confirmat satis clarè August. lib. 3. Gen. ad liter. cap. 12. in fine, & euidentiùs lib. 6. cap. 2. cuius aliqua verba infrà referemus.

Suadetur 2.

13. *Suadetur 2.*

Secundò probatur eadem sententia ex principio Geneſis 2. *Perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum.* Quod de sex primis diebus intelligitur, vt in fine præcedentis libri probauimus. Ergo etiam creatio Euæ sexto die facta est. Probatur consequentia: quia post sextum diem Deus nihil omnino nouum creauit, vt in fine libri præcedentis ostensum est. Respondetur posse ex D. Thom. supra, Deum post sex dies nihil creasse totaliter nouum: Euam autem non fuisse aliquid totaliter nouum, quia materialiter præexistebat in costa Adæ, vel (vt alij dicunt) quia iam præexistebat in sibi simili. Et consequenter dicetur, productionem Euæ non pertinuisse ad perfectam mundi creationem

Beatus D. Thom.

nem, & dispositionem, seu ad completum eius ornatum, quia totum hoc per creationem hominis virtute factum est, quia in ea Eua potentia continebatur.

Sed hæc non satis faciunt, quia Deus non tantùm dicitur cessasse die septimo ab opere creationis rigorosè, seu ex nihilo, sed etiam ab opere productionis ex præiacente materia, quod fit modo proprio auctoris naturæ, neque potest per causas secundas modo naturali fieri, & ideo suo modo creatio dicitur. Productio autem Euæ licèt fuerit ex præiacente materia, fuit tamen per modum creationis posteriori modo sumptæ, nec continebatur sufficienter in virtutibus seminalibus causarum secundarum. Ergo à die septimo, id est, in illo, & in sequentibus à tali opere cessauit Deus. Ergo factum est in die sexto. Vnde etiam fit, pertinuisse ad perfectionem vniuersi, & completum ornatum eius, quia omne opus pertinens ad completam naturæ institutionem, pertinet etiam ad completum mundi ornatum, sed huiusmodi fuit Euæ productio: ergo. Probatur minor, quia ad plenam naturæ institutionem pertinent omnes causæ necessariæ ad conseruationem, & propagationem specierum corruptibilium, præsertim perfectarum. Sed huiusmodi causæ in animalibus perfectis non sunt perfectæ, & sufficientes sine masculo, & fœmina, & ideo cætera animantia sunt intra illos dies producta. Ergo multo magis humana natura ita creari debuit, & in illa etiam vtriusque sexus productio ad complementum vniuerii pertinuit. Quæ ratio sumpta est ex D. Thoma 1.p.q.92.art.1.vbi ad 1. ita concludit, *& ideo instituendo naturam non solum marem sed etiam fœminam produxit.*

Ad fundamentum contrariæ sententiæ iam suprà dictum est, idem opus creationis hominis in primo, & secùdo capite Genesis referri, sed in primo per compẽdium: in secundo verò modus operis explicatus est. Vnde ait Augustinus lib. illo 6. ca. 2. *Sexto die etiam Paradisus plantatus est, & ibi homo collocatus est, & soporatus est, vt Eua formaretur, & ea formata euigilauit, eique nomen imposuit.* Illa ergo omnia, quæ humano modo longum tempus postulare videntur, diuina virtute intra sextum diem, imò intra illius diei partem facilè fieri potuerunt. Nam in primis, licèt incertum nobis sit qua hora illius diei Adam creatus fuerit, vt rectè dixit Abulensis in cap. 13. Gen. q. 607. nihilominus facilè creari potuit hora matutina circa Solis ortum, vel post vnam, aut alteram horam. Quia productio cæterorum animalium subitò ad vnum Dei imperium facta est, & ideo vel in momento, vel in breuissimo tempore pro Dei arbitrio facta est. Neque oportuit creationem hominis per multas horas differri, neque ad id cogitandum, in Scriptura est fundamentum, aut occasio. Nam postquam dixit, *Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumẽta, & omne reptile terræ in genere suo, & vidit Deus, quod esset bonum.* Statim subiungit, & ait, *Faciamus hominem.* Igitur paulo post creationem aliorum animalium, formauit Deus hominem de limo terræ, & post breue tempus illum transtulit in Paradisum, vt capite sequenti videbimus.

Ad illum verò ibi iam constitutum iussit Deus adduci animalia, vt eis nomina imponeret, vt Gen. 2. dicitur. Potuit autem hæc actio multo antemeridiem incipere, & intra paucas horas consummari. Quia putandum non est, omnia indiuidua animalia specierum omnium fuisse Adamo præsentata, quia non omnibus indiuiduis erat nomina impositurus, neque ad alium finem erat id necessariũ. Tantùm ergo adductæ sunt omnes species in singulis indiuiduis, vel ad summum in mari, & fœmina. Atque ita intelligenda est distributio illa, *Formatis Deus de humo cunctis animalibus terræ, adduxit ea ad Adam. Ea*, scilicet, quo ad eorum species, vt significauit Aug. in lib. 9. Gen. ad liter. cap. 12. scribens Adam animalibus terrestribus, ac volatilibus ad se congregatis, generatim, & distinctis, tunc nomina imposuisse. Postea verò piscium generibus paulatim cognitis nomina esse imposita. Et id latiùs explicuit Abulens. Gen. 13. q. 326. Illa verò animalium congregat. o, & adductio Angelorum ministerio facta est, vt ijdem Patres notat, Augustinus dicto lib. 9. cap. 14. & Abulens. eodem cap. 13. q. 339. At verò Albinus, seu Alcuinus q. 54. in Gen. ait, *Deum adduxisse animalia nõ circa tu locali, sed occulto nutu suæ potentiæ voluisse vt venirent.* Sed illud prius est probabilius. Vtroque autem modo manifestum est, totam illam actionem, & nominum impositionem intra paucas horas fieri potuisse. Ac subinde formationem Euæ, quæ statim subsequuta est, ante illius diei finem facillimè potuisse perfici, & ita totum illius diei opus consummari.

17. Cur autem ante formationem Euæ Deus voluerit, vt animalia omnia priùs ad Adam adducerentur, tractant ibidem expositores, & August. quidem significat, licèt credendum sit ita factum esse, sicut ad literam Scripturæ narrant: nihilominus non posse à nobis sufficientem rationem literalem illius facti reddi, sed aliquod mysterium, & significationem rerum futurarum cõtinere, quãuis nos illam ignoremus. Tamen Abulens. dicto cap. 13. q. 330. & sequentib. plures rationes adducit, quæ in eo videri possunt. Illa quidem maximè probabilis est, voluisse Deum, vt Adam ante creatam Euam omnia animalia distinctè cognosceret, & in omnibus speciebus marem, & fœminam esse videret, vt & desiderio habendi sociam similem sibi accenderetur, eamque postea commendatiorem haberet, quod inspectis cæteris omnibus viuentibus adiutorium simile sibi in eis non reperisset. Sic ferè Ambros. lib. de Paradis. cap. 11. *Simul accipe, qua causa omnia deducta sint ad Adam, vt in omnibus videret vtroque sexu substantiam constare naturæ, id est, ex masculo & fœmina: vt ipse vsu exemploque cognosceret necessarium sibi consortium mulieris adiectum.*

Quæstiuncula.
Augustini responsio.
Alias profert Abulẽs. Vna ex Ambrosio maxime arrides.

18. Ad vltimam denique obiectionem sumptam ex illa nominum impositione, non defuerunt qui dixerint, non esse ad literam, & vt sonat accipiendam, sed secundùm aliquam metaphoram, seu allegoricum sensum. Ita refert ex Mose Barcepha, Pereir. lib. 5. in Gen. circa principium, illa verba exponens. Merito tamen illa sententia reprobata est, quia sine fundamento litteralem sensum Scripturæ auertit. Alij dixerunt, illam nominum impositionem non esse factam sexto die, sed multo post, quia non oportet, vt res eodem ordine fiant, quo narrantur. Tamen narratio Scripturæ videtur tam clara, vt nulla ratione illa sententia admittenda videatur. Præsertim quia animalium adductio ad Adam ante creationẽ Euæ facta fuit, vt dictũ est, & hoc supponunt Patres, cũ illius ordinis rationẽ quærunt. Ergo & impositio nominũ tunc facta est, quia eodẽ modo, & cõtextu in Scriptura narratur. Imò propter hunc finem saltem proximũ, & immediatum fuerũt animalia tũc ad Adamum adducta. Ac demũ supposita dicta animalium præsentia opportunissimum fuit tẽpus, vt eis Adam nomina imponeret, vt latiùs Pereir. suprà declarat. Hoc ergo posito ad obiectionem dicimus, illam nominum impositionẽ pertinuisse aliquo modo ad vniuersi ornatum, vt principatus hominis super omnia animantia statim ostenderetur, *& vt* (inquit Alcuinus suprà q. 55.) *homo ipse statim intelligeret ex rationis discretione quãto melior esset cunctis animãtibus, & eo magis conditorem suum diligeret*

Ad 3. in eodem nu. 11. responsio Barcephæ refellitur.

Aliorũ responsio reijcitur multipliciter.

Probatior responsio.

diligeret. Ac denique sicut animalia prius creata sunt, quàm ipse homo, quia ipsi præparabantur. ita etiam priusquam inciperet societas hominũ, nomina sunt animalibus imposita, vt postea vsus eorundem animalium hominibus in societate viuentibus esset facilior.

CAPVT V.

Vtrùm primi homines in Paradiso terrestri, vel extra illum creati fuerint.

1. *Munitur via ad quæstionẽ quantũ ad Adam*

DE hac circunstantia creationis hominis non fit in Scriptura expressa mentio: nam de Adã solùm dicitur Gen. 2. creasse illum Deum de limo terræ: quæ autem fuerit illa terra, vel vbi homo fuerit formatus, ibi non dicitur. Statim verò interponit Moyses narrationem de Paradisi plantatione. *Plantauerat autem Deus Paradisum voluptatis à principio.* Et addit, in eo posuisse Adam, dicens, *In quo posuit hominem, quem formauerat.* Ex quibus verbis oritur dubitatio, an Deus creauerit Adam intra, vel extra Paradisum: quia duobus modis potuit illum in Paradiso ponere. Primò formando illum in ipso Paradiso. Secundò extra Paradisum illum creando, & postea in Paradisum illum trãsferendo, neuter autem istorum modorum videtur in illis verbis satis explicari.

2. *Deinde quantũ ad Euam.*

1. *Quæstionis difficultas.*

Secunda.

Et hinc nascitur simile dubiũ de muliere, quia si Adam fuit intra Paradisum creatus, sine dubio etiam Eua in eo loco creata fuit, tamen si Adam fuit extra Paradisum productus, res erit magis dubia. Videtur tamen consequenter idem esse dicendum de Eua, quia non debuit in nobiliori loco creari, quàm vir. Et potest hæc pars suaderi, quia Eua in illo loco creata est, in quo Deus adduxit animalia ad Adam, vt eis nomina imponeret, vt ex contextu Gen. 2. colligitur, sed locus ille non fuit Paradisus, quia in illo animalia bruta non habitabant, nec in illum ingrediebantur, teste Damasc. lib. 2. de Fide, cap. 11. quia non decebat illius loci dignitatem: ergo extra Paradisum erat Adam, quando ad eum adducta sunt animalia: ergo etiam Eua extra Paradisum creata est, & à fortiori etiam Adam. Confirmatur, quia præceptum illud, *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas,* datum est Adæ statim ac translatus est in Paradisum, sed simul etiam impositum est Euæ: ergo illa simul translata est, ac proinde iam erat creata. Consequentia nota est, & maior habetur Gen. 2. Minor autem probatur, tum ex verbis ipsius Euæ, *præcepit nobis Deus,* tum quia aliàs Eua comedendo non peccasset.

Tertia.

3. *Assertio bipartita.*

Dicendum autem est, Adamum extra Paradisum, Euam verò intra Paradisum fuisse conditã. Hæc est communis sententia, quæ breuiter per partes probanda est. Priorem tradit D. Thomas 1. p. q. 102. art. 4. & est communis Theologorum in 2. d. 18. Et probatur primò ex allegatis verbis Scripturæ, *In quo posuit hominem, quem formauerat.* Ponderandum est enim verbum temporis præteriti plusquam perfecti, *quem formauerat*, nam per illud significatur, priùs hominem fuisse formatum, & postea in Paradiso positum. Secundò, paulo post in eodem capite id expressiùs declaratur, dum dicitur: *Tulit ergo Deus hominem*, & posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum: vbi verbum, *tulit hominem*, apertè supponit, iam fuisse hominem, qui ferri posset. Nam verbum *tulit* non significat substantialem productionem, sed localem, sicut verbum *porto*, & similia. Et hoc magis declarat illa repetitio verborum *tulit*, & *posuit*: indicant enim abstulisse ab vno loco, & in alio posuisse, quod non fit, quando res in eodem loco, in qua creatur, constituitur. Tertiò probatur ex verbis illis cap. 3. *Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua assumptus est.* In quibus verbis terra, de qua sumptus est Adam à Paradiso distinguitur, in quo satis significatur, Adam fuisse creatum ex terra existente extra Paradisum. Ratio autem primaria huius facti, de quo nobis ex Scriptura constat, fuit libera Dei voluntas. Rationes autem, seu congruentias huius voluntatis paulo infrà aperiemus, posteriorem partem assertionis tractando.

Prior pars probatur Ex Scriptura primò.

Secundò.

Tertiò.

Prima ratio.

Quæ ratio sit prima.

Secunda ratio.

Interrogari autem solet, quis fuerit ille locus extra Paradisum, in quo Adam fuit creatus. Et communiter fertur fuisse creatum in campo Damasceno, & citatur Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 1. & 2. vbi nihil de hac historia reperio. Illam tamen confirmat Petrus Comestor in historia scholastica cap. 13. Neque ab hac sententia differunt, qui dicunt, Adam fuisse creatum in Ebron, id est, in territorio illius ciuitatis, quam esse communem Chronographorum, & antiquorum Doctorum sententiam testatur Abulens. Gen. 13. q. vlt. in fin. Qui tamen in q. 138. eiusdem capitis cum retulisset, aliquos dixisse, Adam fuisse formatum in Ebron, vel apud illam in campo Damasceno, qui est locus campestris iuxta ciuitatem Ebron, quæ postea ibi ædificata fuit: soluit argumentum eorum, & rem dubiam & indecisam relinquit. Fundamentum autem sumitur ex Iosuæ 14. vbi dicitur de ciuitate Ebron, *quòd Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* Vnde colligi videtur, Adam iuxta Ebron fuisse sepultum. Ex quo vlteriùs infertur, ibi etiam vixisse, ac proinde cum electus fuit è Paradiso, in eum locum translatum, seu reductum fuisse: & hinc tandem concluditur ibi fuisse creatũ. Quia Gen. 3. dicitur emissum esse de Paradiso, vt operaretur terram, de qua sumptus fuerat. Sed meritò dixit Abulens. hoc fundamentum non esse solidum. Tum quia *in dicto loco Iosuæ* 14. non est necesse, nomen *Adam*, sumi vt proprium primi hominis, sed vt commune idem significans, quod homo. Tum etiam quia communis sententia Patrum est, Adam in monte Caluariæ fuisse sepultũ, vt vt in 3. p. q. 46. art. 10. ad 3. in Commentario adnotaui. Vnde aliqui existimant creatum fuisse Adam prope Hierusalem. Sed hoc etiam incertum est. Et quomodocunque locus Iosuæ intelligatur, ex loco sepulturæ Adæ non potest ad locum creationis eius efficax argumentum sumi, quia necessarium non est, vt Adam toto tempore vitæ in eodem loco vixerit: ac proinde non est necessarium, vt ad locum, in quo mortuus est, vel sepultus, fuerit de Authoris Paradiso electus. Nihil ergo in hoc puncto definiendum censeo.

4. *Primum terrigena.*

Responsio.

Fundamentum.

Non tamen videtur ita.

Alterum incertum.

Et sententia incerta.

Authoris iudicium.

Potest etiam obiter interrogari, si Adam fuit extra Paradisum creatus, quomodo fuerit in Paradisum translatus. Duobus enim modis id fieri potuit. Primò vt diuina inspiratione, vel reuelatione notitiam Paradisi acceperit, & voluntatem Dei esse vt illuc tenderet, intellexerit, atque ita propria virtute gradiendo vsque ad Paradisum peruenerit. Alius modus est, vt ministerio sui Angeli custodis subitò in Paradisum translatus fuerit, sicut Habacuc Propheta in Babylonem traductus est. Aliqui probabiliorem putant priorem modum, ita tamen explicatum, vt Angelus sub visibili forma Adam instruxerit de loco, ad quem eundum illi erat, eumque ostendendo viam, comitatus fuerit. Ita sentit Pereir. lib. 4. in Gen. circa illa verba: *Tulit ergo Dominus Deus.* Et eam sententiam Augustino tribuit, apud quem reperire non potui, nec ipse locum designat. Addit etiam congruentiam, & exemplum, nam ita Deus loquebatur cum Adamo per Angelum in forma visibili eodem cap. 2. & 3. Gen. & quia sic Angelus duxit, & reduxit Tobiam. Nihilominus probabilior videtur secundus modus. Primò propter illum modum

5. *Secundum.*

Primum modum amplectitur Pereira & quidam alii.

Secundus modus.

Probatur primus modus.

dum loquendi, *tulit Dominus*, &c. nam illis verbis significari solet in Scriptura peculiaris modus translationis diuina virtute factus, sicut Genes. 5. de Henoch dicitur, *Non apparuit, quia tulit eum Deus*, quod Eccl. 44. & ad Hebr. 11. *translatus* exponitur. Secundò & maximè, quia illa translatio debuit velocissimè fieri, quia intra eundem diem erat Eua in Paradiso formata ex costa Adæ, priùs impositis nominibus animalibus, vt declarauimus, non poterat autem Adam tam velociter illud iter commodè conficere pedibus ambulando. Præsertim si in campo Damasceno creatus fuit. Et in hoc non est simile exemplum Tobiæ. An verò angelus assumpserit formam visibilem ad transferendum Adamum, sciri non potest. Neque ex alijs apparitionibus sumi potest argumentum, quia potuit non esse eadem necessitas, vel congruentia. Quia in hac mutatione necessarium non fuit, angelum loqui ad Adamum, neque aliam actionem visibilem facere præter ipsum motum Adæ.

4. Posterior assertionis pars, videlicet Euam intra Paradisum fuisse creatam, etiam est D. Thomę supra ad 1. & in 2. d. 18. vbi Magist. & alij Theologi consentiunt, & indicant multi ex Patribus, quos capite præcedenti allegaui, in eisdem locis, in quibus docent, Euam in sexto die fuisse creatam. Præsertim sumitur ex Ambros. libr. de Paradis. cap. 4. iunctis 10. & 11. Tribuitur etiam Basil. in homil. 11. Exaemer. & homil. de Paradiso, sed ibi non inuenio. Vide Pereiram lib. 4. in Gen. ad verba illa, *Tulit Deus hominem*, & ad illa, *Faciamus ei adiutorium*. Et probatur ex discursu facto cap. præcedenti circa seriem historiæ cap. 2. Gen. Nam ibi dicitur, Adam statim post suam creationem positum fuisse in Paradiso, & ibi adducta fuisse ad eum animalia, & cæt. postea q; immissum fuisse illi soporem: & ibi ex costa eius formatam esse Euam. Vnde contraria sententia, quam tenuit Ioseph. lib. 1. Antiquit. cap. 1. & sequitur Rupert. lib. 2. in Gen. cap. 32. multum prædictæ historiæ derogat, vt explicabo. Allegatur verò pro ea sententia Tertullian. libr. 2. contr. Marcion. cap. 10. quia dicit, *quòd nemo hominū in Paradiso Dei natus est, ne ipse quidem Adam translatus potius illuc*. Veruntamen ibi singulariter de Adamo Tertullianus loquitur: & cum dicit, *nemo hominū*, de viris optimè intelligitur, id enim causæ inseruiebat, scil. vt inde probaret, verba Ezechielis, *In deliciis Paradisi fuisti*, non posse de humano principe intelligi. Alioqui enim idem Tertullianus eodem lib. 2. cont. Marcion. cap. 4. satis significat, verba illa, *Non est bonum hominem esse solum*, dicta esse de Adamiam translato in Paradisum. Ex quo apertè sequitur, Euam non fuisse creatam antequam Adamus esset translatus in Paradisum. Rationem autem huius facti reddemus respondendo ad difficultates in principio positas: rationem (inquam) id est, congruentiam, nam propria ratio fuit voluntas Dei, cuius consilium non semper, imò verò nunquam hominibus innotescit, nisi ab ipso reueletur.

Prima ergo difficultas erat, quia non videtur verisimile, Deum creasse fœminam in nobiliori loco, quàm hominem. Ad quam dissoluendam in primis considerandum est, qua ratione creauerit Deus hominem extra Paradisum, cùm hic esset iam conditus, & homo in eum statim esset transferendus, vt ibi perpetuò maneret, & vitam in terris beatam ageret, si vellet. Cuius quidem diuini consilij plures rationes redduntur: potissima autem videtur. Quia prior locus debebatur homini secundum naturam suam spectato, & alius excellentior solum conueniebat ei vt in statu innocentiæ, & gratiæ constituto. Nam priori ratione conueniebat illi communis terræ habitatio: posteriori autem titulo præparatus fuit illi locus amœnissimus, & aptissimus, tum ad vitę commoditatem, & salutem, tum etiam ad vitam contemplatiuam, & tranquillam, in terris agendam, cum iucunda, & facili operatione coniunctam. Vt ergo conditionem suæ naturæ ipso vsu, & modo creationis suæ, homo cognosceret, extra Paradisum creatus est, vt postea in Paradisum translatus beneficium magis agnosceret, & in maiori pretio, & æstimatione haberet illud, & ad conseruandum, & custodiendum solicitior fieret.

Postquam autem Adam (in quo tunc tota species humana cōtinebatur) extra Paradisum creatus fuerat, non oportebat, Euam in eodem loco creari, quia iam dicta ratio in illa non vigebat: nam ex creatione hominis suæ naturæ conditionem facilè cognoscere poterat. Sicut etiam si status innocentiæ duraret, alij homines in Paradiso generarentur, & agnoscerent nihilominus, extra Paradisum in suo primo parente virtute fuisse cōditos, ac subinde communem terram suum esse quasi connaturalem locum: Paradisum autem ex dono gratiæ accepisse. Addi etiam potest, Adam ex terra formandum fuisse, & quia Deus præscierat, eum in Paradiso peccaturum, & per peccatum, mortalem efficiendum, ideo noluisse ipsum ex terra Paradisi condere, sed extra Paradisum. At verò Eua non ex terra, sed ex costa Adæ producenda fuit: & ideo non oportuit extra Paradisum fieri, nam licet in eo fuerit formata, nihilominus virtute (vt sic dicam) seu mediatè ex terra, quæ extra Paradisum erat, condita fuit.

8. *Cur Eua intra Paradisum.*

Secunda difficultas sumebatur ex eo, quòd bruta animalia non debuerunt adduci ad Adam intra Paradisum. Propter quod aliqui excogitarunt non fuisse necessarium, vt adductio animalium, & creatio Euæ in eodem loco factæ fuerint, quia non est necesse vt ordo narrationis ordini rerum semper respondeat. Vnde licet Genes. 2. priùs dicatur, tulisse Deum hominem, & posuisse illum in Paradiso, & postea referatur, adduxisse ad illum animalia, nihilominus in re ipsa potuit hoc posterius priùs fieri. Nam in Scriptura nulla est particula, quæ alium ordinem indicet, tantùm enim ait, *Dixit quoque Deus*, &c. Sed hoc nullo modo placet. Quia nulla est necessitas inuertendi ordinem, quē Scriptura ipsa multùm significat. Et quia illa præsentatio animalium coram Adam, proximè ordinata fuit aliquo modo ad creationem Euæ, vt supra ex Patribus notauimus, & indicatur in illis verbis, quæ Deus dixit, & ad illam actionem præmittuntur: *Non est bonum, hominem esse solum*. Et immediatè post narratam impositionem nominum animalium, iterum repetitur: *Adam autem non inueniebatur similis sibi*. Et statim subiungitur, immisisse Deum soporem in Adam. Ex qua narratione sincerè spectata satis clarè colligitur, omnia illa in eodem loco esse facta.

9. *Ad 2. difficultatem in eodem nu. 2. quid nonnulli respondeant.*

Refellitur prædicta responsio.

Dico ergo animalia fuisse introducta in Paradisum, vt Adam eis nomina imponeret. Et ad Damascenum negantem futura fuisse animalia bruta in Paradiso, respondeti potest, esto id verum esset quoad permanentem habitationem, & ordinariam vitam: nihilominus ad illud peculiare factum diuino iussu ingressa fuisse Paradisum, paulo pòst egressura, iuxta prædictam sententiam. Addo verò, probabilius videri, durante statu innocentiæ, ac proinde etiam in illo principio, non fuisse cohibenda animalia, ne in loco Paradisi ingrederentur, vt alij Patres testantur, præsertim Basilius homilia de Parad. & Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 11. Et videtur satis colligi ex cap. 3. Gen. Nam si animalia bruta in Paradiso non inuenirentur, non fuisset ausus dæmon in specie serpentis mulieri apparere, vt rectè Augustinus & Basil. ponderarunt. Imò ipse etiam Damascenus libro 2. de Fide,

10 *Vera responsio.*

de fide, cap. 10. sic ait, *Serpens quoq; familiaris ipsi erat*, id est, hominis, *vt qui cæteris animalibus ad eum accederet, blandisque motibus ad eum veluti colloqueretur.* Vbi clare sentit, habitasse alia animalia in Paradiso ante peccatum. Vnde ne sibi sit contrarius, cùm in sequenti capite dicit, quòd in Paradiso nullū animal rationis expers versabatur, intelligi potest homine inuito, vel quòd nullum ibi erat, quod homini non obediret, ac si non esset rationis expers. Vnde etiam fieret, vt animalia ibi existentia nullum incommodum aut tædium homini afferrēt, imò voluptati esse posset, volatilia videre, & audire, & similia, quæ ad laudem etiam creatoris excitare possent. Denique non frustra Deus dedit imperium homini super omnia animalia, & fecit, vt eis nomina imponeret: ergo non est verisimile omnino fuisse à loco Paradisi ableganda, & ab omni hominum consortio, & vsu separanda. Quin potiùs Anastas. Synai. lib. 7. Exaemer. versùs finem sentit, bruta animalia in eodem die sexto in Paradiso etiam fuisse creata.

11. *Ad difficultatem in eodem n. 2. Responsio Ruperti.*

Tertia difficultas erat de præcepto dato primo homini, vt de ligno scientiæ boni, & mali non comederet, petebatque an datum fuerit post Euam productam, vel antea. Nam Rupert. contendit fuisse datum iam existente Eua, quia vtrūque obligauit, & ideo vtraque imponi debuit. Et hanc opinionem probabiliorem reputat Pererius lib. 4. in Gen. disp. de illo præcepto, ad illa verba, *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas*, q. 1. Diuerso tamen modo, nam Rupertus id dixit consequenter, quia putat, Euam creatam fuisse extra Paradisum, in quo ab illo dissentit Pereira. Et ideo consequenter ait, etiamsi verba illa, *ex omni ligno*, &c. in cap. 2. Gen. ante formationem Euæ referantur, nihilominus per anticipationem illic fuisse posita, re autem vera post Euæ creationem dicta fuisse: neque oportere, vt in hoc ordo narrationis, & facti idem fuerit. Ad hoc autem idem inducitur ex verbis illis Gen. 1. *Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam*, &c. *& sint vobis in escam.* Ex quibus in hunc modum argumentatur. Hæc verba dicta sunt Adæ, & Euæ simul: vel ergo dicta fuerunt ante latum præceptū non comedendi de ligno scientię: & sic præceptum fuit etiam datum post creatam Euam, vel vtrique simul, vel dicta fuere post præceptum Adamo impositum, & hoc non videtur consentaneum formæ illorum verborum. Quia sunt nimis vniuersalia, & sine exceptione, scilicet, *Et vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui.* Nam hæc verba absolutè sumpta etiam arborem scientię comprehendunt, vnde sic dicta post latum præceptum videri possent, aut præcepto contraria, aut illud reuocare: ergo concludendum est, dicta fuisse simul cum præcepto.

Pereira à Ruperto non nihil discrepat.

Eius motiuum.

12. *Authoris responsio.*

Probatur primo ex Script.

Nihilominus contrariam sententiam probabiliorem iudico, nimirum, præceptum illud impositum fuisse Adamo, quam primum in Paradisum introductus est, antequam vel animalia fuissent ad ipsum adducta, vel Eua ex ipso formata. Hoc in primis mihi probat sufficienter ordo narrationis Geneseos secundo. Tum quia nō est ab illo sine magna causa recedendum, tum etiam quia inter verba illa tanta est connexio, & inter res, quæ referūtur, tam conueniens ordo, & series, vt vix credibile sit, non fuisse mentem scriptoris in modo narrandi simul docere, quo ordine illa, quæ narrātur, facta fuerint. Tum præterea, quia datur occasio, etiam cætera, quæ ibi dicuntur, fuisse in narratione postposita, & ante translationem hominis in Paradisum fuisse facta. Tum denique, quia verba præcepti ad vnam personam in singulari dirigun. tur, scilicet, *Præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno Paradisi comedes, de ligno autem boni, & mali ne comedas, in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris*, vbi in quatuor verbis, seu vocibus numerus singularis obseruatur. Et quanuis aliqua illarum Græcè in plurali ponantur, & ita legat Augustinus infra citandus, & Gregor. lib. 36. Moral. cap. 10. alias 13. & Ambros. sæpe in lib. de Paradiso, & alibi, nihilominus in Hebræo legitur sicut in vulgata habetur. Præterquam quòd D. Augst. etiam plurale verbum ad sensum singularis reducit.

13. *Probatur 2. ex Patrib.*

Secundò in hanc sententiam magis inclinat Augst. lib. 8. Gen. ad liter. cap. 17. & eam absolute tradit, vel potiùs supponit Anastas. Sinai. lib. 9. Exaemer. docet Chrysost. homil. 14. in Gen. nam legens in plurali verbum illud, *ne comederitis ex eo*, inquit, *nondum Eua producta quasi vtrique mandaret, dicebat, ne comederitis, manifestans iam inde ab initio, quod vnum sint vir, & mulier, sicut & Paulus dicit, caput mulieris vir.* Idem tenet expresè Ambros. lib. de Parad. cap. 12. & D. Thomas, vel potiùs Thomas Anglicus Gen. 2. vbi ait, datum fuisse illud præceptum Adæ pro se, & pro tota sua posteritate. Quod patet (inquit) quia peruenit ad Euam, significans per Adamum peruenisse ad Euam, sicut peruenire ad posteros, si status duraret. Consentit etiam Abulens. in cap. 13. Gen. q. 217.

14. *Probatur 3. ex congruitate.*

Tertiò afferri possunt optimæ congruentiæ. Prima, quia oportuit præceptum statim in ipso ingressu Paradisi Adæ imponi, quoniam aliàs potuisset priùs de arbore scientiæ sine peccato comedere. Vel è contrario si necessaria erat positiua Dei concessio ad licitè comedendum de fructibus Paradisi, hæc etiam concessa est Adæ in eodem ingressu, cùm dictum est illi, *ex omni ligno Paradisi comede.* Vnde verisimillimum est, hoc dictū fuisse Adæ ante formationem Euæ: illud autem non fuit dictum sine subiuncta exceptione, *de ligno autem scientiæ*, &c. ergo hoc etiam præceptum datum est Adæ ante formatam Euam. Secunda, quia præceptum illud longe aliter Adamo, quàm Euæ datum est, nam Adamo fuit impositum nō solùm vt priuatæ personæ, sed etiam vt capiti totius generis humani, Euæ autem solùm vt singulari personæ: ergo maximè conueniens fuit, vt Adamo soli priùs intimaretur. Tertiò accedit ratio Augustini, *ordinatissime ita fuisse datum præceptum, vt per virum ad fœminam perueniret, iuxta disciplinam Apostoli docentis, fœminas vt domi viros suos interrogent.* 1. ad Corinth. 14.

15. *Admittit Pereira num. 11.*

Ad rationem ergo contrariæ sententiæ sumptam ex illis verbis cap. 1. *Ecce dedi vobis*, &c. In primis concedimus hanc licentiam non fuisse datam ante prohibitionem esus ligni scientiæ, vel non fine illa, quia semper esus illius ligni fuit prohibitus, & ideo nunquam est facta generalis concessio fine illa exceptione. Deinde dico non constare, verba illa formalia aliquando fuisse simul dicta Adamo, & Euæ, potuerunt enim priùs dici soli Adamo, prout referuntur Gen. 2. & postea soli Euæ, statim ac Deus illam formauit. Vnde etiam fieri potuit, vt Eua à Deo immediatè illud præceptum receperit, statim ac formauit illam, priusquam ad virum illam adduceret, & statim ac fuit formata, suum creatorem cognoscens, eius etiam peculiarem legem reciperet, & subiectionem, ac seruitutem ostenderet. Et hoc satis est, vt Moyses cap. 1. referre potuerit, dixisse Deum, *Ecce dedi vobis*, &c. sicut etiam mulier dicere potuit, *Præcepit nobis Deus*, &c. etiamsi non simul, neque eodem modo vtrique præceperit. Denique dico probabilissimum esse, non aliter dixisse Deum illis hominibus, *Ecce dedi vobis*, &c. quàm dicendo Adæ, *ex omni ligno Paradisi comede*, &c. nam dicendo illi virtute dixit vtrique, sicut Ambros. Chrysost. & August. suprà similia verba interpretantur. Nam quod vni dicitur, qui alios continet, vt alijs id promulget, omnibus dicitur. Atq; ita verisimilius etiā est, q̄ citati Patres dicunt, præceptū illud per Adamum ad Euam peruenisse.

CA-

CAPVT VI.

De Paradiso terrestri, quis, vel qualis locus fuerit, vel sit.

QVoniam in præcedenti capite mentionem fecimus de Paradiso, quem Deus in principio mundi ad hominum habitationem plantauit, vt refertur Geneſis ſecundo, & quia illius cognitio, & ad fidem pertinet, & ad omnia, quæ de ſtatu hominum ante peccatum dicenda ſunt, neceſſaria eſt, ideo in hoc capite diſputationem de illo inſtituimus, & in eo breuiter multa colligemus, quæ de hoc Paradiſo ab authoribus tractantur. Inter quæ præcipua quęſtio, & ferè ſola ad fidem pertinens eſt, an hic Paradiſus verè fuerit terreſtris, id eſt, in terra plantatus, & conſequenter, an omnia, quæ de illo in Geneſi dicuntur, ſint ad literam, vt ſonant, vel tantum in metaphorico, vel myſtico ſenſu intelligenda.

In hoc enim puncto fuit vetus ſententia dicens, omnia illa eſſe intelligenda myſticè, ac ſubinde Paradiſum non fuiſſe in terra, ſed in cœlo, vel non eſſe rem corpoream, ſed ſpiritualem. Ita ſenſit inter Iudæos Philo in lib. de opific. mundi, verſus finem, & libro primo Allegoriarum, & lib. de Plantat. Noæ, non longe à principio, & libr. de confuſ. linguarum, ante medium. Et antiquos Chaldæos, & Iudęos idem tradidiſſe, refert Eugub. Gen. 2. Inter hæreticos vero Valentin. dixit, eſſe veritatem, ſeu Archangelum quendam in tertio cœlo exiſtentem, vt refert Irenæus libr. 1. contra hæreſes, c. 1. parum ante medium, & Tertullian. libr. contra Valentinianos, c. 20. Præcipuè vero in hoc errauit Origen. ſuper Gen. vt notat Epiph. in epiſt. contra Ioan Hieroſol. & in Anchorato, Auguſt. etiam in l. de hæreſ. cap. 59. Seleucianos, & Hermianos refert, negaſſe viſibilem Paradiſum: & in eodem errore fuiſſe Franc. Georgium, refert Sixtus Senenſis l. 5. Biblioth. annotat. 106.

Neque deſunt, qui putent, Ambroſium in hac fuiſſe ſententia, quia in libr. de Paradiſo, & in ep. ad Sabinum Epiſcopum, quæ dicitur eſſe l. 6. epiſt. 46. ita loqui videtur. Sed in Romana impreſſione nunc illę tractatus non eſt inter epiſtolas, & de illo infra num. 10. dicemus. Tamen in lib. 4. epiſt. 31. quæ eſt etiam ad Sabinum, Ambroſius mentionem facit Paradiſi, cum dixiſſet, quod Adam poſtquam peccauit, *ſe abſcondebat, quando Deus deambulabat in Paradiſo*, ſcribit allegorice, *& nunc deambulabat in Paradiſo Deus, quando diuinas Scripturas lego, Paradiſus eſt Geneſis liber*, &c. Et poſtea in diſcurſu allegoricè exponit tunicas pelliceas primorum parentum, & ſimilia. Præterea D. Hieronym. in Quæſt. Hebr. Paradiſum indicat ſpiritualem fuiſſe, nam dicit, ante cælum, & terram fuiſſe à Deo creatum. Anaſtaſ. item Synaita libr. 7. Exaem. hanc referens ſententiam, dicit, fuiſſe plurium veterum interpretum, à qua ipſe non ſe oſtendit alienum.

Suaderique poteſt hæc ſententia, quia ſæpe in Scriptura nomine Paradiſi ſignificatur cæleſtis habitatio, vt Ezechiel 28. *In deliciis Paradiſi Dei fuiſti*, & c. 31. *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei.* & aliquando gloriam ſignificat, vt Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Ergo non eſt incredibile in ſimili ſenſu accipi in Geneſi. Tum quia multa ibi dicuntur, quæ non poſſunt commode, niſi metaphoricè intelligi, vt eſt illud Gen. 3. quod Deus deambularet in Paradiſo, & quod ante Paradiſum collocauerit Cherubim cum flammeo gladio, & verſatili, ad cuſtodiendum Paradiſum. Tum etiam, quia multa alia, quæ de illo Paradiſo dicuntur, difficillime intelliguntur, niſi myſticè explicentur. Inter quæ ſpecialem difficultatem habent, quæ de ligno vitæ, & ligno ſcientiæ boni, & mali dicuntur. De quibus ſpecialiter obijcit Anaſtaſ. Synait. quia ſi eſſent arbores ſenſibiles, eque eſſent brutis animalibus, ac hominibus propoſitæ, & ita bruta poſſent edere de ligno vitæ, & illis non fuiſſet prohibitum edere de ligno ſcientiæ, quæ iudicet abſurda, & ibi plures alias coniecturas accumulat.

Nihilominus ſententia catholica eſt, Paradiſum quem Deus in principio plantauit, fuiſſe locum terreſtrem, & ea, quæ de illius creatione dicuntur cum proprietate, & ad literam eſſe intelligenda. *5. Contraria ſententia catholica.* Hæc aſſertio eſt de fide, & probatur primo ex ſcriptura, quia, vt ſæpe in præcedentibus dictum eſt, & in hoc puncto dixit optimè D. Tho. 1. p. q. 102. a. 1. quæ de hoc Paradiſo in Scriptura dicuntur, per modum hiſtoricæ narrationis proponuntur, ſed in his, quæ Scriptura ſic tradit, eſt pro fundamento tenenda veritas hiſtorię, aliàs nihil eſſet in ſcriptura certum: ergo ita eſt accipienda narratio Gen. de Paradiſo. Poteſtq; hoc confirmari in particulari ex circunſtantijs, & verbis eiuſdem hiſtoriæ. Nam in primis cum Moyſes narraſſet creationem hominis, volens etiam creationem mulieris, quę ad conſeruationem, & propagationem ſpeciei humanę ordinebatur referre, interpoſuit loci productionem, quem Deus homini præparauerit ad indiuidui conſeruationem, & ſuſtentationem, & ad corporalem hanc vitam conuenienter tranſigendam: ergo ſine dubio loquitur de loco corporeo, in quo erant arbores ſenſibiles, & ferentes fructus aptos ad cibum, & ſuſtentationē hominū. *Probatur 1. ex Scriptur.* *Confirm. 1.*

In hac enim proprietate ſine dubio intelligenda ſunt illa verba, *Produxitq; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue.* nam *viſus* ibi propriè pro ſenſu viſus, & verbum *veſcendi* de corporali manducatione accipitur. Alias quod c. 3. dicitur, *Vidit mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis aſpectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit*, &c. non propriè, ſed metaphoricè eſſet intelligendum. atque ita omnia, quæ de peccato primi parentis Eccleſia credit, falſa eſſent. Deinde additur in eo loco fluuium fuiſſe ad irrigandum illum, eumq; in quatuor flumina diuidi, quorum duo, ſcilicet, Tygris, & Euphrates, adhuc ſuis nominibus cognoſcuntur, ille in Aſſyria, iſte in Armenia. Ac denię homo dicitur poſitus in illo Paradiſo, vt operaretur, & cuſtodiret illum, id eſt, vt ipſum coleret corporali, & ſuaui exercitatione, & honeſta corporis occupatione ſine labore, vt ſancti ſtatim citandi interpretantur. Deinde ſerpens ex animantibus terræ erat, & nihilominus dæmon, vt tentaret mulierem, corporalem eius figuram aſſumpſit, & in Paradiſo ad fœminam acceſſit: fuit ergo Paradiſus terræ locus, in quo primi homines habitare cœperunt: Confirmari etiam hoc poteſt ex illo Geneſ. 13. *Vniuerſa* (ſcilicet regio Iordanis) *irrigabatur ſicut Paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus.* Ex qua comparatione recte colligit Auguſt. q. 27. in Gen. quod ſicut terra Iordanis propriè, & ſenſibiliter irrigabatur, ita etiam Paradiſus: alioqui non rectè fieret comparatio, præſertim quia æquè ſit ad irrigationem terrę Ægypti, & Paradiſi. *6. Progreditur confirmatio.* *Confirm 2.*

Secundo eſt hæc communis traditio Patrum Græcorum, & Latinorum: tradit in primis Irenęus libr. 2. contra hæreſ. cap. 55. & lib. 5. cap. 5. quanuis obiter & ſubobſcurè Iuſtinus etiam in orat. Paræneticа ad Gent. verſus finem, vbi dicit Homerum deſcribendo Paradiſum Alcinoi, Moyſi narrationem imitatum eſſe. Item Theophilus Antiochenus l. 2. ad Autolicum, circa medium, optime Paradiſum terreſtrem deſcribit, conſentiunt Chryſoſt. hom. 13. & 19. in Gen. Theod. q. 24. & 29. in Gen. optimè Epiph. hæreſ. 64. & in dict. ep. contra errores Ioannis, & in Anchorato, vbi inter *7. Probatur 2. ex Patrib. Græcis.*

alia dicit, *Si non est Paradisus sensibilis, non est fons, non ficus, non folia non comedit Eua*, &c. *sed veritas iam fabula est.* Anast. Nicen q. 21. & 24. & Anastas. Syna. l. 7. Exaëmer. ad fin. latè, & ex professo Moses Barcepha in lib. de Parad. per totum, vbi in hanc sententiam refert Cyrillum, Dionys. Alexandr. Gregor. Nissen. & alios, & idem habet Basil. hom. de Par. & Damas. l. 2. de Fid. c. 11. vbi ex professo rem tractat. Ac denique Sophron. in epist. quæ refertur in sexta Synodo act. 11. damnat Origenem, & sequaces, qui multa extra Apostolicam, atq; paternam nostram traditionem asseruerunt. Et primo loco ponit Paradisi plantationem reijcientes, quam epist in sess 13. totum Concilium recipit.

8. Inter Latinos Hieronym. Danielis 10. Philonem, & Origenem pungit, dicens, *Eorum deliramenta conticescant, qui vmbras, & imagines in virtute quærentes, ipsam conantur euertere veritatem, & flumina, & arbores, & Paradisum putent allegoriæ legibus se debere subruere.* Idem in epist. 61. ad Pammachium, contra errores Ioannis Hieros. Vnde obiter constat, locum alium ex traditionibus Hebraicis corrigendum esse, vel sano modo interpretandum. Et aliqui dicunt, Hieronym. ibi non ex propria sententia, sed aliorum fuisse loquutum. De hoc autem multum dubito, quia Hieron. his verbis vtitur, *Ex quo manifestissime comprobatur, quod prius quam Deus cælum, & terram faceret Paradisum ante condiderat, sicut & legitur in Hebræo. Plan auerat autem Dius Paradisum in Eden à principio.* Hæc autem verba non sunt referentis, sed valde affirmantis. Vnde considerari potest, si aliquis error est in his verbis Hieronymi, non esse circa veritatem corporalis, & terreni Paradisi, nã indicant fuisse creatam antequam Deus faceret cælum, & terram. Quod quidem si vt in superficie sonat, de tempore ante primum instans creationis cæli, & terræ intelligatur, tam crassus est error, vt verisimile non sit in eo fuisse Hieronymum. Posset ergo componi, vt verba illa, *priusquam cælum & terram faceret*, non comprehendant tantum primam creationem rigorosam, sed simul cum opere distinctionis, & ornatus totius mundi: ita, vt sensus sit, Deum antequam creationem cæli, & terræ consummaret, Paradisum creasse. Hic enim sensus ex regula quadam Iurisperitorum (quod Doctoris sententia iuxta ea, quæ allegat, intelligenda est) comprobari potest, quia ex verbis, quæ Hieron. ponderat, ad summum colligitur, Deum plantasse Paradisum à principio, id est, antequam hominem de limo terræ formaret, vel in aliquo ex primis sex diebus, & nihil amplius colligi potest. ergo credendum est nihil aliud voluisse Hieronymum. Nam verba eius licet non sint facilia, prædictum sensum sine extensione admittunt. Et ita in hoc verissimum est, quod supra diximus, Paradisum in tertio die fuisse plantatum.

Item ex Latinis primus fit Hieron.

Locum alterum eiusdem Hieron. in contrariũ vt aliqui exponunt.

Non placet expositio.

Commodior interpretatio.

9. Secundo allego pro hac veritate Ambrosius in 1. ad Corinth. cap. 6. vbi distinguit duos Paradisos, terrestrem, & cælestem. Et de prioti ait, *Est & inferior Paradisus, in quo homo positus mandatum, & vt operaretur, & vt custodiret accepit.* Scio, dubium esse inter varios doctos de illorum commentariorum authore: veruntamen stylus, & grauitas sermonis valde redolet Ambrosium, vt in illo met capite, & in illis verbis considerari potest. Veruntamen eãdem sententiam idem Ambros. indicat libr. 4. in Luc. circa illa verba, *Iesus autem plenus*, &c. cum ait, *Adam primum ex terra virgine formatum, de Paradiso in desertum eiectum fuisse, & per arborem mortem incurrisse, & spiritualium nudum, arboreis se texisse exuuiis: Christum autem secularium nudum corporis non desiderasse exuuias.* Vbi apertè ad litteram intelligit, quod de arbore scientiæ boni, & mali, & de tegumento ex foliis ficus in Genesi narratur. Ergo similiter ad litteram intelligit, Adam fuisse eiectum de Paradiso terrestri. Et adhuc euidentius idem Ambr. in è narratione de Arbore interdicta ad c. 3. Genes. in 2. tom. in principio, tractans verba capitis secundi, quæ sic legit, *Ex omni ligno quod est in Paradiso ad escam edes: de ligno autem, quod est scientia boni, & mali, non edetis ex eo.* Illa intelligit de vera arbore sensibili, & talia intelligit, fuisse cætera ligna Paradisi, & data in escam, & manducationem corporalem: ergo eodem modo intelligit Paradisum. Vnde infra ait, *Vna arbor fuit in medio Paradisi explorans hominis voluntatem*, &c. quæ in illo, & sequenti capite persequitur, quibus manifestè ostendit narrationem Gen. c. 2. ad litteram esse intelligendam cum proprietate, & Paradisum illum fuisse corporeum, & in terra plantatum, sicut & arbores eius.

10. At verò in enarratione super caput secundum Gen. quæ immediatè ante præcedentem enarrationem in eodem tomo habetur, & ad Sabinum inscribitur, mysticè exponit Paradisi historiam. Et hæc videtur esse, quam alij citant Epist. 42. ad Sabinum, quia in antiquioribus editionibus ita numeratur. Veruntamen ibi non excludit historicum sensum, imò illum breuiter in principio supponit ex Ioseph. lib. 1. ant. cap. 2. & illi adiungit sensum spiritualem, circa quem magis ibi immoratur, quia fortasse magis fructuosum tunc iudicauit: & eodem modo procedit in dicta epistol. 31. & in libr. de Paradiso, vt facile consideranti patebit, præsertim in cap. 12. Atque isto modo exponit ant. quorum Patrum mysticas Paradisi interpretationes Anastas. Synait. dicto libro septimo circa finem, vbi duplicem etiam distinguit Paradisum, & contra Origenem ait, ita esse allegorias Paradisi recipiendas, vt in sensu historico fundentur. Atq; eodem modo Isidorus c. 3. commentar. in Gen. allegorice exponit totam historiam de Paradiso. Et tamen in lib. 2. de Different. spirit. ca. 10. duos distinguit Paradisos, vnum corporalem, & terrestrem, in quo primus homo est conditus, & alium cælestem. Et priorem describit lib. 14. Etym. cap. 13. Denique veritatem hanc maxime confirmat Augustin. dicta q. 27. super Genes. & hæres. 43. quæ est contra Origenistas. Item lib. 13. de Ciuit. cap. 21. vbi improbando eos, qui solum spiritualiter Paradisum intelligunt, inquit, quasi propterea non potuerit esse Paradisus corporalis, quia potest etiam spiritualis intelligi. Et inductis varijs exemplis, & spiritualibus interpretationibus concludit, hæc & siqua alia commodius dici possunt, de intelligendo spiritualiter Paradiso, nemine prohibente dicuntur: dum tamen & illius historiæ veritas fidelissima rerum gestarum narratione commendata credatur. Magisq; ex professo hoc tractat & definit libr. 8. Gen. ad lit. à principio.

Lxx. quidam Ambr. in 2. Sabinum Hieronym. Confirmatur ex dictis Aug. Tertia ratio.

Ratione declaratur, quia Deus potuit condere Paradisum terrestrem, prout significat locum amœnissimum arboribus pulcherrimis, & fructuosis consitum, & magno fonte fœcundum, ac denique habentem omnia, quæ ad hominum habitationem, & ad vitam iucundissimam, & immortalem peragendam accommodatissima essent. Ité voluit illum creare, nam Scriptura eius voluntatem satis declarat, & sine vlla difficultate historice potest intelligi. Denique decentissimum fuit, & diuinæ prouidentiæ consentaneum huiusmodi locum hominibus præparare, quia homo corporalis est, & ideo corporali loco indigebat, & futurus erat viator in terra, & propterea terrestrem etiam habitationem accommodatam habere debuit. Denique vitam immortalem, & suo modo felicem, ac beatam in terris acturus erat, si in innocentia perseuerasset: ergo constitui etiã debuit in loco saluberrimo, & iucundissimo, qui tali statui esset proportionatus, & in quo omnia necessaria ad immortalitatẽ quandã corporis inuenirẽtur.

Talia

Talia autem sunt, quæ Scriptura proprie intellecta de Paradiso terrestri narrat: ergo sine vlla dubitatione ille Paradisus corporalis, & terrestris fuit.

Neque refert quod nomen Paradisi in Scriptura interdum spiritualiter sumatur, quia vix est in Scriptura vox aliqua, quę non aliquando, vel pluries metaphoricè etiam accipiatur, nec tamen ob eam rem licitum erit vbique illam metaphoricè interpretari, quia hoc modo veritas historię, & literalis sensus Scripturæ prorsus euerteretur. Obseruanda est ergo regula generalis sæpè dicta, vt proprietas verborum in primis seruetur, quoad fieri possit, & maximè vbi vel historia narratur, vel fidei dogmata traduntur. In præsenti autem vtrunque agitur, & nihil est, quod metaphoricum sensum requirat: imò, vt inquit Augustin. *Solidius diuini eloquij narratio subsistit, si ea, quæ de Paradiso referuntur in Genesi corporaliter intelligantur.* Quomodo autem singula, quæ ibi dicuntur, propriè intelligi possint, in discursu huius materiæ, explicando innocentiæ statum, ac amissionem eius, declarabimus.

Hac ergo veritate supposita, reliqua, quæ de loco Paradisi inquiri solent, aut possunt, ad fidei quæstiones non pertinent, vt inquit August. libr. 2. de Peccat. original. cap. 23. dicens, *Qualis, vel vbi sit Paradisus, vbi constituit Deus hominem, quem formauit expulsurus, quæstio est præter fidem, cum tamen esse illum Paradisum fides Christiana non dubitet.* Solet autem quæri, an Paradisus fuerit certus terræ locus, vel potius vniuersa terra suis floribus, & arboribus ornata. Aliqui enim id asserere tentarunt, vt refert Hugo de S. Victor. annotat. in Genes. cap. 2. quam opinionem probabilem iudicat, licet illam non sequatur, & illam tribuit Ystella Iosepho primo antiq. cap. 2. sed re vera non ita sentit, narrat enim Deum hortum ad Orientem plantasse, & in eum Adamum cum vxore introduxisse. Quæ de toto orbe dici non poterant; quia vero statim subdit, *Rigatur autem horum ab vno amne, vniuersam in circuitu terram lustrante*: ideo fortasse putauit Ystella sensisse Iosephum illum hortum fuisse vniuersam terram. Sed repugnat hic sensus non solum prioribus verbis, sed etiam sequentibus, cum dicit, amnem illum diuidi in quatuor flumina, quæ per varias mundi regiones discurrunt. Vnde cum dicit, priorē amnem irrigare vniuersam terram, vel loquitur tantum de vniuersa terra Paradisi, prout loquitur Moyses, quem Iosephus imitatur, vel si id referatur ad vniuersam terram, simpliciter intelligendum est, irrigare illam per alia quatuor flumina, in quæ diuiditur.

1. Primum ergo huius sententiæ fundamentum ex hoc ipso sumitur quod scriptura narrat de quatuor fluminibus, quæ ex vno fonte Paradisi oriuntur. Nam illa quotuor flumina non oriuntur ex vno particulari loco terræ: ergo Paradisus non est particularis locus terræ, sed vniuersa terra. Antecedens sumi potest ex Arist. lib. 1. Meteororum, ca. penult. & consentit Beda super Genes. 2. quia dicitur Deus posuisse hominem in Paradiso, *vt operaretur & custodiret illum*, sed homo positus est ad operandam terram vniuersam, seu in omnibus partibus, vel regionibus eius: ergo necesse est, vt nomine Paradisi vniuersam terram intelligamus. Minor de hominibus post peccatum, manifesta est: si autem status innocentiæ duraret, etiam tunc 2. homines in varijs mundi regionibus habitarent: & illas operari oporteret. Vnde argumentor secundo, quia si homo non peccasset, omnes homines viatores in Paradiso terrestri viuerent, nam ab illo solum propter peccatum electi sunt, sed nō possent omnes in vno loco terræ, certis (vt ita dicā) terminis clauso habitare, neq; etiamsi possent, id fuisset conueniens. Ergo necessario dicendum est, non peccante homine, totam terram fuisse futuram terrestrem Paradisum, eo quod spinas, & tribulos non germinaret, sed in quacunq; parte, ac regione magnæ voluptatis esset. Minor quoad priorem partem probatur, quia etiam in statu innocentiæ multiplicarentur homines, non minus, quam post peccatum. Nam benedictio illa, *Crescite & multiplicamini*, ante peccatum data est, & propter innocentiam non minueretur, sicut neque numerus prædestinatorum minor fuisset. Non posset autem paruus terræ locus tantam hominum multitudinem capere, vel certe, licet posset, non tamen commodè, nec conuenienter. Vnde probatur altera pars illius minoris, quia homines futuri erant domini vniuersæ terræ: ergo non fuisset conueniens, vt intra vtrius loci terminos clausi perpetuo permanerent: habitarent ergo per vniuersam terram: ergo tota erat Paradisus ante peccatum.

Nihilominus etiam quæstionem hanc non exi- 15.
stimo pertinere ad res indifferentes, sed ad mate- *Contraria resolutio est tenenda vt fidei proxima.*
riam fidei, vel fidei proxima. Certum enim existimo, Paradisum terrestrem fuisse locum particularem, in regione orbis determinata situm, ita sentit D. Thom. dicta q. 102. a. 1. & Patres superius allegati, præsertim Aug. l. 8. Gen. ad lit. c. 7. & Isidor. l. 14. Etymolog. ca. 3. v. 2. & probatur manifestè ex Scriptura, nam Gen. 2. prius dicitur, formasse Deū hominem ex terra, & postea inde transtulisse illū in Paradisum: ergo euidenter distinguit illa duo tanquam distincta loca terræ, vt suprà etiam declarauimus. Hoc a. locum non haberet, si Paradisus non esset definita, ac limitata pars terræ, alioqui eo ipso quod homo fuisset creatus in terra, fuisset etiam creatus in Paradiso. Deinde post generalem terræ plantationem, seu germinationem tertio die factam, & 1. c. narratam, aliquid speciale nobis referre voluit Moyses in c. 2. dicens, *Plantauerat autem Deus Paradisum voluptatis à principio*: ergo indicare voluit specialem locum alijs excellentiorem. Tertio addit Moyses in fin. c. 3. Deum emisisse Adam post peccatum de Paradiso, non expulit autem de vniuersa terra: ergo Paradisus non est vniuersa terra, sed pars eius. Vnde adiungit, *vt operaretur terram, de qua sumpta est.* Vnde constat in aliam terræ partem fuisse translatum: ergo Paradisus, à quo translatus est, pars alia erat, ab ista condistincta. Denique dicit, electo Adamo, prohibitos esse homines ab ingressu Paradisi, & ideo collocasse Deum Cherubin ad custodiendum Paradisum: est ergo euidens iuxta Scripturæ historiam Paradisum peculiarem terræ locum fuisse. *Probatur ex Scriptura 1.* *Secundo.* *Tertio.* *Quarto.*

Neq; contra hanc veritatem obstant in contra- 16.
rium adducta. Et primo quidem longam petebat *Ad 1. arg. in num 14.*
disputationem de fonte Paradisi, & de quatuor fluminibus, quæ ab illo oriuntur, sed quia res est historica, & à nostro instituto aliena, ideo consulto illam omittimus, & de illa videri possunt Pereira l. 3. in Gen. vlt. disp. de quatuor fluminibus, & Ystella Gen. 2. Ad obiectionem ergo respondemus cum D. Thom. dict. quæst. 102. si aliqua ex illis fluminibus nunc habent distincta principia suæ originis, hominibus notas, re vera non esse illa prima capita, à quibus primam originem, & generationem ducunt, sed prius oriri à fonte Paradisi, & postea sub terris abscondi, & post longum cursum iterum in locis illis erumpere. Quæ fuit responsio Augustini 8. Genes. ad liter. cap. 7. quem sequutus est etiam Rupertus, & 29. Quod ab his Patribus excogitatum videtur ad seruandā Scripturæ veritatem, & quamuis, vt existimo, nullo experimento, vel historia id constare possit, nihilominus vt credatur, sufficiet, quòd nullus alius modus probabilis ad explicandam Scripturā excogitari

excogitari valeat, neque illud est difficile creditu, cum in alijs fluminibus id sæpe contingat.

17. *Ad 2. arg. in eodem n. 14. quid respondeat Augustin.* Ad secundum, quod fundatur in verbis illis, quibus dicitur, Deum posuisse Adam in Paradiso, *vt operaretur, & custodiret illum*, notat in primis Aug. 8. Gen. ad lit. ca. 10. relatiuum *illum*, posse ad hominem, & non ad Paradisum referri, & consequenter verba *operandi, & custodiendi*, non hominem, sed Deum pro suppositio habere, ita vt sensus sit, Deū posuisse hominem in Paradiso, vt ipsum hominem custodiret, & ipsum operaretur: id est, magis, ac magis perficeret ac sanctificaret. Quem sensum præfert Aug. & si illum sequamur, cessat obiectio: imò retorqueri potest, quia ex illo intelligimus, posuisse Deum hominem in Paradiso tanquam in peculiari loco ad eius custodiam, & conseruationem aptissimo, & ad sanctitatem augendam, & contemplatiuam vitam exercendam commodissimum. Veruntamen expositio non est necessaria ad difficultatem soluendam, & iuxta Hebraicam lectionem dicitur, non habere locum, iuxta quam pronomen *illum*, in Hebræo fœminini est generis, & ideo necessario ad Paradisum refertur, qui in eadem lingua eiusdem est generis.

Non est tamen necessaria responsio.

18. *Facilior responsio.* Fatemur ergo positum fuisse Adam in Paradiso ad ipsum Paradisum operandum, & custodiendum. Veruntamen ex illa operatione inferri non potest, Paradisum fuisse vniuersam terram: imò oppositum inferri posset. Tum quia, vt D. Thom. ait, dicta q. 102. art. 3. illa operatio non erat futura laboriosa, ac pœnalis, sed esset facilis, & ad corporalem aliquam, & iucundam exercitationem. Hanc enim moderatam, & voluntariam agriculturam, etiam nunc cum magna voluptate ab aliquibus fieri, experientia notum est, & eleganter declarat Aug. 8. Gen. ad lit. c. 8. & 9. Deinde non fuisset tunc illa operatio quasi coacta, ob indigentiā cibi, sicut nunc est, sed esset vel ad quandam maiorem perfectionem, ac fertilitatem, vel, vt ait D. Thom. esset ad experimentum naturæ, id est, ad experiendas vires terræ, aut seminum, aut plantarum. Multoque minus colligi potest, totum mundum fuisse Paradisum, ex eo quod Adam fuerit in eo positus ad custodiendum illum, imo potius contrarium ex eo verbo probari potest. Nam siue intelligamus Adam fuisse positum ad custodiendum Paradisum à brutis animalibus, ne illum fœdarent, vel nimium conculcarent, siue intelligamus illam custodiam fuisse respectu ipsiusmet Adami, quia datus est ei Paradisus, vt eum sibi custodiret, vtroque modo rectè inde probatur Paradisum fuisse priuatum locum, à quo potuit homo animalia nociua arcere, & quē sibi potuit non peccando custodire, sicut peccando illum perdidit.

19. *Pro 3. arg. in eodem n. 14. sit 2. dubiū quanta fuerit magnitudo paradisi. Resolutio ex August. & ex Barcepha.* In tertio argumento duæ dubitationes indicantur, vna est ac secunda in ordine, de magnitudine Paradisi. In qua simpliciter asserendum est, locum Paradisi fuisse amplissimum, vt significat Augustin. libr. 8. Genes. ad liter. cap. 10. idque ex eo colligit, quod fonte, seu potius fluuio tantæ magnitudinis irrigabatur, vt postea in quatuor capita, & flumina diuideretur, sic etiam dixit Moses Barcepha 1. tom. de Paradiso, cap. 15. *Necessum est spaciosum admodum, atque amplum fuisse Paradisum. Ei enim rei fidem facit ingens illud flumen, quo rigabatur.* At vero Abulens. Gen. 13. q. 98. breuem, & angustū facit locum Paradisi, coniectat enim totum eius ambitum quadraginta milliaria non excessisse. Sed vnde, & qua probabili ratione hunc terminum præfigere potuerit, non video. Quod autem locus nimis spatiosus non fuerit, coniectari potest ex eo, quod iuxta Hebraicam veritatem vocatur hortus, & plantatus dicitur in Eden ad Orientem, & quod in monte aliquo plantatus creditur. Veruntamen quantæ fuerit magnitudinis, incertum est: credibile est a. excessisse circuitum duodecim leucarum quas Abulen. designat, & saltem amplitudinem vnius regni non parui habuisse, propter alteram difficultatem.

Abulensis responsio minus probatur.

Est enim alterum dubium tertiumque in ordine, quomodo in statu innocentiæ in tam paruo loco omnes homines habitare potuissent. Respondent aliqui, non esse necessarium, vt statu innocentiæ perseuerante, omnes homines intra Paradisum habitarent. Quod videtur per se verisimile, quia, vt Isaiæ 45. dicitur, *Dominus fecit terram, ipse plastes eius, non in vanum creauit eam, vt habitaretur, formauit eam*: ergo etiamsi homo non peccaret, tota terra ab hominibus habitaretur, alioqui esset otiosa, & præterea esset inculta, syluestris, & indecora. Atque ita opinatur Pereir. l. 3. in Genes. disp. de Parad. q. 3. Additq; coniecturam, quia si primi homines post peccatum ferè ad mille annos viuebāt, si non interceſisset peccatum, multo longiori tempore in hoc mundo viuerent, ac subinde in maiori numero multiplicarentur homines, ideoque non potuissent simul in Paradiso viuere.

10. *Dubium tertium.*

Prima sententia probabilis.

Prima ratio.

Sed licet hæc sententia probabilis sit, difficultate non caret, quia non est verisimile, creasse Deum Paradisum propter solos primos homines, nam finis, seu vtilitas creationis illius loci vniuersalior est. Conditus enim fuit Paradisus, vt esset conueniens locus habitationis humanæ secundum primæ immortalitatis statum, vt dicit D. Tho. dicta q. 102. a. 2. At vero status immortalitatis de se communis futurus erat omnibus hominibus: ergo oēs futuri erant illius loci habitatores. Et confirmatur hoc, quia esus ligni vitæ omnib. erat necessari⁹ ad illū modū immortalitatis conseruandū, lignū a. vitæ non inueniebatur nisi in Paradiso, nam in medio eius fuit plantat⁹: ergo vel propter hanc causam non poterant tūc homines habitationē Paradisi deserere. Et simile fere argumentū sumitur ex arbore scientiæ boni, & mali, tantum n. intra Paradisum erat, at præceptū non edēdi ex illo non solo Adam, sed pro omnib. posteris est datū: ergo supponebatur, omnes homines futuros fuisse incolas, & habitatores illius loci. Deniq; vel aliqui homines inuiti extra Paradisum ire, vel habitare cogerentur vel ipsi voluntarie habitationem mutarent. Primum dici non potest, quia eiectio ex Paradiso fuit pœna peccati, ideoque nemini non peccanti daretur. Secundum etiam videtur incredibile, quia homines in statu innocentiæ essent prudentissimi, quomodo ergo habitationem Paradisi pro quacunq; alia terrestri commutarent? Imo videtur futurum fuisse illicitum, quia esset nō parua diminutio perfectionis status innocentiæ, & consequenter fuisse magnum nocumentum, & vniuscuiusq; personæ, & posterorum eius, si extra locum Paradisi generarentur.

Secunda.

Tertia.

11. *Prima difficultas illorum.*

Atenim si hoc concedamus, quod hæ coniecturæ valde suadere videntur, incidimus in alias difficultates, tum de angustia Paradisi ad tot homines capiendos, & sustinendos, tum de desertione vastissimi orbis sine habitatore, & sine cultore relicti. Existimo tamen resolutionem huius puncti ex alijs non minus nobis occultis pendere, videlicet, vtrum Adamo non peccante omnes homines impeccabiles, seu confirmati in gratia nascerentur, & consequenter an omnes tunc nati ex Adamo futuri essent electi, & prædestinati, ac demum in qua ætate essent in gloriam transferendi, quantò ve tempore in hoc mundo essent victuri. Ex omnibus enim his principijs pendet ad prædictam difficultatem responsio, & iuxta duas sententias diuersas in priori puncto relatas, distincto etiam modo procedendum est.

Secunda difficultas eiusdem num. 10.

12. Nam si homines statu innocentiæ durante, futuri fuissent à conceptione confirmati in gratia, ac pro-

ac proinde prædestinati, duo consequenter dicenda videntur. Vnum est, verisimile esse tunc numerum hominum multo minorem futurum fuisse, quàm nunc sit, quia nunc ingens est reproborum numerus, & non est credibile, tot futuros fuisse tunc homines prædestinatos, quot nunc sunt prædestinati, & reprobi simul sumpti. Fuisset ergo minor hominum multiplicatio. Ac denique in vnoquoque tempore signato, non esset simul tanta multitudo hominum viatorum, quanta nunc est. Quia nunc non est magnus numerus prædestinatorum simul viuentium in hoc mundo, in quolibet signato tempore: ergo etiam tunc numerus hominum viatorum simul existentium in quolibet tempore non esset nimis magnus, quia non est cur credamus, maiorem fuisse futurum excessum inter viatores prædestinatos simul existentes, quàm in tota collectione prædestinatorum futurorum in termino post totam temporum successionem. Accedit, quod homines tunc non essent mortales, sed viui à via transferrentur ad patriam post certum ætatis terminum à Deo præfixum. Vnde non fuisset tunc necessarium viam hominum per mille annos, nedum per plures prolongari. Nam in illo statu perfectissimo homines à principio iusti, & in gratia confirmati breuiori tempore possent sua merita confirmare ad quandam imitationem angelorum, seruata proportione. Et id credi potest, quod paulo post consummatum corporis argumentum, competenti numero generationum, seu filiorum homines ad terminum peruenirent. Terminum, inquam, vltimum beatę visionis, hoc enim probabilius esse videtur, quam quod differendum esset illud præmium, donec numerus prędestinatorum compleretur, licet vtrumque problematicè disputet Aug. lib. 9. Gen. ad lit. cap. 3. & 6.

His ergo vel similibus modis non difficile intelligitur, quomodo possent tunc homines intra Paradisum commodè habitare, maximè quia tũc non indigerent magnis ædificijs, quibus ab iniurijs temporum protegerentur, nec alijs rebus, quibus ad delicias, vel defensionem vel corporum inuamen vterentur. Vt Abulen. notat in cap. 13 Genes. quæst. 98. Vt autem hoc non obstante possent homines aliquem vsum reliquarum regionum mundi habere, addi potest, quod licet homines in Paradiso habituri essent quasi stabilem, & permanentem habitationem, nihilominus potuissent interdum per mundum discurrere, vt eo aliquo modo vterentur. Quanta vero futura fuisset hæc discursio, & quam facilis, & quomodo futura esset sine labore corporum, maximè si per longos terrarum tractus esset futura, cogitari varijs modis potest: sed quia nihil certum, vel cum sufficienti fundamento dici potest, ideo lectoribus meditandum relinquo.

Facilius autem vtrunque expeditur, si dicamus (quod probabilius fortasse est, vt infra libr. 5. cap. 9. & 10. videbimus) etiamsi Adam non peccasset, potuisse filios eius peccare, & necessarium non esse, vt omnes homines in statu innocentiæ essent prædestinati. Nam hoc supposito dici posset homines tunc peccantes statim eijciendos fuisse è Paradiso terrestri, nam si Adam statim ac peccauerit eiectus est, cur non etiam illi? Nam sicut ille positus fuit in Paradiso, vt per innocentiam illum custodiret, seu vt illum sibi conseruaret: etiam eius posteri eadem lege positi essent in Paradiso vt custodirent illum, quia, vt supra dixi, Adam positus ibi est, non tantum vt persona priuata, sed etiam vt caput totius naturæ, & ideo sub eadem conditione, & lege pro se, & omnibus posteris locum illum accepit. Quocirca sicut Adam ita fuit è Paradiso eiectus propter peccatum: vt nec post pœnitentiam esset ad illum locum restituendus, ita eius posteri semel propter peccatum inde eiecti, etiamsi fortasse pœnitentiam agerent, & iustificarentur, nunquam illuc reuocarentur. Ad hunc ergo modum posse habitari mundus ab hominibus extra Paradisum, & illi homines, qui in innocentia semp perseuerarent, intra Paradisum semper manerent, & ita etiam posset facile Paradisus illos capere, quia in vnoquoque tempore multitudo illorum simul existentium nimis magna nõ esset. Tum quia ex casu aliorum multum minueretur. Tum etiam propter alias considerationes in priori puncto factas, quæ hic etiam applicari possunt. At vero quia fortasse probabilius est, vt infra libro quinto, capite decimo dicemus, vel peccantes in statu innocentiæ non fuisse è Paradiso eijciendos, vel certe eiectos post peractam integre pœnitentiam fuisse ad Paradisum cum iustitia originali reuocandos: ideo addendum, ex eiectis, si qui forent, aut nullos vtpote maiori ex parte præscitos, aut certe paucos futuros fuisse, qui omnino exactam pro peccato satisfactionem exhiberent, atque adeo Paradiso restituerentur: ex incolis autem paradisi quamplurimos indies, consummata via intra mediocrem terminum à Deo præfiniendum transferendos fuisse in statum beatitudinis, locum alijs relicturos: id quod infra l. 5. c. 12. latius trademus.

Quarta dubitatio est, in quo situ, vel dispositione terræ Paradisus fuerit plantatus, id est, an in alicuius terræ planicie, vel in aliquib. excelsis mõtibus, & qualita fuerit eius altitudo, & consequẽter in quanta distantia à cælo, & à terra & à polis mundi situs fuerit. In qua re variæ sunt sententiæ, vna est, fuisse conditum in loco terræ valde excelso. Ita firmant multi Patres, & cum magna exaggeratione. Nam Beda, vt communiter ei tribuitur, & refert D. Thomas dicta quæst. 102. articulo primo, argumentum primum dixit, Paradisum pertingere vsque ad lunarem circulum. Quæ sententia neque in Exaëmeron, neque in expositione Bedæ super Gen. inuenitur. In margine autem Diui Thomę citatur super ea verba Paul. 2. ad Corinth. 12. *Raptus est in Paradisum*, sed ibi etiam nihil inuenio. Catherinus verò in Gen. illam tribuit Augustino, sed neque apud illum inuenitur, nam in lib. 8. Genes. ad lit. solum dicit, Paradisum esse *locum amœnissimum, fructuosis nemoribus opacatum, eundemque magnum, & magno fonte fecundum, occulto opere Dei.* In quo vltimo verbo potius significat ignotum esse situm Paradisi.

26. 4. *Dubium de situ Paradisi.*

1. *Opinio.*

Illam ergo sententiam tenuit Strabus in Gen. quem etiam Lipoman. in Catena refert, & Petrus Comestor in hist. Scholast. cap. 13. super lib. Gen. & consentire videtur Magist. in 2. d. 17. cap. penult. & ex Patribus plures ex modo loquendi fauere videntur, nam Damasc. libro secundo de Fide, capite vndecimo dicit, *Paradisum excelsiorem esse omni terra optima temperie cali, & aere subtilissimo, & purissimo gaudere*, Basilius vero homil. de Paradiso dicit, *ob sublimitatem loci, in quo erat Paradisus, nullas in eo fuisse tenebras, sed ex orientium syderum splendore semper illustratum fuisse.* Rupertus etiam libro primo de Trinit. cap. 37. dicit. *Paradisum fuisse delicioſum terræ locum cælo proximum.* Et simili modo loquuntur multi antiqui, quos refert Moses Barcepha libr. de Paradisi p. 1. cap. 8. 9. 11. & sequentibus, vt ipse concludit, illam terram, in qua est Paradisus, *altiorem multo, & sublimiorem existere hac, quam nos colimus.* Et illos imitatur Alcimus Auitus lib. 2. Carminum in Gen. c. 9. quod incipit, *Est locus Eoo mũdi seruatis in axe.*

27. *Pradictæ opinionis certiores authores.*

Fundamentum huius sententiæ esse potuit primo, quia dicitur, ex parte Paradisi fluere aquas omnes vniuersam terram irrigantes, ad hoc autem operæ pretium fuit, locum Paradisi esse altissimum.

28. *Alcimi argumentũ 1.*

Secundum.

mum. Secundò, quia Paradisus debuit esse locus saluberrimus, ac proinde ab omnibus huius inferioribus terræ incommoditatibus & procellis, ac ventis remotus, & ideo in altissimo loco debuit esse constitutus. Tertiò, quia vero simile est, ita esse situm, vt aquæ diluuij ad illum peruenire non potuerint, alioquin illum destruxissent. At verò aquæ diluuij quindecim cubitis super omnes mõtes excelsos terræ ascenderunt, vt dicitur Gen. 7. ergo oportuit Paradisum excelsiorem fuisse.

Tertium.

29

2. Opinio bipartita.

Hanc opinionem latè impugnat Pereir. lib. 3. in Gen. disp. de Parad. q. 2. vbi ipse concludit, non oportere Paradisum in altissimo loco esse, sed in aliquo loco terræ, vel plano, vel non multum à planicie terræ eleuato. Priorem partem potissimum probat, quia locus adeò excelsus nõ esset salubris, nec habitationi hominum accommodatus. Tum ob vicinam Solis, syderum, & elemẽti ignis. Tum ob perpetuam aeris agitationẽ ex motu cœli proueniente. Item quia probabilius credit, Paradisum aquis diluuij fuisse destructum. Vnde propter hanc causam non oportet tantam illius altitudinem fingere. Præter hanc autem nulla supereſt tãtæ altitudinis necessitas. Quin potiùs ex fluminibus, quæ à Paradiso oriuntur coniectura fit, quòd non multum ab illis terris disitus fuerit, per quas flumina nobis nunc nota, & à Paradiso prodeuntia, scil. Tigris, & Euphrates præterfluunt. Atque hinc alteram partem probare videtur. Putat enim Paradisum fuisse conditum, non procul à Mesopotamia, & alijs regionibus, per quas dicta flumina suum cursum conficiunt, quia cùm hæc flumina à Paradiso deriuentur, manifestè consequi putat, non longè fuisse à dictis regionibus. Quod etiam confirmat, quia verisimile est, homines ante diluuium, vel etiam ante ædificationem turris Babylonicæ propè Paradisum habitasse. Constat autem ex Gen. habitasse in illis regionib. circa Mesopotamiam, & Armeniam: ergo in illis, vel prope illas regiones fuit Paradisus: ergo verisimile est, situm Paradisi non fuisse altiorem, quã sint illæ regiones, vel ad summum montes earum.

Prior pars suadetur 1.

Suadetur 2.

Suadetur 3.

Posterior pars ostenditur.

Cõfirmatur.

30

3. Opinio sequenda duobus contenta pronuntiatis

1. Pronuntiatum. Probatur.

Inter has sententias sequenda videtur media, quam indicant Diuus Thomas 1. part. q. 102. art. 2. ad 1. Alens. 2. p. q. 84. v. 3. Bonauen. Durand. Scot. & alij in 2. dist. 17. Qui primùm in hoc conueniunt, quòd locus Paradisi non solùm orbem lunæ non attingebat, verumetiam neque vsque ad secundam regionem aeris ascendit. Nam illam euidenter probat ratio prior præcedentis sententiæ. Et explicari amplius potest, quia in primis locus Paradisi amplissimus, & capacissimus fuit, & interior locus eius planus profectò, & facilis ad ambulandum, & ad terræ culturam esse debuit. Deinde quomodocunque in montuoso loco Paradisus fuerit collocatus, non est cogitandus, aut concipiendus per modum altissimæ turris rectà in altum erectæ, alioqui ad illum ex terra ascendi, vel adiri humano modo non posset, quod repugnat illis verbis Geneſis tertio. *Collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim ad custodiendam viam ligni vitæ.* Nam hæc verba supponunt, potuisse homines à Paradiso eiectos, ad illum per aliquam viam terrestrem, & pedibus calcabilem in Paradisum redire, nisi diuinitùs impedirentur, alioqui nec necessaria fuisset custodia, nec vlla esset via, quæ custodienda foret. Igitur licet Paradisus in alto loco cogitetur, semper concipiendus est tanquam cacumen montis, ad quod per radices, & latera eiusdem montis aditus pateat. Vnde vlteriùs sequitur, si altitudo Paradisi erat tanta, vt ad sphæram lunæ, vel ignis ascenderet, cùm alioqui superior eius planicies esset amplissima, vt diximus, necessarium omnino fore, vt basis, seu fundamentum Paradisi, seu montis, in cuius altitudine situs est, vniuersam terram occuparet, vt facilè patebit consideranti proportionem necessariò seruandam inter cacumen montis, & extentionem radicum ejus, vt possit ab infima vsq; ad supremam partem montis humanus patere accessus. Constat autem experimento non ita esse: ergo merum figmẽtum est, tantam altitudinem in Paradiso cogitari. Præsertim quia tanta moles montis totum mundum occupantis non posset non patere aliquo modo hominibus, imò etiam ex parte illuminationem Solis in hoc hemisphærio impediret, cùm ad Orientem situs esse credatur.

Addendum nihilominus est, verisimiliùs credi 31
Paradisum in loco montuoso, & satis sublimi esse 2. Pronunt. exam.
collocatum, ita vt propè ad secundam regionem aeris accedat. Hanc sententiam indicant Scholastici superius citati, & sequitur Abulens. Genes. 2. q. 9. & Genes. de mo tertio, quæst. 107. & consentiunt Patres in prima opinione allegati, nam potiùs videntur excedere, maiorem altitudinem astruentes. Vnde multi illos exponunt, per hyperbolem, & exaggerationem esse loquutos, vt nobis indicarent, altitudinem Paradisi maiorem esse, quàm in montibus alijs nobis cognitis esse soleat. Diuus Thomas autem 1. part. q. 102. art. 1. ad 1. exponit, dictum illud, quòd Paradisus ascendat vsque ad globum lunæ, per similitudinem esse intelligendum, quia est ibi perpetua aeris temperies, in qua corporibus cœlestibus, quorum vltimum est, globus lunæ, assimilatur. In qua expositione (quicquid de illa sit) indicat Diuus Thomas fuisse Paradisum in ea altitudine, quæ ad magnam aeris temperiem, & salubritatem conuenientior esset. Talis autem est superior pars huius imũmæ regionis aeris, quia & libera est à perturbationibus, & nimia frigiditate, & humiditatis secundę regionis aeris, & propter vicinitatem, temperiem illius participat. Et aliunde etiam est libera à nimio calore, qui ex reflexione radiorum Solis à terra ascẽdentium solet prouenire, nam illum non attingunt, neque etiam venti nimium violenti, vel nimium calidi, aut frigidi possent illi esse infesti: ac denique locus ille lucem Solis, & stellarum, ac cæli influentiam melius recipere, ac participare posset. Hæ autem & his similes sunt proprietates, quas sancti Patres loco Paradisi tribuunt. Dicunt enim, in Paradiso non fuisse frigus, aut æstus, vel nubes, pluuias, niues, aut similia, sed perpetuum, ac temperatum ver, cum sufficienti vtique calore, qui ad terræ fœcunditatem, & maturitatem fructuum esset sufficiens, & cum eo temperamento, in quo humanis corporibus non esset molestus. Ad hæc autem omnia situs prædictæ altitudinis aptissimus est: ergo verisimile est illum habuisse. Et hunc discursum confirmant, quæ de Paradisi temperie Patres supra citati scribunt: & præterea Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 10. & Isidor. lib. 14. Originum, cap. 3. & Epiphan. lib. 2. contr. hæres. in 64. sub titul. sequuntur deinceps ipsius Methodij verba, aliquantulum à principio, & Athanas. in libro de Incarnat. Verbi, propè initium. Hoc denique confirmat coniectura sumpta ex fluminibus, quæ ex vno fonte Paradisi oriebantur, qua vtitur Moses Barcepha suprà cap. 9. dicens: *Asserimus eam terram, in qua est Paradisus, altiorem multo sublimioremque existere hac, quam nos colimus: id enim ita se habere, indicio sunt quatuor illa grandia flumina, quæ orta in Paradisi terra per hanc nostram ab illa diuersam fluuntur.* Addiderim denique verisimile esse, intra ipsum Paradisum nõ totam terram fuisse vniformẽ, sed in illius amplitudine fuisse quasdam partes eminẽtiores alijs, ac subinde fuisse colles, & campos. Nam hæc varietas, & ad corporum voluptatem, & ad loci pulchritudinem, & vbertatem vtilis est, ideoque nõ est verisimile in horto illo diuino defuisse.

Dicendum.

Paradisus fuit valde altus.

Ad

Ad primam ergo sententiam nihil amplius est, quod respondeamus, quia Scripturæ, vel rationis nullum fundamentum habet, & ad Patres iam vtcunque responsum est. Ad secundam verò opinionem dicimus in primis, rectè probari prima ratione illius sententiæ, Paradisum non esse in loco tam excelso, quantum verba prioris sententiæ in rigore sumpta significant, non tamen probari quin sit in loco excelso, in ea moderatione, quam explicuimus, quia sic cessant omnia illa incommoda, imò contraria commoda inueniuntur, vt declarauimus. Altera verò ratio rem incertam sumit, de qua in vltima dubitatione pauca dicemus. Reliqua verò sine sufficienti ratione, aut coniectura ab illa opinione dicuntur. Quod enim flumina Tigris, & Euphrates per Mesopotamiam, Assyriam, & Armeniam cursum suum agant, nullum signum est, quòd Paradisus in illis regionibus, vel prope illas plantatus sit. Quia possunt originem ducere à loco distantissimo versùs Orientem sito. Imò suprà numero decimosexto cum Augustino dicebamus, licet nunc prope illas regiones scaturire videantur, longiorem multo habere originem, & priùs sub terram demergi post aliquem à prima origine cursum, & postea circa illas regiones iterum emergere, atque ita per illas fluere: ex illo ergo fluxu nullum argumentum sumitur de situ vicino Paradisi, aut quod campestris potius quàm montuosus sit. Item, quia præter illa flumina oriebantur alia duo ex Paradiso, quæ in Scriptura vocantur Phison, & Gihon, quæ per illas regiones non discurrunt. Et communis sententia, & antiqua est, illa duo flumina esse Gangem, & Nilum, quæ per alias regiones longè diuersas discurrunt.

Alia verò coniectura ab hominum habitatione sumpta non minus incerta est. Quia esto post diluuium homines circa regiones illas habitauerint, inde colligi non potest, idem fuisse ante diluuium, quia potuit arca requiescere super montes Armeniæ, licet in alio loco multum distante fabricata fuerit. Nam cùm sex mensibus super aquas ambulauerit, & discurrerit, potuit facile contingere, vt homines in vna regione arcam conscenderint, & postea in alia distantissima ab illa fuerint egressi. Et deinde non constat, an homines electi de Paradiso prope illum ante diluuium habitauerint. Tum quia Scriptura dicit, Adam fuisse eiectum, vt operaretur terram, de qua assumptus est. Vnde est verisimile, fuisse translatum in illummet locum, in quo conditus fuerat, de quo suprà diximus incertum esse quis fuerit, ac proinde incertum etiam erit, parumne, an multum à Paradiso distauerit. Quia cùm Adam diuina virtute fuerit in Paradisum translatus, etiamsi multum distaret, potuit subitò transferri (nam eodem modo fortasse eiectus est) & subitò in distantissimum locum reuocatus. Tum etiam, quia licet in principio homines à Paradiso electi prope illum habitauerint, discursu temporis, & per plures annos potuerunt ad Mesopotamiam & vicinas terras peruenire, etiamsi à Paradiso longissimè distarent.

Et hinc breuiter expediri potest quintum dubium quod hîc tractari solet, versùs quam mundi partem Paradisus fuerit collocatus. In quo in primis communis sententia est, Paradisum fuisse creatum versùs Orientem, vt videre licet in Basilio & Ambros. de Paradiso, & Hieronym. de quæstionib. Hebraic. super Gen. & Augustino lib. 8. c. 3. Eucherio Ruperto, & alijs in Genes. Damasc. lib. 2. de Fide, cap. 11. & Isidor. lib. 14. Etymol. c. 3. & plures refert, & sequitur Moses Barcepha dicto libro cap. 14. & idem habet Ioseph. lib. primo Antiquit. cap. 2. Fundamentum huius sententiæ sumptum est ex Gen. 2. iuxta Hebraicam lectionem, nam vbi vulgata habet, *Plantauerat autem Deus Paradisum voluptatis à principio*: Hebraicè legitur, *plantauit Deus hortum in Eden ab Oriente*. vt vertit Pagninus, vel ad Orientem, vt vertunt Septuaginta. Hoc autem fundamentum incertum redditur ex lectione vulgata, quæ loco *Orientis*, legit *principium*, & ita etiam vertit paraphrasis Chaldaica, quia re vera vox Hebraica *mikedem* propriè significat à principio, & optimè potest ad tempus referri. Et ita suprà exposuimus, creasse Deum Paradisum à principio; id est, inter prima opera creationis, vtique tertio die, vt asseruit etiam Moses Barcepha dicto libro, part. 1. cap. 5. Hac ergo lectione, & expositione posita fundamentum prædictum ruit. Nihilominus tamen Patres Græci sequuti sunt versionem Septuaginta, qui verbum *principium*, ad locum retulerunt, & ideo dixerunt Paradisum ad Orientem creatum fuisse. Credibile autem est, vtrunque voluisse Spiritum sanctum in illo verbo comprehendere.

Incertum tamen est propter vulgatæ lectionem.

Sustinetur nihilominus dictum fundam.

Et præterea hæc sententia de Paradiso ad Orientem condito ex translatione Septuaginta magnam habet auctoritatem. Et præterea multum est traditione firmata, nam & antiqui Hebræi ita locum Genes. exposuerunt, & postea Patres Græci & Latini in eandem conspirarunt. Et aliqui eorum aduertunt, inde ortam fuisse cõsuetudinem orandi ad Orientem, nimirum, quia versùs eam partẽ Paradisus terrestris, per quem spiritualis significabatur, conditus fuit, vt attingit D. Thom. 2. 2. q. 84 art. 3. ad 3. & notaui 2. tom. de Relig. lib. 3. cap. 7. num. 15. Et iuxta ea, quæ diximus de illa particula, *à principio*, & *ad Orientem*, iudicandum est cum proportione de particula illa *voluptatis*, cuius loco in Hebræo legitur *in Eden*, quam vocem Septuaginta sine interpretatione retinuerunt, quos multi etiam Patres sequuti sunt, quia nomen *Eden* in Hebræo ambiguum est, nam voluptatem, seu delitias significat, & regionem, seu partem aliquam terræ. Et ab interprete vulgato in priori significatione sumptum est, & ideo legit Paradisum voluptatis, & ita etiam legit Hieronym. in traditionibus Hebraicis, & addit Septuaginta ita interpretatos fuisse vocem *Eden*. Et in hoc sensu neque est difficultas in veritate sententiæ, neq; in significatione vocis in quadam eius proprietate. Vnde lectio, & interpretatio retinenda nobis est. An verò altera possit etiam accommodari, vel fuerit magis intenta, in dubio sequenti attingam. 35

Et confirmatur.

Solet enim quæri, an situs Paradisi sit sub æquinoctiali. Quod dubium attigit Diuus Thom. dicta q. 102. art. 2. ad 4. & quamuis fateatur rem esse dubiam, probabilius existimat, non esse sub æquinoctiali. Ducitur, quia existimauit regionem illam esse inhabitabilem propter nimium calorem, cum Aristoteles lib. 2. Meteor. cap. 5. & in 2. 2. q. 164. ar. 2. ad 5. dicit, nunc Paradisum esse inaccessibilẽ propter vehementiam æstus in locis intermedijs. Vnde significat Paradisum esse vltra æquinoctialem, viam autem eius esse sub æquinoctiali, & adeo intemperatam propter excessum caloris, vt ob eam causam occultissimus, & inaccessibilis Paradisus sit. Et hoc sequitur Scot. in 2. d. 17. quæst. 2. At verò Bonauentura in 2. d. 17. dub. 3. literali affirmat, Paradisum esse in Oriente, iuxta æquinoctialem, & quodammodo vergere ad meridiem. Et ad fundamentum in contrarium tacitè respondet, dicens, *propter puritatem aeris ibi esse contemperantiam caloris, & quia secus aequinoctia est ibi magna temperies temporis.* Et hanc sententiam sequitur Durand. ibi quæst. 3. num. 8. qui etiam ad rationem D. Thomæ respondet, esse illum locum temperatum non ex natura climatis absolutè, sed ex loci altitudine, & ex aeris subtilitate. Addere etiam possumus, illum 36

6. Dub. an paradisus sit erit sub æquinoctiali. Probabilius negat D. Th. Eius motiua ex Aristot.

Accedit Scot. Quid respondeat Bonau. ad idẽ dub.

Quidditè ad motiuum D. Thomæ Durandus adharet Bonauent.

Confirmatur eadem Bonauenturæ responsio.

locum esse posse temperatum in illo situ ex aquarum copia, & ex frequentia ventorum aërem repurgantium. Nam experientia compertum est, regiones sub torrida zona, quæ ab antiquis inhabitabiles reputatæ sunt, propter similes causas temperatas esse, & commodissimè habitari. Quæ responsio sufficienter euertit fundamentum contrariæ sententiæ, non tamen positiuè posteriorem ostendit. Vnde res videtur incerta, & ideo non immeritò concluſit D. Thomas, *Quidquid de hoc sit, credendum est, Paradisum in temperatissimo loco esse constitutum, vel sub æquinoctiali, vel alibi.* de quo vide Ludouic. Viues in scholijs ad Augustinum lib. 13. de Ciuit. cap. 21.

Resolutio authoris.

37. *Vltimũ dubium duretne adhuc paradisus.*

Tandem de initio, & fine Paradisi dubitari hoc loco solet. Sed de initio iam sufficienter diximus, quod ex Patribus, & coniectura colligi potest factum esse tertio die, quia Scriptura non exprimit aliud particulare initium, & nullum aliud commodius cogitari potest. De fine verò quæstio est hoc tempore controuersa, an Paradisus iam destructus sit, vel duret, & consequenter duraturus sit, vsque ad mundi finem. Quam quæstionem in alijs operibus bis attigi 2. tom. 3. partis disp. 55. sect. 1. & in defensione fidei lib. 6. cap. 13. in fine, & ideo breuissimè pauca hic addam. Tenent ergo graues authores, Paradisum non existere: & ducuntur præsertim, quia per aquas diluuij destructum fuisse credunt. Quia non potuit tunc non inundari, cùm aquæ supra omnes montes quindecim cubitos ascenderint: ergo per inundationem tam grãdem, tamque diuturnam naturaliter destrui debuit, & non est, cur supernaturaliter conseruatus vel restitutus esse dicamus, cùm illius vsus necessarius iam non esset. Deinde addũt experientiam, tum negatiuam, quia cùm vniuersus orbis notus fuerit hominibus, & per omnes partes eius aliqui discurrerint, à nemine inuentus est, nec in historijs humanis aliqua eius memoria inuenitur. Tum etiam positiuam coniecturam addunt, quia Paradisus in hac nostra terra situs fuit, & probabile creditur fuisse circa Mesopotamiam, vel Armeniam, quæ sunt prouinciæ vndique notæ, & habitatæ, & tamen in illis non inuenitur. Demũ quod magis vrget, Scriptura iuxta Septuaginta dicit, *Paradisum fuisse plantatum ad Orientem in Eden*, id est, in quadam regione Orientali vocata Eden, nam illa particula *in*, hoc plenè indicare videtur. Sicut de Cain dicitur Gen. 4. habitasse in terra ad Orientalem plagam Eden: eiusdem regionis mentionem faciunt Isai. cap. 37. & Ezech. cap. 27. Constat autem in illa regione sic nominata Paradisum non inueniri.

Pars negans ab aliquibus probatur.

Eorum 1. argumentum.

Argum. 2. bipartitum

Posterior pars.

Tertium.

38. *Pars affirm. verior.*

Sed nihilominus non videtur à communi Patrum sententia recedendum, qui sentiunt, Paradisum adhuc conseruari in eo statu, & cum ea voluptate, & pulchritudine, in qua creatus est. Ita sentiunt Irenæ. Iustin. Athanas. Auguſt. Hieronym. & Isidor. quos in dicto 2. tom. citaui. Et alij quos refert & sequitur Bellar. tom. 4. lib. vnico de grat. primi hominis, cap. 14. Deinde Augustin. lib. 2. de Peccato orig. cap. 13. absolutè dixit, fidem Christianam non dubitare Paradisum esse. Vbi licèt principaliter intendat docere, creatum esse à Deo verum Paradisum terrestrem, & ad fidem pertinere, nihilominus de illo tãquam de actu existẽte cum eadem securitate loquitur, qua illum tanquam communiter receptum supponit. Præterea argumentum sumptum ex habitatione Eliæ, & Henoch, in illo Paradiso est valde probabile, vt latiùs deduxit in dicto 2. tom. Denique argumentum sufficiens esse debet, quia nobis de fide constat, Paradisum aliquando fuisse, & non constat, destructum esse, imò Scriptura indicat, intentionis Dei fuisse illum conseruare: ergo credibilius est, adhuc durare. Consequentia cum maiori notæ sunt. Minor autem quo ad priorem partem patebit facilè respondendo ad motiua prioris sententiæ. Quoad posteriorem verò patet ex Gen. 3. vbi dicitur Deus collocasse Cherubin ad custodiendam viam ligni vitæ. Ex quo colligimus noluisse Deum destruere Paradisum. Et inde indicium sumitur, voluisse semper conseruare illum, quia si post nonnullos annos illum destructurus fuisset per diluuium, facilius fuisset statim illum destruere, vel saltem lignum vitæ eradicare in pœnam primi peccati, quàm specialem custodiam adhibere: ergo quantum Scriptura indicat credibilius est adhuc durare Paradisum.

Prima ratio pro hac Patrum sentẽtia.

Secunda.

Ad argumentum autem sumptum ex inundatione diluuij respondi in dicto tom. 2. fortasse, aquas diluuij non ascendisse ad altitudinem loci Paradisi, quia Scriptura loquens de diluuio, solùm loquitur de terra habitabili ab hominibus mortalibus, vel fortasse de sola illa, quæ tunc habitabatur. Deinde etiamsi aquæ supra locum Paradisi ascendissent, poterat Deus speciali prouidentia conseruare Paradisum, sicut conseruauit Enoch. Ac denique etiãsi aquæ diluuij inundassent locum illum, nõ potuissent tam breui tempore arbores, & omnia, quæ in illo erãt, prorsus destruere. Nam etiam in alijs terræ partibus, non omnes arbores destruxerunt, alioqui non potuisset columba tam citò inuenire ramum oliuæ virentibus folijs, quæ in ore suo ad Noe portaret. Igitur ad summum potuissent aquæ locum Paradisi aliquantulum damnificare, potuit tamen diuina virtute facilè reparari. Nam certè etiam ante diluuium non potuisset in sua pulchritudine, & integritate absque hominum habitatione, custodia, & opera conseruari sine peculiari Dei prouidentia: ergo eadem potuit facilè reparari. Neque id frustra factum fuisset, tum vt esset perpetuum memoriale benignitatis Dei erga homines, & rei, quam homines peccando amiserunt. Tum etiam propter habitationem Enoch & Eliæ, vt dixit D. Thom. d. q. 102. art. 2. ad 2.

39. *Ad 1. arg. in num 37.*

40. *Ad priorem partem alterius argumenti sumpti ab experientia, negatiua videlicet, quia talis Paradisus à nemine inuentus est: respondetur, idem argumentum fieri potuisse ante diluuium, præcesserunt enim mille quingenti anni, in quibus nullus hominum Paradisum inuenit, quanuis nõ esset destructus: idem ergo potuit contingere post diluuium. Nec id mirum, quia sicut Paradisus est factus occulto opere Dei, vt dixit Auguſt. lib. 8. Gen. ad liter. cap. 1. ita peculiari cura, & prouidentia eiusdem Dei est occultatus, vt Gen. 3. significatur. Vnde idem Augustin. eodem lib. cap. 7. dixit, locum Paradisi à cognitione hominum esse remotissimum, & causam explicat D. Th. d. q. 102. a. 1. ad 3. Quia locus ille secluſus est à nostra habitatione aliquib. impedimentis, vel montium, vel marium, vel alicuius æstuosa regionis, quæ pertransiri non potest.* Et hoc tertium membrum simpliciter approbat in 2. 2. q. 164. art. 2. ad 5. dicens, ille locus præcipuè videtur esse inaccessibilis propter vehementiam æstus in locis intermedijs. Imò hoc significatum putat per gladium flammeum Gen. 3. & quia ille calor causatur ex motu circularis Solis, qui per Angelum fit, ideo putat, & gladium illum appellari *versatilem*, & custodiam Cherubino tribui. Chrysost. autem homil. 18. in Gen. dicit, gladium appellari versatilem, eo *quod gladius ille obturet, & permutet omnes vias, quas illuc ferunt.* Et fortasse ad hanc custodiam peculiarem Angelum destinauit Deus, vt si corporalia impedimenta cõmuni cursu causarum naturalium occurrentia non sufficerent, peculiari cura homines ab illo itinere deterreret. Vnde Auguſt. lib. 11. Gen. ad liter. cap. 40. *Hoc*, inquit, *per cœlestes potestates in Para-*

Ad priorem partem eiusdem argumenti num. 37.

in Paradiso visibili factum esse credendum est, vt per angelicum ministerium esset illi ignea quædam custodia.

Ad aliam verò partem de positiuis coniecturis, seu experientijs respondetur, supponere falsum fundamentum, scilicet, notam esse regionem, seu partem mundi in qua fuit à principio situs Paradisus. Nam si regio illa in particulari ignota est, quomodo potest tota ita lustrari, vt per experientiam positiuè constet, ibi non esse Paradisum. Negatur ergo assumptum, & consequenter etiam negatur, fuisse Paradisum situm in Mesopotamia, Arabia, vel in aliqua alia prouincia ex his, quæ nũc habitantur ab hominibus. Ad peculiarem autem ponderationem illorum verborum, quibus dicitur, *Paradisus creatus in Eden*, satisfacere posset responsio quòd in vulgata nomen *Eden*, non sumitur vt proprium alicuius regionis, vel prouinciæ: sed vt delitias, aut voluptatem significat. Nam reuera hoc significat primaria vox ipsa Hebraica. Nihilominus tamen admittimus nomen *Eden*, posse etiam ibi significare regionem terræ ad Orientem, quæ ita nominata à Moyse fuerit, quia delicijs, & voluptate abundabat. Hoc enim non obstat, quia illa regio sic nominata æquè ignota nobis est, ac locus Paradisi. neque enim verisimile est, hanc regionem esse illam, quam Ezechiel 27. etiam vocauit *Eden*, nam potuit esse alius locus delitiosus, & inde ita vocatus, vt Hieronym. ibi aduertit. Cùmque illa Eden ibi nominetur, vt vulgaris, & priuata quædam prouincia, non est verisimile, fuisse aliam *Eden*, in qua plantatus fuit Paradisus, vt bene notauit Caiet. & sequitur Ystella *in Gen.* & idem responderi potest ad locũ Isaiæ, nam de eadem Eden videtur vterque Propheta loqui, vt ex 4. Regum 19. colligi potest, vbi videri potest Abulens. q. 10.

CAPVT VII.

Vtrùm formatis corporibus primorum hominum in eodem instanti Deus animas illorum creauerit, corporibusque contunxerit.

HActenus disputatum est de creatione hominis quoad ea omnia, quæ ad corpus spectant, nũc consequenter de his, quæ ad animam pertinent dicendum est, & primò de creatione eius, postea verò de perfectionibus eius. Circa primum sciendum est, disputationem de substantia animæ humanæ, & de tempore, ac modo creationis eius cõmunem esse omni animæ humanæ, quia ad essentiam eius, & proprietates consequentes essentiam eius, pertinet, ideoq; in tertium huius operis tractatum remittendam esse, in præsenti verò supponendo generalia principia, quæ ad particularem productionem Adæ, & Euæ pertinuerint, explicanda sunt. Et ideo solum versabitur disputatio circa illa verba Gen. 2. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Quæ quidem verba de solo Adamo scripta sunt, tamen quantum ad animam spectant, eandem rationem habent in Euæ productione. Vnde mutando verbum illud, *hominem de limo terræ*, explicari possunt ad Euam hoc modo: *Formauit igitur Deus mulierem de costa Adæ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & facta est mulier in animam viuentem.* Explicando igitur hęc verba quæstioni propositæ satisfaciem⁹.

Dico ergo primò spiraculum illud non fuisse ipsam Dei substantiam, vel aliquid eius, sed fuisse rem creatam, & à substantia Dei distinctã. Hanc assertionem præmittimus ad excludendum antiquum errorem dicentium animam esse ipsam Dei substantiam, vel aliquid substantiæ Dei. Et consequenter illud spiraculum fuisse de substantia Dei, quia fuit ipsa anima. Quem errorem Castro *verbo Anima, hæres. 4.* & Prateol. Gnosticis, & Manichæis tribuunt, & sumitur ex Theod. lib. 5. Diuinor. decret. cap. de materia, & cap. de homine, vbi Cerdoni, & Marcioni hunc errorem tribuit, sicut Manichæis August. lib. de Hæresib. in 46. & in Priscillianistis damnant illũ Concil. Brach. I. ca. 5. & Leo Papa Epist. 91. alias 93. c. 5. qui addit errorem hunc ex Philosophorum quorundã, & Manichæorum opinione manasse. Vnde August. Eugub. lib. 9. de perenn. Philosoph. hunc errorem nonnullis Philosophis tribuit, qui interdum animam vocabant scientiam substantiæ Dei. Quæ verba fortasse metaphorica erant, ad excellentiam animæ declarandam: potuerunt verò hæretici errare ex verbo illo, *inspirauit in faciem eius*, vt notat D. Thom. 2. cõtr. gent. cap. 85. Nam qui in faciem alterius inspirat, idem numero, quod in ipso erat, in alium emittit, & sic videtur Scriptura innuere, quòd aliquid diuinum à Deo in hominem ad ipsum viuificandum, immissum sit. Item hoc confirmare poterãt ex similitudine animæ ad Deum in intelligendo, & in immaterialitate, & immortalitate.

Vide etiam Conimbricens. 2. de Anima c. 1. q. 1. art 6.

Arguitur pro errore.

Confirmatur.

Hic autem error non solùm fidei, sed etiam rationi naturali euidẽter repugnat, quia est euidẽs, non posse animam esse de substantia Dei: vt optimè demonstrat August. lib. 1. de Anim. & eius orig. cap. 3. & in lib. ad Orosium contr. Priscillianistas, à principio, & alijs locis infrà citandis, & D. Thom. 1. p. q. 90. art. 1. & 2. contr. gent. cap. 85. Et breuiter (quia res est clara) in hunc modum ostenditur, quia duobus modis cogitari potuit, animam esse de substantia Dei, primò quòd sit ipsa essentia Dei in se & sua substantia permanens, & formaliter hominem viuificans. Secundò quòd anima sit facta de substantia Dei. Vterque autem sensus manifestissimè erroneus est. De priori probatur, primò, quia Scriptura alijs locis dicit, animam esse factã. Zachar. 12. *Dominus extendens cœlum, & fundans terrã, & fingens spiritum hominis in eo.* spiritus autem hominis nihil aliud est, quàm anima hominis, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 2. *Nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est.* Et Isai. 42. *Dominus, qui fundauit terram, dat flatum populo super eam, & spiritum calcantibus eam*: & illud Eccleiast. 12. *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tẽpus afflictionis.* Et infrà, *Et reuertatur puluis in terram suam, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Secundò probatur ratione, tum quia repugnat perfectioni diuinæ substantialiter informare corpus, vt in tract. de Deo ostensum est. Tum etiam, quia si Deus esset forma hominis deificaret illum, & substantialiter sanctificaret, & impeccabilem redderet, ac modo diuino cognoscentem: quæ omnia cum imperfectionibus hominis repugnãt. Alter item sensus euidenter improbatur ab August. quia si anima fuisset facta de substantia Dei, mutationem substantialem passa fuisset substantia Dei, & eius perfectioni repugnat. Item vel anima esset facta de tota substantia Dei, vel de parte eius: at substantia Dei non habet partes: non ergo ex parte: tota verò substantia non potuit seipsam destruere, & in aliud conuertere. Et similes demonstrationes contra hunc errorem possunt facilè multiplicari.

3. Probatur assertio impugnando errorem.

Impugnatio bimembris

Impugnatur primum membrum primò.

Probatur idem membrum secundò. Lib. 1. de essentia Dei cap. 5.

Secundum membrum impugnatur ab August.

Neque ponderatio verbi *inspirauit*, vel, vt alia littera habet, *insufflauit*, est alicuius momenti quin potius August. dicto lib. 7. Gen. ad lit. cap. 3. ex eodem verbo contrarium colligit, dicens. Imò verò ex verbo satis apparet, ita non esse, cùm enim homo sufflat, anima ipsa subiacentem sibi naturam corporis mouet, & de illa, non de seipsa flatũ facit. Sic ergo licèt Deus insufflasse dicatur, non oportet, vt aliquid de sua substantia inspirauerit.

4. Ad locum Scripturæ, quo tu num. 2. arguitur.

Vlteriùs

Vlteriùs verò, quia omnipotens est, non indiguit circunstante materia, sed ex nihilo fecit, quod insufflauit. Vnde Theodor. q. 23. in Gen. cùm idem argumentum his verbis proposuisset, *Si ex insufflatione Dei creata est anima erit vtique anima ex substantia Dei* respondet: *Extremæ impietatis est & blaphemiæ sententia huiusmodi. Nam per hoc Scriptura diuina facilitatem creandi demonstrauit, & ipsius animæ naturam obscurè declarauit, nempe ipsam esse spiritum creabilem, inuisibilem, & intellectiuum expertem crassitudinis corporeæ.* Et hinc soluitur alia ratio, nã licèt spiritus ille quem Deus inspirauit, diuinas aliquas proprietates aliquo modo participet, non est argumentum, quòd sit factus de substantia Dei, sed quòd sit factus ad imaginem, & similitudinem Dei, vt eadem Scriptura dicit, & postea explicabimus.

Ad confirm. ibid.

5. *Refellitur lapsus Philastrij.*

Atque hinc refellitur grauis lapsus Philastrij *in lib. de Hæresib. in Catal. hæresum, quæ sub Apostolis exstiterunt.* Nam quinquagesimo loco ponit, & hæresim vocat sententiam dicentem, spiraculum illud, quod Deus inspirauit Adæ, fuisse animam. *Nam si inspiratio anima est* (inquit) *quomodo iudicari potest quod à Deo est infusum proprie.* Vnde ipse existimat antè illam inspirationem fuisse iam animam Adæ creatam, ac proinde illam insufflationem fuisse gratiæ infusionem similem illi, quæ Apostolis facta est, cùm Christus insufflauit, & dixit eis, *accipite Spiritum sanctum.* Fuitque hæc sententia Cyrilli lib. 8. in Ioan. cap. 47. vbi sic ait, *Nec quisquam putet diuinum spiraculum animam homini factum fuisse.* Nam spiraculum illud Spiritum sanctum esse existimauit. Et sic etiam lib. 2. in Ioan. cap. 3. dicit Moysem docuisse priùs, Deum creasse hominem ad imaginem, & similitudinem suam, & postea tradidisse spiritum ad imaginem diuinam sigillatum hominem fuisse, cùm dixit, *Et insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Et videtur ad eandē sententiam accedere Ambr. lib. de Noe, & Arca, cap. 25. dicens, *Separemus, quod est rationabile animæ, cuius substantia diuinus est spiritus sicut ait Scriptura, quia insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Sed licèt hæc sententia tolerabilis esset, nihilominus intolerabilis fuit error Philastrij damnãtis contrariam, vt hæreticam, cùm hæc vel nullo, vel leuissimo nitatur fundamento, imò potiùs ipsa damnabilis sit.

6. *2. Assertio de creatione, & infusione animæ. Qui eã tradant.*

Dico ergo secundò, Deum creasse animam rationalem, eámque corpori hominis vniuisse, cùm inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Hæc est sententia communis Scholasticorum in 2. d. 17. & D. Thom. 1. p. q. 90. art. 1. & 3. & frequenter in illis quæstionibus, & tenet Castro verbo Anima, hæres. 2. Item est communis sententia Patrum, præsertim Chrysostom. homil. 12. in Gen. in fin. cuius verba statim referam. Item Eucherij lib. 1. in Gen. qui distinctè declarat in verbo *insufflauit*, & creationem animæ & vnitionem includi. Idem Hugo Victorin. Annotat. in Gen. cap. 8. & Albin. seu Alcuinus q. 8. in Gen. dicens, *Quid est, quòd Deus inspirauit in faciem Adæ spiraculum vitæ?* Respondet *Inspiratio Dei in faciem hominis traditio est animæ rationalis.* Et idem habet Theodoret. q. 8. suprà citata, & profectò idem videtur sensisse Cyrill. ibidem lib. 1. quanuis obscurè etiam loquatur. Magis hoc sensit Ambros. *loco citato*: nam priùs sic inquit, *Ideo in principio sanctus Moyses informauit nos, atque instruxit de insufflatione animæ, vt non laboremus diuersis opinionibus Philosophorum.* Vnde, quod postea dicit, *rationalem animam esse spiritum diuinum*, non credo intellexisse de Spiritu sancto, neque accepisse diuinum substantialiter, sed denominatiuè, seu per participationem. Quia anima est quidam spiritus, diuinitus insufflatus. Et eandem sententiam indicat *in enarrationib. super Gen. ad Sabin.* Præcipuus verò auctor, & defensor eius est D. August. in locis citatis ex lib. 7. Gen. ad litter. & ex lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 8. vbi

Augustinus eiusdem assertionis præcipuus author.

dicit, *Non dum tamen spiritualem hominem debemus intelligere. Sed adhuc animalem*, vtique in dicta suffla-
tione. Quod latiùs docet lib. 13. de Ciuit. cap. 24. vbi sic ait, *Parum considerate quibusdam visum est in eo, quod legitur: Inspirauit Deus in faciem eius spiritum vitæ, &c. non tunc animam primo homini datam, jed tam, quæ iam inerat Spiritu sancto viuificatam.*

Probatque, quia Moyses ipse satis hunc sensum explicauit, cùm addidit: *Et factus est homo in animam viuentem*, id est, *& cœpit homo viuere.* ergo corpus illud ex terra factum per illam insufflationem Dei cœpit viuere: ergo spiraculum illud fuit ipsa anima, qua homo naturaliter viuit. Et præterea D. Paulus 1. ad Corinth. 15. ad hunc locum alludens dicit: *Factus est primus homo Adam in animam viuentem*, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Vbi distinguendo animam ab spiritu viuificante, satis significat non fuisse loquutum Moysem de spiritu viuificante. Quod notauit August. Epist. 146. dicens: *Cùm vellet Apostolus de corpore animali adhibere testimonium illud posuit, quod in Gen. legitur: Factus est primus Adam in animam viuentem, vel in animam viuam.* Et adiungit: *Recolis certè quemadmodum scriptum sit, & insufflauit Deus in faciem eius flatũ vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Et similiter 2. retract. cap. 15. dicit, Apostolum adhibuisse illud testimonium Genesis, vt probaret, corpus primi hominis fuisse animale, id est, viuens corporali, & sensibili vita, quando Deus inspirauit in illum: fuit ergo illud spiraculum vita hominis. Et lib. 7. Gen. ad lit. cap. 16. dicit, *Non mihi videtur dictum, factus est homo in animam viuam, nisi quia sentire cœpit in corpore, quod est animæ, viuentisque carni certissimum indicium.* Vnde D. Thom. opus. 1. cõtra errores Græcor. cap. 27. dixit, negare illum spiraculum fuisse animam humanam, videri esse repugnans dictis verbis Apostoli, quia in eis expresè dicit, vitam animæ esse aliam à vita, quæ est per Spiritum sanctum. Et ibidem ad Cyrill. respondet, expositum fuisse locum illum in sensu spirituali, non in litterali. Ad Ambros. autem iam à nobis responsum est. Fundamentum autem Philastrij supponit alium errorem, quem nunc refellemus.

Ad confirm. ibid. 7. Eamque probat ex vita eius.

Ad Cyrill. Ambrosium & Philastrium.

8. *1. Assertio.*

Tertiò dicendum est, & colligitur etiam ex dictis, in eodem instanti, in quo Adam productus est, & factus in animam viuentem, fuisse animam eius, & corpori vnitam, & creatam, ac non antea. In hac assertione supponimus, animam humanam fieri per propriam creationem ex nihilo, quia est spiritualis, & immortalis, & ideo de potentia materiæ non educitur, quæ ad tract. 3. spectant ex professo. Disputatur autem tam à Philosophis, quàm à Theologis quæstio, an hæc creatio animarum fuerit facta à principio cum aliarum rerum creatione, vel fiat sigillatim in singulorum hominum productione: Nam in hoc errarunt olim Origen. & alij dicentes, omnes animas hominum fuisse in principio simul creatas. Verùm in hoc veritas catholica est, generaliter loquendo, animas hominum non fuisse in principio creatas simul, sed creari in eodem instanti, in quo corporibus vniuntur, vt ostendit D. Thom. dicta q. 91. art. 4. ex naturali principio, in illo 3. tractatu latè expositio, lib. 1. cap. 12. *quod anima est vera forma corporis*, forma autem non est naturaliter ante compositum, teste Arist. 12. Metaph. textu 17. & in hoc conueniunt Doctores, & Patres infrà citandi, & ad dictum tract. 3. spectat. Vide etiam Conimbricens. 2. de Anima. c. 1. q. 3.

Igitur de anima Adæ est peculiaris dubitatio, nam Philastrius in dicto lib. de Hæres. in 49. subtit. de Catal. hæresum post Apostolos, dicit, animam Adæ creatam esse sexto die, carnem autem septimo die factam esse. Idemque censet de anima, & de corpore Euæ. Fundatur in illo ordine litteræ c. 1. & 2.

Contra Philastrium.

& 2. Gen. Nam in primo dicitur, *Creauit Deus hominem, ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum.* Quod intelligendum putat de creatione animæ, tum quia illa sola est ad imaginem Dei : tum etiã, quia postea formatum est corpus Adæ ex limo terræ. Quòd si obijciatur, quia statim subditur, *masculum, & fœminam creauit eos*, respondet, ibi non corporum sexum, sed animæ dominantis, & subjacentis dari indicium. In quo significat, animam Euæ simul cum anima Adæ fuisse creatam, & illas fuisse significatas per masculum, & fœminã, quia vna erat dominatura, & altera ei erat subiicienda. Vnde, quod cap. 2. Gen. narratur de formatione hominis ex limo terræ, & fœminæ ex costa Adæ, ipse intelligit de formatione corporum facta die septimo. Et hanc sententiam saltem vt probabilem videtur August. relinquere lib. 7. super Gen. ad liter. cap. 24. & sequentib. & lib. 13. de Ciuit. cap. 23. & illam tanquam rem dubiam relinquunt Magist. sentent. in 2. d. 17. & Hugo de Sanct. Vict. in summ. sentent. tract. 3. cap. 2. in fine, & Auctor Historiæ Scholast. in Gen.

Sed nihilominus posita assertio 3. vera est, nimirum animas Adæ, & Euæ non fuisse creatas prius tempore, quàm corporibus vnirentur, sed solùm prius natura, & in eodem instanti temporis. Ita docet D. Thomas d. q. 90. art. 4. & Bonauent. in 2. d. 17. art. 1. q. 3. & ibi communiter Scholastici, & alij moderni in D. Thomam. Et est communis sententia Patrum, Gregor. Nissen. lib. de opificio hominis, cap. 28. & 29. vbi generaliter loquitur de animabus omnium hominum, & contra Origen. disputat. Damasc. autem lib. 2. de Fide, cap. 12. in particulari dicit, *Deus animam ratione, & intelligentia præditam per insufflationem Adamo tribuisse.* Et ne quis cogitare posset, tribuisse animam iam creatam, subdit, *Porro corpus, & anima vna creata sunt, non autem vt Origen. deliruit, hæc prius, illud posterius.* Pro eadem sententia referri potest Hieronym. locis suprà allegatis Epist. 61. ad Pammach. & 139. ad Cyprian. & 8. ad Demetriad. Et addi potest in lib. 2. contra Ruffin. parum à principio, vbi in particulari damnat sententiam Origenis, dicentis, animam Christi fuisse antequam nasceretur ex Maria, sentiens, secundùm fidem nullã posse fieri exceptionem ab illo vniuersali dogmate, quòd animæ non creantur prius tempore, quàm corporibus vniantur. Item Leo Papa Epist. 93. ad Turib. cap. 10. damnando Origenis sententiam, absolutè dicit, quòd animæ hominum, priusquã suis inspirentur corporibus, non fuere, & hoc dicit Ecclesiam Catholicam profiteri. Referri autem potest Chrysost. hom. 12. in Gen. quia non solùm dicit, animam Adæ non fuisse creatam ante corpus, sed etiã dicit, fuisse creatam post corpus. Quod sano modo intelligendum est de corpore nondum plenè, vel vltimatè dispositio, si fortasse successiuè productum est, quod suprà cap. 1. huius libri tractauimus. Denique Bernard. serm. 2. de Natiuit. Domini, dicit, limum antea fuisse creatum, spiritum autem non in massa creatum fuisse, sed singulari quadam excellentia fuisse conditum, & inspiratum. Neque ab hac sententia est alienus August. nam licèt aliquãdo dubitauerit, quia de origine animę ferè semper dubius fuit : nihilominus in hanc partem magis propendit. Nam *lib. 12. de Ciuit. cap. 23.* sub distinctione ponit, *siue quam iam fecerat suffl ando indidisset, siue potiùs, sufflando fecisset*, vbi pondero particulam potiùs, & rationem, quam subiungit, dicens, *Eumque flatum, quem sufflando fecit*, (nam quid est aliud sufflare, quàm flatum facere) *animam hominis esse voluisse.* Et *lib. 13. cap. 24.* dicit, Scripturam dicendo insufflauit, insinuare voluisse rationalem animam non more aliarum animarũ, sed flante Deo creatam esse. & lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 8. disiunctione vtens, hanc partem posteriori loco ponit. Ac denique in lib. 2. Gen. ad liter. solùm sub conditione dicit, *contrarium credi posse, si Scriptura, vel ratio non contradicit.*

11. *Stat denique ratio & scripturæ authoritas.*

Ex vtroque autem capite potest facilè hæc veritas probari, & oppositæ refelli hoc modo. Quia regula generalis fidei & Scripturæ est, animas hominum nõ creari ante corpora iuxta illud Psalm. 32. *Qui finxit sigillatim corda eorum* : sed nulla est ratio, neque auctoritas, cur anima Adæ excipiatur : ergo nullo modo excipi potest. Probatur minor, primò ex illa ratione naturali, quòd anima est forma corporis, nam hoc æque verum est in animabus primorum hominum. Deinde ex Scriptura refellendo simul falsam intelligentiam Philastrij, nam cum Gen 1. dicitur, *Ad imaginem Dei creauit illum*, & cap. 2. additur, *Formauit Deus hominem*, non duo facta narrantur, nec duo tẽpora indicantur, sed vnum, & idem opus, quod sexto die factum dicitur compendiosè, postea quomodo factum sit, eodem vtique sexto die, per recapitulationem describitur : ergo corpus, & anima, quæ ibi narrantur facta, eodem tẽpore, ac simul perfecta sunt. Consequentia euidens est, & antecedens in superioribus latè probatum est, & nunc declaratur ex verbis vtriusque capitis. Nam cùm in primo dicitur : *Dixit autem Deus, faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris*, &c. certè non loquitur de sola anima, sed de toto homine. Non enim anima separata præest piscibus, & volatilibus, &c. sed totus homo per animam corpori coniunctam, & sensibus simul cum ratione vtentem. Ergo cùm statim subiungitur, *Et creauit Deus hominem*, etiam est sermo non de anima sola, sed de homine. Et hoc etiam conuincit, quod statim additur, *masculum, & fœminam creauit eos* : nam hoc exponere de animabus nondum habentibus corpora à proprietate, & veritate verborũ valde alienũ est.

Fundamentum Philastrij in num. 9. refellitur.

12. *Progreditur probatio assertionis.*

Simili modo in cap. 2. cùm dicitur, *Formauit igitur Dominus Deus hominem*, rectè de toto homine dictum esse intelligitur. Verum quidem est, Augustinum 13. de Ciuit. cap. 24. dicere, nomine hominis posse ibi significari solum corpus iam organizatũ ad suscipiendam animam eo modo, quo corpus mortuũ Petri solet Petrus appellari. Quod etiam sentit Chrysost. hom. 12. & 13. in Gen. & Abulens. *ibi* cum alijs. Quia inde intulerunt corpus fuisse creatum ante animam. Ex quo non infirmatur, sed cõfirmatur potiùs, quod intendimus, scilicet, animam non fuisse creatam ante corporis formationem. Estque illa expositio probabilis : tamen commodè etiam exponitur verbum illud de toto homine, vel saltem de corpore iam vltimatè dispositio ad animæ receptionem. Quia corpus nunquam informatum anima, nec proximè aptum, vt statim informetur, non solet homo appellari. Et ideo verisimile est, in eodem sensu dixisse Moysem ibi, *Formauit Deus hominẽ* in quo prius dixerat, *creauit hominem*, in posteriori tamen loco explicuit modum, scilicet, formando corpus de limo terræ, & inspirando ei spiraculum vitæ, quod in eodem instanti fieri potuit, & factum est, sicut statim additur : *Et factus est homo in animam viuentem.* Denique confirmari hoc potest *ex cap firmiter, de summ. Trinit.* vbi dicitur, *creasse Deum in principio simul spiritualem, & corporalem creaturam, angelicam videlicet, & mundanam, & deinde humanam ex vtraque compositam.* In quibus verbis duo continentur. Vnum est, animam non fuisse creatam cum Angelis, sed post Angelos. Aliud est, animam tunc fuisse creatam, quãdo homo conditus est ex illa, & corpore compositus. Quib⁹ verbis rectè perpensis, videtur hæc assertio iam esse contra omne dubium, & ad certa dogmata pertinere. Ad motiuum autem Philastrij satis iam responsum est in n. 11.

Assertionis hactenus probatæ certitudo quãta.

Vltimò

13. *Assertio 4.*

Declaratur.

Vltimò dicendum est, animas primorum hominum fuisse in sua substantia, & proprietatibus naturalibus valde perfectas. Assertio clara est, illam tamen propono, vt ad ea, quæ dicenda supersunt, viam præparem. In anima ergo rationali primùm considerari potest essentialis, & specifica perfectio eius, de qua nota est assertio. Qualis autem, & quanta illa sit, in verbis Genesis, quibus primi hominis creatio refertur *ad imaginem & similitudinem*, &c. satis exponitur. Deinde potest hæc perfectio in indiuiduo considerari, prout in anima Adæ, aut Euæ inuenta est. Et in hoc sensu solùm dicere possumus, illas animas fuisse in indiuiduo valde perfectas. Quia si inter animas rationales non est vna perfectior alia, constat, animam Adæ, & Euæ habuisse totam perfectionem substãtialem, cuius anima rationalis in indiuiduo capax est. Si verò inter rationales animas est inæqualitas indiuidualis, incognitum est quem gradum Adæ anima, vel Euæ sortita fit, quia supposita illa veritate, determinatio ad animam tantæ, vel tãtæ perfectionis ex voluntate diuina pendet, ideoque nobis innotescere non potest, nisi per reuelationem. Solùm ergo dicere possumus, habuisse Adam animam valde perfectam, prout oportebat, & decebat eum, qui futurus erat principium, & origo reliquorum hominum, & eum, qui immediatè creabatur nõ solùm quoad animam, sed etiam quoad corpus, & quoad totum hominem ab ipso Deo, cuius opera perfecta sunt. Vnde, quod de simili perfectione indiuiduali corporis quoad eius temperamentum, & dispositionem suprà diximus, hic applicari possunt: nam anima, & corpus seruant inter se proportionem. Atque eodem modo sentiendum est de potentijs animæ, intellectu, scilicet, & voluntate, nam fuerunt in primis hominibus valde perfectæ, & substantiæ animæ proportionatæ. An verò habuerint inditas alias perfectiones, postea videbimus.

CAPVT VIII.

An primus homo fuerit secundum animam creatus ad imaginem & similitudinem Dei.

1. *Referuntur Patres & Scholastici tractantes de imagine Dei in homine.*

QVoniam his verbis explicauit nobis Scriptura excellentiam creationis humanæ naturæ, & formæ, quam per illam recepit, quæ est anima rationalis, ideo tam antiqui Patres, quàm Theologi omnes de hac imagine, & similitudine accuratissimè tractarunt, vt videre licèt in Basil. homil. 10. & 11. Exaemer. & Ambros. lib. 6. Exaemer. c. 6. 7. & 8. & lib. de Dignit. conditionis humanæ, & Theod. q. 20. in Gen. Chrysost. Rupert. & alijs expositioribus ibidem, & Gregor. Nissen. lib. de hominis opificio. & de Histor. sex dierum, Augustin. libris super Gen. sæpe, & in libris de Trinit. vt infrà videbimus, & Bernard. serm. 80. in Cant. & lib. de Liber. arbitr. Scholastici etiam cum Magistr. in 2. d. 16. & præsertim D. Thom. 1. p. q. 93. per nouem art. quos in præsenti capite breuiter comprehendemus.

2. *Suppositio necessaria pro doctrina huius cap.*

Primùm ergo supponendum est, cum Deus dixit, *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. decreuisse, seu explicasse voluntatem creandi hominem, in quo aliquam sui imaginem imprimeret. Ac subinde cùm subditur, creauit Deus ad imaginẽ suam, creatam sui imaginem in homine fecisse. Hoc præmitto quàm omnium dicendorum necessarium fundamentum, quia non defuerunt, qui verba illa de imagine in Deo ipso existent, eas subinde increata explicauerint. Ita vt sensus non sit, hominem ita esse ad imaginem Dei factum, vt in se creatam imaginem Dei receperit, sed potiùs sit sensus, hominem esse creatum conformem imagini, quæ in Deo ipso est. Ita refert Augustin. 7. de Trinit. c. 6. circa finem, & Magist. sent. in 2. d. 16. Et potest illa interpretatio suaderi ex illo ad Roman. 8. *Quos præ destinauit, conformes fieri imagini filii sui*: ergo etiam in præsenti, fieri ad imaginem non est, fieri imaginem, sed est fieri conformem imagini, quæ in Deo est. Confirmatur, quia illud *ad imaginem*, dicit respectum ad aliquam imaginem: ergo fieri ad imaginem, est fieri, recipiendo in se respectum ad imaginem: sed homo non potest dicere respectum ad imaginem, quæ sit ipse: ergo factus est ad imaginem, accipiendo respectum ad imaginem. Et confirmatur secundò. Nam aliud est facere ad imaginem, aliud facere imaginem. nam pictor volens imaginem depingere, non dicetur velle facere ad imaginem: ergo aliud *ad imaginem* potius dicit cõformitatem ad imaginem nõ factam, quàm imaginis factæ, seu faciendæ creationem.

Nihilominus tamen suppositio nostra communis est Patrum expositio, & sententia. Quæ probatur primò, quia illa verba, *Faciamus hominem ad imaginem nostram*. & illa, *Creauit Deus hominem ad imaginem suam*, & iterum, *ad imaginem Dei creauit illum*, non possunt intelligi de imagine increata. Ergo necessariò debent intelligi de creata in ipso homine facta. Antecedens probatur, quia illa imago vel esset diuina essentia, vel aliqua persona: neutrum autem dici potest. Non quidẽ essentia, quia diuina essentia non potest esse imago. Nam de ratione imaginis est, vt sit aliquid productum, teste Augustin. lib. 83. Quæst. q. 37. & D. Thom. 1. p. q. 35. a. 1. sed essentia diuina non est producta: ergo neque est imago. Et hac ratione Deus in quantũ Deus non potest esse imago essentialiter, quia non habet alium cuius imago sit: ergo deitas ipsa nõ potest esse imago increata. Responderi potest essentiam laxo modo, seu abusiuè, vt ait D. Thom. posse dici imaginem, quia secundùm eam vna persona aliam imitatur, ita refert D. Thom. d. q. 93. art. 5. ad 4. & non reprobat. Sed profectò non est talis acceptio imaginis in Deo admittenda, cùm sit improprijssima, & inusitata: & possit esse occasio errorum. Multo verò minus est secundùm illam explicanda Scriptura, relicta verborum proprietate, sine fundamento. Ac denique etiam illa posita necessariò ex verbis illis colligitur, hominem peculiarem cõformitatem & similitudinem ad diuinam essentiam in creatione sua recepisse, ratione cuius specialiter dicatur factus ad imaginem Dei. Nam ille respectus ad essentiam Dei per illa verba *ad imaginem*, indicatus, aliquod fundamentum in homine requirit: quod esse non potest, nisi proprietas naturæ humanæ, in qua illa cõformitas, & similitudo fundetur. Hæc autem est ratio imaginis homini impressa.

Alij verò, vt ex D. Thoma in eodem loco colligitur, responderunt Dei essentiam dici imaginem, quatenus in se continet ideas, & exemplaria rerum omnium, nam exemplar quædam imago est. Et ita dici potuisse, hominem factum ad imaginem, quia factus est conformis exemplari diuino. Sed talis expositio valde extorta, & improbabilis est. Nam in primis, etiam diuina essentia, vt est essentia non potest dici imago, quia etiam vt est exemplar non est producta, vel facta ad similitudinem alicuius, quod est de ratione imaginis, nec est sine fundamento dicendum, nomen imaginis improprie ibi vsurpari. Deinde si esset sermo de exemplari, potiùs dicere debuisset, faciamus hominem ad imaginem eius, id est, iuxta ideam, & exemplar eius: non autem sic dixit Deus, sed *ad imaginem nostram*, vel *Dei*, vel *suam*: non est ergo sermo de exemplari hominis, sed de imagine repræsentante Deum ipsum. Denique hoc modo nulla excellentia hominis per illa verba indicaretur, quod

Contra suppositionem nonnulli sũt opinati, teste Augustin. & Magistro.

Refutatur.

Refutatur.

*Refutatur

manifeste repugnat, & contextui, & Patribus illa verba ponderantibus, & explicantibus. Sequela patet, quia fieri cũ conformitate ad diuina exemplaria commune est omnibus rebus creatis vnicuiq; secundum naturam suam.

Altera pars de personis probatur, quia si aliqua persona ibi posset significari nomine imaginis, maximè Verbum, nam Pater & Spiritus sanctus secundum proprietates suas nõ habent, quod sint imago, vt suppono. Neque etiam omnes tres personę simul ratione deitatis possunt dici imago, vt iam est probatum: ergo solum, seu maxime posset hoc Verbo tribui, quia est vera imago Patris, at in dicto loco Geneſis non potest esse sermo de hac imagine, quia additur *ad imaginẽ nostram*, id est, vel trium personarum ibi loquentium, vel Dei, vt Deę est, & vt est hominis author. Verbum autem non est imago Trinitatis, nec Dei, vt Deus est, sed solius Patris: ergo ibi non est sermo de imagine increata personali, sed de imagine creata, quæ vel Trinitatem, vel Deum, vt Deus est, referre posset. Illa enim particula *nostram* conuincit, sermonem esse de imagine, quæ posit esse non solum Patris, sed etiam Filij, & Dei, vt Deus est, vt in fine capitis iterum dicemus.

Neque obstare debet, quod interdum Patres videntur de filio Dei illam imaginem explicare. vt Ambrosius libr. 6. Exaëmer. cap. 7. & Gregor. lib. 5. Moral. cap. 25. & Rupert. l. 2. in Genes. cap. 2. Quoniam hi Patres non dicunt in illis verbis per imaginem significatum esse Verbum Dei, sed expresè docent (vt videbimus) hominem ipsum factum esse ad imaginem Dei, quam in se recipit. Quia vero filius Dei naturalis est prima, & sola adæquata imago Dei Patris: ideo addunt prædicti Patres, dũ homo factus est ad imaginem Dei participasse aliquo modo, id quod est proprium filij Dei. Quod est verum, quamuis reuera ad expositionem litteralem verborum Geneſis non pertineat. Addi vero potest eo ipso, quod homo sit factus ad imaginem personalem Dei, necessario sequi recepisse in se participationem peculiarem illius imaginis increatæ, quæ ipsum hominem intrinsecè constituit ad imaginem creatam Dei, cum hoc tamen discrimine quod Verbum est tantum imago Patris, quia à solo Patre procedit: homo vero est ad imaginem Dei, quia à Deo vt Deus est procedit, sicut eo ipso quod homo fit particeps filiationis naturalis verbi Dei, in se recepit peculiarem participationem naturæ filij Dei, cum hac tamen differentia, quod Verbum est filius solius Patris, quia ab illo tantum procedit: homo verò fit filius adoptiuus Trinitatis, quia à tota Trinitate illam naturæ diuinę participationem recipit.

Secundo principaliter probatur hæc veritas ex 2. alijs Scripturæ locis, in quibus dicitur homo imago Dei, quia ad imaginem eius factus est. Sic Paulus 1. ad Corinth. 11. de viro dicit: *Quoniam imago, & gloria Dei est*, Et ad Coloss. 3. *Induentes nouum hominum qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illum.* Quibus verbis manifestè ostendit Paulus, in homine esse imaginem creatoris, secundum quam renouatur, quando suum creatorem cognoscit. Et hoc est, quod monet 1. ad Corint. 15. *Vt portemus imaginem cælestis.* Præterea hoc potest confirmari ex alia particula *ad similitudinem.* Nam homo non dicitur factus ad similitudinem Dei, quod detur aliqua similitudo increata, cui homo conformetur, sed quia in se recepit aliquam similitudinem Dei, quæ dignitatem hominis ostendit. Vt dixit Iacobus, in sua canonica cap. 3. *In ipsa*, id est, lingua, *maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt*: ergo etiam dicitur homo ad imaginem factus, quia in se recepit imaginem Dei. Et confirm. ex illo Gen. 9. *Quicunque fuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Ex eo enim grauitas illius delicti exaggeratur, quod nocumentum infert imagini Dei: est ergo illa imago in homine creata, & hoc significatur cum dicitur Deus creasse hominem ad imaginem suam. Et confirmatur tandem à simili, *Confirm. 2.* nam Gen. 5. dicitur, *Adam genera sse filium ad imaginem suam*, quod non potest intelligi de imagine in ipso Adamo præexistente, sed de imagine quam producebat in filio: ergo in eodem sensu dicitur Deus creasse hominem *ad imaginem & similitudinem suam.*

Tertio est hæc communis expositio Patrum, vt 8. videre licet in Ambros. Gregor. & Ruperto locis *Probatur 3. ex Patribus.* citatis, & Basil. hom. 9. Exaëmer. Aug. l. 7. de Trin. cap. 6. & libr. 12. cap. 7. & libr. 83. Quæst. q. 51. & libr. Imperfect. Gen. ad lit. ca. 16. Chrysost. Theodoret. & alijs super Gen. cum multis alijs, quos in discursu quæstionis referemus. Ratio autem non est alia, nisi, quæ iam tacta est, nam per illa verba explicare *Probatur tandem ratione.* voluit Deus singularem excellentiam cuiusdam naturæ, quam ad complementum huius mundi corporei addere volebat, quæ licet corpore etiam constet, non solum omnibus factis emineret, sed etiam dominari posset. Hanc autem excellentiam significauit illis verbis, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Ergo illa imago, & similitudo est aliquid creatum in homine existens, nam proprietas, quæ hominem facit excellentem & perfectum, in ipso homine esse debet. In illis ergo verbis, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, illa præpositio *ad*, non designat exemplar, ad cuius similitudinem homo sit conditus, sed designat terminum quasi formalem, & vltimum, ac principaliter intentum illius diuinæ operationis, ita vt sensus sit, faciamus hominem, & in eo sit imago nostra.

Neq; contrà hunc sensum obstant, quæ in prin- 9. cipio referendo contrariam sententiam proposita *Ad locum Pauli in num. 2.* sunt. Nam in primis verba Pauli, *quos præd stinauit conformes fieri imaginis filij sui* longe diuersa sunt. Quia ibi non dicit Paulus homines esse prædestinatos, vt sint ad imaginem, sed *conformes fieri imaginis filij sui*. In quo Apostolus satis expresit, se loqui de imagine increata, quæ licet respectu Patris sit, respectu prædestinatorum est exemplar. In Gen. verò loco non est sermo de exemplari, sed de termino creationis hominis. Vnde ad confirmationem *Ad 1. confir. ibidem.* negamus in illis verbis *ad imaginem*, indicari respectum ad aliquam imaginem, sed potius indicari respectum imaginis ad factorem eius vt manifestè declarat illa particula *nostram*, per quam indicatur cuius prototypi futura erat illa imago. Qua pro- *Ad 2. confir.* pter male in vltima confirmatione sumitur facere ad imaginem, non esse facere imaginem, contrarium enim ostendimus ex Scripturis, in quibus homo dicitur imago Dei, quia factus est ad imaginem Dei. Illa ergo particula *ad*, non est addita vt ab homine imago excludatur, quæ fuerit terminus effectionis Dei, sed vt denotetur aliqua imperfectio, & diminutio illius imaginis. Nam homo non est propria, & perfecta imago Dei, tanquam eiusdem naturæ cum eo existens, hoc enim est proprium filij Dei: sed est imperfecta imago, & ideo ad imaginem dicitur, quasi distans à perfectione rei repræsentatæ, & ad illam aliquo modo accedens, vt notauit August. lib. 7. de Trinit. c. 6. ad fin. & Ambr. l. 10. in Luc. 22. §. 2. D. Thom. supra, & Mag. cum alijs in 2. d. 16.

Hoc ergo pro constanti supposito, quoniam i- 10. mago relatiue dicitur, & relatio cognoscitur, co- *Suppositione iam expedita duo restãt in hoc c. explicanda puncta.* gnitis fundamento, & termino, ideo ad hanc imaginem explicandam duo à nobis declaranda sunt. Vnum est in quo fundetur hæc relatio imaginis in ipso homine. Aliud est ad quid terminetur hæc re-

Primum punctum quid in hominis fundet ratione m imaginis Dei.

latio ex parte Dei. Et hæc duo explicando attingemus omnia quæ de hac imagine tractari solent. Igitur circa primum, quia homo ex corpore, & anima constat, statim occurrit inquirendum, an homo in corpore, vel in anima, vel in vtroque imaginem Dei portet. Non defuerunt enim dicentes, hominem factum esse ad imaginem Dei secundum corpus, quod varijs modis excogitatum est. Vnus fuit hæreticorum, qui Deum corporeum finxerũt, quos videtur notare Aug. l. de Hæres. in 76. cum dicit: *Alia hæresis dicit corpus hominis non animam esse ad imaginem Dei.* Quod de Audianis refert Epiph. lib. 2. cont. Hæres. hæres. 70. in princip. & in Anchor. ante medium, & Theo. l. 4. Hist. c. 10. & l. 3. Hæret. fabul. August. Hæres. 70. isti n. dixerunt Deum esse corporeum, & ideo ponebant imaginem Dei in corpore hominis per formalem conuenientiam, & similitudinem ad corpus Dei. Veruntamen hic error in hoc sensu intellectus stultissimus est, nam quod Deus non sit corporeus, non solum de fide, sed etiam euidens est, vt in alijs locis est ostensum: ergo in hoc sensu non potest in corpore hominis esse imago Dei, vt Basil. hom. 10. Ambr. l. 6. c. 8. Aug. l. 6. Gen. ad lit. c. 12. Theod. q. 20. in Gen. Chrys. & Niss. in locis in principio allegatis argumentantur.

Quorundã opinio, quod fundetur in corpore.

1 Modus hæreticorum explicandi hanc opinionem.

Refellitur prædictus modus.

Libr. 1. de essentia Dei cap. 3. à n. 5. Et disp 30. Metaph. sect 4. à n. 15

Quidam vero moderni expositores Gen. finxerunt Deum ad creandum hominem, visibilem formam, & corpus hominis assumpsisse, & ideo dixisse, *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Ita Oleaster Gen. 1. & Eugub. in Cosmopœia. Et ratione illius formæ humanæ assumptæ, dicunt, illud verbum, *ad imaginem nostram*, seu *in vmbra nostra* (vt ipsi iuxta Hebræum legunt) referri ad corpus assumptum. Sed in eo, quod isti auctores asserunt Deum assumpsisse corpus visibile ad hominem formandum, ex proprio capite loquuti sunt, quia nec in Scriptura indicatur, nec traditione habetur. Et præterea refutari potest efficaciter, quia vel loquuntur de vero corpore humano, à Deo hypostaticè assumpto: vel tantum de apparenti specie corporis humani. Primum non dicunt, nec dicere potuerunt viri catholici, nam includit plures errores: vnus est, quod ante incarnationem Verbi Dei aliam Deus fecerit. Alius quod tota Trinitas aliquando fuerit incarnata: nam tota Trinitas loquebatur dicens, *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Tertius, quod ante corpus Adæ Deus aliud corpus humanum fecit, quod assumeret, quod repugnat Scripturæ, & præterea est ineptissimum fingere productionem vnius corporis humani ad aliud simile formandum.

2. Modus quorundam catholicorũ explicandi eandem opinionem.

Reiicitur 1.

Reiicitur 2. per dilemma

1. Membrum dilemmatis impugnatur multipliciter.

Secundum autem de corpore apparente, quale ab Angelis assumi solet, in primis est contra generalem regulam sanctorum dicentium, Deum quãdo visibiliter Patribus apparebat, non immediatè ac per se corporis humani effigiem assumsisse, sed per angelos. Et deinde vel illa particula *nostram* referebatur ad illam formam sensibilem, quæ apparebat, & sic ex illis verbis colligi non potest, esse in homine imaginem veri Dei, quia illa similitudo corporis humani non erat imago Dei, nec cum illo similitudinem habebat: atque ita sine causa, & falso statim adderetur, *ad imaginem Dei creauit illum*, quod alijs locis Scripturæ sæpe repetitur Gen. 5. & 9. Sap. 2. Eccl. 17. Si a. particula *nostram*, refertur ad Deum ipsum secundum propriam naturam, impertinens, & otiosa est illa cogitatio de forma corporis sensibilis à Deo sumpta. Propter quam enim vtilitatem, aut vsum assumeretur? Respondent, vt humano more posset Deus ad hominem loqui. Sed contra, quia cum dixit Deus illa verba, *Faciamus hominem*, &c. nondum erat homo, cum quo loqueretur: ergo ad hunc finem non erat necessarium corpus assumptum. Et propter eandem rationem putandum non est, illa verba fuisse à Deo

12. Impugnatur deinde posterius membrum.

Effugium præcluditur.

sensibiliter dicta, sed per illa nobis explicari consilium, & cogitationem, quam Deus de homine creando habuit. Sicut cum dixit, *fiat lux*, non sensibiliter dixit sed mente, vt supra dictum est. Et videri potest Aug. æquiparans illa duo verba *fiat*, & *faciamus*, cum debita proportione, & differentia, in Imperfect. Genes. cap. 16.

Denique alij, vt hanc imaginem in corpore hominis ponerent, cogitarunt hominem factum esse ad imaginem Verbi Dei incarnati. Nam Deus ex æternitate, & ante oẽs, Christum, vt hominẽ Dei prædestinauit. Vnde cum illum iam in mente sua haberet præsentem, potuit optime intuitu illius dicere, *Faciamus hominem*, &c. Ita refert Lippom. in Catena ex quadam Glossa, quam non nominat, nec in ordinaria Glossa reperitur. Et posset quidẽ Glossa illa tolerari, si solum per quandam accommodationem loquuta esset, tamen nullo modo reputari potest ille litteralis sensus. Primo quia scriptura nunquam indicat hominem fuisse creatum ad imaginem Dei vt hominis, sed Dei simpliciter, quo nomine significari solet Deus ipse, vt Deus est, præsertim in veteri Testamento, vel vbicunq; ex adiunctis nulla est ratio aliter interpretandi. Secundo, quia in eisdem verbis dicit Deus, *Faciamus hominem*, &c. vbi in verbo *faciamus*, notant Patres oẽs, loquutum fuisse Patrem ad Filium, vel tres personas inter se, vt mysterium Trinitatis statim à principio significaretur, vt videre licet in Basil. Hom. 10. in Gen. Ambr. l. 6. Exae. c. 7. Chrys. Theod. Rup. & alijs super Gen. & Aug. ibid. & 16. de Ciuit. c. 6. Addit autem idem Pater, vel eadem Trinitas, *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Ergo homo factus est ad imaginem Dei secundum aliquid cõmune Patri, & Filio, vel tribus personis: ergo non secundum corpus à verbo assumendum, quia illud corpus solius est secundæ personæ, non aliarum. Alioqui potius dicere debuisset Pater ad Filium incarnandum, faciamus hominem ad imaginem tuam, vt alias argumentatur Aug. lib. 12. de Trin. c. 6. Tertiò, homo factus est ad imaginem eius qui creauit illum, nam ipse creator dicit: *Faciamus hominem* & c. Vnde Paul. ad Colos. 3. *Renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illum*: sed Christus vt homo non creauit hominem, id est, per humanitatem non concurrit ad hominis creationem: ergo neq; homo creatus est ad imaginem Christi hominis, vt homo est. Probatur cõsequentia, tum quia imago connotat originem ab eo, cuius est imago, vt supra ex August. retuli, & in præsenti tradit in Imp. Gen. c. 16. Tum etiam, quia particula *nostram*, vt dixi, ipsummet creatorem indicat. Vnde Patres ex illa simile argumentum cõficiunt, vt probent, cum Deus dixit, *Faciamus hominem*, &c. non fuisse loquutum ad Angelos, quia neque angeli sunt creatores hominum, neq; vna, & eadem est angelorum, & Dei natura, vt videre licet in Aug. Basil. Chrys. & Theodor. locis citatis, & Cyril. lib. 1. cont. Iul. Idem ergo cum proportione dicendum est de Christi humanitate, seu de Christo, vt homine.

Tertio.

Vera ergo, & catholica sententia est, hominem secundum animam factum esse ad imaginem Dei, id est, rationem imaginis animæ esse impressam, ac subinde in illa fuisse fundamentum relationis imaginis ad Deum. Ita docent Bas. Chrys. Aug. & alij Patres in loc. cit. & præterea Ambr. Psal. 118. octon. 10. in illa verb. *Manus tuæ*, &c. & Greg. l. 9. Mor. c. 27. aliàs 36. & Greg. Nis. orat in verb. illa: *Faciamus hominem*, & Damas. l. 2. c. 12. D. Tho. dict. q. 93. a. 6. & bene Zeno Veronens. Epis. in l. sermonum, serm. 2. & 4. tom. 2. Bibli. Et probatur à sufficienti partiũ enumeratione, nam homo habet in se imaginem Dei, & illa non est propria in corpore: ergo est in anima. Secundo, quia in anima concurrunt omnia, quæ

quæ sunt de ratione imaginis, nimirum origo, & similitudo, ac repræsentatio ex vi originis, iuxta doctrinam Augustini lib. 83. Quæst. q. 51. & alijs locis allegatis, & D. Thomæ supra, & 1. p. q. 35. Anima enim à Deo habet originem, vt est de fide certum, nam per solam creationem fit. Deinde ratione animę homo habet propriam quandam similitudinem cum Deo in eo gradu, in quo propriè, & formaliter Deus existit, nempè in gradu vitæ intellectualis: ergo ratione animæ habet homo quod sit ad imaginem Dei. Probatur consequentia, quia de ratione imaginis est similitudo, vel secũdum speciem, vel secundum gradum, qui proximè ad speciem accedat, vel secundum speciem, aut figuram, quæ speciem rei referat, vt sumitur ex August. dicta q. 51. & D. Th. in citat. loc. & constat ex ipso vsu, & appellatione imaginis. Animal enim brutum, licet interdum ex homine generetur, & cum illo in ratione animalis aliquam similitudinem habeat, nihilominus quia gradum rationalem nullo modo attingit, qui in homine præcipuus est, ideo non dicitur, neque est imago eius. Et ob eandem causam bruta non dicuntur esse ad imaginem Dei, etiamsi in vita & cognitione maiorem cum eo similitudinem habeant, quam inanimata, quia intellectualẽm gradum, in quo Deus formaliter existit, non participant. At vero homo ideo est ad imaginem Dei, quia in gradu intellectuali cum eo conuenit, & ideo cætera omnia infra hominem dicuntur vestigia Dei propinquiora quidem, vel remotiora, prout magis, vel minus participant aliquid de perfectione Dei. Homo autem per animam attingit intellectualem gradum: ergo ratione animæ est ad imaginem Dei.

Sed obijciet aliquis Epiphanium lib. 2. hæres. 70. parum à princip. vbi argumentatur animam non esse id, secundum quod homo est ad imaginem Dei, quia licet in aliquibus proprietatibus videatur Deo similis, in pluribus est illi dissimilis. Et deinde impugnat dicentes, imaginem esse in corpore, & tandem concludit, *decerni non posse, in qua parte hominis locatum sit id, quod est secundum imaginem.* Et similia repetit *in Anchorato.* Respondemus, primo in hoc Epiphanium excessisse, nam videtur ita voluisse Dei imaginem in homine inuenire, vt in nullo sit dissimilis Deo, quod impossibile est, quia solus Filius Dei naturalis est perfecta imago Patris: homo autem est imago, sed deficiens, propter quod dicitur ad imaginem, vt supra ex Augustin. notauimus. Quapropter licet animus hominis in multis distet à perfectione Dei, hoc non obstat, quominus sit vera, & propria imago, licet imperfecta, quia ad proprietatem imaginis satis est formalis conuenientia, & similitudo in supremo gradu & proprio Dei, quæ in anima inuenitur. Secũdo dicimus indicare Epiphanium, quod licèt imago Dei sit in anima, non satis constare, an sit in illa sola, vel etiam in corpore. Item, cum in anima multa sint, scilicet, substantia, potentia, & actus, non satis constare, in quo istorum ratio imaginis fundata sit. Sed nihilominus hæc non obstant, quominus certò constet, imaginem esse in anima.

An vero sit etiam in corpore, dicendum breuiter proprie & formaliter non esse, remotè verò, & quasi in signo admitti posse. Priorem partem docet Aug. l. 24. cont. Faust. c. 2. dicens, *Cum in homine Deus fecerit id, quod interius est, & id, quod exterius est, non fecit eum ad imaginem suam, nisi secundum id, quod interius est, non solum incorporeum: verum etiam rationale, quod decoribus non inest.* Vbi dicendo, *non nisi*, plane excludit corpus, & indicat rationem, quia corpus secundum se, nec rationem habet, nec cum Deo potest formalem similitudinem habere. Quod magis explicat dicens, *Hoc vtrumque interius, & exterius simul vnus homo est, hunc vnum hominẽ ad imaginem suã fecit, non secundum id, quod habet corpus, corporalemque vitam, sed secundum id, quod habet rationalem mentem,* &c. Alteram nihilominus partem tradit Aug. l. 6. Gen. ad lit. c. 12. Vbi cum dixisset hominem factũ esse ad imaginem, non secundum corpus, sed secundum mentem, subdit: *quanquam & in ipso corpore habeat quandam proprietatem, quæ hoc indicet, quod erecta statura factus est.* Vbi cum dicit, *quæ hoc indicet*, satis ipse indicat, imaginẽ in corpore tantum esse vt in signo, non formaliter, quia nulla forma, & figura corporis in Deo est. Similia idem habet August. l. 1. de Gen. con. Manich. c. 17. & dict. q. 51. vbi latius id prosequitur. Et idem tradit D. Thom. dict. q. 93. a. 6. ad 2. & reliqui Theologi cum Magist. in 2. d. 16. De dubitatione vero indicata ab Epiphanio, scilicet, quid sit in anima propria ratio huius imaginis seu proximum fundamentum relationis eius, dicemus statim.

Suadetur posterius ex eodem Aug.

17. *2. Obiectio ex Theodor. & Anastas.*

Secundo obijci potest Theodor. q. 20. in Gen. & cum illo Anastas. Nissen. in libr. Quæst. sacræ Scripturæ, q. 21. referens, & approbans verba Theodoreti dicentis: *Quidam voluerunt imaginem Dei id, quod est in anima inuisibile, sed non rectè dixerunt. Si enim inuisibile animæ imago Dei esset, multo magis Angeli vocarentur imagines Dei.* Vnde videtur velle Theodoret. nec in anima, nec in corpore esse imaginem, sed in toto coniuncto, seu composito, quod ex corpore, & animo resultat. Et ideo rationem imaginis explicare conatur per quasdam proprietates, quæ in anima sine corpore non inueniuntur. Vt sunt regnare, iudicare, & dominari piscibus maris, fabricare artificialia, vt domus, naues, imagines, & similia, in quo, vt ait, homo auctorem naturæ imitatur. Et infra addit opera virtutis, & præsertim misericordiæ, ac denique concludit, cum solus homo sit ad imaginem, seu imago Dei ex omnibus creaturis, peculiarem quandam rationem huius denominationis esse oportere, cuius nulla reliquarum creaturarum particeps sit. Imo addit ex hominibus solum virum esse ad imaginem, & non fœminam: quia Paul. 1. ad Corinth. 11. de viro dicit: *Non debet velare caput suum, quia imago, & gloria Dei est*: de muliere autem dicit, *quod debet velare caput suum*: ergo supponit mulierem non esse imaginem Dei, & rationem addit, quia homo dicitur factus ad imaginem ratione imperij, vir autem imperat fœminæ, & non è conuerso.

18. *Ostenditur 1 contra Theodoretũ Angelum esse ad imaginem Dei.*

Sed in hac obiectione Theodoretus falso nititur fundamento, & in multis alijs non consequenter loquitur. Primum enim falsum est, Angelum non esse ad imaginem Dei, nam re vera est, & perfectiori modo, quam homo, simpliciter loquendo. Hæc est expressa sententia Dionysij ca. 7. de diuin. nomin. dicentis, *Angelos ea scire, quæ in terra sunt, Scriptura testatur, non ea sensu haurientes quæ quidem sunt sensibilia, sed propria ad Dei imaginem effictæ mentis virtute, atq; natura.* Idem docuit Greg. hom. 34. in Euang. quem sequuntur D. Thom. dicta q. 93. a. 3. & Schol. omnes, qui id confirmant ex illo Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis*, quod de principe malorum angelorum Patres intelligunt. Vnde Isid. libr. 1. de sum. bono, c. 10. inquit, *Distat conditio Angeli à conditione hominis, homo enim ad Dei similitudinem conditus est: Archangelus vero, qui lapsus est, signaculum Dei similitudinis appellatus est.* Et infra, *Quanto enim subtilior est eius natura, tanto plenius extitit ad similitudinem diuinæ veritatis expressa.* Quæ sunt ferè verba Gregorij, eadem repetit Beda libr. Quæst. q. 90.

19. *Accedunt Patres alij.*

Vnde pro hac sententia citari possunt Patres omnes, qui verba illa de Angelo dicta esse intelligunt, vt Hieron. ibi, & Isai 14. & 54. & Aug. l. 11. Genes. ad lit. c. 25. & 11. de Ciuit. c. 15. & Ambr. l. de Par. c. 2. & Tert. l. 2. cont. Marc. c. 10. vbi sic exponit. *Tu es resignaculum similitudinis, qui scilicet integritatem imaginis, & similitudinis resignaueris.* Quæ verba tacito

nomine Tertulliani satis accommodatè ad rem præsentem exponit Hieron. supra Ezech. vt paulo post referam. Et ibi etiam ponderat subiuncta verba, *Plenus sapientia & decore*, dicens, *Vbi imago Dei est, ibi plenitudo sapientiæ & perfectus decor.* Non est ergo dubium, quin angelus natura sua sit ad imaginem Dei tanto perfectius quam homo, quanto gradu naturæ intellectualis perfectius participat. Et ex concessis ab ipso Theod. potest hoc conuinci, nam si homo dicitur ad imaginem propter imperium, hoc commune est Angelis, qui (vt ipse fatetur) facultatem dominandi habẽt, quod probat ex Paulo, qui angelos vocat, dominationes, principatus, & potestates, & rectores tenebrarum harum ad Colos. 1. & ad Eph. 3. & 6. & ex Dan. 10. Vbi Michael vocatur princeps Hebræorum, & alius princeps Persarum, & alius Græcorum. Deinde si homo est imago, quia auctorem suum imitari potest fabricando artificialia, multo facilius, & excellentius potest id angelus præstare. Deniq; hæc potius sunt signa imaginis, quam forma, quæ in principio, & radice eorum posita est: illa autem forma in Angelo est excellentior. Simpliciter ergo excedit Angelus in ratione imaginis. Neq; obstat, quod Theod. objicit, quia in Scriptura solus homo dicitur factus ad imaginem Dei. Tum quia in Scriptura non indistincte narratur creatio Angelorum, sicut hominis. Tum etiam, quia in loco Ezech. satis significatur. Tum deniq; quia sufficeret argumentum, quod à fortiori ab homine sumitur, nam ex eo etiam quod Lucifer vocatur signaculum Dei, optimè colligere possumus, quemlibet angelum in suo gradu signaculum Dei esse.

Ex concessis arguitur etiam contra Theod.

Ad obiect. ex Theod in n. 17.

20. *Addit alteram responsionem D. Thomas, cui ipse nimis insistendum non vult.*

Addit verò D. Thomas, hominem secundum quid esse similiorem Deo, & duas proprietates explicat. Vna est, quod sicut Deus est in mundo totus in toto, & totus in qualibet parte, ita anima in corpore. Sed in hoc non videtur homo angelũ excedere, sed potius è conuerso, nam Angelus etiam potest esse in aliquo corpore totus in toto, & totus in qualibet parte: & in hoc hominem superat, quod non totus homo, sed tantum pars eius, quæ est anima, est tota in toto, & in qualibet parte. Angelus verò totus simpliciter est in toto, & totus in qualibet parte. Deinde est etiam perfectiori modo, quia anima est informando, Angelus verò præsidendo, aut operando tanquam extrinsecum agens, in quo videtur Deo similior quamuis multum ab illo distet. D. Thom. autem videtur totum mundum considerasse quasi vnum corpus, cui Deus intimè adest, totus in toto, & totus in qualibet parte eius, dando illi esse, altiori quidem modo, sed cum dependentia essentiali corporis ab ipso, & sub hac ratione dixit in homine, & anima eius esse maiorem quandam similitudinem cum Deo. Alia proprietas est, quia in homine inuenitur quędam Dei imitatio inquantum homo est de homine, sicut Deus est de Deo. Sed optimè addit D. Thom. hoc non pertinere ad rationem imaginis per se, sed solum supposita priori ratione substantialis imaginis, alioqui etiam in brutis imago Dei inueniretur. Vnde rectè concludit, cum hæc sint valde extrinseca ad rationem imaginis, & Angelus excedat in eo, quod huic imagini intrinsecum est, sine dubio factum esse ad imaginem excellentiori modo, quam fuerit homo.

21. *Ostenditur 2. contra eundem Theod fœminam quoq; esse ad imaginem Dei, licet Chrys.*

Secundo non admittimus, quod Theod. addit, fœminam non esse factam ad imaginem Dei. Quãuis eodem modo loquatur Chrys. Hom. 8. in Gen. & eundem loquendi modum referat Gratianus in cap. mulier 33. q. 5. Ambros. 1. ad Corinth. 11. vbi sic ait, *Mulier idcirco debet velare caput, quia non est imago Dei, vt ostendatur subiecta.* Idem habet in cap. hæc imago, eãdem causa, & q. ex Aug. in l. Quæst. ex vtroq; Testamento mistim q. 106. & idem habetur in priori parte earundem quæstionum ex solo veteri Testamento q. 21. & 45. Veruntamen contrarium est simpliciter verum, quod docuit idem Aug. 12. de Trin. c. 7. & Bas. hom. 10. Exaem. & Greg. Niss. in 2. de opific. hominis, & D. Tho. dict. q. 93. a. 4. Et probatur primo ex illo Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. Et infrà, *Creauit Deus hominem ad imaginem suam*: quia ibi per hominem non significatur solus vir, sed significatur simpliciter humana natura, quatenus apta est in suis individuis creari siue sit vir, siue fœmina. Quod subiuncta verba manifestè declarant: *Ad imaginem Dei creauit illum, masculum, & fœminam creauit eos.* Quæ verba rectè ponderauit Aug. dicens, *Ad imaginem Dei naturam ipsam humanam factam dicit, quæ sexum vtrumq; complectitur, nec ab intelligenda imagine Dei separat fœminam.* Potestq; confirmari ex illis verbis c. 5. *Hic est liber generationis Adam in die, qua creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit eum: masculum & fœminam creauit eos*, &c. Quib. euidenter explicatur de vtroq; sexu, quod prius in singulari, seu communiter de homine dicitur. Similiter Sap. 2. dicitur Deus, fecisse hominem in exterminabilem, & ad imaginem: sicut ergo primum fuit commune mari, & fœminæ, ita & secundum. Simili modo induci potest, quod dicitur Gen. 9. *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei est factus homo.* Iam lex illa tam est lata contra eum, qui effundit sanguinem fœminæ, quam viri. Ergo etiã ratio legis non solum virum, sed etiam fœminam comprehendit. Sic etiam inducit Aug. illud ad Colos. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actib. suis & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionẽ secundũ imaginem eius, qui creauit illum.* Nã renouari in agnitionem Dei cõmune est fœminæ & viro: renouatio a. fit secundum imaginem: ergo etiam ratio imaginis cõmunis est. Nam illa renouatio, vt Aug. ait, fit in spiritu mẽtis vbi sexus nullus est, sicut ad Eph. 4. dixit idem Paul. *Renouamini spiritum mentis vestræ*, & ad Gal. 3. dixit, *In Christo nõ est iudæus: nec Græcus: non est seruus nec liber: non est masculus, nec fœmina:* ergo vterque seruus renouatur in Christo, & vterque est ad imaginem Dei.

Aug. lib. 83. quæst. Primum argum.

Confirm.

Deniq; omnia illa, in quib. Theod. ponit rationẽ imaginis, in muliere inueniũtur. Quia etiã fœmina est capax dominij, & principatus, & artificialia operari nouit, & (q̃d caput est) habet facultatẽ rationalẽ, & intellectualẽ, secundũ q̃ præcipue ratio imaginis attẽditur: ergo etiã ipsa est ad imaginem Dei. Neq; obstat, quod Theo. objicit ex Paulo specialiter dicẽte de viro, *quod sit imago & gloria Dei*, nã per hoc non excludit à fœmina esse ad imaginem, sed indicat in hoc habere virũ specialẽ excellentiã, quia ipse fuit aliquo modo principium fœminę, & est caput eius, ac finis, in quo peculiari modo Deo assimilatur. Ita fere D. Thom. dict. q. 93. a. 4. ad 1. ad colligens ex verbis eiusdem Pauli: *Non n. vir est ex muliere, sed mulier ex viro, & vir nõ est creatus propter mulierem, sed mulier propter virum.* Et declarat optimè Aug. l. de opere monach. c. 32. dicẽs, esse quidem in fœmina imaginẽ Dei, quãuis corpore, siue sexu nõ ita illã significet, sicut vir. Et ad eundẽ modũ exponẽda sũt, quæ Gratian. (vt initio n. 21. attigebatur) ex Aug. & Ambr. refert. Præterquam quod libri, vnde desumpta sunt, incertæ sint auctoritatis.

Ad obiect. pro Thom. in fin. num. 2.

1. argum.

Tertio immerito negat Theodor. animam rationalem esse ad imaginem Dei, eo quod inuisibilis sit. Nam licet verum sit, hominem integrum esse ad imaginem Dei ratione animæ, & secundum aliquam proprietatem, vel conditionem inueniri in toto composito sensibili, quod est homo, in qua peculiarem habet similitudinem ad Deum, quam non habet anima separata, vt est dominari brutis animalibus, producere sibi simile vel etiam ante facta cõponere, nihilominus anima secundũ se spectata

3. Argum.

spectata ad imaginem Dei creata est, & separata à corpore substantialem imaginẽ in se retinet, quia essentialiter intellectualis est. Vnde quæ de Angelis diximus, de anima separata idem probant: quia etiam anima separata verè subsistit in gradu intellectuali, & licet in illo sit incompleta substantia, & simpliciter minus perfecta imago: nihilominus secundum quid in aliquo excedit angelos, & magis assimilatur Deo, nimirum, quia potest suum esse communicare corpori, & illi substantialiter vniri, quod angelus non potest: Deus autem altiori modo, & sine imperfectione, vel per creationem, & conseruationem, vel mirabilius, per Incarnationem id facere potuit.

Superest verò vlteriùs inquirendum quid sit in anima ipsa propria, & proxima ratio fundans relationem imaginis, nam in anima inueniuntur & natura, & gratia, vnde quæri potest, an anima sit ad imaginem Dei secundum naturam, vel secundum gratiam. Item in anima in sola natura spectata distingui possunt substantia, potentia, & actus, de quibus idem interrogari potest. Aduertendum ergo est in Genesi non solum dici, hominem esse creatum ad imaginem Dei: sed etiam ad similitudinem, de quibus verbis controuersia est, an idem significent, vel diuersa, & ideo in hoc puncto de illis sigillatim dicendum est. Quod ergo attinet ad imaginem, omnium sententia est, inueniri in homine, seu anima secundum naturam eius. Ita docẽt omnes Patres suprà allegati, & alij, quos statim referemus, & probatur sufficienter ex dictis. Quia homo est ad imaginem Dei, in quantum in intellectuali gradu cum illo conuenit, sed hoc habet anima rationalis per naturã, sicut & angeli: ergo secundum esse naturale animæ conuenit homini ratio imaginis. Et cõfirmatur hoc ex verbis Geneſis: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram vt præsit*, &c. Nam ex his colligitur inde conuenire homini esse ad imaginem, vnde illi conuenit posse præesse brutis animalibus, sed hoc conuenit illi per naturam rationalem, quatenus talis est, quamuis gratiam non habeat: ergo & ratio imaginis. Vnde Augustſerm. 27. de verb. Apostoli, cap. 2. *Habemus* (inquit) *aliquid amplius, quam bestiæ, mentem, rationem, consilium, quod non habent bestiæ, in eo facti sumus ad imaginem Dei. Denique vbi Scriptura narrat quòd facti sumus, ibi subiungit, vt nos pecoribus non solùm anteponat, sed etiam præponat.* Et infrà interrogat, vnde habeat potestatem, & respõdet *propter imaginem Dei.* Confirmari etiam potest ex loco citato ad Colos. 3. *Induite nouum hominem, qui renouatur in agnitionem se. ũdum imaginem eius, qui creauit illum.* Nam ex his verbis sic possumus argumẽtari, homo renouatur per fidem, & gratiam, vt docet Augustlib. 2. de peccat. merit. cap. 2. sed quãdo sic renouatur per fidem, & gratiam, non fit imago Dei, sed perficitur secũdum imaginem Dei: ergo per naturam habet, quòd sit ad imaginem. Quo ferè modo argumentatur Augustl. 12. de Trin. cap. 7. Denique argumentum suprà sumptum ex Gen. 9. hic etiam locum habet, nam homicidium dicitur ibi morte dignum, quia homo est ad imaginem Dei, sed homicidium præcisè spectatum secundum rationem naturalem, vt est contra hominis naturam, habet illam grauitatem, & est dignum tali pœna: ergo etiam ratio imaginis in ipsa hominis natura fundata est.

Vnde obiter colligitur, nullam naturam inferiorem humana esse ad imaginem Dei, vt rectè docet D. Thomas in dicta q. art. 2. quia in nulla inferiori natura inuenitur gradus intellectualis, quo nihil est propinquius Deo in creaturis, vt dixit Augustlib. 83. Quæst. q. 51. & ideo solùm in natura, quæ illum gradum attingit, imago Dei inuenitur. Sed dicunt aliqui in toto mundo esse imaginem Dei, & multo perfectius, quàm in homine solo, quia in mundo continentur omnes gradus rerum, & plures rationes, & modi repræsentandi excellentiam, & magnitudinem Dei. Sed hoc impropriè dicitur, & præter modum loquendi Scripturæ. Quia licèt Scriptura describat creationem mundi corporei, nunquam significauit, DEVM creasse illum ad imaginem suam. Et ratio est, quia mundus, vt sic, non est aliquid verè vnum, sed tãtùm secundum quendam ordinem, seu comparationem & accidentalem vnionem, sub qua ratione non potest dici ad imaginem Dei, quia in illo ordine, vel compositione, non nisi valde metaphoricè Deo assimilatur. Si autem sit sermo de rebus, ex quibus mundus constat, quædam sunt ad imaginem Dei, aliæ verò minimè. Vnde non potest mundus alia ratione dici ad imaginem DEI, nisi quatenus homo, vel angelus est ad Dei imaginem. Propter quod impertinens est comparatio, quæ inter mundum, & hominem in hoc fit, quia, si mundus sensibilis non includat hominem, non potest dici ad imaginem Dei: si autem sub mundo comprehendatur homo, tota ratio imaginis est in homine: & ideo neque hoc modo potest in mundo esse perfectior imago, quàm in homine, vtique in eo in quo proprietas imaginis consistit. Quamuis secundum alias considerationes, vel comparationes quædam aliæ imitationes Dei inueniantur in mundo, seu alijs partibus eius, quæ in homine non reperiuntur, quæ magis ad vestigia Dei quàm ad imaginem pertinent.

Impugnatur propriè.

Ratio impugnationis.

Addendum verò est, cùm in natura rationalis animæ, vel angeli tria inueniantur, substantia, potentiæ & actus, in omnibus illis rationem imaginis considerari, ac fundari posse, vel certè ex omnibus illis hanc imaginem compleri, & cõsummari. Ita sumitur ex varijs modis, quibus sancti rationem huius imaginis in homine declarant, & simul ratione potest facilè ostendi. Nam in primis anima ratione lucę substantię, in intellectuali gradu essentialiter constituitur, & ex eiusdem substãtiæ essentiali perfectione habet, quòd sit intelligentiæ capax: sed hæc est fundamentalis ratio huius imaginis, vt diximus: ergo. Et confirmatur ex proprietatibus maximè proprijs talis substantiæ: est enim incorporea, indiuisibilis, immortalis, seu æterna, vbicunque est, tota in toto existit, & in singulis partibus est capax participationis diuinitatis, & virtutum, & actuum comitantium illam. Et ita Augustin. libr. de Quantit. animæ, cap. 2. per immortalitatem animæ imaginem explicat. In libro autem de Eccles. dogmatib. illi attributo, capit. vlt. dicitur anima ad imaginem non solùm, quia *incorporea est. sed etiam quia æterna.* Greg. autem Nyssen. in lib. de hominis opificio, cap. 16. à medio, in editione Basilien. anni 71. ad imaginem dicit esse, quia particeps est summi boni, quod Deus est: & idem reperitur in orat. catechet. c. 5. ex editione Parisien. an. 73.

26 *Assertio 4. etiam ad imaginem ac timens.*

Declaratur ratione.

At verò sola anima sine potentijs non refert sufficienter diuinam naturam, quatenus intellectualis est, nam Deus ita est intellectualis per naturam suam, vt per eandem nostro modo intelligendi habeat vim, & facultatem proximam intelligendi, & amandi, & liberè operandi: at verò anima non habet hęc omnia per suam substantiam sine potentijs: ergo potentiæ animæ ad complementum huius imaginis pertinent. Atque ita Augustl. 12. de Ciuit. cap. 23. & tract. 8. in 1. Epist. Ioann. ponit rationem imaginis in mẽte rationali. Idem serm. 27. de verb. Apost. & in ser. 63. de verb. Dom. ponit illam in intellectu, memoria, & voluntate. Quod etiam habet Bernar. in lib. Meditat. cap. 1. Et quia liberum arbitrium est facultas voluntatis, & rationis, ideo in libertate intellectualis naturę ra-

27 *Progreditur dicta declaratio.*

tionem imaginis ponit Ambr.lib.6.Exaem.c.8. & Damasc.lib.2.de Fide,c.12.& Nyssen.lib.de homin. opific.cap.4.& Bernard.lib.de Grat.& liber.arbit. Vnde vlteriùs, quia homo per rationem, & libertatem est capax dominij, & facultatem habet ad regendum,& gubernandum: ideo in hac facultate constituunt sæpe Patres rationem imaginis cõsentaneè ad verba illa Dei, *Faciamus hominẽ ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit.* Ita Basil. Ambros. & Chrysost. ac Theodoret. locis citatis, & Damasc. dict. cap. 12. & August. lib. de catechizan. rudib. cap. 18. & lib. 3. Genes. ad liter. cap. 20. & indicat Hieron. Epist. 146. ad Damasc. de filio prodigo, parum ab initio.

28 *Completur prædicta assertionis declaratio.*

Denique quia Deus per substantiam suam non tantùm est essentialiter intellectiuus, nec solùm ad intelligendum potens, sed etiam est actu intelligens, & amans: ideo etiam homo non tantùm in substantia sua, & potentijs, sed etiam in actibus earum imaginem Dei portat. Imò tunc Dei imago in homine perfecta, & completa intelligitur, quãdo suis actibus ornata est. Sic dixit Theod. dicta q. 20. tunc verè hominem esse ad imaginẽ Dei, quando opera Dei facit, iuxta illud Pauli 1. ad Corin. 15. *Sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus imaginem cœlestis. Nam imaginem* (inquit) *terrenam portat, qui secundum carnem viuit, & perficit opera carnis: imaginem verò cœlestis, qui spiritu opera carnis mortificat.* Et August. (si eius est) lib. 65. Quæst. in 18. *Mens* (inquit) *quando cogitat ea, quæ sunt æterna, tunc verè imago Dei dicenda est.* Et infrà, *Quanto se magis extenderit in id, quod æternum est, tanto magis inde formatur ad imaginem Dei.* Et clariùs Thaulerus serm. 2. de Trinit. *Hæc* (inquit) *diuina imago veraciter propriè ac nudè in anima, cui naturaliter indita est, inuenitur.* Et inferiùs, quærens vbinam sit ista imago, dicit, *Omnium sententia est propriè in viribus supremis, hoc est memoria, intellectu, & voluntate consistere*: ipse verò subiungit, *Sanctus Thomas propiùs ad rem ipsam accessit, dicens, quòd imaginis huius perfectio in eius actualitate, & virtutum exercitio sita sit.* Quod ipse postea de actibus perfectæ contemplationis exponit. Ac deniq; August. lib. 12. de Trin. cap. 6. & sequentib. & lib. 14. cap. 3. & sequentib. per actus intellectus, & volũtatis perfectionem huius imaginis declarat, vt paulo pòst in vlt. puncto videbimus. Dico ergo per actus perfici hanc imaginem, quia illam ornant, & similiorem reddunt. Substantialiter autem in illis non consistit, neque in rigore necessarij sunt, vt homo esse dicatur ad ad imaginem Dei. Tum quia Deus dicitur creasse hominem ad imaginem suam, ideoque ante opera in ipsa anima, vt est terminus creationis, & ex vi illius imago Dei impressa est, & similiter in homine, ex vi informationis animæ ante omnem operationem inuenitur. Tum etiam, quia imago Dei in homine est permanens: operatio autem ex se transiens est. His ergo modis in ipsa hominis natura imago Dei magis vel minùs perfecta inuenitur.

Quomodo in actib. potentiarum rationalium homo portet imaginẽ Dei.

29 *An idẽ valeat esse ad imaginem & similitudinẽ. 1. Sententia.*

Superest videndum, an etiam per gratiam sit imago Dei in homine, simulque explicanda est alia particula, *ad similitudinem*, prout supra proposuimus. Duæ itaq; sunt expositiones illorum verborum, *ad imaginem, & similitudinem.* Vna est, vt non significent res diuersas, sed eandem magis declarẽt, ita vt particula, *ad similitudinem*, solùm denotet illam imaginem Dei esse valde perfectam. Nam, vt rectè dixit D. Thomas dicta quæst. 93. art. vlt. licet similitudo sit de ratione imaginis, nihilominus, quia similitudo ipsa potest esse magis & minus: ideo ad denotandam perfectionem imaginis dici solet habere similitudinem, ac proinde quamuis illæ duæ voces coniungantur, idem magis perfectum significant. Et potest hæc expositio optimè sustineri, & confirmari ex illo Gen. 5. vbi solùm dicitur, *Creauit Deus hominem ad similitudinem suam*, sicut alijs locis solùm dicitur homo ad imaginem factus, vt Gen. 9. & Ecclesiast. 17. Quibus indicatur idem per singulas voces, quod per vtranq; simul, significari. Imò Sapient. 2. dicitur Deus creasse hominem ad imaginem similitudinis suæ, vbi iuxta phrasim vsitatam in scriptura genitiuus ille æquualet adiectiuo, ac si diceretur ad imaginem similem sibi. Ac deniq; Gen. 5. Adam dicitur genuisse filium ad imaginem, & similitudinem suam, quæ verba non videntur posse in alio sensu declarari: ergo in eodem, similia de homine dicta accipi possunt. Et huic sententiæ fauet August. in Imperfect. Gen. ad lit. cap. vlt. ad fin. vbi refert quosdam distinxisse inter imaginem, & similitudinem, dicentes quòd licet prius dixerit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, nihilominus statim solam dici, *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam*, quia tunc tantummodo ad imaginem factus est: similitudo autem illi postea reseruabatur in resurrectione mortuorum. Hanc verò opinionem refutat August. primò ratione, his verbis: *Quasi posset esse imago aliqua, in qua similitudo non sit. Si enim similis omninò non est, profectò nec imago est.* Secundò auctoritate Iacobi 3. dicentis, *In ipsa* (vtique lingua) *benedicimus Deum & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.* Et similia ferè habet idem August. q. 4. in Deuter.

Eidem fere tenent Aug.

1. Sententia.

Nihilominus est alia sententia, quæ illa duo verba *imaginis*, & *similitudinis* distinguit, & prius ad naturam, posterius ad gratiam refert, ac si dictum esset Faciamus hominem ad nostram imaginem secundum suam naturam, & nobis similem in gratia. Ita ferè Ambr. lib. de Dignit. condit. human. c. 2. & 3. & lib. 6. Exaemer. cap. 7. & 8. Origen. lib. 3. Periarch. c. 6. Chrys. hom. 9. in Genes. Basil. hom. 10. & Gregor. Nyssen. hom. de Creat. homin. & Theod. q. 20. in Gen. & ibid. Euch. lib. 1. & significat Hier. in id Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis*: dicens, *Notandum quòd imago tunc facta sit tantùm, similitudo in Baptismo compleatur.* Idem indicat Iren. lib. 5. cont. hæres. cap. 6. dicens. Propter effusionem spiritus spiritualis, & perfectus homo factus est, & hic est, qui secundum imaginem, & similitudinem factus est Dei. Et hoc declarans, subdit, *Si defuerit anima spiritus animalis est verè imaginem habens in plasmate, similitudinem verò non assumens per spiritum.*

31 *Confirmatur.*

Fundamentum huius sententiæ esse potest, quia non est credendum, illa verba esse addita distincta, sine aliquo mysterio, & peculiari vtriusq; vocis significatione. Vnde etiam Damasc. lib. 2. cap. 12 dixit imaginem vim intelligendi, & arbitrij libertatem significare: similitudinem verò virtutis, quoad eius fieri potest, perfectionem. Et cõfirmari etiam potest, quia cùm homo iustificatur, dicitur *renouari secundum imaginem eius, qui creauit illum*, ad Colos. 3. In quo significatur, hominem esse ad imaginem, etiamsi non sit renouatus per gratiam, per quam renouatur ad similitudinem, vt videtur exponere Aug. lib. cont. Adimant. cap. 5. Propter quæ sententia hęc est etiam valde probabilis. Existimo tamen priorem esse maximè literalem, & primarium sensum cõtinere: hanc verò posteriorem esse magis spiritualem, vel ad summum ad secundarium sensum pertinere, vel certè esse quasi explicationem prioris, nam Deus ita fecit hominem ad imaginem suam, vt similitudinem, quam habebat innatam, voluerit per sua dona perficere. Et in eodẽ sensu dicunt Patres allegati, non solùm in principio factum esse hominem ad imaginem Dei, sed etiam quo magis in sanctitate crescit, eo magis ad similitudinem Dei fieri, & tunc esse illam imaginem consummandam, quando *similes erimus, & videbimus eum, sicuti est.*

Ibidem fere Aug.

Contrarium.

Soluitur.

32 Ex quibus colligere licet, quid sentiendum sit de sententia dicentium, hominem amisisse imagi-

nem

nem Dei, peccando, quæ fuit sententia Origenis, vt refert Hieron. in Epist. 60. ad Ioan. Episc. Hierosol. vbi illam vt hæreticam damnat. Idemq; habet Epiphan. in Epist. ad eundem, & hæres. 70. Quem errorem ita noui hæretici excitarunt, & explicarunt, vt de ipsa naturali imagine id affirmauerint, ita esse abolitam, vt amiserit homo arbitrij libertatem, & potestatem vtendi ratione saltem in rebus honestis. Imò Matthias Illyric. vt refert Valen. dixit, hominem peccando transformatum fuisse in viuam, & substantialem imaginem diaboli, & amisisse imaginem Dei. Sed in hoc sensu nō solùm est hæretica hæc sententia, sed etiam insana, quia essentia animæ, & potentiæ connaturales illi non amittuntur peccando, nec mutari possunt in seipsis, sed solùm in habitibus, aut actibus suis, vel in modo faciliùs, vel difficiliùs operādi, quatenus ex corporis dispositione pendent. Et contra illum specialem errorem, quòd homo peccando non amiserit arbitrij libertatem, in tractat. de Gratia ostendimus, Prolegom. 4. cap. 7.

In hoc ergo sensu certum sit, hominem peccando non amisisse, nec amittere illam imaginem naturalem Dei. Quam ex vi creationis accepit. Quia verò hæc imago ita perficitur per gratiam, vt nonnam, & singularem Dei similitudinem recipiat, ideo dicunt interdum Patres amisisse hominem peccando imaginem Dei. Et ita exposuit seipsum August. lib. 2. retract. c. 24. exponens quod dixerat l. 6. Gen. ad lit. c. 24. 27. & 28. scil. Adam peccando amisisse imaginem Dei. *Non sic accipienddm est* (inquit) *tanquam in eo nulla remanserit, sed quòd tam deformis, vt reformatione opus haberet.* Et quamuis hoc magis significasset lib. 83. Quæst. q. 67. dicens, amisisse hominem signaculum imaginis: nihilominus illam expositionem addit, & Scripturis confirmauit lib. 1. retract. c. 26. Et sic etiam dixerunt Cypr. in serm. de Bono patient. & Bern. 1. de Annuntiat. hominem peccando, retenta imagine similitudinem Dei perdidisse, gratiam enim per *similitudinem* intelligunt, iuxta secundam expositionem suprà datam. Et hoc etiam significauit August. 2. de Gen. contr. Manich. cap. 28. Et clariùs 12. de Trin. cap. 11. vbi de primis parentibus dicit, *quòd nudati stola prima, pelliceas tunicas mortalitate meruerunt.* Et subdit, *Honor enim hominis verus, est imago, & similitudo Dei, quæ non custoditur, nisi ab ipso, à quo imprimitur.* Idem sumitur ex eod. in concione 2. in Psal. 70. circa illa verba: *Deus quis similis tibi?* & Psal. 72. circa illa verba, *Imaginem illorum ad nihilum redigens* dicens, peccatores imaginem Dei ad nihilum reducere. Et Ps. 75. non longè à principio: *Factus* (inquit) *es ô homo ad imaginem Dei, per vitam verò peruersam exterminasti in te imaginem conditoris tui.* Statim verò addit, *Factus dissimilis*, &c. Nec ampliùs videtur intendisse Origenes, vt colligi potest ex lib. 3. Periarch. cap. 6.

Vltimò dicendum superest de termino ad quem formaliter refertur hæc imago tanquam ad suum prototypon. Quāuis enim ex dictis constet, Deum esse primum exemplar huius imaginis, ac subinde esse terminum relationis eius, nihilominus quia in Deo multa attributa, & proprietates à nobis considerantur, & distinguuntur, ideo breuiter explicandum est, an Deus sub aliqua ratione particulari, vel sub omnibus simul sit huius relationis terminus. Circa quod breuiter aduertendum est, Deum posse considerari vel vt est vnus, vel vt est trinus, vel vt est aliqua determinata persona ex tribus quę in ipso sunt. Primò ergo certum est, hominem esse factum ad imaginem Dei, vt vnus est, ac subinde Deum, vt vnum, esse terminū relationis huius imaginis. Hoc supponit D. Th. dicta q. 93. art. 5. & omnes Theologi in 2. d. 16. & probatur ex dictis, quia homo est ad imaginem Dei quatenus cum illo conuenit in gradu intellectuali, quem ab ipso participat. Sed Deus quatenus est vnus in essentia, est in supremo gradu intellectualis naturę: ergo vt sic est terminus huius imaginis. Item hæc ratio imaginis consideratur in multis attributis ad vnitatem Dei pertinentibus, vt in immortalitate, in immaterialitate, in indiuisibilitate, æternitate, & similib. Vnde constat Deum non terminare hanc relationem secundum aliquod speciale attributum, sed secundum absolutam Dei essentiam, quatenus includit omnia attributa, quæ à natura intellectuali participari possunt secūdum formalem cōuenientiam cum Deo; quamuis analogam. Et fortasse hac ratione dixit Greg. Nyss. suprà relatus in nu. 26. in fine, cùm homo dicitur factus ad similitudinem Dei, nihil aliud significari, nisi factum esse participem omnium bonorū Dei: nam quia hæc innumerata sunt (ait) & sigillatim vix enumerari poterant, ideo illo vnico generali verbo sunt comprehensa. Nam quia diuinitas est plenitudo bonitatis, & imago iuxta talē formam similitudinem possidet quandam, ideo etiam boni plenitudinem participauit. 2.

Deinde dicendum est, hominem factum etiam esse ad imaginem Trinitatis, ac proinde etiam Deum trinum esse terminum huius imaginis. Ita docet D. Th. in dict. ar. 5. & reliqui Scholastici cum Magistro in 1. d. 3. estq; sententia August. Ambros. & aliorum Patrum exponentium verba illa. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Exponunt enim, Trinitatem esse quæ loquitur, vt suprà vidimus, vnde cum dicit *nostram*, indicare ad imaginem ipsius Trinitatis hominem esse factum. Deinde solet hoc explicari duobus modis, prior est, quia tres potentiæ, scilic. intellectus, memoria, & voluntas in vna anima existentes, tres personas in vna essentia aliquo modo repræsentant. Ita Magist. in dicta d. 3. & sumitur ex Ambrosio libro de Dignit. human. nat. cap. 2. & ex August. libro 10. de Trinit. cap. 1. Alter modus, quem magis probat D. Thomas dicta q. 93. art. 7. ad 3. est, vt hæc imago consideretur in anima vt actu intelligente, & amante. Nam quia Trinitas personarum in Deo per processiones intellectus, & voluntatis consurgit, ideo per quandam participationem illarum processionum completur in anima imago Trinitatis, quatenus intelligendo producit verbum, & diligendo, amorem. Quem modum latè prosequitur August. de Trin. cap. 5. & lib. 14. cap. 7. & sequentib. & lib. etiam 15. & attigit Hilar. 4. de Trin. & latiùs in principio tract. de Trin. explicatur. Potest autem inquiri, an hæc imago sit tantùm in cognitione, & amore DEI, vel etiam aliarum rerum, & an in actibus perfectis tantum, vel etiam in imperfectis. Nam August. in hoc variè loquitur, vt videre licet in D. Thom. art. 7. & 8. Breuiter tamen dicendum est, in omni cognitione, & amore inueniri aliquo modo hanc imaginem, cum maiori verò proprietate in amore & cognitione Dei, & tanto perfectiorem, quanto prædicti actus perfectiores fuerint. 35 *Assertio 7.* *Probatur 1. ex doctrina Patrum.* *Explicatur deinde tripliciter.* *Prior modus.* *Posterior modus.* *Dubiolum resoluitur.*

Vltimò addendum est, hanc imaginem non referri ad aliquam particularem diuinam personam secundum proprietatem peculiarem eius. Hoc aduertimus propter quosdam, qui dixerunt, hominem factum esse ad imaginem filij, & alios, qui addiderunt, factum esse ad similitudinem Spiritus sancti. Quorum primum iam suprà refutatum est, & improbatur ab August. lib. 7. de Trinit. cap. vlt. & in Imperfect. Genes. cap. etiam vlt. in fine. Quia non dixit Pater: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem tuam, sed dictum est, *ad imaginem, & similitudinem nostram.* Quo argumento refellitur etiam secundum, quia particula *nostram* tam in similitudinē, quàm in imaginem cadit. Et præterea quia abusiuè, & sine fundamēto dicitur 36 *Assertio 8.* *Vnde probatur.*

nomine similitudinis Spiritum sanctum ibi significari.

CAPVT IX.

An primi homines cum perfecta scientia rerum naturalium creati fuerint.

PRæter substantiam, & potentias, quas homo in prima productione à suo auctore accepit, inueniuntur aliæ perfectiones ad ordinem naturæ pertinentes, quia naturam perficiunt, & aliquo naturali modo acquiri possunt, vt sunt habitus, & actus, de quibus dicendum est, quomodo primis hominibus concreati fuerint, & præsertim de habitibus, nam actus non sunt facti à solo auctore naturæ, sed ab ipso homine iam producto. Hæ autem perfectiones partim ad cognitionē pertinent, partim ad voluntatem. De cognitione igitur, quæ prior est, seu scientia est dubium, an homini in sua creatione data fuerit. Est autem ratio dubitandi, quia naturale est homini acquirere cognitionem, & scientiam per sensus, & habitus per actus: sed Deus ita condidit res omnes, vt proprios motus illis agere finat: ergo etiam hominem ita creauit, vt conferendo ei totam perfectionem, quam in actu primo natura per se primò, vel secundò postulat, reliquas perfectiones, ipse sibi acquireret. huiusmodi autem sunt scientia, & cognitio: ergo hęc non sunt homini concreata, vel à Deo indita, sed post concreationem sunt ab homine acquisita. Et confirmatur, quia sæpe dictum est, in prima rerum creatione, non esse miracula, vel præternaturalia opera sine euidente necessitate, & auctoritate asserenda: sed habere scientiam infusam non est naturale homini, sed miraculosum, vel supra naturæ ordinem: ergo non est, cur credamus hoc modo esse datam scientiam primis hominibus.

Partis negatiuæ argumentum.

Confirm.

2. *Assertio 1. & certa affirmans de scientia naturali Adamo indita.*

Nihilominus certum est, habuisse Adam statim ac fuit à Deo creatus naturalem scientiam à DEO sibi inditam. Hæc est doctrina Sancti Thomæ 1.p. q.94. art.3. & est communis Scholasticorum cum Magistr.in 2.d.23. Et probatur primò ex Scriptura, nam Gen.2. dicitur, paulo post creationem Adæ adducta esse omnia animalia coram ipso, vt eis nomina imponeret, & additur: *Omne quod vocauit Adam animæ viuentis ipsum est nomen eius.* Ex quo loco omnes Scholastici colligunt, habuisse tunc Adam scientiam singulorum animalium, vt conuenienter ad naturam vniuscuiusque eis nomina imponeret. Ita enim exponit dicta verba Euseb.lib.11. de Præparat.Euang.cap.4. nam quod dicitur, *Ipsum est nomen eius*, exponit, hoc est, in ipsa natura, seu conuenienter ad naturam rei impositum est. Hoc autem fieri non poterat, nisi & cum perfecta scientia ipsorum animantium, & cum magna peritia alicuius linguæ, & proprietatis omnium verborum eius. Vnde rectè Chrysost.hom.14.in Gen. inquit, *Quòd magna sapientia præditus fuerit, discere ex his, quæ nunc sunt. Et adduxit illa, &c. facit hoc Deus demonstraturus nobis magnam illius sapientiam.* Et infrà, *Ne igitur subitò prætereas, sed cogita quanta fuerit sapientia volatilibus, &c. & omnibus congrua & conuenientia suæ naturæ imponit nomina.* Et iterum infrà, *Quis potest congruu nominibus iumenta appellare, & volatilia cœli, & alias bestias quomodo nō omnis sapientia, & industria pollet?*

Probatur 1.

Secundò veritatē hanc videtur expressè docere Sapiens Eccl.17. dicēs: *Creauit Deus de terra hominem.* Et infrà, *Creauit ex ipso adiutorium simile sibi.* Et infrà, *Et disciplinam intellectus repleuit illos, creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum & mala & bona ostendit eis, posuit oculum suum super corda illorum ostendere illis magnalia operum suorum. vt nomen sanctificationis collaudent, & gloriari in mirabilibus illius, vt magnalia enarrent opera eius.* Quæ verba licèt generalia videantur, & supernaturalem cognitionem maximè indicent, tamen sine dubio naturalem etiam scientiam comprehendunt. Tum quia valde vniuersalia sunt: tum etiam, quia ad perfectā disciplinam intellectus pertinent, quam perfectionem totam complectitur illud verbū, *repleuit illos.* Tum etiam, quia multa ex operibus Dei per hanc sciētiam cognoscuntur, vnde etiā deseruit, vt in eius laudem referantur. Denique ibidem ait Sapiens: *Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram: posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum, & volatilium.* Ad vsum autem huius potestatis, & dominij necessaria erat huiusmodi sciētia, vt discernere posset mansueta animalia à feris, statim ac illa videret, & absq; alio experimento, & sic de cæteris. Quod rectè indicauit Chrys. loco cit. ponderando nominum expositionem scientiæ, potestatis, ac dominij signum fuisse, & ad verunq; sine cōfusione præstandum, magnam sapientiam, imo & industriam (vt ait) necessariam fuisse, quod no potest de industria acquisita intelligi, cum nulla experientia præcessisset. Addi etiam potest illud Eccles.7. *Deus fecit hominem rectum* nam scientia etiam ad quandam rectitudinem pertinet, quia scientia veritatis, rectitudo quædam intellectus est: intellectus autem principalis potentia hominis est, & ideo rectè potest hæc rectitudo intellectualis (vt sic dicam) sub absoluta rectitudine comprehendi, quamuis fortasse Sapiens de morali, vel supernaturali præcipuè loquatur, vt postea videbimus.

4. *Probatur ex tempore quo Deus opera perfecta produxit.*

Vltimò confirmatur ratione hæc veritas, quia hominem creari cum perfecta scientia fuit in primis conuenientissimum ex parte Dei, cuius opera perfecta sunt: nam hac ratione omnes alias res vniuersi tam corporales, quam spirituales in statu perfecto creauit: ergo & hominem ex corpore, & spiritu compositum. Nam & ipsum hominem secundum corpus perfectū creauit: ergo multo magis secundum animam. Nec satisfaciet quis respondeat, feciſſe quidem Deum animā perfectam *quoad* secūdum eas perfectiones, quas à solo auctore naturæ habere poterat, vel per se primò, vel per naturalem, ac necessariam dimanationem cum essētia: nō verò quoad alias perfectiones, quas homo suis actibus potest acquirere. Hoc, inquam, non satisfacit, tum quia vix potuisset homo scientiam acquirere, nisi prius daretur à Deo, vt statim declarabo. Tum etiam, quia corporibus etiam eas perfectiones contulit Deus in principio, quas possunt similia corpora discursu temporis suis actib. comparare, vt patet in statura corporis humani, & in arboribus cum suis fructibus productis: ergo multo magis debuit creare intellectum hominis bene dispositum, & proximè aptū ad fructus mentis producendos. Quod his verbis docuit Moles Barcepha lib.de Parad.2.p. cap.7. *Comparauit Deus Adæ mentu sensum, vt procrearet, atq; expullulare faceret omnu generū probas cogitationes, meditationibusq; tam de rebus, quæ videndi sensu percipi possunt, quàm his, quæ eum sensum effugiunt.* Vnde ibidem dixerat, inductum fuisse Adamum in spiritualem, ac felicem vitam, & mirifica affectuum voluptate per meditationes, cogitationesque nulli perturbationi, aut anxietati obnoxias, in morem angelorum, & spiritualium copiarum, recipientemque radios diuinarum notionum non aliter atque angeli capiunt. Quæ verba maiorem quidem perfectionem intellectus indicant, quàm per naturales scientias humanas haberi possit, tamen illam etiam sine dubio includunt: quomodo autem in alijs intelligenda sint, vel limitanda, postea videbimus.

Eusebius.

Tū etiam Adamus

Deinde erat hęc perfectio non solùm primo homini, vt particularis persona erat, sed etiam toti generi humano, & Adamo, vt parenti eius, valde necessaria. Primò ad integritatem, & felicitatem *naturæ humanæ* illius

illius status, in quo homo ante peccatum constituebatur, quem in discursu sequentium capitum explicabimus. Secūdò, quia si homo ignorans crearetur, vt ipse scientiam sibi acquireret, necessariū esset longo tempore in magna ignorantione versari. Quia humana scientia longo tempore, & magno labore acquiritur, adeo vt ad vnam scientiā perfectè acquirendam vix longum vitæ tempus sufficiat, nedū, ad omnes. Præsertim cùm esset sola inuentione, & sine disciplina addiscenda, & acquirenda, quod longè difficilius est. Tertiò, quia impossibile est homini solis naturæ suæ viribꝰ scientiam veritatū etiam naturalium puram, & sine admistione multorum errorū inquirendo, inuenire. Propter quod ad prouidentiam auctoris naturæ pertinuit hominē creare ita perfectum, vt sine errore posset naturales veritates intelligere. Denique non solùm erat futurus Adam Pater cæterorum hominum, sed etiam Doctor non solùm in rebus fidei, sed etiam in rerum naturalium cognitione, nam etiam illa hominibus necessaria est in omni statu, tam innocentiæ ad vitæ tranquillitatem, & iucunditatē, & vt haberet appetitū scientiæ satiatum, & ad quandā honestæ occupationis, seu exercitationis partem: quàm naturæ lapsæ, ad vitæ vtilitatem, & cōseruationem: ergo sicut Adam creatus est perfectus ad generādos homines, ita etiam ad illos instruendos, & docendos. Atque ita responsum est ad rationem dubitandi in principio positam, & magis ex sequentibus elucidabitur.

Inquirendum enim supereſt, qualis, & quanta fuerit hæc Adami scientia, vel in specie, vel in individuo. In quo in primis quoad speciem dicendum est, scientiam rerum naturalium Adæ inditā in essentia fuisse eiusdem speciei cum scientia, quæ discursu, & inuentione humana acquiri potest, quæ alio modo dici à Theologis solet per accidēs, & non per se infusa. Et ita est assertio cōmuniter ab eisdem Theologis recepta, docet D. Thom. 1. p. q. 94. art. 2. ad 1. vbi bene illam explicat Caietanus. Ratio autem est, quia illa scientia data est Adæ ad perficiendum intellectum eius intra naturalem ordinem, & secundum capacitatem, & appetitum naturalem sciendi: ergo debuit esse scientia naturalis in sua substantia, ac proinde talis, qualis naturaliter potest acquiri, quanuis ex dono Dei fuerit infusa. Et hoc etiam confirmat ratio dubitandi in principio posita. Rectè enim ostendit nō esse sine fundamento asserendum datam fuisse Adæ scientiam superioris ordinis, & quasi angelicam, quia illud fuisset speciale miraculum vltra naturę debitum; imò & supra naturalem capacitatem, q̄ sine fundamento fingendum non est. At verò naturalis scientia est proportionata naturæ, & in illo statu erat satis necessaria, & quanuis modus ille habendi scientiam per infusionē absolutè supernaturalis est: nihilominus pro illo statu erat quodammodo naturalis, quia tunc non poterat illa perfectio aliter obtineri. Eo vel maximè, q̄ creabat Deus hominem ad finem supernaturalem, & ideo decreuit illi conferre statum quendam excellentiorem, quàm pura hominis natura postulat, ideoque quodammodo connaturale fuit illi statui, vt natura humana immediatè à suo auctore naturalem scientiam acciperet.

Ex quo colligitur primò, talem fuisse illam scientiam, vt in vsu eius habuerit Adam dependentiam à phātasmatibus. Probatur, quia hic modus cognoscendi speculando phantasmata, naturalis est animæ coniunctę: ergo eandem dependentiam à phantasmatibus habuit primus homo in suo naturali modo intelligendi, quam nos habemus: ergo eandem etiam habuit in vsu illius scientiæ, quæ eiusdem ordinis erat cum illa, quæ in nobis est, & à phantasia, in suo vsu pendet. Vnde vlteriº infertur, species intelligibiles datas Adæ cum illa scientia, quanuis non fuerint per sensus acceptæ, nec à phantasmatibus abstractæ: nihilominus tales fuisse, quales solent per sensus, & phantasmata acquiri. Probatur prior pars, quod tales species non fuerint de facto acquisitæ, sed inditæ, quia qui dat formam, dat consequentia ad formam, & multo magis dat antecedentia, quæ ad conuenientem statū, & vsum talis formæ necessaria sunt. Sed habitus scientiæ sine speciebus intelligibilibus non posset in actum prodire, nisi post acquisitas species, atq; ita vsus talis habitus imperfectus valde fuisset, quod est & illi fini contrarium, propter quem infundebatur, & à perfecto modo operandi Dei alienum: ergo sine vlla dubitatione cum habitu scientiæ, infusæ sunt Adæ species illarum rerum, qualis erat talis scientia. Altera verò pars de qualitate, seu modo talium specierum proba tur ex priori assertione, quia species esse debent proportionatæ habitui: sed habitus scientiæ erat infusus tantùm per accidens: ergo & species fuerunt tantùm per accidens infusæ, ac proinde in substantia naturales, & eiusdem rationis cum illis, quæ à phantasmatibus abstrahi possent. Denique illæ species dabantur ad vsum naturalem animæ coniunctæ, sed hic vsus est intelligere cum dependentia à phantasmatibus: ergo species ad hunc intelligendi modum proportionatæ fuerunt. Vnde tandem concluditur, etiam fuisse infusa Adæ in interno sensu, seu phantasia, vel cogitatiua, omnia phantasmata ad vsum illius scientiæ, & specierum intelligibilium necessaria: quod eisdem rationibus cum proportione applicatis facilè ostendi potest. An verò præter hanc scientiam naturalem fuerit alia supernaturalis cognitio, vel scientia Adæ infusa, postea dicemus.

Corollar. 2. bipartitum

Sundetur prior eius pars.

Sundetur pars posterior.

Corollar. 3.

Vnde probetur.

8.

De obiecto eiusdē scientiæ. Ac primo loco de rebus materialibus.

Circa perfectionem autem individualem illius scientiæ non nulla explicanda sunt. Primū est circa obiectum, quas res per illam scientiam Adam cognouerit. Sunt autem res naturaliter ab homine cognoscibiles triplicis ordinis, scilic. res materiales, res summè immateriales, vt est Deus, & res mediæ, vt spirituales creaturæ, & de singulis dicēdum est. De primis enim fuit singularis opinio Caiet. Gen. 2. circa illa verba: *Adduxit Deus animalia ad Adam, vt videret, quid vocaret ea* Ex quibus colligit Adæ fuisse cōmunicatam scientiā rerum omnium corporalium, exceptis cœlis, terra, & maribus, *quorum notitia* (inquit) *homini perfectè communicata non fuit.* Sed contrarium docent communiter Doctores, nam D. Thom. 1. p. q. 94. art. 3. absolute dicit, *Adam habuisse omnium scientiam, in quibus homo natus est instrui. Et hæc sunt omnia illa, quæ virtualiter existunt in primis principiis per se notis, quæcunque scilicet naturaliter homines cognoscere possunt.* Vnde infert in solut. ad 3. non potuisse Adam proficere in scientia quoad numerum scitorum, & idem docet Bonauent. in 2. d. 23. art. 2. q. 1. & Hugo de Sanct. Victor. lib. 1. de Sacram. p. 6. cap. 12. & in 13. dicit, *Rerum omnium visibilium, quæ cum homine, & propter hominem factæ erant, perfectam cognitionem hominem accepisse, nulli dubium esse debet, quantum videlicet sive ad eruditionem animæ, sive ad corporalia vsus necessitudinem pertinere videbatur.*

Negat Caiet. male nixus verbis Geneſis ad omnia materialia extendi dictā ſcientiam.

3. Aſſertio contra Caiet & communiū.

Qui omnes id colligunt ex verbis Moysis, ex quibus Caiet. suæ opinionis occasionem sumpsit. Possumùsque ad hominem contra illum argumētari. Nam ex eo, quòd Adam imposuit nomina terrestribus animalibus, & volatilibus, ipse colligit, etiam piscium, & vegetabilium scientiam communicatam esse Adamo, vel quia est eiusdem rationis, vel quia in maiori clauditur minus. Vnde, à fortiori, videtur idem concludendum de omnibus mistis inanimatis, vt sunt mineralia, & similia:

9.

Verba Geneſis quibus Caiet. nitebatur pro aſſertione retorquentur.

milia: nam hæc etiam minus perfecta sunt, quàm vegetabilia. Ergo eadem ratione idem est de elementis concludendum: tum quia etiam sunt minùs perfecta: tum etiam quia scientia de mistis sine scientia simplicium perfectè haberi non potest. Ergo immeritò Caiet. excipit terram, & mare, quæ cæteris elementis ignobiliora sunt. De cælis etiam nulla ratio apparet, cur excipiantur, nam etiam illi sunt minus perfecti, quàm animalia, & maximè quàm ipsemet homo: ergo, si Adam accepit perfectam scientiam animalium, & ipsius humanæ naturæ, cur non etiam cœlorum: Præterea est optima ratio, quia cœli sunt causæ vniuersales mistorum, & similium effectuum inferiorum: ergo ad perfectam harum rerum scientiam scientia cœlorum necessaria fuit. Argumentor præterea, quia licèt inferiorum rerum cognitio ad vsum, & conseruationem corporalis vitæ magis fortasse necessaria sit: ad contemplationem, & laudem creatoris cœlorum scientia, & consideratio magis prouocare solet. Adæ autem magis est data scientia propter Dei cognitionem, & laudem, quàm propter corporis conseruationem, vel gubernationem. Quanuis ad hanc etiã cœlorum, & astrorum scientiam non parum conducat. Vnde confirmatur hæc ratio ex verbis Sapientis suprà ponderatis: *ostendere illis magnalia operum suorum, vt nomen sanctificationis collaudent, & gloriam in mirabilibus illius, vt magnalia enarrent operum eius.* Illa enim quæ in ordine naturali dici possunt, maximè magnalia Dei, sunt profectò illa, quæ in cœlis Deus operatus est, & illa maximè ad laudem Dei hominem excitãt: ergo illa potissimum comprehendunt verba Sapientis.

Accedit ratio 1.

Confirmatur.

10. *Rationes tandem pro 1. assert. ad hanc 3. accommodantur.*

Præterea rationes omnes, quibus principalem conclusionem probauimus, æquè ostendunt scientiam inditam Adæ debuisse esse perfectam ex parte rerum naturaliter ab homine cognoscibilium, tum ex parte Dei infundentis illam scientiam, nam opera eius perfecta sunt; tum ex parte appetitus, & capacitatis naturalis hominis recipientis, nam ex parte hominis est æqualis, vel certè maior ad meliora, & cœlestia: tum denique ex parte finis tam actionis, quàm contemplationis: nam ad vtranque cœlorum cognitio inseruire potest.

Ad ponderationem Caiet. ex dictis verbis Gen. in n. 8.

Neque aliqua ratio excipiendi cœlos, vel aliquid simile, verisimilis afferri potest. Nam quod Caiet. ponderat. Adamum imposuisse nomina brutis animalibus, non verò astris, quia hoc soli Deo seruatur, iuxta illud Psalm. 146. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*, debilissimum argumentum est. Tum quia non omnibus rebus, quarum scientiam Adam habuit, nomina imposuit, vt ipse etiam Caiet. fatetur. Tum etiam quia falsum est perfectam notitiam cœlorum, & stellarum solius Dei esse propriam: nam ex parte obiecti etiam Angeli illam habent, & maximè cõnaturalem. Et Salomoni etiam Deus illam communicauit, nam inter alia, quæ ipse numerat Sapientiæ 7. quorum scientiam veram à Deo accepit, ponit *vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones.* Vnde nouum argumentum sumi potest, nam si Salomon hanc scientiam recepit, multo certè magis Adam, quia vel maiorem, vel certè non inferiorem scientiam accepit.

Vltima ratio contra Caiet.

11. *Notatio limitans & explicans 3. assertionem.*

Aduertendum est autem, hoc totum intelligendum esse de perfecta scientia humana, nam, vt diximus, scientia illa Adæ non fuit per se, sed per accidens infusa, & ideo scientia, quam habuit de cælis (sicut & de alijs rebus) non transcendit in specie, & substantia illam scientiam, quã per sensus, & per effectus, potest humana natura de stellis, seu cœlis comparare. Et ex hac parte potuit illa scientia Adæ non esse quidditatiua cognitio cœlorum, nec comprehensiua omnium virtutum stellarum, & respectiuè etiam potuit eadem scientia Adæ esse minus perfecta de cælis, quã de alijs rebus propinquioribus sensibus, quia homo perfectius cognoscere potest, quæ sensibus magis propinqua, & proportionata sunt, quàm ea, quæ à sensibus longè distant. In eo tamen gradu, in quo scientia de cœlis ab hominibus acquiri potest, Adamus illam perfectam habuit, & quicquid vel vnus, vel plures homines longo tempore, & magna industria, ac multiplici obseruatione de cœlis, aut elementis, aut mistis consequi possent, id totum per hanc scientiam Adamo inditum est. Et è contrario quod humana diligentia, & virtute sciri non potest inquirendo, sub illa etiam scientia comprehensum non est.

Et hinc fit primò, vt per illam scientiam non cognouerit Adam omnia futura contingentia, illa præcipuè quæ ex libero arbitrio pendent, quia nullum est medium, quo possit homo naturaliter hæc certò cognoscere. De his verò futuris contingentibus quæ ex solis causis naturalibus sese impedientibus, sine interuentu liberi arbitrij proueniunt, quia in tota collectione causarum necessitatem habent, dubitari potest, an potuerit Adam per hanc scientiam illa cognoscere, sicut de Angelis in superioribus affirmauimus. Et fine dubio ex parte obiecti non est repugnantia: an verò excedat capacitatem humanam, & ideo excedat totam latitudinem scientiæ humanæ, etiam per accidens infusæ, mihi incertum est. Verisimile autem videtur, aliqua huiusmodi futura, quando non pendent ex concursu multarum causarum, potuisse sub hanc scientiam cadere, quia non excedit capacitatem humanam, posse simul collectionem illarum causarum, & tot am vim agendi, & resistendi earum considerare, & ex eis cognoscere, quid ex eis in tali euentu proueniet, quanuis respectu vnius, vel alterius causæ contingens sit. Secùs verò esse potest, si tot causæ concurrant, vel concurrere valeant, vt omnes illas simul comprehendere, & animaduertere, supra humanum ingenium naturaliter sit. Et ideo dicẽdum videtur, simpliciter non potuisse Adamum hæc omnia cõtingentia per hãc scientiam cognoscere, licèt fortasse aliqua faciliora potuerit. Præterquam, quòd in his omnibus semper potest liberum arbitrium vel Dei, vel hominum interuenire, cursumque naturalium causarum aliquo modo impedire, & ex hac parte nunquam poterit talis cognitio esse omnino certa. Nam licèt fortasse aliquando actio liberi arbitrij interuentura non sit, hoc ipsum nõ poterat homo per hanc scientiam certò cognoscere.

1. Corollar. ex prima notatione.

Secundò colligitur ex dicto principio, non potuisse Adam per hanc scientiam cognoscere præterita, vt præterita sunt, nisi quatenus ex præsentibus indicantur, vt v.g. videndo cœlum per hanc scientiam optimè potuit Adam cognoscere, cœlum fuisse creatum, quando autem, vel quanto tempore, antequam ipse fieret, cœlum esset creatum, cognoscere non potuit, quia illud priùs manifestabatur sufficienter in effectu præsenti, non tamen hoc posterius. Et ratio est, quia præteritum non potest naturaliter cognosci in seipso per humanam scientiam, cùm neque per angelicam cognoscatur, & ideo tantùm cognoscitur, vel per effectum præsentem, vt dictum est: vel per memoriam, quæ formaliter loquendo non potest esse infusa, vt de Angelis dixi, sed debet esse relicta, ex præcedenti cognitione. Et ita talis cognitio præteriti reducitur ad aliquid manens in præsenti ex cognitione præterita, quanuis differat, quia illud quod in præsenti manet, non est medium cognitum, sed species intelligibilis, per quam rei priùs visæ

2. Corollar. quomodo cognoscatur præterita.

visæ recordamur. Possunt etiam præterita per relationem, seu testimonium cognosci, sed illa cognitio non pertinet ad scientiam, de qua tractamus, sed ad fidem diuinam, vel humanam.

14. Tertiò colligitur ex dictis, quid de cognitione rerum præsentium etiam materialium dicendum sit. Possumus enim loqui vel de speciebus, seu essentijs rerum materialium, vel de indiuiduis existentibus. Priori modo iam dictum est, cognouisse Adam per hanc scientiam omnes res de facto creatas, nam humana scientia vltra illas non extenditur, nimirum ad ea, quæ Deus creare potest, creata verò non sunt: quia hæc naturaliter scibilia non sunt, neq; homo de illis species comparare potest: ad creata verò, humana scientia, quantum est ex se, extendi potest aliquo modo. Posteriori autem modo non est necesse, vt per hanc scientiam Adam cognouerit res omnes singulares, ac materiales actu existentes. Ita docent D. Thom. & omnes in hac materia. Et in primis si verum est, intellectum hominis non habere in hac vita proprias species indiuiduorum, consequenter dicendum erit, nec Adamum habuisse species illorum, & licet habere potuerit phantasmata, tamen verisimile non est, habuisse illa omnium indiuiduorum iam creatorum, nedum omnium postea futurorum. Solum ergo credendum est, in singulis rerum naturis habuisse species, vel phantasmata alicuius indiuidui, vel aliquorum, quia inde perfici solet, & distinctior esse speciei cognitio. Tamen vbi indiuiduorum multitudo magna erat, nõ fuit necessarium indiuiduorum omnium habere proprias species, quia hoc neq; ad perfectionẽ intellectus per se pertinet, neq; etiam ad cognoscendam perfectè specificam essentiam, multùm refert, & ideo eorum tantùm cognitionem accepit, quæ ad vsum, & ad instructionem aliorum sufficerent. Reliqua verò vel per propriã experientiã cognouit, vel si nunquã sensib. occurrerunt sine imperfectione priuatiua (vt vocãt) ignorari semper potuerũt.

15. Quartò colligitur ex dictis non cognouisse Adamum per hanc scientiam aliorum hominũ internas cognitiones etiam existentes. Hoc etiam certũ est apud omnes, quia hæ cognitiones non cadunt sub humanam scientiam, vt est in Scriptura notũ. Et ratione patet, quia nullũ est medium quo possit homo naturaliter in huiusmodi actuum cognitionem peruenire. Item quia etiam Angeli nõ habuerunt scientiam harum cognitionũ per species sibi à principio infusas: ergo multo minus homo illam habuit. Imò in hoc inferior inuenitur, quòd Angelus licet non videat actus intellectus, & voluntatis, videt saltem actus phantasiæ, & appetitus sensitiui: homo verò neque hoc potest penetrare, & ideo neque Adamus per suam scientiam illos actus cognoscere valebat. Hoc autem totum intelligendum est de scientia euidente, intuitiua, seu experimentali talium actuum, nam cognitio aliqua abstractiua per signa, coniecturas, vel effectus haberi potest, non solùm ab Angelo, sed etiam ab homine de his actibus. Et ad huiusmodi cognitionem vtilis esse poterat Adæ scientia infusa, nam licet sola non sufficeret, quia necessarium erat experiri signa, vel effectus talium actuum, nihilominus ad connexionem inter talia externa signa, & tales actus internos vniuersalis scientia infusa multùm deseruire poterat. Et hæc sufficiunt de obiecto illius scientiæ, quantum ad res materiales attinet, sub quibus hominem cum suis actibus comprehendimus.

Secundo loco dicendum est de Deo, qui est supremum intelligibile obiectum. Et in primis dicimus scientiam Adæ infusam Deum sub obiecto suo comprehendisse, imò propter illius cognitionem præcipuè datam esse. Probatur, quia DEVS potest ab homine naturaliter cognosci, & est præcipuum obiectum, & finis totius humanæ scientiæ, sed scientia Adæ fuit perfectissima intra capacitatem scientiæ humanæ: ergo. Item cùm Deus sit vniuersalis causa omnium rerum, nullius rei creatæ potest esse perfecta cognitio, si ignoretur Deus. Vel è contrario cùm res creatæ perfectè cognitæ ducant in cognitionem Dei, cuius sunt vestigia, non potest esse scientia perfecta de creaturis quin aliquo modo sub obiecto suo Deũ cõprehẽdat: ergo de scientia Adæ, cùm fuerit valde perfecta, idem necessariò dicendum est. Consequenter tamen addendum est, Deum non fuisse comprehensum sub hac scientia, nisi quatenus ex creaturis visibilibus cognosci potest. Probatur, quia scientia humana, quę per lumen naturale intellectus comparari potest, non aliter attingit DEVM, sed scientia infusa Adæ fuit eiusdem speciei cum acquisita: ergo non aliter attingebat Deum. Præterea dictum est, Adam non cognouisse per hanc scientiam, nisi per conuersionem ad phantasmata, ergo, cùm Adam de Deo cogitabat per hanc scientiam, etiam conuertebatur ad phantasmata: ergo non cognoscebat illum, nisi quatenus potest aliquo modo ex rebus sensibilibus cognosci, quia de his tantùm rebus dantur in nobis phãtasmata. Vnde à fortiori concluditur non habuisse Adam in hac scientia speciem intelligibilẽ, quæ Deum ipsum directè repræsentaret, quia talis species licet esset possibilis, non esset per accidens, sed per se infusa: diximus autẽ totam hanc scientiam Adæ fuisse tantùm per accidens infusam. Item neque Angelorum, neq; ipsius materialis substantiæ proprias species accepit, quia per sensus non abstrahuntur: ergo multo minus habuit speciẽ Dei. Contrarium tamen solet tribui Scoto in 2.d.3.q.9. sed ibi tantùm de Angelis loquitur. Et licet obiter dicat hominem in statu innocẽtiæ habere potuisse notitiam Dei aliquo modo distinctam, tamen statim addit, Angelum potuisse habere perfectiorem. Sed quicquid ipse senserit suprà ostendimus, illam sententiam esse falsam, & impossibilem etiam in Angelis: ergo multo magis in homine.

tur in suo obiecto rẽ summè immaterialem

Assertio 4. id affirmans.

Probatur 1.

2.

Assertio proxima restringitur.

Declaratur restrictio 1.

2.

Alter a restrictio ostenditur primò.

Ostenditur 2.

Scotus fortè proximam restrictionẽ fortè sentiens reijcitur.

Obijciet fortasse aliquis doctrinam D. Thomæ d.q.93.art.1. vbi postquam dixit, Adamum in statu innocentiæ non vidisse Deum per essentiam, subdit, cognouisse Deum altiori cognitione, quã nos cognoscamus, ac subinde habuisse cognitionẽ mediam inter cognitionem nostram, & beatorũ. Vnde videtur sentire, scientiam hanc, quã Adam de Deo habuit, fuisse alterius rationis, quàm scientia nostra, & ab omni illa, quæ de Deo potest ab homine rationaliter acquiri. Et statim differentiã assignare videtur, quia homo tantũ per effectus sensibiles, Adam verò per intelligibiles Deum cõtemplabatur, quia cùm esset creatus rectus, *nõ impediebatur* (ait D. Th.) *per res exteriores à clara & firma contemplatione intelligibilium effectuũ, quos ex irradiatione primæ veritatis percipiebat.* Considerandum tamen est aliud esse loqui absolutè de cognitione Adæ: aliud verò de cognitione particulari per hanc scientiam per accidẽs infusam, vel etiam per cognitionem simpliciter naturalem D. Th. ergo in illo articulo abstractè loquitur de cognitione siue naturali, siue gratuita, vt in fine corporis apertè declarat. Deinde comparatio inter scientiam Adæ, & nostram de Deo fieri potest, vel in perfectione essentiali, vel tantùm in accidentali.

17 *D Thomãs etiam obijcitur:*

Notatio prõ responsione.

Dico ergo cognitionem, quam Adam habuit de Deo per scientiam infusam per accidens, non fuisse essentialiter perfectiorem, quàm sit nostra cognitio naturalis Dei in præsenti statu. Hoc probant rationes factæ. Probabile autem est excessisse in perfectionibus accidentalibus, & præsertim in actuali consideratione, quia primus homo in

18 *Respondetur iam ad obiectionem ex D. Thoma.*

fua

sua creatione non habebat illa impedimenta, quæ ad contemplandum planè Deum nos habemus. Differentia autem illa de cognitione per effectus sensibiles, vel intelligibiles fortasse magis habet locum in cognitione supernaturali, de qua postea dicemus, nunc enim tantùm de naturali tractamus. Et in hac non video, per quos effectus intelligibiles potuerit Adam, magis quàm nos Deum cognoscere. Quia vel illi sunt Angeli, & illos ferè tam imperfectè cognoscebat Adam, sicut nos, vt statim dicam. Vel sunt anima ipsa cum actibus eius, quos ipsi in nobis experimur, & ex iis etiam nos possumus cognoscere Deũ. Et præterea quæcunque sint ista intelligibilia, non possumus ad illa peruenire, nisi per sensibilia, nec illa concipere, nisi cum connexione ad phantasmata, quam imperfectionem etiam in primo statu Adam habuit. Igitur solùm potuit excedere nos in hac cognitione quoad accidentalem perfectionẽ, quia & propter animi tranquillitatem magis poterat attendere ad hæc intelligibilia naturalia contemplanda, cum ordine ad Deum: & propter habitum, & species infusas valde perfectas etiam ipsos actus, per quos cognoscitur Deus, perfectiùs cognoscebat, quæ tota differentia respectu cognitionis Dei accidentalis est.

19. *3 Loco videndũ an dicta scientia cõplectatur in suo obiecto Angelos.*

Tertio loco posuimus Angelos in latitudine huius obiecti. Quod videri potest dubium, quia licèt Angeli in natura propinquiores homini sint, quàm Deus, in cognitione magis ab illo distant, quia tam ipse homo, quàm aliæ res vniuersi non ita ab Angelis, sicut à Deo pendent. Nihilominus tamen verisimile est etiam Angelos fuisse comprehensos sub hac scientia Adæ. Probatur primò, quia Philosophi Gentiles sine reuelatione, aliquam notitiam Angelorum habuerunt per scientiam acquisitam, & inuentionem: ergo comprehenduntur Angeli aliquo modo sub adæquato obiecto humanæ scientiæ acquisitæ: sed quicquid naturaliter cognosci potest ab homine, perfectiùs fuit cognitum ab Adamo per scientiam infusam: ergo illa etiam extensa fuit ad Angelos. Dices, Philosophos non habuisse notitiam Angelorum per solam inuentionem ex effectibus, sed per traditionem aliquam humanam. Vel si ex effectibus aliquid intellexerunt, illi non fuerunt effectus merè naturales, sed liberi, & extraordinarij à bonis, vel frequentiùs à malis angelis facti, quorum cognitio nec in Adam fuit, nec ad naturalem hominis cognitionem per se pertinet. Respondetur, Aristotelem ex motibus cælorum cognouisse intelligentias motrices eorum, & inde etiam in aliquam cognitionem plurium substantiarum separatarum suprà cœlum habitantiũ peruenisse, vt ex 8. Physicor. & ex 12. Metaph. & ex 1. de Cœlo colligitur. Et notauit Eugub. lib. 4. de peren. Philos. cap. 2. Vnde quòd de traditione dicitur, magis incertum est: quòd si aliqua fuit, videtur quidem emanasse ex prædictis sensibilibus effectibus, qui virtute dæmonum, vel aliorum spirituum fiunt, & per quãdam experientiam, vbique, & semper innotuisse hominibus videntur. Sed hic etiam modus cognitionis fuit possibilis per scientiam infusam primorum hominum. Vnde existimo quando serpẽs tentauit Euam, per hanc scientiam intelligere potuisse eum, qui loquebatur non fuisse verum animal irrationale, sed fuisse aliquem spiritum separatum, qui illo corpore sub illa figura ad secũ loquendum vtebatur.

Parisiensium argumentum. Assertio 5. affirm. probatur 1.

Obiectio.

Responsio.

Vide Conimbric. 8. Phys. c. 10. q. 2. a. 2.

20. *Quomodo dicta scientia attingelat Angelos.*

Vt autem hoc magis declaretur, addimus, Angelos non ita fuisse sub hac scientia Adæ comprehensos, vt directè, & per proprias species illos potuerit Adam cognoscere, quia huiusmodi species non sunt connaturales homini, quia non possunt per sensus acquiri. Vnde licèt fortasse anima separata talium specierum capax sit, & directe ac proprio conceptu Angelos cognoscere possit, nihilominus talis cognitio, vel species Angeli primo homini communicata non est, quia, vt diximus, cognoscebat eum dependentia à phantasmatibus, quam anima separata non habet. Solùm ergo per effectus, & per species rerum materialiũ, & maximè per cognitionem animæ suæ, potuit Adam secundùm hanc scientiam Angelos cognoscere. Vlteriùs verò animaduerti potest, duo posse de Angelis naturaliter cognosci, scilicet, vel esse possibiles, vel esse factos. Primum istorum poterat per hanc scientiam cognosci cum euidentia quadam, & certitudine naturali, quanuis confuso quodam, & imperfecto modo, quantum ad modum concipiendi Angelorum essentiam, & naturam possibilem. Declaratur prior pars, quia quòd Angelus sit possibilis non pendet ex libera voluntate Dei, sed est necessarium ex vi omnipotentiæ eius cum non repugnantia ex parte talis obiecti: sed Adam ex effectibus Dei cognoscebat euidenter omnipotentiam eius, vt ex dictis patet, & poterat etiam cognoscere non repugnantiam ex parte spiritualium substantiarum, nam hanc sufficienter ostendit ipsa anima rationalis, vt suprà in principio huius operis deductum est. Imò videtur illa non repugnantia per se nota ex terminis, supposita cognitione Dei, qui est suprema substantia spiritualis completa, quia non est, vnde repugnet, dari aliquam participationem eius, quæ in eodem gradu completa substantia sit. Secundum autem, scilicet quomodo has substantias esse, pendet ex voluntate Dei libera, & ideo naturaliter minùs notum est hominibus, & fuit etiam primo homini. Nihilominus tamen magna probabilitate, & vehementi coniectura id assequi potuit multo perfectius, quàm Philosophi naturales id cognouerunt. Vtraque tamen cognitio erat per conceptus vniuersales, quia Angeli vtroque modo ex vi effectuum solùm concipiuntur sub ratione substantiæ spiritualis, intellectualis, & creatæ, ac completæ, & independentis à corpore in sua cognitione, sicut etiam in esse, & in eo gradu cognoscitur esse, vel posse esse multitudinem, & varietatem, quæ omnia confusa, & vniuersalia sunt. Neque ex vi huius scientiæ habuit Adam principia, per se, quæ in cognitionem magis propriam, aut distinctam Angelorum peruenirent.

14. *Cuius perfectionis scientia infusa Adam primo fuerit.*

Atque ex his, quæ de natura, & obiecto huius scientiæ diximus, facilè intelligi potest, quales, & cuius perfectionis actus huius scientiæ fuerint: iam enim dictum est, ipsam scientiam fuisse eiusdem speciei cum acquisita humana: indeergo optimè sequitur, actus intelligendi, quos Adam per hanc scientiam habere potuit, eiusdem speciei fuisse cum actibus, quos nos exercemus. Quia actus proportionati sunt habitibus, & speciebus, à quibus procedunt: & similiter actus procedentes ab habitibus eiusdem speciei sunt cum actibus præcedentibus, qui habitus efficiunt, vel efficere possunt. Nihilominus tamen in modo, seu perfectione accidentali vsus illius scientiæ, & actus eius multis rationibus cæterorum hominum actus excedere potuerunt. Primò propter excellentiam ingenij, quam in Adamo fuisse diximus. Secundò propter optimum corporis temperamentum, & magnam perfectionem internorum, & externorum sensuum, quæ ad munus intelligendi multũ iuuat. Tertiò, quia verisimile est, species, & phantasmata à Deo infusa fuisse perfectissima, & subtilissima intra naturalem ordinem, & habitum ipsius scientiæ fuisse valde intensum. Denique habuit Adam in illo statu, vt infrà dicemus, quandam naturæ integritatem per subordinationem appetitus inferioris ad superiorem, quæ omnem

anima

animæ perturbationem, & inuoluntariam distractionem auferebat: quæ animi compositio ad perfectam intelligentiam, & considerationem multum iuuat. Igitur ex his principijs, & circunstantijs facile intelligitur, actus huius scientiæ in Adamo fuisse longe maioris perfectionis, quam in cæteris hominibus esse soleant.

Dubitari verò potest, vtrum in cognitione per hanc scientiam Adam fuerit vsus discursu, & illo indiguerit. Est autem duplex discursus, vnus tantum successiuus, alius causalis, seu illatiuus, vt in lib. 2. de Angelis, c. 33. explicuimus, & de vtroq; interrogari potest. Nam de primo inuenio Greg. in 2. d. 11. q. 1. a. 1. circa primam conclusionem dicentem hominem in statu innocentiæ, & naturalis integritatis simul potuisse vti omnibus specieb. quas in mente habebat, atq; ita potuisse simul actu intelligere omnia, quæ habitu sciebat. Ex quo recte sequitur non indiguisse discursu successiuo, per quem non omnia simul sed successiuè cognoscuntur. Fundamentum Gregorij est, quia nunc tarditas, & successio cognitionis nostræ prouenit ex corpore corruptibili, quod aggrauat animam: sed in Adam non erat hoc impedimentum, nam ex peccato ortum est, vt sentit Aug. 4. Gen. ad lit. c. 32. & 15. de Trin. c. 24. ergo potuit Adam absq; impedimento corporis omnia simul contemplari, quæ sciebat.

Hæc verò sententia parum, vel nihil probabilitatis habet, vt rectè notauit Capreol. in 2. d. 3. q. 2. a. 3. ad 2. cont. 9. concl. & ad 4. Greg. cont. eadem. Idemq; habet Maior in eadem d. q. 5. 5. Propter ista. Qui tamen addit, potuisse Adam ante peccatum, habere plures notitias simul, quam post peccatum quod est verisimile, propter circunstantias illius status suprà ponderatas. Quod autem non potuerit simul habere omnes actus, ad quos habebat species, satis euidens est. Quia neq; Angeli hoc possunt, vt supra ostendimus. Vnde constat hanc impotentiam in nobis non prouenire ex corporis corruptibilitate, & defatigatione, sed ex intrinseca limitatione intellectus humani, qui plurib. intentus minor est in singulis. Cuius etiam signum est, quia in initio cogitationis, prius quàm sensus defatigentur: experimur eandem difficultatem in attentione ad res varias simul, & per diuersos actus: seu per modum plurium. Et ita possunt accomodari cætera, quę in simili puncto de Angelis diximus in proprio tract. lib. 2. c. 37.

Neq; contra hoc obstant, quæ ex Aug. Greg. adducit, nam in priori loco Gen. non tractat de scientia Adæ, sed de nostra, nec de vsu scientiæ infusæ, sed de illa scientia rerum, quam per sensus acquirimus, de qua manifestum est tardius, & difficilius & magna temporis mora fieri propter corpus corruptibile, quod aggrauat animam. Vnde non fit in statu innocentiæ nullam fuisse necessariam temporis moram ad cogitandum de rebus omnibus, & multo magis ad consequendam illarum scientiam, si denuo filijs Adæ per proprios actus acquirenda esset. Sed hoc labore sic acquirēdi scientiam non indiguit Adam. Et in hoc sensu videtur loqui Aug. in alio loco de Trin. cum dicit: *Quod homines non laborarent in intelligendo* (vtiq; inquirendo) *naturam mentis humanæ, & vix ad certum aliquid peruenirent, nisi pœnalibus tenebris inuoluti, & onerati corpore corruptibili, quod aggrauat animam.* Addi etiam potest nunc impediri sæpe hominem corpore corruptibili non solum ne simul possit multa cogitare, verum etiam vt nec de vna re possit libere considerare, quod impedimentum in statu innocentiæ non ita pateretur.

Circa discursum verò proprium, & argumentatiuum inuenio D. Thom. in dict. q. 94. a. 1. ad 3. significantem, primum hominem non cognouisse Deum naturali scientia per demonstrationem ex aliquo effectu, nec indiguisse discursu, sicut nobis est necessarius. Hæc vero sententia simpliciter, & vt sonat intellecta, difficilis est. Quia necessitas discursus non prouenit ex corporis corruptibilitate sed vel ex sola intrinseca limitatione intellectus hominis, vel ex dependentia à phantasmatibus: sed Adam in statu innocentiæ, & habebat eandem limitationem intellectus, & dependebat à phantasmatibus: ergo eandem difficultatem discurrēdi habebat. Item Adam intelligebat componendo & diuidendo: ergo etiam discurrendo. Antecedens probatur, quia necessitas compositionis in nostro intellectu, prouenit ex limitatione singularum specierum, sed species Adæ erant eiusdem rationis: vt ostendimus, ergo etiam modus cognoscendi componendo, & diuidendo. Consequentia verò clara est, quia eadē vel maior ratio in compositione per discursum inuenitur. Ad D. Thomam ergo dicimus, ipsum in alijs locis docuisse, ad proprium discursum necessariam esse temporis successionem, vt patet c. 1. p. q. 58. a. 3. & 4. & suprà etiam adnotauimus. In hoc ergo loco videtur excludere ab Adamo discursum in hoc rigore sumptū, præsertim cum Deum ex effectibus cognoscebat. Quod est probabile, quia cum Adam iam haberet species rerum, & habitum perfectum, & aliàs contemplari posset effectum, v. g. seipsum, & Deum per modum vnius: simul poterat effectum, & Deū ex effectu cognoscere. Nihilominus tamen non erat illa cognitio sine discursu, quatenus in rigore sine temporis successione per illationem, & efficaciam vnius actus ex alio subsistere potest.

per causalitatem quid significet D. Thomas.

Arguitur 1. tamen contra citata verba D. Thomæ.

Arguitur 2.

Ad verba predicta D. Thomæ.

26.

Vltimò dicendum est de perfectione huius scientiæ, quantum ad habitum, de quo interrogari potest, an fuerit adeo perfectus, vt in vna simplici qualitate omnes scientias contineret. Sed hoc nihil habet dubitationis, suppositis, quæ diximus. Nam cum illa scientia fuerit tantum per accidens infusa, necessarium fuit tot habitus specie distinctos in ea fuisse multiplicatos, quot ab hominibus acquiruntur, seu acquiri possunt, quia nō possent plures habitus specie distincti in vno contineri, nisi ille esset altioris ordinis, inferiores eminenter potius, quam formaliter complectens. Fuerunt ergo in illa scientia habitus primorum principiorum (si in nobis acquisitus aliquis est, & ab intellectu distinctus) & habitus Metaphysicæ, seu sapientiæ, & habitus Philosophiæ, ac Mathematicæ cum omnibus speciebus suis, & præterea prudentię, & artis illi statui conuenientis. Qui fuerunt valde perfecti quoad extensionem vt diximus, atque etiam quoad intensionem conuenientem illi statui, quamuis certum gradum definire solus Deus potuerit. Quocirca quando de illis habitibus tanquam de vna scientia loquimur: & nomine *scientiæ* latè vtimur prout virtutem intellectualem significat, & vnitatem non simplicem, sed collectiuam plurium habituum intelligimus.

De habituali scientia, quod non fuerit simplex qualitas.

27

Vnde facile expeditur quæstio, vtrum primi homines in hac naturali scientia proficere potuerint? Quam etiam attingit D. Thom. in dict. a. 3. ad 3. & respondet non potuisse proficere quoad numerum scitorum, potuisse tamen quoad modum sciendi. Nam quia humana scientia naturas vniuersales contemplatur, & de omnibus illis, quæ naturaliter ab homine cognosci possunt, Adam habuit infusam sciētiam, meritò dicit quoad numerum scitorum non potuisse in illa proficere. Quia verò non cognoscebat per species infusas omnia singularia, ideo quoad species illorum crescere in perfectione scientiæ potuit. Et ita quoad hoc munus non erat otiosus intellectus agens in illo statu, nam poterat singularum rerum species intelligibiles efficere, vt nos credimus. Atque hinc

An primi parentes in hac scientia proficere potuerint quasi extensiue. Responsio D. Thom. bimembris explicatur.

Intellectus agens in primis parentibus non fuit otiosus.

Profecerunt etiam in scientia experimentali.

etiam potuit Adam experientiam acquirere, seu experimentalem scientiam acquirendo proficere, sicut etiam de Christo concedunt, etiam qui opinantur, illum habuisse scientiam per accidens infusam. Atque ita de Adamo sentiunt D. Thom. supra, & Bonauent. dicta d. 23. a. 2. q. 1. & ibi Richard. Ægid. & Chart. & Alex. Alens. 2. p. q. 92. membr. 1. & memb. 2. a. 3. Et videri possunt, quæ in simili à nobis dicta sunt in 1. tom. 3. p. disp. 30. sect. 2.

28

An proficere potuerint in tensiue.

Affirmare videntur Bona. Alens. Ægid.

Hæc autem omnia procedunt de perfectione quasi extensiua, dubitari autem vlterius potest de intensiua: nam quod in illa proficere potuerit, significant Bonauent. Alens. & Ægid. dum dicunt, potuisse proficere Adam non quoad nouum habitum, sed quantum ad maiorem, seu perfectiorem habitum sciendi, nam illa maior perfectio non videtur esse potuisse, nisi intensiua. Vnde addit Bonauent. quod proficere poterat quantum ad maiorem habilitationem, quia ex frequenti consideratione fieret promptior, & paratior ad iudicandum de rebus, quarum cognitionem per habitum innatum habebat. Sed in contrarium est, quia habitus non intenditur nisi per intensiones actus, sed habitus infusi Adæ fuerunt valde intensi, vt diximus: ergo difficile creditu est, habuisse Adam actus intensiores ipsis habitibus: ergo etiam est difficile creditu profecisse in illa scientia quoad habitus intensionem. Hæc ergo pars satis probabilis est, quamuis incerta. Vnde si aliqua maior facilitas adiungebatur Adæ ex vsu talis scientiæ, addi poterat ex coniunctione, & vsu experimentalis cognitionis, sine noua habituum intensione.

Contrarium probabilius.

29

Adamne an Salomonis scientia maior.

Posterius affirmat Abulens. ex 3. Reg. 3 & 4.

Prius tamē probabilius

Tandem solet hic fieri comparatio inter hanc scientiam Adę, & similem Salomoni infusam, vter fuerit perfectior. Nam Abulens. l. 3. Regum. c. 3. q. 7. præfert scientiam Salomonis propter verba illa c. 3. *Dedit tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Et illa cap. 4. *Præcedebat sapientia Salomonis, sapientiam omnium orientalium, & Ægyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus.* Nihilominus probabilius est, in hac naturali scientia Adamum maiorem perfectionem cōsequutum fuisse Salomone. Quia in Adamo fuit tanquam in capite & magistro totius posteritatis, præsertim in his, quę ad naturam pertinent. Item, quia illi erat magis necessaria, vt constat. Item quia verisimile est excessisse Adam imperfectione intellectus & ingenij, cui scientia proportionatur. Et ita in hoc puncto consentiunt ex nostris Benedictus Pereira l. 5. in Gen. & Valent. 1. tom. disp. 7. q. 1. puncto 1. & Pineda lib. 3. de rebus Salom. c. 10.

Ratio.

30

Ad loca Scriptur. pro Abulen.

Nec verba Scripturæ obstant, quia non fuit in eis comparatio ad omnes omnino homines nec in omni genere sapientiæ. Imo in posteriori loco solum videtur fieri comparatio ad omnes homines, qui tūc erant sapientia illustres: vel quos fama sapientissimos prædicabat. In altero vero fit comparatio ad omnes homines, qui via humana, & ordinaria sapientiam consequuti sunt. Et præterea recte dici potuit, nullum fuisse similem Salomoni in sapientia, quia fortasse nullus homo purus habuit tantam perfectionem simul in vtraque scientia speculatiua, & practica naturali, & morali, seu ciuili, & pertinente ad reipublicæ gubernationem. Nam fortasse in hac posteriori parte Salomon superauit Adamum, cuius statui tā necessaria non erat illa practica scientia, seu prudentia ciuilis, sicut fuit Salomoni. Et ideo ipse hanc præcipuè à Deo postulasse videtur, illamq; accepit perfectissimam, & ad maiorem liberalitatem ostendendam, addiditei Deus naturalem scientiam satis perfectam. In hac vero dicimus excelluisse Adamum, quia eius statui erat magis opportuna, simulq; accepit aliam satis perfectam, suo tamen statui sufficientem, & conuenientem, ideoq; non est inconueniens, quod in ea æqualis Salomoni non fuerit. De Christo autem Domino nihil dicere oportet, quia propter dignitatem personæ in omni scientia, & perfectione omnes superauit.

CAPVT X.

Vtrum Adam ante peccatum tam perfectam cognitionem habuerit vt decipi in naturalibus non potuerit.

AD perfectionem consummatam intellectus non satis est, cognoscere verum, sed etiam falsum vitare necessarium est, quia bonum ex integra causa consurgit, & ideo explicata perfectione, quam in naturalibus Adam habuit circa cognitionem veritatis, videndum superest, an habuerit etiam alteram partem vitandi falsitatem in eodē ordine naturali cognitionis. Sub naturali autem cognitione comprehendimus omnem illam, quæ per lumen, & vires naturales intellectus haberi potest, etiamsi non sit de rebus necessarijs, vel vniuersalibus. In hoc ergo puncto prima opinio est, potuisse nominem ante peccatum habere iudicium falsum circa rem aliquam sibi non euidentem. Hanc opinionem refert Bonauent. in 2. d. 23. a. 2. q. 2. & censet, esse satis probabilē, quamuis illi non adhæreat. Illam tamen sic declarat, vt illud iudicium ex parte obiecti esse non potuerit in materia scibili ab homine, sed in materia opinabili, & ex parte modi non fuisset futurum per firmam adhæsionem, ac credulitatem, sed per aliqualem, vt ait, æstimationem. Quia prior modus est nimis imperfectus, & imprudens, & ex quadam animi immoderatione procedit, habendo incerta pro certis, & ideo repugnabat homini ante peccatum. Posterior autem modus non videtur repugnasse.

1

Exponitur.

Bonauent.

Contra.

Vndē probatur primo, quia Adam per scientiā naturalem sibi infusam non cognoscebat omnia euidenter, præsertim contingentia futura, vel aliqua etiam existentia, vel in cordibus occulta, vel loco absentia: sed non solum de prioribus, sed etiam de posterioribus iudicium aliquod proferre poterat: ergo poterat in eo interdum falli. Probatur minor, quia ea, quæ non euidenter cognoscuntur, signis & coniecturis fiunt valde verisimilia, & interdum est homini necessarium ad aliquid agendum prudenti, vel debito modo, iudicium aliquod circa res huiusmodi proferre, sicut nunc quilibet prudens facit. ergo idem potuit facere Adam. Probatur consequentia quia in illo actu nulla est imprudentia, nec proprius defectus, cum sit modus operandi tali naturæ accommodatus, & moraliter necessarius: vnde (vt Bonauent. surpra indicat) nomen deceptionis, aut erroris non meretur. Quocirca non solum in practicis, & particularibus, sed etiam in speculatiuis potuit homo in illo statu esse capax opinionis, quia rerum essentias, & proprietates nec prout in re sunt, nec semper euidenter cognosceret, sed multa probabiliter vel de proprietatibus, vel de distinctionibus rerum coniectare posset: ergo etiam posset de illis iudicium opinatiuum proferre. ergo & interdum falli, quia hoc iudicium falsitati expositum est. Secundò principaliter arguitur, quia de facto Eua decepta est à serpente, vt ipsa confessa est, dicens, Gen 3. *Serpens decepit me.* Imo & Adam fuisse deceptum existimando non fuisse futurum grauem lapsum, sic de cibo vetito comederet, ne vxori repugnaret, aut displiceret, Aug. significat l. 14. de Ciu. c. 11. & l. 11. Gen. ad lit. ca. vlt. & sequitur Magist. in 2. d. 22. Potest enim exemplo confirmari, nam B. Virgo decepta est, existimans fuisse filium in comitatu, vt dicitur Luc. 2. Quid ergo mirum, quòd Adam, & Eua decipi potuerint.

Simile.

Confirm.

Nihil-

Nihilominus contraria sententia communis est, eam tenet D. Thom. 1.part.q.94.art.4.& q.18. de Verit.art.6.& in 2.d.23.q.2.art.3.& Bonauentura ibidem, vt retuli,& Durandus quæst.3. Et videtur fuisse sententia D. Augustini l.3.de lib.arb. c.18. dicentis, *Approbare falsa pro veris, vt erret inuitus, non est natura instituti hominis sed pœna damnati.* Et 1.libr.retract.cap.9.confirmat ignorantiam, & difficultatem esse pœnas primi peccati, nulla autem est deterior ignorantia, quam error. Et in Enchirid.cap. 16.& sequentib. ex professo probat, quemcunque errorem etiam in materia leuissima inter mala huius vitæ deputandum esse, & ad quandam miseriam pertinere, vt in cap.21.dicit. At vero lib. 14. de Ciuita.cap.10.dicit, non interueniente peccato nullum malum potuisse in primis hominibus inueniri. Ac denique l.11.Gen.ad lit.c.30.dicit, non fuisse Euam à serpente decipiendam, nisi iam per superbiam peccasset, in quo supponit, ante peccatum decipi non potuisse. Atque hæc sententia vera est,&tenenda, quam communiter moderni etiam Theologi defendunt.

Vt autem rationem illius explicemus, oportet supponere, Deum non creasse hominem in puris naturalibus (vt vocant,) nec solum cum illis perfectionibus, quæ homini in hoc statu vitæ connaturales sunt, & simpliciter loquendo potestatem naturalem hominis non excedunt, vt sunt scientiæ per accidens infusæ, de quibus in præcedenti capite loquuti sumus, sed etiam addidisse illi plures perfectiones, ratione quarum dicitur, illum creasse in statu naturæ integræ, vel originalis iustitiæ. Qui status ex multis donis consurgit, quæ paulatim enumeraturi sumus, & ex illorum cognitione, & probatione, certa etiam illius status intelligentia pendet. Vnum ergo ex his donis fuit immunitas ab omni errore, seu deceptione. Nam, hic effectus re vera superat naturalem virtutem & conditionem hominis in pura natura existentis, vt probant rationes dubitandi in principio propositæ. Quin potius Theologi de Gratia Dei tractantes, communiter docent, hominem in pura natura conditum, & suis viribus relictum non posse non decipi aliquando non solum in practica, sed etiam in speculatiua cognitione. Quod censeo verum etiam de homine, cui naturales scientiæ fuerint per accidens infusæ, si postea solis naturalib. viribus illis vti, & de omnibus rebus occurrentibus suo arbitrio iudicare permittatur. Et ratio est iam tacta, quia in ipsismet rebus, seu materijs scientiarum naturalium multa sunt, quæ per solum naturale lumen non demonstrantur euidenter, & in illis iudicium est opinatiuum de se expositum falsitati. Vnde fieri non potest, vt qui sæpius hoc modo iudicat, interdum non decipiatur: & idem clarius constat in contingentibus, & singularibus factis occurrentibus. Nec est iuxta conditionem hominis naturalem in his omnibus, quæ euidenter non cognoscit, abstinere à iudicio, vt vsu ipso satis constat, & statim magis explicabitur.

Vnde concluditur indiguisse Adam peculiari Dei dono, vt decipi non posset, quandiu non peccaret. Et ita hoc probat D. Thom. ex rectitudine illius status, in quo ita erant res hominis ordinatæ, vt quandiu anima Deo subiecta maneret, tandiu in ipso homine inferiora superioribus subijcerentur, nec superiora per inferiora impedirentur: deceptio autem est quædam inordinatio intellectus humani proueniens ex phantasia, vel aliquo inferiori impedimento: ergo in illo statu non permitteretur. In qua ratione indicat D. Tho. deceptionem in intellectu hominis semper contingere ex aliquo defectu phantasiæ, vel alio simili quod non videtur ita esse, quia ex ipsa limitatione naturalis luminis prouenire potest. Vnde in anima separata, & in angelo potest deceptio inueniri. In quo puncto explicando laborat Caietan. sed omissis, quæ dicit, quia nec solida esse videntur, nec satisfacere: dici potest breuiter dupliciter contingere in homine deceptionem. Primo inuoluntariè simpliciter. Secundo aliquo modo voluntariè. De priori deceptione verum est, semper oriri ex aliquo defectu sensuum, & quia vitare huiusmodi deceptionem minus videtur esse in potestate hominis, illam potissimum studuit D. Thom. excludere. Deceptionem autem voluntariam voco, quando sine vlla deceptione sensuum homo voluntarie profert iudicium de re, quam nouit esse incertam. Et hæc facilius poterat in eo statu vitari ideo vel illam supposuit D. Thom. vel illam tacite comprehendit sub illo principio, quod superior potentia in eo statu non impediretur ab inferiori, nisi prius totus homo à Deo auerteretur. Nam illa deceptio ex impulsu, & affectu voluntatis maximè prouenit. Voluntas autem inferior potentia est in tellectu, & ideo ad hoc malum deceptionis illum non induceret: nisi culpa interueniente.

Omissa declaratione Caietani explicatur aliter D.Tho.

Præterea argumentatur Augustinus, quia omnis deceptio est malum hominis, quod per se pertinet ad malum pœnæ, quæ ante malum culpæ non infligitur: ergo quandiu culpa non esset, nec fuisset deceptio. Et potest confirmari hæc ratio à simili, vel à maiori, quia si homo non peccaret, non pateretur in corpore mala pœnæ, vt est mors, ægritudo, fames, sitis, & similia: ergo multo minus pateretur in anima mala pœnæ, quia in suo genere maiora sunt, & inter illa deceptio computatur. Deinde in illo statu habuit homo quandam naturæ integritatem secundum voluntatem, & appetitum, & in eis nullum malum ex necessitate pateretur, nisi prius ipse liberè peccaret: ergo eandem integritatem habere debuit in intellectu, vt errare non posset inuitus, & absque peccato.

6. *Probatur 5. eadem vera opinio. Confirm.1.*

Confirm. 2.

Quæri autem potest, quale fuerit hoc donum, vel quomodo Deus hominem præseruaret, ne vnquam deciperetur. Respondeo in primis ad hunc effectum non fuisse sufficientia quæcunque dona habitualia, vt sunt scientia, & species infusæ. Probatur, quia illa dona sola non sufficiunt ad euidentem cognitionem rerum omnium homini occurrentium, vt iam diximus. Deinde quia post peccatum homo retinuit omnia illa dona, & nihilominus potuit statim decipi, & deceptus est: ergo signum est, illa sola non sufficere ad præseruandum ab errore. Tertio quia habitibus vtimur, cum volumus, & ideo sæpe homo non considerat principium, etiamsi illud habitualiter sciat, propter quã inconsiderationem contingit decipi circa aliquod particulare ab illo principio pendens, quia connexionem inter illa non animaduertit: ergo soli habitus intellectus ad hoc non sufficiunt. Et ob eandem rationem nec soli habitus voluntatis possunt ad hoc sufficere. Quia licet intellectus in præstando iudicio ineuidente subsit voluntati: & hæc possit intellectum continere, ne iudicet, & præterea habere possit habitum ad hoc inclinantem, nihilominus semper ipsa libera manet, & potest non vti tali habitu, neque intellectum continere, ne iudicet. Quod totum etiam ante peccatum locum haberet, præsertim cum proferre huiusmodi iudicium per se, & ex natura rei non sit culpabile, sed indifferens, & aliquando ex causis occurrentibus possit esse honestum. Dicendum est ergo præter habitus necessariam fuisse peculiarem Dei prouidentiam, ac protectionem, per quam in omni occasione errandi hominem à deceptione præseruaret. Quomodo autem hoc fuerit, respondendo ad argumenta declarabimus.

7. *Quo Dei donoprotegeretur homo ab erroribus si iustitiam originalem custodiret. Id donum non esse solos habitus intellectus ostenditur tripliciter.*

Nec item solos voluntatis.

Sed præterea esse remotionem eorum quæ inducerent in errorem.

8. In priori ergo sententia in primis non admittimus distinctionem illam de iudicio firmo rei falsæ pro

Ad declarationem Bonauen. pro 1. opin. in n. 1.

pro vera, vel leui æstimatione: nam æstimatio de re falsa æstimando illam vt veram, non potest esse nisi iudicium aliquod intellectus, non firmum, sed cum formidine adhibitum. Nam licet dicatur æstimatio, vel existimatio, imò & leuis etiam vocari posset, si magna sit formido: nihilominus aliquod iudicium interuenire debet, alioqui nulla erit æstimatio, licet occurrant coniecturæ, quæ de se talem æstimationem inducere possint. Omne a. iudicium quantumcunq; formidolosum si non sit conformis rei iudicatæ, est simpliciter falsum, & consequenter error, seu deceptio, ac proinde malum intellectus repugnans statui primæ institutionis. Vnde ad primum argumentum simpliciter negatur minor propositio, videlicet potuisse Adã præbere iudicium siue firmum, siue infirmum de re incerta, & per solas coniecturas verisimili apparente: nã in omni simili occasione poterat summa facilitate iudicium de ipsa continere. Dico a. *de reipsa*, quia aliud est iudicare rem ipsam, an ita sit vel non sit: & aliud iudicare apparentiam, seu verisimilitudinem, quam coniecturæ faciunt, & in quo gradu, id est, an faciant rem probabilem, vel probabiliorem, vel an inducant suspicionem leuem, aut grauem, aut vehementem. Nam isto posteriori modo iudicari potest ex coniecturis sine periculo erroris, quia tunc iudicium non est coniecturale, sed euidens. Nam licet coniecturæ non faciant euidentiam rei, faciunt nihilominus euidentiam illius extrinsecæ dominationis, quæ ab ipsis quasi formaliter redundat in rem, quæ probabilis, aut verisimilis denominatur. Hoc ergo posterius iudicium habere posset homo de huiusmodi rebus in primo statu, quia in illo nullum est periculum erroris, non tamen definitum iudicium proferre poterat de veritate ipsa, quia in illo semper est periculum deceptionis.

Ad 1. arg. in nu. 2.

9

Ad probationem consequentiæ eiusdem primi argumenti.

Et ad probationem in contrarium, quia interdum tale iudicium potest esse moraliter necessarium, & naturæ accommodatum: respondemus in natura lapsa fortasse ita esse, ante lapsum autẽ non ita fuisse. Quia ad omnem vsum prudentiæ, & rerum agendarum in rigore sufficit prius iudicium de rei probabilitate, verisimilitudine, aut suspicione, & ita cessat necessitas alterius iudicij de reipsa secundum se. Aliunde etiam habebat homo in illo statu tantam animi compositionem, & moderationem, vt nihil ex præueniente passione vellet, & ideo recta ratione ductus facillimè posset per voluntatem frænare intellectum, vt nunquam in simile opinatiuum iudicium prorumperet. Vnde in eo statu haberet homo opinatiuam cognitionem obiectiuè, vt ita dicam, non formaliter, id est, cognosceret, quod opinabile est, & in quo gradu tale sit, non tamen iudicando opinaretur. Dices, hoc modo declarari quidem potuisse hominem non errare, non tamen probari, non potuisse decipi, quia semper erat liber ad illud iudicium proferendum, si vellet. Respondeo in primis cum homo esset prudentissimus, & bene ordinatus, & alioquin tale iudicium sibi non esset ad res agendas, vel cognoscendas necessarium, esset que expositum falsitati, hoc videri sufficiens, vt nunquam posset talem actum habere, quia esset periculo alicuius mali, sine iusta causa se exponere, q̃ esset contra perfectionem illius status. Imo nõ videtur carere aliqua leui culpa, quæ in illo statu esse non posset, vt infra dicemus. Addo deniq; ad complementum huius rectitudinis necessariam fuisse aliquam diuinam protectionem. Tum ad vitandam inuoluntariam deceptionem vel præueniendo ne sensibus & phantasiæ aliquid occurreret, quod posset esse erroris occasio: vel si illud occurreret, excitando rationem, vt plane aduerteret, ac sensum corrigeret, & veritatem dijudicaret, tum etiam ad vitandam infallibiliter voluntariam, & inculpabilem deceptionem, illuminando hominẽ in his, quæ necessaria, vel opportuna illi essent, vel dirigendo voluntatem eius, vt semper in huiusmodi iudicijs prudenter se gereret, seu abstineret. Et hoc significauit D. Tho. in citata q. 94. a. 4. ad 3. dicens, *Quod diuinitus ei subuentum fuisset, ne deciperetur in iis, quorum scientiam non habebat.*

Instantia.

Diluitur.

Ad alterum argumentum sumptum ab exemplis Euæ, & Adæ respondendum superest. Et in primis ad priorem partem de Eua, respondet Aug. in Gen. ad lit. cap. 30. ideo Euam fuisse deceptam, quia interiori affectu iam peccauerit. Et hoc sequitur D. Thom. suprà, & Rupert. 3. de Trin. c. 5. & indicatur in verbis illis Gen. 3. *Vidit igitur mulier*, &c. nam in eis significatur, Euam interius iam affectã ad promissa serpentis *scietu bonum & malum*, motã fuisse ad respiciendum fructum. Veruntamen instari potest, quia ante illa verba dixit Eua ad serpentem, *Præcepit nobis Deus*, &c. *ne forte moriamur*, vbi per particulam *forte*, quandam interiorem deceptionem indicauit, reputans incertum euentum mortis peccando, quem Deus asseueranter promiserat. Propter quod Rup. dict. l. 3. c. 5. dicit, iam tunc fuisse mentem Euæ vitiatã. Putat n. ante illã externam tentationem diabolum iam interius tentasse Euam, & illam in aliquem prauum consensum, vel desiderium induxisse. Sed hoc non est cum fundamento dictum, nec liberè credendum est, maximè cum explicari non possit quale fuerit illud peccatum internum, vel de qua re fuerit illa interna tentatio. Vnde Caiet. ibi indicat, Euã addidisse illam particulam fortè, non ex deceptione, sed ex quadam ignorantia, seu nescientia, quia nesciebat, an verba Dei essent tantum comminatoria, vel omnino assertoria. Sed difficile etiam est, admittere in Eua hanc ignorantiam, quia erat de re maximè necessaria, & quia verba Dei erant satis clara. Et ideo dici potest non esse additam illam particulam *fortè*, ad significandam dubitationem euentus mortis, si ex ligno vetito comederet, sed ad significandam libertatem, quæ in ipsis erat ad vitandam, vel incurrendam mortem. In hoc enim sensu accipitur sæpe illa particula in Scriptura, imo etiam communi modo ita loqui solemus de pœna, vel alio effectu pendente ex priori actu libero, seu contingente, quamuis posito tali actu consequutio alterius effectus infallibilis sit.

10

Ad 2. arg. eodem n. 2. quod Eua quasi ex ignorantia peccauerit.

Quia interpretatur Rup.

Ouerius Caiet.

Non tamen admittere in Eua hanc ignorantiam, quia erat de pœna.

Probatur rationib.

Vide in prolog. 2. de Gratia n. 7. & prolog. 3. de scientia diuina n. 11.

11

Ad 3. arg. quod Adam. Eponitur Aug. ibi. allegat.

Altera verò pars de deceptione Adæ longiorem petit disputationem, quam infra explicando peccatum eius tractabimus. Nunc breuiter negamus Adam fuisse seductum, ita enim testatur Paul. 1. ad Tim. 2. Aug. autem in loco citato intelligi potest, vt non senserit, Adam habuisse positiuum iudicij quod peccatum illud futurum fuisset leue, aut quod Deus non esset illud puniturus, sed negatiuè tantum non considerauerit grauitatem culpæ, & mali, cui se exponebat. Vel certè si tale iudicium habuit, credendum est, iam ex verbis Euæ aliquã animi elationem, & inordinatum desiderium excellentię concepisse. Sic n. D. Tho. suprà in solut. ad 5. loquens de primo homine ait, in tentatione non fuisse ei subuentum, ne deciperetur, quia iam præcesserat peccatum in animo, & ad diuinum auxilium recursum non habuit. Sed hoc, vt dixi, infrà latiùs declarabitur. Denique ad exemplum de B. Virgine nego illam fuisse deceptam, vt tractaui latius in 2. tom. tertiæ partis, disp. 19. sect. 6. vbi verba illa, *Existimantes illum esse in comitatu*, latè exposui.

Ad confirm. ab exemplo Virginis.

12

Monuimus aliquando, quorum-dam sententiam, quæ ita sentit, vocare temerariam, videlicet n. 1. & 2. & 3. & 4. & 5. & 6. & 7. & 8. & 9. & 10. & 11. & 12. & 13. & 14. & 15. & 16. & 17. & 18. & 19. & 20. & 21. & 22. & 23. & 24. & 25. & 26. & 27. & 28. & 29. & 30. & 31. & 32. & 33. & 34. & 35. & 36. & 37. & 38. & 39. & 40. & 41. & 42. & 43. & 44. & 45. & 46. & 47. & 48. & 49. & 50. & 51. & 52. & 53. & 54. & 55. & 56. & 57. & 58. & 59. & 60. & 61. & 62. & 63. & 64. & 65. & 66. & 67. & 68. & 69. & 70. & 71. & 72. & 73. & 74. & 75. & 76. & 77. & 78. & 79. & 80. & 81. & 82. & 83. & 84. & 85. & 86. & 87. & 88. & 89. & 90. & 91. & 92. & 93. & 94. & 95. & 96. & 97. & 98. & 99. & 100.

Denique non omittam aduertere, Patrem Molin. in tract. de opere sex dierum disp. 26. limitationem adhibere superiori sententiæ, & quandam mediam profiteri, quam his ferè verbis declarat, scilicet, in illo statu non potuisse esse errorem, quem

quem homo per liberum arbitrium non posset vitare, & cuius permissio ad pugnam, periculumq; de fidelitate primorum parẽtum capiendum, non pertineret: potuisse autem esse errorem per liberum arbitrium, quãdo eius permissio ad pugnam illam, & periculum spectaret. Itaque sentit in illo statu non potuisse hominem inuoluntariè decipi, aut errare. Voluntariè autem potuisse non in omni materia, sed in ea, quæ ad probationem fidei, seu ad experimentum, & libertatem eius spectabat. Fundatur, quia Deus exposuit primos homines ad pugnãdum cum dæmone, vt per victoriam maius meritum consequi possent: ergo etiam in hac parte reliquit eos in manu consilij sui, vt ab hoste de errore aliquo culpabili tentari possent, & suo arbitrio errorem admittere, vel cum diuina gratia illum depellere. Et ita exponit deceptionem Euæ, quia illa fuit libera, & ex diuina prouidentia iustè permissa.

Duobus tamen modis potest hæc sententia intelligi. Prior est, vt Deus in illo statu solùm præseruauerit hominem infallibiliter ab errore inuoluntario, id est, quem sua voluntate vitare nõ posset, quamuis faceret quantum in se esset. In reliquis verò omnibus, in quibus homo non erraret, nisi liberè volens illum reliquerit, vt decipi posset, acerrare, si vellet. Et hunc sensum indicat dictus auctor exponendo Augustinum, vt de solis inuoluntarijs erroribus loquutus sit. Qui tamen sensus non videtur consentaneus Augustino, quam deceptio Euæ satis inuoluntaria fuit, & nihilominus dicit, ante illam præcessisse culpam, significans, sine illa esse non potuisse. Alius sensus illius sententiæ, quoad posteriorem partem de voluntario errore (nam in priori conuenimus) esse potest, vt non de omni errore voluntario, sed de illo, qui non incurritur sine graui culpa intelligatur.

Tribus enim modis contingit voluntarius error in intellectu, scil. absque vlla culpa, cum venia- li culpa, & cum mortali. Primo modo potest nunc homo errare speculatiuè in iudicio probabilis opinionis, in quo nihil peccat, quando prudenter se gerit, quãuis contingat iudiciũ in re falsum esse. Et hunc modum deceptionis videtur etiam admittere Molina in statu innocentiæ, dicit enim, in illo potuisse esse opinatiuum iudicium, quia nulla est inordinatio, quando prudenter fit. Sed in hoc omnino veram censeo esse communem sententiam, quia licèt illa non sit inordinatio culpæ, est magna imperfectio, & malum quoddam naturæ. Et ita de hoc genere deceptionis maximè procedunt omnia, quæ de perfectione hominis, & protectione Dei adduximus. Secundo modo potest homo errare cum culpa veniali si ferat iudicium imprudenter, & cum aliqua leui temeritate, sine alio graui damno sui, vel alterius. Et de hoc modo erroris etiam censeo certum, non habuisse locum in primo statu, & ante omne peccatum graue ab homine commissum. Tum propter omnia suprà adducta: tum quia vix potest contingere talis error sine aliqua mentis surreptione, quæ in illo statu locum non habebat: tũ maximè quia in eodem statu non poterat homo prius peccare venialiter, quàm mortaliter, vt postea videbimus.

Tertius modus deceptionis manifestus est in hæresi, & in iudicio temerario contra honorem proximi, & similibus. Et in hoc censeo valde probabilem opinionem Molinæ, & fortasse hoc solum intendit: non existimo autem esse contra mentem D. Thomæ, & aliorum. Probatur prior pars, quia homo in statu innocentiæ liber fuit ad peccãdum in quacunque materia graui, nec in hoc potest aliqua limitatio, vel aliquis ordo cum fundamento affirmari, vt, v. g. quòd non potuerit ante peccatum superbiæ aliud committere, vel iniustus esse, priusquam intemperatus: ergo primũ peccatum hominis potuit esse hæresis, vel etiam iniustum iudicium contra proximum: ergo potuit esse in primo homine, vel fœmina deceptio voluntaria ante omne aliud peccatum. Neque hoc est contra communem sententiam, quam suprà probauimus, vt in altera parte dixi, nam talis error procedere debet ex voluntate deliberata, & peccaminosa, quæ in eo statu esset perfectè liberã, & non per surreptionem: nec esset ex priori deceptione, sed ad summum ex inconsideratione, & ita esset prior errore, tanquam causa eius: ergo iam illa deceptio non esset in homine innocente, sed in homine peccatore, neque esset pæna sine culpa, sed potius esset ex culpa, nam illa voluntas à qua procederet, culpabilis esset. Atque ita semper verum manet, hominem in statu innocentiæ decipi non potuisse, quia ex vi illius voluntatis ab illo statu caderet, & ita prius esset peccator, quàm iudicium erroneum haberet.

Dices: ergo potuit hoc modo deceptio Euæ cõtingere, etiamsi interius peccatum superbiæ prius in animo non præcessisset, cuius oppositum sentiunt Augustinus & D. Thom. & ita videtur hæc pars eorum menti, ac sententiæ repugnare. Respondeo ita quidem accidere potuisse simpliciter, vel, vt ita dicam, metaphysicè, aut præcisè, ex vi illius status loquendo. Hoc enim probat ratio à nobis facta. Moraliter autem loquendo, id accidere non potuit, & hoc videntur Augustinus & D. Thom. considerasse. Nam etiam in hominibus lapsis error per hæresim non contingit, nisi vel magna ignorantia præcedat, vel alia superbia, aut alia inordinata passio, quæ hominem, etiam aliàs non indoctum in errorem impellat. Multò ergo magis in Eua, quæ vel expressum Dei verbum ab ipsomet audierat, vel de illo sufficienter erat per virum instructa, & quæ aliàs etiam sapiens erat, & inordinatis affectibus carens, non potuit moraliter in tam apertum errorem incidere, nisi affectus superbiæ prius eius mentem perturbasset. 16 *Illatio cõtra proximè dicta.* *Expeditur.*

CAPVT XI.

Vtrum Adam in virtutibus voluntatis rectus, ac perfectus creatus fuerit.

1. *Rectitudo voluntatis naturalis est, vel supernaturalis.*

DVplex est rectitudo, & perfectio volũtatis humanæ, naturalis, & supernaturalis. Et de vtraque tractat quæstionem hanc D. Thom. 1. part. q. 95. Nos autem in præsenti solùm de naturali tractamus, maioris enim distinctionis gratia tõtam naturalem perfectionem primis hominibus datam, & naturæ integritatem explicare volumus, dicturi postea de statu, & perfectione gratiæ, in qua fuerint ijdem primi homines, antequam peccarent, constituti. Duplex autem perfectio naturalis in eadem voluntate nomine considerari potest, vna est innocentiæ, alia est virtutis positiuæ, vt sic dicam. Prior nullam rem positiuam addit naturali voluntati: sed tantùm carentiam omnis culpæ, hanc enim solam priuationem, seu negationem nomen innocentiæ formaliter importat. Neque refert, quòd talis negatio formaliter non dicat perfectionem, nam supponit illam in voluntate, quæ ex natura sua recta est, tãquam à Deo bene instituta, si remoueatur culpa, quæ illam deflectat, & maculet: & huiusmodi etiam perfectio, & rectitudo nomine innocentiæ significatur. Altera verò perfectio aliquid positiuum addit voluntati, scil. habitus studiosos, & rectos ordinis naturalis, quos habitus, virtutum nomine significamus. Vnde fit, vt prima perfectio possit à secunda separari, nam si Deus crearet hominẽ sine actu, *Subduiditur naturalia in negatiuam.*

vel habitu aliquo, esset innocens : quanuis virtutem nullam haberet.

2. 1. Assertio de fide Probatur 1. ex Eccles. 7.

Primò ergo certum est, hominem creatum, fuisse innocentem & absque culpa. Hoc de fide est, & probatur sufficienter ex illo Ecclesiast. 7. *Deus fecit hominem rectum, & ipse se infinitis miscuit quæstionibus.* Non etiam potest dici homo rectus, qui sit in peccato : ergo vt minimum conuincunt illa verba fuisse hominem conditum cum naturali rectitudine

Probatur 2. ratione.

volũtatis sine obliquitate peccati. Ratio verò est, quia Deus non potest esse auctor peccati : ergo necessariò creauit hominem innocentem, quia tunc non potuisset habere peccatum, nisi ab auctore suo, quod eius bonitati repugnat. Hic verò statim se insinuat quæstio similis illi, quæ de Angelis suprà tractata est, an potuerit homo in eodem in-

Contrauenitur assertioni posita ex opinione astruente Adamum potuisse peccare in 1. instanti creationis.

stanti in quo creatus est peccare. Nam si peccare potuit, dicere quis posset, contra assertionem positam, eum in primo instanti peccasse, ac subinde nunquam fuisse in statu innocentiæ. Et nihilominus non fuisse Deum auctorem illius peccati, sed ipsummet hominem sua libertate, cuius vsum in primo instanti habuit, peccatum aliquod commisisse. Neque hoc esset contra verba Sapientis, quia etiam illo peccato admisso, verè diceretur Deus fecisse hominem rectum, quia ipse solam voluntatem rectam condidit in homine, ipse verò homo etiam in illo casu se miscuisset culpæ, nimis citò obliquè per suam liberã voluntatem operando.

3. Occurritur in primis multipliciter non peccasse de facto Adamũ in 1. instanti.

Sed nihilominus loquendo de facto, assertio ita est intelligenda, vt non solùm homo fuerit creatus innocens ex parte actionis Dei vt sic dicam, sed etiam vt omnino & ex quacunque causa tunc peccato caruerit. Quod est etiam certum. Nam in primis ita Patres omnes verba sapientis intelligunt, vt infrà videbimus. Deinde quia id conuincitur ex narratione Gen. Nam in primo capite dicitur Deus creasse hominem ad imaginem, & similitudinem suam, & postea concluditur, vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Non essent autem valde bona, si homo iam in peccato conspiceretur. Deinde in toto cap. 2. supponitur Adam sine peccato quando fuit translatus in Paradisum, & animalibus nomina imposuit, & Deus illi soporem immisit. Item post formationem Euæ de vtroque dicitur quòd non erubescebant, & postea c. 3. narratur tentatio, & vtriusque peccatum : illud ergo fuit primum tempus, in quo peccarunt : & ante illud eis tribuere aliquod peccatum, plus est quàm temerarium, cùm in Scriptura non habeat fundamentum : illud verò affirmare de primo instanti creationis, sine dubio erroneum est.

4. Occurritur deinde nec possibile fuisse de lege ordinaria tunc peccare Vide lib. 3. de Angelis cap. 9. an. 17. & lib. 7. cap. 19. à num. 10 latissimè

An verò fuerit possibile in eo instanti peccare, tractatum est de Angelis, vbi diximus, etiã in Angelis fuisse impossibile, saltem secundùm legem ordinariam, & quodammodo naturalem. Sed hoc euidentius est in homine, quia indiget discursu, & tempore, vt rationis cognitionem habeat ad libertatem sufficientem, si modo naturali huiusmodi cognitionẽ, & rationis vsum habiturus est. Hanc autem tarditatem, & imperfectionem naturalem habuit homo in primo instanti creationis suæ, quatenus per naturæ vires operari poterat, quia etiam tunc per discursum procedebat, & à phantasia dependebat. Quòd si supernaturaliter fuit tunc eleuatus homo ad liberè amandum in primo instanti cùm fieret à Deo, peculiari dono, & virtute, non potuit esse ad malum, sed ad bonum, vt postea declarabimus. Atque ita omni ex parte certum est, homines in principio habuisse voluntatem rectam, & innocentem. Imò etiam sequitur, habuisse potestatem ad vitandum peccatum, & conseruandam innocentiam in illo primo statu. Sed hoc pẽdet ex multis alijs dicẽdis de perfectione hominis in illo statu, & ideo huius potestatis declarationem pro nunc omittimus.

Dico secundò, habuerunt homines ante peccatum, vel in primo instanti creationis suæ, omnes virtutes, & bonos habitus morales, qui per actus humanos ordinis naturalis acquiri possunt, qui proinde fuerunt infusi tantum per accidens. Per hanc assertionem non intendimus excludere virtutes altioris ordinis, sed ab illis nunc præscindimus, vt naturalem perfectionẽ priùs explicemus. Potèst que assertio tribui D. Thomæ in dicta q. 95. a. 3. nam licèt indistinctè de virtutibus loquatur, & multa dicat ad virtutes supernaturales pertinentia, tamen sine dubio includit etiam naturales, si attentè legatur, præsertim in solutionibus argumentorum. Et ita potest etiam probari assertio, primò ex illo Ecclesiast. 7. *Deus fecit hominem rectum.* Nam inter alia ad illam rectitudinem pertinebat, vt volũtas rectæ rationi naturali esset subiecta, atq; etiam vt esset rectè disposita ad inferiorem appetitum in officio honestatis continendi. Sed virtutes ex suo genere acquisitæ perficiunt, & quasi complent hanc rectitudinem voluntatis : ergo illas dedit Deus homini, quem rectum creauit. Deinde idem probatur ex illo Eccles. 17. *Deus creauit hominem*, &c. *& secundum se vestiuit illum virtute.* Quæ verba etiam possunt de virtute per se infusa explicari. Sed cùm absolutus sit sermo, non sunt excludendæ virtutes acquisitæ. Præsertim cùm adhuc sub quæstione versetur, an virtutes morales sint per se infusæ, vel tantum acquisitæ.

6. Probatur ratione.

Prætèrea veritatem hanc satis indicant Ambr. lib. de Parad. cap. 5. in fine, & August. in Concione ad Catechu. contr. Iudæos, &c. c. 2. vbi ait, Adam fuisse factum ad imaginem Dei, pudicitia ornatũ, temperantia compositum, &c. Et lib. 14. de Ciuit. cap. 10. de statu primi hominis, ait : *Nec aberat quicquam, quod bona voluntas adipisceretur* : ergo sentit non defuisse virtutes. Item addit, quòd ibi erat deuitatio trãquilla peccati. At certè ad hanc tranquillitatem moraliter necessariæ sunt virtutes morales acquisitæ. Denique ita ibi describit felicitatem illius status, vt ab illo huiusmodi virtutes excludi non possint. Ratione probari potest assertio eodem, modo quo similem de scientijs probauimus. Nam certè ad perfectionem simpliciter hominis, non minùs, imò magis, pertinent virtutes morales, quàm scientiæ naturales : ergo si Deus infudit primo homini omnes scientias, multo magis debuit virtutes naturales infundere, vt opus eius perfectum esset. Quare omnes Theologi conueniunt, has virtutes fuisse per accidens infusas animæ Christi in primo instanti conceptionis suæ, quanuis de scientia acquisita non omnes ita asserant, sentientes profectò, ad perfectionem naturæ magis necessarias esse virtutes, quam scientias. Vnde infertur, has virtutes datas esse primo homini in magno perfectionis gradu. De quo solùm dicere possumus fuisse quoad intensionem accommodatum ad sufficientem illius status perfectionem, quàm Deus designauit iuxta cõsilium voluntatis suæ, quam ipse nouit, nobis enim nihil certius de termino illius perfectionis constare potest, quia reuelatum non est. At verò quoad extensionem dici potest illa perfectio vniuersalis, quia & circa omnes materias morales virtutes infusæ sunt, & vnaquæque cum potestate sufficiente ad operandum in tota materia sibi subiecta.

Sed circa hanc extensionem nonnullæ difficultates supersunt, prima est ex Durando in 2. d. 29. q. 2. vbi ait, fuisse infusas Adæ virtutes morales, quæ circa alterum versantur, vt iustitia, cui liberalitatem coniungit, non tamen virtutes, quæ circa passiones versantur, & illas moderantur. Ratio eius quoad vltimam partem est, quia in eo statu nullæ

nullæ essent inordinatæ passiones, neque appetitus haberet difficultatem in appetendo secundum rationem: imò nec indeterminationem haberet quia omnino esset determinatus ad obediẽdum rationi. Sed immeritò illam exceptionẽ adhibuit. Primò, quia iuxta sententiam, quam verio rem credimus, etiam fortitudo, & temperantia licet versentur circa passiones, nihilominus etiam sunt in voluntate: ergo fuerunt homini infusæ. Nam respectu voluntatis eadem est ratio de his virtutibus, quæ de iustitia, & liberalitate, quia sicut voluntas habet quandam indeterminationẽ in officio virtutis præstando circa alterum, ratione cuius indeterminationis indiget habitu, etiam si nulla alia intercedat difficultas, vt Durand. vult: ita etiam habet indifferentiam in præstando officio virtutis circa ipsummet operantem: ergo quãuis desit difficultas ex parte appetitus, sunt necessarij habitus inclinantes voluntatem ad omne officium honestum circa ipsum operantem, ratione indeterminationis, quam ex se habet. Secundo, quia etiamsi appetitus esset subiectus voluntati in illo primo statu, nihilominus erant necessariæ huiusmodi virtutes in ipso appetitu, eo modo, quo in ipso esse, aut acquiri possunt, de quo aliàs. Ratio autem est, quia illamet subiectio magna ex parte per huiusmodi habitus formaliter facta est, vel certè sine illis non poterat tam perfectè, & connaturali modo fieri, vt in sequenti capite exponemus. Et ita argumentum Durandi potest contra ipsum retorqueri, quia ipsamet subiectio appetitus habituum perfectionem in ipso indicat. Ideoque non est bona collectio Durandi, quod appetitus in eo statu erat incapax istarum virtutum, quia erat determinatus: non enim erat determinatus per solam suam intrinsecam facultatem, & ideo indigebat determinante intrinseco, quatenus esse posset, illud autem esse non poterat, nisi habitus, seu virtus.

Altera difficultas est de quibusdam virtutibus, quarum obiecta, seu materiæ in illo primo statu inueniri non poterant, quia includunt imperfectionem illi statui repugnantem. Nam deficiente obiecto, seu materia, deest officium virtutis, & cõsequenter non est necessaria virtus, imò nec videtur posibilis, quia non potest esse sine obiecto. Assumptum inductione ostenditur. Primo in virtute pœnitentiæ, cuius obiectum est peccatum commissum, nam repugnantiam inuoluit, esse in statu innocentiæ, & habere peccatum commissum. Secundo in virtute patientiæ, quæ tristitias moderatur in afflictionibus, & laboribus. Hæc enim omnia in illo statu non inuenirentur. Tertio inuenitur similis ratio in virtute misericordiæ, cuius materia est miseria proximi subleuanda.

Hæc difficultas potissimè solet tractari de virtutibus per se infusis. Vnde posset aliquis dicere, omnes virtutes per se infusas inditas fuisse Adæ, quia consequuntur gratiam, & ideo non separantur ab illa, licet ratione status non posit persona actus earum exercere. At vero ex virtutibus acquisitis, illas tantum fuisse infusas Adæ, quarum officium in illo primo statu inueniri potuisset. Sed nihilominus D. Thom. dicto articulo quinto, vt dixi, dum indistinctè affirmat, has virtutes aliqua liter datas fuisse Adæ, videtur loqui non tantum de infusis, sed etiam de acquisitis: & præterea explicat comprehendere se virtutes, quæ moderantur passiones, quod maxime faciunt virtutes acquisitæ, ac denique eius ratio æquè de omnibus procedit. Non tamen simpliciter dixit, omnes virtutes fuisse in primo homine, sed cum illo addito, *aliqualiter*, & ideo illud declarans, distinguit de virtute in habitu, vel in actu. Et dicit cæteras virtutes omnes quoad vtrumque in illo statu inueniri potuisse, quod est clarum. De alijs vero de quibus nostra est difficultas, dicit, infusas fuisse quoad habitus, quanuis ex defectu materiæ non possent actus exercere.

10. *Resolutio complectens habitus atq; actus.*

Quę quidem doctrina etiam ad habitum pœnitentiæ applicari potest, quatenus aliquo modo potest esse acquisitus. Et quoad priorem partem de habitu est clara. Tum quia habitus est prior actu, & bene disponit hominem ad illum, siue illum effecturus sit, siue non sit. Tum etiam quia habitus non respicit materiam, vt præsentem, vel futuram, sed tantum vt posibilem huic naturæ, & ita habebat locum quælibet materia in statu innocentiæ. Tum denique, quia semper fuit posibile homini amittere illum statum, sicut de facto amisit: vnde vtilissimum illi fuit, habere has virtutes per accidens infusas, quæ in illo manerent, si caderet, vt reuera de facto manserunt. *Quoad habitus ostenditur triplicitèr.*

Quoad actus saltẽ aliquos probatur.

Quod vero attinet ad alteram partem de actu, licet verum sit, non potuisse has virtutes exercere in statu innocentiæ potissimos actus suos (quod fortasse præcipuè intendit D. Thom.) nihilominus semper aliquos actus exercere potuisset. Primò actus inter nos conditionatos, vt in pœnitentia esset hic actus, si peccarem dolerem, in misericordia, si proximus indigeret, illi subuenirem. Nam licet aliqui putent, hos actus esse potius intellectus, quam voluntatis, tamen esse possunt in actuali proposito voluntatis de conditionato obiecto. Imò illi conditionales non essent simpliciter verè in homine, nisi fundarentur in actuali proposito voluntatis eius. Secundo posset exerceri actus complacentiæ circa honestatem obiectiuam talium virtutum. Tertio specialiter virtus pœnitentię, quanuis non posset detestari malum commissum, vt probat ratio facta, posset odio habere peccatum, quod offertur vt committendum, & habere voluntatem non faciendi Deo iniuriã, vt in tom. de Pœnit. latè dixi, & specialiter videri potest disp. 7. sect. 1. nu. 10. & 11. Misericordia etiam non semper, aut p se requrit dolorem in miserente, nam voluntas subleuandi miserum, si absq; dolore haberi posit, reuera erit actus misericordię. Hoc a. modo si status innocentiæ duraret, posset vnus homo cadere, & alter innocens habere voluntatẽ subueniendi illi, cum displicentia de malo eius, quæ posset haberi sine tristitia, vel dolore. Et fortasse inter ipsos innocentes non deessent occasiones habendi similes actus. Nam licet in illis non esset propria miseria pœnalis, esse posset aliqua indigentia naturalis, vt paruuli indigerent auxilio maiorum ad educationem, & ad vitanda pericula, & ignorantes, seu incipientes indigerẽt doctrina. Ad hunc ergo modũ non deesset ibi aliqua materia misericordiæ, & sic potest de alijs similibus virtutibus facilè cogitari.

Primo

Secundo

Tertio

Videri etiã potest author tom. 1 de incarnat. disp. 19 & tomo 2 disp. 4. sect 2

11. *Tertia difficultas an denique infusa fuerint virtutes aliquæ Deum respicientes.*

Tertiò difficultas esse potest, an fuerint infusi Adæ aliqui habitus virtutum acquisitarum erga Deum. Sunt autẽ duo genera virtutum, quæ circa Deum versantur, quædam, quæ respiciunt Deũ vt obiectum cui, vt religio, & si qua est alia similis, vt fortè obedientia, & de his non est dubium, quin fuerint infusæ Adæ, quia sunt perfectiores, & magis necessariæ, quam reliquæ morales, & earum vsus erat illi statui maxime proprius. Aliæ verò sunt virtutes, quæ versantur circa Deum, vt obiectum quod, quales sunt in ordine supernaturali virtutes theologales, ex quibus vna est in intellectu, scilicet fides, charitas verò & spes in voluntate. In ordine autem naturali loco fidei succedit cognitio naturalis Dei, quam habuit Adam per scientiam per accidens infusam, de qua iam dictum est. Charitati autem infusæ respondet in ordine naturali amor naturalis Dei super omnia, & propter ipsum, qui amicitiæ, vel benevolentiæ dicitur: & de hoc aliq negãt fuisse in

Resolutio de respicientib. Deum vt obiectum cui.

De respicientibus Deum vt obiectum quod, certũ est habuisse Adam intellectuales.

An in voluntate habuerit virtutẽ benevolentiæ naturalis erga Deũ.

Quorundam responsio negatiua quoad actum reijcitur.

Adamo tam quoad actum, quàm quoad habitum. Sed de actu longè probabilius est, in Adamo esse potuisse, quod docet D. Thomas 1.2.q.109.art.3.& quodlib.1.art.8. & alijs locis, vt latius in materia de Gratia tractamus lib.1.cap.30.

12

Quoad habitum negat Pereira.

Eius fundã.

De habitu verò res est magis incerta, in qua partem negantem tenet Pereir. lib.5. in Gen. disp. de tertia excellentiæ status innocen.q.1.ex fundamento omnino contrario præcedenti opinioni, scil. quia non solùm poterat Adam diligere Deum vt auctorem naturæ naturali dilectione super omnia, sed etiam voluntas eius naturaliter erat ad illum amorem propensa, & nullam difficultatem, vel impedimentum ex parte appetitus in eo amore patiebatur, & ideo non indigebat habitu. Contrarium sentit Scot. Nam in hoc habitu potissimè iustitiam originalem constituere videtur in 2. d. 29. & latè exponit Herrer. 2.disp.21.q.3.& disp.22. quæst. 1.

Affirmat verò cum Scoto Herrera.

13

Authoris resolutio.

Mihi autem considerandum videtur, an voluntas humana sit naturaliter capax talis habitus, & an possit in hoc statu per actus acquiri. Nam si in voluntate est capacitas naturalis, profectò redacta fuit in actum in illo statu, & si acquiri potest per actus in illo statu fuit per accidens infusus, quia per se pertinet ad maiorem perfectionem voluntatis humanæ. Neque obstabit propensio naturalis voluntatis, quia hæc potest augeri per habitum, quia dare potuit facilitatem operandi. Neque etiam referet, quòd appetitus non retardaret, quia libertas, & indifferentia voluntatis sufficit ad capacitatem, & vtilitatem habitus, sicut de virtute iustitiæ dicebamus. Vnde partem hanc vt satis probabilem relinquimus, perfectam autem resolutionẽ in materiam de charitate remittimus, quia ex illa quæstione pendet, an per huiusmodi actus amoris Dei nunc similis habitus acquiratur. Denique virtuti spei infusæ sub propria ratione spei, & quatenus fundatur in promissione diuina nullus habitus merè naturalis respondere videtur: tamen vt est amor concupiscentiæ DEI respondere illi potest in ordine naturali habitus inclinans ad amorem concupiscentiæ DEI, vt est summum hominis bonum, & de hoc ferè eodem modo, quo de præcedenti, iudicandum est.

Ad fundam. Pererij in n. præced.

Vide in tract. de charitate disp.3. sect.5

An virtutẽ spei naturalis.

CAPVT XII.

Vtrùm in Adamo appetitus sensitiuus ita fuerit subiectus voluntati, & rationi, vt nunquam aut eam præueniret, aut illi imperanti repugnaret.

1.

Aperitur fundamentum quæstionis.

SI natura hominis purè, & secundum se consideretur, etiamsi potentias habeat naturalibus virtutibus perfectas, & ornatas, pugnæ & rebellioni carnis contra spiritum obnoxia est. Quæ duplex habet genus cognitionis, sensitiuæ, & intellectualis, & duos appetitus elicitiuos, scilic. sentientem, & voluntatem. Inter quas facultates naturalis ordo est, vt cognitio incipiat à sensu, & ideo possit rationem immutare, priusquam voluntas operetur, atque eadem ratione, vt prius etiam excitet appetitum sensitiuum, quàm voluntas, & ratio perfectè possint deliberare. Ex hoc igitur genere compositionis humanæ naturæ ex carne, & spiritu & appetitu inferiori, ac superiori oritur pugna, quam in nobis experimur, & quam deplorat Paulus ad Rom.7. dicens, *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* De hac ergo pugna quærimus in præsenti, an fuerit in primo homine ante peccatum, siue cum donis supernaturalibus gratiæ consideretur, siue absque illis: hoc enim ad præsentem quæstionem extrinsecum est, nam cum donis gratiæ potest homo habere illum defectum, & pugnam, vt nunc est, in hominibus iustis, & sine illis donis posset Deus impedire illum defectum, homini naturalem, seu tale donum homini conferre, quo fieret, vt nullus motus insurgeret in portione inferiori repugnans superiori, consequenter nulla pugna, aut difficultas circa operationem boni honesti naturalis ordinis in homine sentiretur. Quia ergo donũ hoc distinctum videtur à virtutibus, & ad earum perfectũ vsum, & consequenter ad magnam perfectionem voluntatis pertinet, ideo non obstantibus virtutibus, inquirendum superest, an hoc donum, eiusque effectus Adamo collata fuerint.

Ratio autem dubitandi esse potest, quia hoc donum non est homini naturale, nec perficit hominem in ordine ad finem supernaturalem: ergo non est homini in sua creatione datũ. Consequentia probatur, quia, vt sæpe dictum est, Deus codendo naturam naturæ ordinem in hoc seruabat, vt vnicuique conferret quod naturale ipsi erat. Maior autem probatur ex dictis in principio capitis, quia ex naturali, & intrinseca compositione hominis intrinsecè: sequitur imperfectio contraria huic dono: ergo è conuerso donum ipsum nõ potest esse homini naturale, imò videtur valde repugnans naturæ eius. Secundo, quia illud donum vel esset aliquis habitus infusus homini, vel aliquid aliud: hoc secundum declarari non potest quid, vel quale sit, primum autem nõ potest sufficere. Quod ita ostenditur, quia vel ille habitus esset spiritualis in intellectu, & voluntate, & de illo esset eadem difficultas, quia posset à sensibus præueniri: vel esset in appetitu sensitiuo, & sic etiam non posset impedire quin appetibile secundum sensum occurreret, & naturaliter immutaret appetitum: at verò appetitus immutatus naturaliter mouetur, cùm libertate careat: ergo non obstante tali habitu voluntatem, & rationem præueniret.

2.

1. Ratio dubitandi.

In hoc puncto Scot. in 2.d.29.q.vnic. hanc quæstionem attingens, illam videtur sub dubio relinquere, nam semper sub disiunctione loquitur, dicens, quod in eo statu esset tranquillitas in anima, quia vel natura inferior non insurgeret contra superiorem, vel si insurgeret, posset facilè, & delectabiliter à superiori cõtineri, & ordinari, & italicet inferior appetitus cum aliqua tristitia ab obiecto sibi delectabili abstineret, nihilominus quia voluntas cum magna delectatione id faceret, totus homo id facere diceretur, quod ratione superioris potentiæ ei conuenit, quamuis inferior potentia aliquantulum reluctetur. Et ideo, inquit, *Fortasse non est necesse ponere, quòd nullus sensus appetitus potuit tunc tristari, potuit enim visus tunc videre turpe visibile, & auditus audire turpe audibile, & vtrunque potuit offendere appetitum sensitiuum, sicut & conueniens sensibile delectare, sed voluntas tunc bene vsa fuisset isto tristitijs, & delectationibus appetitus inferioris* Hæc ferè Scot. Veruntamen nunc agere nolumus de omni actu sentiendi, vel de omni affectu appetitus sensitiui. Distinguunt enim potest, duplex genus huiusmodi motuum, quidam dici possunt naturales, & innoxij, seu indifferentes in ordine ad mores, non solũ quia in se boni, aut mali non sunt, sed etiam, quia non inducunt ad aliquid turpe, vt moraliter malum, vt est dolor aliquis, vel displicentia de obiecto disconuenienti sensui, item fames, sitis, & similes affectus, vel eorum contrarij. Alij verò sunt motus noxij moraliter, quia vel inclinant ad aliquid de se turpe, si voluntariè fiat, vel difficilem reddunt operationem virtutis. Et de hoc genere motuum inferioris appetitus hîc præcipuè loquimur, quia in eis veritas certior est, de priori verò genere dicemus postea tractando de illius status immortalitate.

Dist. motus appetitus inferioris in naturales, & innoxios, & noxios moraliter.

Non omnis motus qui est in appetitu inferiori naturalis, & innoxius est peccatum.

Sed de motu noxio moraliter per se turpi, & voluntario fiat, dicemus.

Fiat distinctio.

Dicimus ergo, hanc perfectionem fuisse homini à principio creationis, vt quamdiu non peccaret, *Assert. 1.*

peccaret mortaliter, sentire non posset præuenientes motus inferioris appetitus rectę rationi aduersos, multòque minus subsequentes, rationi iam imperanti repugnantes. Hanc assertionem censeo omnino certam, quæ probatur primò ex Scriptura. Nam in primis Gen. 2. in fine dicitur: *Erat autem vterque nudus, Adam scilicet, & vxor eius & non erubescebant.* Postea verò cap. 3. de illis post peccatum dicitur, *Aperti sunt oculi amborum, cumque cognouissent se esse nudos.* &c. Et infrà, cùm Adam ad Deum dixisset, *Timui, eo quod nudus essem*, Respondit ei Deus, *Quis enim indicauit tibi, quod nudus esses, nisi, quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* Ex quib. verbis apertè colligitur, tantam mutationem esse factã in primis hominibus per peccatum, vt ante illud non ita viderent corpora sua, vt erubescerent aut appetitus eorum ad aliquid turpè commoueretur, post peccatum verò vtrũque senserint: ergo ante peccatum habuerunt speciale donum, quo appetitus eorum continebatur, ne contra rationem insurgeret, quod donum peccando amiserunt, & ita hæc testimonia intellexerunt Patres, & Theologi infrà citandi.

Secundò hoc confirmant verba Sapientis: *Inuenit, quod Deus fecit hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*, Ecclesiast. 7. Quem locum tractans Hieronym. lib. 1. contra Iouinian. per hominem vtrunque sexum intelligit, & de rectitudine, quæ concupiscentiam remouebat, interpretatur. Et ex consonantia huius testimonij cum præcedenti veritas huius sensus cõprobatur. Vnde immeritò Caiet. ibi illum exponit de sola rectitudine, naturali, & vim facit in verbo *inueni*: quod de inuentione per rationem naturalẽ exponit, & inde colligit, sermonem esse de sola rectitudine naturali, quia hæc rectitudo potest ratione naturali inueniri, non verò rectitudo illa, quæ dicitur originalis iustitiæ, seu integritatis naturæ. Sed leui motus est fundamento ad eneruandum graue testimonium, quo Patres contra Pelagium vti solẽt, qui dicebat non fuisse in Adam maiorem rectitudinem, quam esset in puro homine absque peccato, quales omnes posteros Adæ Pelagiani esse fingebant. Nihil ergo cogit verbum illud *inueni* quia sine fundamento coarctatur ad inuentionem per discursum naturalem, cùm in ipsis Scripturis sacris potuerit Salomon veritatem illam inuenire, imò verò alludendo ad loca Geneseos locutus fuerit, vt notaui.

Tertiò confirmat hoc Paulus ad Rom. 7. dicẽs, hos concupiscentiæ motus ex peccato Adæ ortos fuisse. In hoc enim sensu dicit, *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*; id est, peccati fomes, quem peccatum vocat, quia ex peccato Adæ deriuatus est. Est ergo hic fomes, seu concupiscentia, aut omnis rebellio appetitus inferioris contra superiorem affectus peccati Adæ: ergo ante peccatum non erat in natura humana talis defectus. Et eadem ratione legem fomitis, quæ est in membris, vocat Paulus *legem peccati*, dum dicit, *Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Item eadem ratione corpus hoc, in quo hanc concupiscentiam patimur, vocat *corpus mortis*, indicans non fuisse in corpore morti non subiecto, ac proinde sicut mors fuit ex peccato, ita etiam concupiscentiam.

Quartò idem probatur ex Concilio Trid. sess. 5. can. 5. dicente, manere in baptizatis concupiscentiam, & fomitem, quæ licèt per se sumpta peccatum non sit, peccatum interdum vocatur, *quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Vbi dicens, *ex peccato*, apertè docet antè peccatum non fuisse, nam si antea fuisset, nullo modo effectus peccati extitisset: concupiscentia autem, seu fomes, nihil aliud est, quàm ipsemet appetitus, vt per motus suos rationem præuenit, & ad peccandum inducit. Et hac ratione dixit idem Concil. ibidem can. 1. totum Adam per illam præuaricationis offensam secundùm corpus, & animam in deterius commutatum fuisse.

8 *Ex Patribus*

Quintò eandem veritatem docet Augustin. lib. 13. de Trinit. cap 3. circa fin. dicens, in primo homine per peccatum naturam humanam vitiatam, atque mutatam esse, vt repugnantem pateretur in membris inobedientiam concupiscendi, & ex eodem peccato ad cæteros dimanasse. Et in cap. 4. rationem reddit, cur maneat in iustificatis, & in lib. 14. c. 10. docet, homines in Paradiso ante peccatum non habuisse perturbatos animi affectus, quia neque in carne, neque in animo aliquid patrebantur, ꝙ illorum felicitatem offenderet. Vnde cap. 15. subiungit, quod peccatum damnatio subsequuta est, talisꝙ damnatio, vt homo, qui custodiendo mandatum futurus fuerat etiã carne spiritualis, heret etiam mente carnalis, &c. & c. 19. idem repetit, & lib. 15. cap. 7. ita etiam exponit, Apostolum vocantem concupiscentiam peccatum, quia ex peccato sit, quod repetit 1. retract. cap. 10. & latiùs lib. de Corrept. & Grat. cap. 10. & 11. vbi ait, Adam non indiguisse gratia ad vincendã pugnam, quando caro concupiscit aduersus spiritũ, quia nulla talis rixa à seipso aduersus seipsum centatus, atque turbatus in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Similia docet lib. 1. de Nupt. & concupisc. c. 23. & lib. 1. contra duas Epist. Pelagianor. cap. 13. & Gregor. lib. 26. Moral. cap. 13. alias 12. & Rupert. 2. de Trinit. cap. 40. & alij Patres super Gen.

9 *Ex Scholasticis*

Sextò veritas hæc communis est Scholasticorũ in 2. d. 30. & 31. & D. Thom. 1. 2. q. 82. art. 3. & q. 81 art. 3. Et fortasse Scot. de assertione hac quoad hanc partem non dubitauit, sed quoad alios actus appetitus pertinentes ad corporis passibilitatem, & ad malum non inclinantes, quos supra innoxios appellauimus, de quibus in cap. 14. dicemus. Rationes autem huius veritatis ex diuina prouidentia, & liberalitate erga naturam humanam potissimum sumendæ sunt. Nam cùm homo ex intrinseca conditione, & compositione habeat hanc pugnam inter inferiorem, & superiorem appetitum, quatenus per appetitum ad sensibilia, & corporalia: per voluntatem autem ad spiritualia, & rationi consentanea inclinatur: inde habet vt ex consideratione suæ naturæ in se purè spectatæ nimis debilis, & fragilis sit, ad operandũ honestum. Ideoꝙ volens Deus subuenire huic fragilitati hominis, peculiari dono eum præuenit, vt eam pugnã, quandiu in iustitia perseueraret, nõ sentiret. Cuius diuinæ prouidẽtiæ optimæ cõiecturæ sunt. Prima, vt proprium Dei opus perfectum esset, & pro capacitate hominis viatoris consummatum. Secunda, vt facili negotio posset homo vitare omnia peccata, si vellet. Tertiò, vt in quodam felici statu viueret, nã sine dubio ex huiusmodi pugna, & inordinatis motibus appetitus sentientis multum minueretur illius status felicitas, & perfectio, vt latè prosequitur August. in citatis locis, præsertim in dicto lib. 14. de Ciuit. à cap. 10.

Quid de Scoto in num. 3. adducta.

Ex diuina prouidentia sic disponente.

Dicta prouidentia cõiectura triplex.

Vt verò propriam causam, & rationem huius effectus explicemus, inquirere oportet, quomodo facta fuerit hæc pax, & concordia in homine primo, seu integra subiectio inferioris appetitus ad superiorem, id est, quod, vel quale fuerit donum, per quod hic effectus formaliter in homine fiebat. Cùm enim talis effectus non sit connaturalis homini, imò potiùs naturali inclinationi potentiarum eius partim repugnare, partim eam superare videatur, non videtur posse fieri sine aliqua mutatione in eius potentijs facta, vel sine aliquo

10 *Arguitur non videri posse cohaerentiã pacem intra hominem iuxta naturam eius.*

aliquo dono illis addito, & hoc est, quod inquirimus, quale sit. Antecedens declaratur, quia, vt fiat in homine hæc concordia, & subordinatio appetituum, duo requiruntur, vnum est, vt appetitus inferior non moueatur prius quàm à superiori imperetur: aliud est, vt voluntati imperanti appetitus sensitiuus ad nutum, & sine vlla retistentia obediat. Vtrunque autem esse videtur contra inclinationem appetitus sensitiui, & supra efficaciam naturalis voluntatis. Nam appetitus sensitiuus naturaliter mouetur præsentato obiecto sibi conueniente, vel disconueniente, voluntas autem non potest semper præuenire, ne obiectum occurrat sensibus, & postquam offertur non potest ipsa mouere, vel continere appetitum, nisi priùs ab intellectu moueatur, cùm autem intellectus per sensus excitetur, priùs etiam immutatio sensus, & appetitus præcedit: ergo non est semper in potestate naturali voluntatis humanæ, sicut dixit August. quin visis tangatur. Et similiter non est tanta efficacia naturalis voluntatis in appetitum, vt possit omnem eius motum cohibere, quandiu obiectum eius, vel illius cognitio non remouetur, quia ipse appetitus non obedit voluntati despoticè, vt ait Aristot. seu seruiliter, sed ciuili, & politico modo media cognitione, seu phantasia, quam non semper potest corrigere voluntas per solam naturalem efficaciam.

11. *Responsio generalis illam pacem fieri per donum superadditũ naturæ.*

Propter hæc conueniunt Theologi, ad hunc effectum necessarium fuisse aliquod peculiare donum humanæ naturæ additum: quid verò, vel quale fuerit, variè, & obscurè explicant. Nam Durand. in 2. d. 29. q. 2. sentit, hoc factum esse per donum infusum appetitui sensitiuo, quo omnino ad vnum determinabatur, sentitque fuisse distinctum à virtutibus quatenus in appetitu sensitiuo esse possunt. In quo tamen non satis definitè loquitur, nam sub disiunctione ait, tale donum includere alias virtutes formaliter, vel virtualiter. Et hanc partem videtur sequi Molina in tract. de oper. sex dier. disp. 27. è cõtrario verò Scot. eadem d. 29. sentit, illum effectum factũ esse per habitum voluntati infusum sine dono appetitus sensitiui, quãuis censeãt probabile, etiam in appetitu fuisse huiusmodi donũ, vt vterq; appetitus posset modo præternaturali operari. Voluntas quidẽ efficaciùs imperando, & cum maiori delectatione volendo honestum, quàm naturaliter possit, & appetitus delectabiliùs obediendo voluntati, etiam à propria sensibili delectatione sine repugnantia, abstinendo: qui modus operandi nõ est illi conueniens ex sola naturali subordinatione ad voluntatẽ. At verò Caiet. 1. 2. a. 2. priùs dicit, hoc donũ vltra purè naturalia addidisse vigorem rationis, seu superioris partis animæ ad conseruandũ statum rationi in nullo dissonum, quẽ vigorem dicit resultare ex coniunctione ad iustitiam originalem, quanuis non addat per se aliquid distinctum ab ipsa. Sicut cogitatiua est perfectior in homine ex cõiunctione ad animam rationalẽ sine aliqua re illi addita.

De quidditate talis doni quid Durã. sentiat.

Accedit Molina.

Quid verò sentiat Scot.

Quid denique Caiet.

12. *Impugnatur Durandus.*

Sed hæc omnia mihi satis obscura sunt, & non satis faciunt. Primò, quia per habitus non potest appetitus sensitiuus determinari ad vnum, vt dicebat Durandus, quia non obstante quocunque habitu manet in appetitu inclinatio naturalis ad obiectum, seu bonum contrarium obiecto talis habitus: manet etiam virtus ad eliciendum actum circa tale obiectum: & habitus non potest impedire, ne obiectum illud occurrat phantasiæ, vel ne oblatum moueat appetitum: ergo non potest habitus solus ita determinare appetitum ad vnum obiectũ, vt omnino illum impediat, ne cõtrarium appetere possit, si illi repræsentetur. Nam cùm appetitus naturaliter moueatur, non potuit per habitum cõtineri, ne in obiectum sibi propositum feratur. Atque hæc ratio magis procedit contra Scotum, si in sola voluntate hoc donum constituat, quia habitus voluntati infusus multo minùs poterit appetitum continere. Et ideo ipse consequenter loquendo in dicta sententia, admittit in appetitu sensitiuo aliquos motus rationi repugnantes, etiam in illo primò statu. Veruntamen si hoc intelligatur de motibus repugnantibus virtuti, & honestati, vt nunc loquimur, non est probabile, nec tolerabile, vt ex probationibus assertionis nostræ manifestum est. Deinde licèt simul cum habitu appetitus sensitiui ponatur habitus voluntatis, procedit ratio facta, quia etiam habitus voluntatis non minuit inclinationem, vel actiuitatem appetitus sensitiui, nec mutat naturalem modum operandi eius, nec impedire potest, quominus ab obiecto occurrente phantasiæ præmoueatur. Neque etiam potest dare tantam efficaciam voluntati, vt necessitate contineat appetitum, ne præsente obiecto moueatur, neque etiam vt apprehensionẽ, vel cogitationem obiecti omnino cohibeat, quia possunt occurrere plures causæ excitantes phantasmata, quæ voluntati humanæ non obediant. Ergo per huiusmodi habitus non satis hoc donum explicatur.

Iid Scotus.

Atque hi discursus eandem difficultatem ingerunt circa vigorem rationis, de quo Caiet. loquitur. Præterquam quòd in illo dicendi modo obscurum est, quid sit ille vigor rationis, quia non est actus, vt per se constat, alioqui non esset quid permanens, & de se perpetuò inhærens. Itemque de illo actu inquirendum esset ex quo habitu, vel efficacia procedat. Si verò est habitus, procedunt difficultates positæ. Et præterea fine causa negatur, quòd sit pars originalis iustitiæ, vt Caietan. negat. Nam quod ait, inferius perfici per coniunctionem ad superius, verum habet, quando, vel superior gradus actu influit in inferiorem, vel ab illo manat cum maiori perfectione, vt in exemplis, quæ adducit vegetatiuum coniunctum sensitiuo est perfectius, quia potentiæ ipsæ vegetatiuæ manentes ab anima, quæ simul est vegetatiua, & sensitiua, perfectiores sunt, & cum proportione idem est de sensitiuo coniuncto rationali. In præsenti autem ratio ipsa non fit in sua enitate perfectior per coniunctionem ad iustitiam originalem, ergo oportet, vt ille vigor sit per aliquid additum rationi, & hoc inquirimus, quid sit.

Vt. Attendam Caietanum.

14. *Notatio quatuplicis modi frænandi appetitum sensitiuum à voluntate.*

Vt ergo aliquo modo hoc donum, & causam adæquatam huius effectus explicẽ, aduerto quatuor modis intelligi posse appetitum sensitiuum fuisse cohibitum, & frænatum, ne suis motibus voluntatem præueniret, & ita subiectum, vt sine vlla tristitia, vel repugnantia illa obediret. Primo per intrinsecam mutationem ipsiusmet facultatis, nam addendo illi aliquam formam, sed ipsammet simplicem entitatem immutando in sua propria entitate, vel modo eius, qui dicendi modus sumi potest ex Corduba lib. 1. q. 45. punct. 2. opin. 2. & punct. 1. opin. 3. Secundò per additionem alicuius habitus, seu formæ existentis in appetitu per modum actus primi. Tertiò per solam extrinsecam Dei prouidentiam, remouendo, scilicet, omnia quæ appetitum ad hos motus possent excitare, vel negando illi concursum, ne in illos prosiliret, aut efficaciùs illum mouendo, quãdo necessarium esset, vt voluntati ad nutum obediret. Quartò per aliquos habitus simul cum diuina manutenentia, & productione. Atque similes modi cogitari possunt ex parte voluntatis, & rationis, vt & in ipsa voluntate quoad portionem eius inferiorem tales motus non insurgerent, sed ad obediendum rationi esset promptissima: & ad mouendum appetitum ad actus bonos, & ad eum in malis cohibendum maiorem, quam nunc efficacita-

Primò.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

tacitatem haberet. Et simili modo intelligi possunt omnes ij modi, vel ita vt in vtroque appetitu fuerint necessarij, vel in altero tantùm sufficientes fuerint.

Ex his ergo modis primus est planè impossibilis, quia tam appetitus, quàm intellectus, & voluntas fuerunt eiusdem rationis & perfectionis essentialis in primo homine, ac in alijs, imò in illo exdē numero facultates: & eiusdem perfectionis individualis fuerunt ante, & post peccatum. Item potentiæ istæ in entitatibus suis indiuisibiles sunt, vnde magis, vel minus non recipiunt secundùm intensionem, aut remissionem, nec etiam secundùm alium intrinsecum modum in suis simplicibus entitatibus immutari possunt, qui cum fundamento cogitari, aut intelligi possit: ergo omnino repugnat augeri, vel minui in his potentijs, sine additione alicuius formæ vel entitatis, naturales inclinationes, quas ad suos actus, vel obiecta habent, vel subordinationem inter ipsas, nimirū augēdo efficaciam vnius in aliam, vel subiectionē alterius ad alteram. Ac proinde prior ille modus & concipi nō potest, & repugnantiam inuoluit, considerata naturali proprietate, & entitate talium facultatum.

Secundum etiam modum reputo insufficientem, & quoad hoc impossibilem, vt appetitus per solos habitus potuerit infallibiliter, & necessariò contineri, ne in illo huiusmodi motus insurgerēt. Hoc enim rationes factæ mihi probare videntur, vt de extinctione fomitis in B. Virgine dixi in 2. tom. 3. partis disp. 4. sect. 5. Dicunt verò aliqui, etsi soli habitus in actu primo existentes non sufficiant ad omnes hos motus cohibendos, nihilominus potuisse habere actū, vel actus perfectissimos, qui ad hunc effectum sufficerent. Sic enim Scot. suprà dicit, voluntatē primi hominis per habitum iustitiæ sibi infusum Deo adhæsisse, & cum tanta delectatione vt impediret, ne motus cōcupiscentiæ insurgerent. Sed hoc etiā non sufficit. Primò, quia impotentia appetitus Adami ad insurgendū contra rationem, erat perpetua, & independens (vt ita dicam) à libertate totius Adæ, quandiu mortaliter non peccaret: actus verò illius habitus, siue esset amor Dei, siue alius similis, non erat perpetuus, imò erat liber: ergo non poterat esse propria, & adæquata causa illius perfectæ subiectionis: nam cessante Adamo ab illo actu, etiam tunc non poterant isti inordinati motus insurgere. Secundò, quia licèt durante illo actu multùm dicti motus cohiberentur, non tamen per se sufficeret ad reddendum appetitum incapacem talis motus per causas naturales, & obiecta vehementer excitantia, quæ nō obstāte tali actu occurrere possent. Nam experientia docet etiam in actuali contemplatione, & dilectione Dei insurgere interdū hos motus: ergo etiam tunc posset idem accidere, nisi alia fortior causa obstitisset. Præsertim si dæmonis tentatio accederet, qui posset humores corporis mouere, & obiecta excitantia appetitum vehementer applicare, & ita non tantùm suasione, sed etiam delectatione, seu cōcupiscentia hominem tentare, quia sola cōtemplatio, vel operatio voluntatis nō posset hoc impedire. At verò quælibet huiusmodi perturbatio erat contraria illi statui, & per hoc donum excludebatur: ergo nullus habitus etiam cum actu suo potuit esse causa sufficiens, & adæquata illius effectus.

Tertius modus fuit quidem possibilis, sed imperfectus, & ideo verisimile non est, illo tantùm modo collatum fuisse primo homini huiusmodi donū. Prima pars est manifesta, quia potuit Deus partim negādo concursum ad oēs hos motus, partim prouidendo, ne obiecta perturbantia, hanc animi pacem, & tranquillitatem occurrerent, partim applicando, & excitando rationem, & voluntatem, atque etiam phantasiam, partim per alios occultos modos prouidentiæ suæ hanc subordinationem appetituum illæsam conseruare. Altera verò pars de imperfectione huius modi probatur, quia prouidentia Dei extrinseca poterat quidem tollere extrinseca impedimēta, vel excitare rationem in singulis occasionibus, tamen sola non poterat intrinsecus disponere potentias ad perfectè operandum circa talia obiecta, siue superiores ad imperandum, siue inferiores ad obediendum. Ad perfectum autem modum operandi spectat, vt proximum agens sit intrinsece dispositum ad illam operationem, ad quam rectè faciendam à primo agente ordinatur, & mouetur. Ergo cùm Dei opera sint perfecta, non est verisimile per solam extrinsecam prouidentiā hoc donum primis hominibus contulisse. *Esset tamen imperfectus*

Superest ergo, vt quartus modus verus sit, nimirum partim per intrinsecos habitus, & actus, partim per specialem Dei prouidentiam, & protectionem hoc donum in primo statu collatum hominibus fuisse. Hæc pars concluditur ex dictis à sufficienti partium enumeratione. Et à simili cōprobari potest ex iis, quæ in citato loco de beata Virgine diximus. Præterea sumi potest etiam à simili ex D. Thom. 1. p. q. 94. a. 4. ad 5. vbi similiter ait, hominem in illo statu ab omni errore præseruatum fuisse, partim per internam scientiam, & prudentiam, partim *quia ei diuinitus subuentum fuisset*. Et similiter q. 97. art. 2. ad 4. dicit, potuisse hominem tunc præseruari à morte, partim propria ratione, partim diuina prouidentia: ergo idem in præsenti dici debet, est enim eadem vel maior ratio. Indicatur etiam ab August. 14. de Ciuit. c. 19. quatenus ait, eas partes animæ, quæ à nobis vitiosæ, seu inordinatæ sunt, non ita fuisse in Paradiso ante peccatum. *Non enim* ait, *contra rectam voluntatem ad aliquid mouebantur, vnde necesse esset eas ratione tanquā frenis regentibus adstinere. Nam quod nunc ita mouentur, & ab his, qui temperanter, iuste, & pie viuunt, alias facilius alias difficilius, tam in cohibendo, & refrænando modificantur, non est vtiq; sanitas ex natura, sed languor ex culpa.* In quibus verbis satis indicat, illam sanitatem fuisse per internam perfectionem, & virtutem, quæ facilitatem, & delectionem in illo modo operandi præstabat. Diuinam autem protectionem ibi non tam expressè declarat: hæc autem tam est familiaris August. vbicunq; de his diuinis beneficijs tractat, vt eam tanquam manifestam supponere videatur. Vnde nec nobis aliquid de ea parte dicendum superest. 18. *Pro 4. modo statuitur 2. assertio bipartita. Ostenditur prima pars posterior.*

Circa alteram verò partem de intrinseco dono deliderari potest, vt explicem⁹, quid illud fuerit. In quo breuiter dicimus in primis, non fuisse vnum tantùm simplicem habitū, vt Scot. Durand. & alij loquentes de Iustitia originali, indicare videntur. Probatur, quia hæc perfectio in multis potentijs requirebatur: in ratione ad considerandū, & iudicandum, seu imperandū conuenienter: in volūtate ad sequendam rectam rationē delectabiliter, & ad mouendū appetitum fortiter, & in ipso appetitu ad obediendum promptè: sed vnus simplex habitus nō poterat has oēs potentias intrinsecè perficere: ergo non fuit vnus tantùm habitus. Et confirmatur hæc ratio, quia, vt rectè dixit D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 2. quando actus pendet à pluribus actiuis principijs, ad perfectionem eius requiritur, vt omnia illa principia actiua sint perfectè dispositā. Hæc autem dispositio ad bene agendum in potentijs animæ quæ respiciunt obiecta, est habitus: ergo, cùm hæc perfectio, de qua tractamus, ex pluribus animæ potētijs pendeat, in ōnibus illis rectā dispositionē habitualē postulabat, ac proinde plures habitus saltē ex parte potētiarum includebat. 19. *Ostenditur pars prior. Confirm ex D. Thom.*

Addimus

20. 3. assertio. Probatur in primis vniuersim.

Addimus verò vlteriùs, etiam in singulis potentijs nõ fuisse sufficientem vnum habitum, sed plures in singulis concurrisse ad hunc effectum. Declaratur in primis, quia hæc bona compositio, & rectitudo potentiarum hominis versabatur circa totam materiam moralem, tam ad omnes animæ passiones, quàm ad proximum, vel Deum pertinentem, ad hoc autem non sufficiebat vnus solus habitus in vnaquaque potentia. Deinde declaratur per singulas, nam in intellectu requirebatur in primis prudentia, sine qua nihil ordinatè fieri potest: prudentia autem supponit moralem scientiam vt perfecta sit, & ad hanc non parum confert scientia naturalis, quæ sæpe necessaria est ad rectè iudicandum de agendis etiam in ordine ad bonos mores. Potest etiam esse valde vtilis ad moderatum vsum rerum corporalium, & ad vtendum medijs ad moderandum effectus accommodatis.

Deinde specialim de intellectu.

Deinde de voluntate

Similiter in voluntate perfecta dispositio virtutis, tam in materia religionis, & iustitiæ, quàm in materia fortitudinis, & temperantiæ, quatenus in voluntate esse possunt, necessaria erat, vt & ipsa esset perfectè inclinata ad honestatem in tota illa materia, & facilè mobilis à recta ratione, & simul esset fortis ad continendum appetitum. Hæc autem dispositio voluntatis non fit per vnum simplicem habitum, vt constat.

Deinde de appetitu.

Eademque ratio est de appetitu sensitiuo quatenus est capax similium habituum, qui augendo inclinationẽ eius ad obediendum rationi in omnibus materijs, quæ ad ipsum pertinent, passiones moderantur suo modo formaliter, quantum per habitum fieri potest. Nimirum in actu primo dando appetitui facilitatẽ & promptitudinem obediendi, quando à superiori imperatur. Non tamen omnino impediendo, ne præmoueatur, nam ad hunc effectum diximus specialem Dei prouidentiam fuisse necessariam.

21. Corollarium ex dictis.

Vnde colligimus, omnes virtutes voluntatis, & appetitus, quas in Adamo esse diximus, ad hoc donum complendum cõcurrisse, vel per ipsos habitus formaliter, si hanc rectitudinem quasi in actu primo conderemus, vel effectiuè per suos actus, illos frequẽtius, & perfectiùs exercendo. Qui frequẽs vsus multùm iuuare poterat, vt alijs motibus inordinatis, & præuenientibus rationem, non daretur locus. Et ad hoc etiam multùm iuuare poterat diuina contemplatio, & feruens amor, quandiu durabat, quia anima valde intenta superioribus, & spiritualibus rebus vix potest ad sensibilia simul attendere, nisi fortè aliqua extrinseca causa vehementer moueat: illa tamen in illo statu per diuinam protectionem remoueretur, quandiu homo suis internis donis rectè vteretur.

1. Quæstiunculæ circa proxime dicta. Secunda

Interrogabit autem aliquis, an hæc necessitas virtutum ad hunc effectum intelligenda sit de virtutibus ordinis naturalis, & per accidens infusis, vel etiam de supernaturalibus, & per se infusis. Item interrogari potest, vtrùm præter omnes virtutes tam per se, quàm per accidens infusas, aliquis alius habitus animæ infusus ad hunc effectum necessarius esset, vel saltem vt vtilis, seu adiuuans de facto infunderetur. Denique interrogari potest, an hoc donum naturale, vel supernaturale fit.

Tertia

22. Notatio. 1. pronunc positis quæstiunculis.

Ad respondendum his interrogationibus suppono, hominem potuisse creari vel in ordine ad finem vltimum naturalem tantùm, vel ordinari etiam ad supernaturalem, & ita potuisse institui cum solis præceptis naturalibus, & naturali rectitudine, ac perfecta subordinatione potentiarum in ordine ad eundem finem, & ad cauendum omnem defectum ab hac rectitudine naturali deuiantem: vel potuisse habere simul adiuncta supernaturalia præcepta, & rectitudinem proportionatam supernaturali fini. Qui duo status ita inter se comparantur, vt de posibili, & absolutè loquendo potuerit homo habere priorem statum sine posteriori, quanuis non è contrario, quia gratia supponit naturam, vt fundamentum suum: natura autem tanquam prior potest manere sine posteriori, id est, sine perfectione, & ordine gratiæ. Nihilominus tamen de facto nunquam fuit vnus status ab alio separatus, quia homo ex primaria Dei intentione propter finem supernaturalẽ conditus est, vt suppono, & doctrina de Beatitudine, & Gratia, & infra etiam dicetur.

Vide prolog. 4. de gratia 22.

Deinde aduerto naturale, & supernaturale duobus modis posse accipi in præsenti. Nam dici potest donum supernaturale illud, quod eleuat hominem ad supernaturalem finem, & ad aliquid operandum, quod super totum ordinem naturæ sit, & solis naturalibus viribus fieri nõ possit. Vnde per distinctionem, & oppositionem ad huiusmodi supernaturale donũ naturale dicetur, quicquid perficit naturã tantùm in ordine ad finem, & rectitudinem naturalem. Veruntamen naturale donum tam latè sumptum subdistingui debet, nam aliquod est donum perficiens naturam in ordine suo, quod illi debitum est tanquam aliquo modo consequens naturam, vt sunt naturales potentiæ, & actus, seu concursus ad illos, & habitus, vt per actus comparantur, & siquid aliud huiusmodi est. Aliud verò esse potest donum perficiens quidem naturam in ordine suo, non tamen consequens illam, nec illi debitum, vt sunt scientiæ per accidens infusæ, & extraordinarium adiutorium ad cauendam omnem naturalem deceptionem, aut veniale peccatum, vel fomitem, aut corporis passiones, &c.

Notatio ad. 2.

Ad 1. quæstiunculam n. 21.

His positis ad primam interrogationem respõdeo, ad huiusmodi effectum, seu donum necessarias in primis fuisse virtutes ex suo genere acquisitas, seu per accidens infusas, quia istæ sunt, quæ ad naturalem rectitudinem, & perfectam subordinationem potentiarum in primis iuuare possunt, & de ijs maximè procedunt rationes factæ num. 20. pro 3. assertione. Vnde si hæc subordinatio, & perfectio danda fuisset homini solùm infrà ordinem naturæ, & in ordine ad naturalem finẽ, sufficerent huiusmodi habitus, seu virtutes per accidens infusæ, vt per se patet. Quia perfectio naturalis per se non pendet ex donis ordinis supernaturalis, nec virtutes per se infusæ passiones formaliter moderantur, nec voluntatem, aut appetitum ad obediendum rationi naturali per se, & immediatè inclinant. Quia verò homo simul creatus est ad finem supernaturalem, & propter illum maximè perficiebatur, ideo necessariæ etiam fuerunt virtutes infusæ tam intellectui, quàm voluntati, vt anima etiam in illo ordine esset perfecta, & intrinsecè potens, ac facilis ad rectitudinem illius ordinis seruandam. Vnde etiam factũ est, vt hæc dona per se infusa consequenter etiam multum iuuarent per actus suos ad ipsammet rectitudinem naturalem obseruandam. Sicut fides iuuat ipsum naturale lumen intellectus, & charitas coniungendo altiori modo voluntatem Deo, eam consequenter ad omne bonum honestum etiam naturale inclinat, & mouet, & similiter spes æternæ beatitudinis retrahit ab omni malo, quod illam possit impedire. Ac denique cùm anima vtendo his donis maximè coniungatur Deo, consequenter abstrahitur appetitus à sensibilibus, & optimè disponitur, vt facilius possit ab omnibus inordinatis motibus præseruari. Fuerunt ergo hæc dona supernaturalia valde vtilia ad huiusmodi effectum præstandum etiam in ordine naturali.

Ad secundam interrogationem respondebimus latiùs infrà, tractando de iustitia originali, quia

quia ex cognitione illius, eius resolutio pendet. Nunc ergo breuiter assero, nullum habitum fuisse necessarium ad hanc subordinationem potentiarum præter habitus operatiuos virtutum moralium, & intellectualium. Probatur, quia vel talis habitus esset infusus in essentia animæ, vel in potentijs. Primum dici non potest. Tum quia in essentia animæ nullus habitus præter gratiam fuit in primis hominibus, vt infrà ostendemus. Tum etiam, quia hoc donum dabatur ad componendã diuisionem quandam, & repugnantiam, quæ naturaliter resultat in homine ex corporis, & animi compositione: hæc autem repugnantia non est in essentia animæ, quæ simplicissima est, sed in potentijs: ergo habitus in essentia animæ per se non erat vtilis, nedum necessarius ad hunc effectum. Tum denique quia nec formaliter nec effectiuè posset ad illum effectum iuuare. Secundum etiam dici non potest, quia virtutes omnes simul sumptæ perficiunt potentias in omni materia virtutis, in qua hæc rectitudo, & subordinatio seruanda est: ergo præter habitus virtutum nullus alius fuit necessarius. Imo ratio, quantum per discursum assequi possumus, videtur probare, non esse possibilem talem habitum. Et confirmatur, quia nec in anima Christi Domini, neque in B. Virgine aliquis posuit talem habitum, cum tamen illam integritatem, & rectitudinem potentiarum, & carentiam omnis inordinati motus, multo profectius, quam primi homines habuerint.

Ad tertiam interrogationem respondeo, si hoc donum consideretur quatenus tantum perficit naturam in ordine ad finem, & rectitudinem naturalem, prout inueniri possit in homine creato solum ad finem naturalem, sic donum illud posset dici aliquo modo naturale, id est, non perficiens naturam ad aliquid supernaturale, quòd aliàs diffolet naturale in substantia, seu entitate. Quomodo D. Thom. 1. 2. q. 85. a. 1. vocat iustitiam originalem donum naturæ. Quamuis etiam ita illam appellet, quia pro tota natura data est. Nihilominus tamen tale donum non potest dici naturale, tanquam naturæ debitum, & ideo recte dici potest supernaturale quoad modum. Quod contra quosdam modernos latius in materia de Gratia disputamus. Et ideo nunc plura non dicimus. At vero loquendo de hoc dono prout de facto datũ est in ordine ad vtrunque finem, & ad vtranq; rectitudinem naturalem, & supernaturalem, sic supernaturale simpliciter erat quoad substantiam, & modum, vt ex dictis manifestum est, quia virtutes etiam per se infusas includebat.

Vltimò ex dictis resoluta manet quæstio, quam tractat D. Thom. an in primo homine fuerint passiones animæ. Nomine enim passionis significari solent actus appetitus sensitiui quatenus cum aliqua corporis commotione fieri solent. Et in hac significatione absolutè loquendo, & indefinitè incertum est, huiusmodi passiones habere potuisse. Probatur, quia habuit appetitum sensitiuum, est enim naturalis potentia animæ, & ad perfectum statum naturalem hominis necessaria, ergo etiam habuit actus eius, & modo connaturali quoad aliquem corporis motum, nam in his omnib. nulla imperfectio illi statui repugnans necessario includitur. Vnde passiones hoc modo sumptæ etiam in Christo, & in Virgine fuerunt. Dixi autem *indefinitè*, quia non est necesse vt omnes actus appetitus sensitiui in eo statu locum habuerint, nam aliqui inuoluunt imperfectionem illi statui repugnantẽ.

Vnde D. Thom. in dicto a. 2. distinguit inter passiones, quæ inter bonum, & malum, vel circa præsens, aut futurum versantur. Et generaliter ait, passiones circa malum ibi non fuisse, huiusmodi sunt tristitia, vel dolor, quæ supponunt malum præsens, quod in eo statu nullum erat, vt dictum est, & tradit Augustinus 14. de Ciuit. cap. 10. Et confirmatur, quia omnes isti actus pertinent ad huius vitæ pœnalitates, istæ autem ex peccato originem habuerunt, vt Concilia, & Patres supra citati docent, & paulo post tractando de immortalitate illius status ostendemus. Et ibi etiam modum, quo huiusmodi mala in eo statu vitarentur, declarabimus, & Scoto respondebimus, qui in 2. distinct. 29. oppositum sentire videtur. Et hinc infertur etiam timorem sensibilem ab illo statu abfuisse, quia nullum erat periculum alicuius imminentis mali corporalis, neque aliquid huiusmodi tanquam possibiliter futurum apprehendebatur. Et ita etiam docuit D. Thomas. De odio autem nihil dicit, non videtur autem repugnare illi statui actus odij saltem abominationis, seu consequentis ad amorem concupiscentiæ alicuius boni sensibilis, quia tale odium nullam imperfectionem supponit, quia non est de malo vt præsenti, vel futuro, sed absolutè, & secundum se spectato. Vt, v. g. sicut poterat Adam amare vitam, ita & mortem odio habere, quia eadem est vtriusque ratio, imo tale odium mali, est virtualis amor contrarij boni. Ira autem & desperatio illi statui repugnabant, eadem ratione, qua tristitia, vel timor.

29 *De quibus vero protestandas.*

At vero in passionibus, quæ versantur circa bonum, amor, & delectatio non solum in eo statu esse poterant, sed etiam erant illi maximè consentaneæ, & ad eius perfectionem necessariæ, quia sine amore, vel voluptate nullum bonum potest esse perfectum. Fuissent autem isti affectus in illo statu solum circa obiecta naturæ conuenientia, & recta ratione regulata, quia, vt dictum est, omnia essent in illo statu ordinatissima. Similiter admittit D. Thom. in illo statu eas passiones, quæ circa bonum absens vt futurum versantur, vt sunt desiderium, & spes, quia in illo statu non essent omnia bona corporalia præsentia, & discursu temporis comparari possent, & ideo aliqua desiderari, vel sperari possent, cum moderatione tamen, quia nec desiderium posset transire in concupiscentiam æstuantem, neque spes ita differretur, vt animam affligeret. Et sic de cæteris iudicandum est.

30 *Vltima assertio in acceptione altera non fuisse passiones in Adamo innocente.*

Alio vero modo solent isti actus quasi per antonomasiam vocari passiones, quatenus in nobis rationem præueniunt, & hoc modo satis ex dictis constat prædictos actus non habuisse in Adamo statum passionum, sed propassionum, iuxta modum loquendi Hieronymi Epist. 22. ad Eustoch. de quo videri possunt dicta in tom. 3. tertiæ partis disp. 34. sect. 1. in fin. & hæc doctrina applicari potest ad similes actus prout esse in voluntate, & circa bona, & mala spiritualia versari possunt. Nam posset ibi esse amor Dei, & odium peccati, & desiderium beatitudinis, & spes eius: timor autem peccati esse posset quo ad simplicem fugam peccati, non tamen quoad solicitudinem, & anxietatem animi, quia non apprehenderetur vt malum imminens, sed tantum possibile, quod facile vitari posset, & sic de cæteris.

CAPVT XIII.

Vtrum in statu innocentiæ potuerint homines peccare, simul in eodem statu perseuerando.

1 *Duplex quæstionis sensus.*

DVplex modis intelligi potest, primum hominem in primo statu potuisse peccare vno modo in sensu diuiso, vt aiunt, id est, amittendo statum illum felicem si peccaret, alio modo in sensu composito, id est, perseuerando in illo statu etiam committendo aliquam culpam, quæ ipsum ab

Resolutio veritis.

illo statu felici non deijceret. De priori sensu nulla est quæstio, nam de fide certum est, potuisse hominem perdere illum statum peccando, nam de facto ita deliquit, & statum amisit, vt constat ex Gen. 3. & alijs frequentibus Scripturæ locis, & ex definitionibus Conciliorum, præsertim Mileuit. Arausic. & Tridentin. sessio. 5. vt infra latiùs videbimus.

Posterior sensus tractandus subdiuidit.

In secundo igitur sensu mouetur quæstio, potestque de peccato mortali, & de veniali tractari: & de vtroque possunt duo inquiri, vnum est, an aliquod tale peccatum posset committi, & an si committeretur, per tale peccatum status ille amitteretur.

2.

1 Punctum, an mortale aliud ab eju ligni vetiti potuerit Adam committere.

Circa peccatum ergo mortale, quamuis de fide sit, vt dixi, potuisse homines peccare comedendo de ligno vetito, & per illud peccatum iustitiam, & statum amittere. Nihilominus dubitari potest, an potuerint alia peccata mortalia committere, & an illa committendo statum amitterent. Sed de priori puncto nulla est controuersia, omnes enim fatentur, potuisse primum hominē alijs modis peccare mortaliter, etiamsi de ligno vetito non comederent.

Assertio 1. communis affirm.

Probatur 1. ratione.

Probatur, quia fuit simpliciter liber ad peccandum, vt effectus probauit, nec legimus, fuisse determinatam eius voluntatem ad bonum, vel quoad exercitium, vel quoad specificationē, magis in vna materia, quàm in alia: ergo cùm talis determinatio nō sit homini naturalis, nec possit, nisi ex singulari gratia Dei haberi, non potest cum fundamento affirmari.

Et authoritate Eccles. 15.

Præsertim cùm Eccl. 15. absolutè dicatur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.* Et infra: *Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam, ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Per quæ verba explicatur libertas, etiam prout fuit in prima conditione in ipso Adamo: ergo non possumus dicere, in illo statu fuisse priuilegium quasi stabili lege concessum, vt homo nō fineretur peccare mortaliter in alijs materijs, quandiu præceptum de non comedendo de ligno vetito non transgrederetur: ergo simpliciter potuit tunc homo peccare mortaliter in quacunq; materia.

Confirm. 1.

Accedit, quòd non magis erat necessaria ad perfectionem illius status, vel illi debita impeccabilitas in vna materia, quàm in alia. Neque etiam solet Deus nisi fortè per valde extraordinarium priuilegium confirmare hominem in bono in materia vnius virtutis, & non aliarum.

Confirm 2.

Denique de facto constat ante transgressionem illius præcepti positiui peccasse primos homines saltem in mente, contra alia præcepta, & virtutes, vt infra videbimus: neq; in hoc est aliqua difficultas.

3.

2. Punctum, an per tale aliquod mortale, amitteret statum suum.

Nonnulla verò superest in altero puncto, scilicet, an per quodcunque mortale peccatum amitteretur ille status quoad internam hominis rectitudinem, & bonam compositionem, quam explicuimus. Aliqui enim Theologi negarunt, amitti iustitiam originalē per alia peccata, etiamsi amitteretur gratia: iustitia enim originalis aliam rectitudinem includit. Ita opinatur Abulens. Gen. 3. q. 6. & 7. & Cather. ibid. Fundantur primò, quia de facto putant, Euam peccasse per superbiam, vel alijs modis antequam comederet de ligno vetito, & tamen non amisisse originalem iustitiam donec comedit: quod probant, quia antequam comederet, non erubuit, nec sensit defectum originalis iustitiæ. Quod si instetur inde sequi, Euam non amisisse iustitiam, donec Adam comedit, quia antea etiam non erubuit. Respondent concedendo sequelam. Putatq; Cather. in Opusc. de peccat. Orig. legem Dei fuisse, vt illa iustitia in nulla persona, etiamsi peccaret, amitteretur, quandiu Adam tanquam caput totius generis humani non peccaret comedendo de ligno vetito. Quam legem ex illo tantùm effectu colligere videtur. Ratione id declarant, quia illa rectitudo iustitiæ nō fiebat per gratiam gratum facientem, quia per se non eleuabat hominem ad finem supernaturalem, sed tantùm rectum ordinem in naturalibus constituebat. ergo quamuis per quodlibet peccatum amitteretur gratia, non erat necessarium amitti illam rectitudinem, vel iustitiam. Probatur consequentia: tum quia rectitudo illa erat veluti quædā gratia gratis data, quæ nō tollitur, etiamsi gratia gratū faciens amittatur: tum ēt quia naturalis rectitudo per se non pendet à supernaturali ordine: ergo pōt integra manere, licèt gratia amittatur: tū deniq; quia propter solum esum de ligno vetito Deus est mortem cōminatus, dicens: *In quacunq; ho a comederetis eo, morte moriemini*, Gē. 2. ergo propter alia peccata nō incurreretur mors: ergo nec iustitia amitteretur.

Quid concedat Cather. consequenter ad suam opinionem

2. Probatio

Assertio 2.

Probatur 1.

Probatur 2.

Probatur 3.

Probatur 4. ratione

Caiet. refellitur.

Sed omnino dicendum est, non potuisse rectitudinem illam simul esse cum aliquo peccato mortali, ac proinde quāuis in sensu diuiso potuerint homines in illo statu peccare mortaliter in quacunq; materia, nō tñ in sensu compositō, quia per quodcunq; mortale peccatum amitteretur rectitudo illius status. Hoc manifestè supponit D. Th. vbicūq; sentit, iustitiam originalem, vel esse idem cū gratia gratum faciente, vel rectitudinem eius in gratia fuisse fundatā, vt patet ex 1. p. q. 95. a. 1. & q. 100. a. 1. & 1. 2. q. 83. a. 2. ad 2. Quod sequitur Soto lib. de Nat. & grat. c. 5. & alij Thomistæ, qui fatem in hoc conueniunt, q̄ iustitia non poterat à gratia separari. Vnde cū certum sit, gratiam amitti per omne peccatum mortale, consequenter iustitiam etiam amitti necesse fuit. Hoc autē, quod hæc ratio supponit, scil. illam rectitudinem fuisse in gratia fundatam, infra tractabitur, & confirmabitur. Nunc probatur 2. nam etiamsi daremus, illam rectitudinem potuisse à gratia separari, imò de facto separatam fuisse, vt Bonau. Scot. & alij volunt: nihilominus non potuisset esse simul cum peccato mortali, quia omne peccatum mortale est contra rectitudinem rationis, & ideo repugnat cū rectitudine iustitiæ, q̄ in debito ordine rationis per subiectionem ad Deum vt vltimum finē fundabatur, ita vt inferior ratio esset subiecta superiori, quandiu superior esset subiecta Deo: ergo ablata subiectione superioris rationis ad Deū per quodlibet peccatū mortale, auferebatur fundamentū, & basis illius rectitudinis, & consequēter tota caderet, ac euerteretur. Tertio eo ipso, q̄ homo peccaret mortaliter, fieret reus æternæ mortis, & consequēter constitueretur in statu capaci pœnæ, ac doloris & mortis, quod repugnat rectitudini illius status.

Vltimò possumus argumētari torquendo argumentū ab effectu, nā Eua statim ac interiùs peccauit per superbiam, amisit originalē iustitiam: ergo signum est, per quodcūq; peccatū mortale admittendā fuisse. Consequentia est clara, & antecedens probatur ex Aug. l. 11. Gen. ad lit. c. 30. dicente, ideo statim fuisse deceptā, quia iā peccauerat: ergo per peccatū facta est capax deceptionis: ergo iā amiserat priuilegium rectitudinis iustitiæ, quæ hominē reddebat incapacē deceptionis, vt supra dixi. Neq; potest dici, amisisse iustitiam quoad hunc effectu, & non quoad alios, quia non est maior ratio de vno quàm de altero. Vnde non mihi placet, q̄ Caiet. d. q. 95. respondet ad argumentū de Eua, scil. illam peccando amisisse originalem iustitiam non totaliter, sed quoad aliquid: indicans amisisse illā quoad alios effectus, quāuis non amiserit quoad subordinationē fomitis, à qua prouenierat, vt non erubesceret. Non, inquā, hoc mihi placet, quia sine ratione, vel necessitate dictū est, imò est valde probabile, per illa verba Gen. 3. *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuq; delectabile* indicari aliquā deordinationem factā in portione sensitiua. Indicāt n. illa verba subrepti-

reptionem quandam, & inconstantiam in motu oculorum, & phantasiæ, imò & aliquem motum affectionis in appetitu ratione cuius fructus arboris pulcher, & delectabilis longe aliter, quam antea apparebat. Quod significauit Benedict. Pereir. l.5.vbi suprà, & latius docet in l.6. Gen. notans in illis verbis tria vitia, curiositatem, voluptatem, & vanitatem ex Rupert. l.9. de Trin. ca.9. & Bernard. in tract. de gradib. humil.

Absolutè ergo dicendum est, statim ac Eua interius mortaliter peccauit, totum priuilegium internæ rectitudinis, & integritatis naturæ, seu iustitiæ originalis amisisse. Non erubuisse autem, nec motum libidinis habuisse, antequam & ipsa, & maritus, de ligno vetito comederent, non ex speciali dono, aut priuilegio, sed ex defectu obiecti prouocantis, & ex nimia applicatione, & attentione ad aliquid aliud peragendum. Dico *ex parte obiecti defuisse occasionem erubescentiæ & libidinosi motus*, quia in primis seipsam non videbat, dum fructum arboris aspiciebat, sumebat, gustabat, & marito porrigebat. Et quamuis meritum necessario videret, quando cum illo loquebatur, fortasse ab illo etiam vt ab obiecto non prouocabatur, quia Adam nondum donum innocentiæ perdiderat, & probabile est per illud donum datum esse, non solum vt persona non posset ab alijs prouocari, sed etiam, vt nec alios prouocaret ad libidinosos motus. Hoc enim priuilegium beatissimæ Virgini datum esse, alibi cum sanctis Patribus docuimus: ideoque satis credibile est, idem fuisse datum hominibus in statu innocentiæ.

Deinde quanuis obiectum non omnino deesset, nihilominus impediri potuit eius excitatio ex magna attentione, & occupatione circa res alias. Nã in primis toto tempore tentationis serpentis vsq; ad esum de ligno vetito Eua tota erat cogitabunda circa diuinum præceptum, & comminationem & circa verba, & promissiones serpentis. Et postquam cœpit appetitum excellentiæ concipere, vehementer intendit ad considerandum fructum arboris, donec illum comedit. Deinde vero nimirum desiderauit, virum habere sui facti socium, & ideo solicita fuit ad quærendum, & persuadendũ maritum, nec illam solicitudinem remisit, donec effectum consequuta est: ideoq; otium non habuit vt ita dicam, erubescendi, aut libidinose concupiscendi. Et ob eandem fortasse rationem, non animaduertit ad alios effectus peccati, quos iam passa fuerat, quia illud tempus breue fuit, & illi non vacauit, quasi in suos internos actus, & effectus reflecti, vel certe licet illi essent effectus peccati, & priuationis iustitiæ, non poterat illos cognoscere sub ratione effectuum, quia non oportet, vt omnia priuilegia illius status prius cognosceret.

Et per hæc rationibus in contrarium satisfactũ est. Quia licet rectitudo illa, seu integritas naturæ non esset formaliter per gratiam gratum facientẽ, nihilominus in illa fundabatur. Et præterea formaliter repugnabat cum obliquitate peccati mortalis, & ideo non est comparabilis cum alijs gratijs gratis datis. Ad vltimum vero de pœna mortis in fine numeri 3. respondetur in primis, quod licet Deus solum dixerit, *In quacunque die comederis, morte morieris* non excludit reliqua, nec dixit tantum propter hanc causam morte morieris, sed quia illud tantum præceptum tunc sanciebat, ideo illius pœnam explicuit, vt grauitatem transgressionis simul explicaret: de alijs vero tacuit, quia de illis tunc non agebat. Ex paritate autem rationis, & grauitate cuiuscunque peccati mortalis intelligi potest idem dicendum esse de reliquis. Deinde vero addo, ibi specialiter Deum fuisse loquutum ad Adam, vt erat caput totius naturæ, & ita commissatum fuisse illi mortem, non tantum pro sua persona, sed etiam pro tota natura, & in hoc sensu pœnam illam fuisse propriam illius delicti comedendi de cibo vetito, nam propter alia peccata posset Adam mortem sibi mereri, non autem toti naturæ, sicut de amissione gratiæ, & iustitiæ in sequentibus dicetur.

Circa alteram partem de peccato veniali eadẽ duo puncta tractanda sunt, quæ mutato corpore expediemus, quia ita vtriusq; resolutio melius constabit. Primò ergo interrogamus, si primus homo in illo statu permitteretur peccare venialiter absque graui lapsu, (vt sine dubio fieri posset) an per tale peccatum amitteret iustitiam originalem, seu donum naturalis rectitudinis. Et ratio dubitandi esse potest, quia per tale peccatum nõ amitteretur gratia, alias non esset veniale, quia animam occideret, & de se æterna gloria priuaret: ergo nec amitteretur iustitia apud Deum: ergo nec naturalis rectitudo. Probatur hæc vltima consequentia, qa rectitudo illa tunc dabatur ratione iustitiæ originalis: ergo manente principali non amitteretur accessorium. Tum etiam, quia donum illud magnum bonum erat: ergo priuatio illius grauissima fuisset pœna: ergo non est verisimile peccatum veniale, quod leue est: dignum fuisse tanta pœna. Tum præterea, quia, vt dicebat Abulens. illud donum erat veluti quædam gratia gratis data, quæ per peccatum saltem veniale non amittitur. Tum deniq; quia iustitia originalis data est sub illa conditione, *In quacunq; die comederis ex eo, morte morieris*: ergo licet peccaretur venialiter, non auferretur ille status, quia non impleretur illa conditio. Et hanc partem tenet Scot. in 2. dist. 21. Et latius ibi defendit Herrera disp. 22.

9 *3. Punctum simile præcedenti an etiam amitteret Adam iustitiam orig. peccando venialiter tantum.* *Arguitur pro parte neg.* *Argumenti consequentia ostenditur quadruplicter.*

Nihilominus dicendum est, non potuisse statum originalis iustitiæ integrum permanere, si homo venialiter peccaret. Probatur, quia ipsummet peccatũ veniale formaliter est diminutio quædam illius status: ergo non posset cum eius integritate consistere. Antecedens probatur, qa rectitudo illi⁹ status in hoc consistebat, vt quandiu homo esset coniunctus Deo, vt vltimo fini, non deficeret circa media, quæ ad illum ducunt, sed peccatum veniale est defectus circa media ad verum vltimum finem conducentia, iuxta doctrinam D. Tho. 1.2. q. 88. a. 1. ergo ex se inducit defectum repugnantem illi statui, saltem quoad integritatem eius. Itẽ pertinebat ad rectum ordinem illius status, vt quandiu portio animæ superior esset Deo subiecta, omnia inferiora ei perfectè essent subdita; teste Aug. l.14. de Ciuit. c.26. Sed per veniale peccatum inferior rationis pars deficit à superiori, & illi aliqua ex parte reluctatur: ergo per tale peccatum necessario rectitudo illius status immutaretur. Tertiò immunitas ab omni pœna ad illius status felicitatem pertinebat, sed hæc per veniale peccatum amitteretur, quia per illud fit homo reus alicuius pœnæ: ergo.

10 *Assertio 3. in ordine, & affirmans.* *Probatur 1.* *Probatur 2.* *Tertiò.*

Respõdent aliqui hæc argumenta probare, peccatum veniale repugnare statui innocentiæ; quia innocentia dicit carentiam omnis culpæ, non tamen probare quod repugnet statui iustitiæ originalis. Veruntamen in peccato duo sunt, culpa, & pœna, seu pœnæ reatus, & ratione culpæ repugnat veniale peccatum perfectæ innocentiæ, ratione à pœnæ dicimus repugnare statui iustitiæ, nõ quoad statum gratiæ, sed naturæ, seu rectitudinis integritatem. Et hoc modo procedunt argumenta facta, quia quodlibet peccatum veniale inuertit iustitiæ ordinem, & de se subdit hominem alicui pœnæ, imò secundum rectam rationem est obiectum tristitiæ, & doloris: ergo repugnabat rectitudini illius status.

11 *Euasio quorundam.* *Refellitur.*

Est tamen circa hanc assertionem considerandum, statum illum non constitisse in aliquo particulari

12

ticulari effectu, vel perfectione actuali, vel habituali, sed in quadam collectione plurium bonorum constituentium quendam felicitatis modũ, & integram rectitudinem illius status. Duob. ergo modis potest intelligi statum illum amittendum, vel diminuendum fuisse si in illo venialiter peccaretur, primo in eo tantum, quòd formaliter, & intrinsece aduersatur peccatum veniale illi rectitudini. Secundo non solum in ea parte, sed etiam in alijs bonis illius status. Sic n.in qualibet perfectione, quæ in collectione, & conuenienti ordine pluriũ rerum consurgit, duplex modus diminutionis, aut corruptionis fieri potest. Vt patet in sanitate, nam potest amitti quodammodo, vel diminui, si in aliquo humore nimia alteratio fiat, vel si fiat in omnibus, & idem est de pulchritudine, & similibus. Ita ergo duplex immutatio in illo statu iustitiæ, vel integritatis naturæ intelligi potest.

Duo assertionis sensus.

De vno proceditur manifeste.

Rationes igitur factæ probant quidem, diminuẽdum fuisse illum statum per peccatum veniale priori modo, scilicet secundum quid, & auferendo particulam quandam integritatis, & perfectionis eius. Et in hoc sensu accipienda est assertio posita.

13

De altero non item. Id ostenditur facta inductione in iustificante gratia.

Item in virtutibus per accidens infusis vtriusque appetitus.

An vero per peccatum veniale amitterentur omnia alia priuilegia illius status, affirmare non possumus. Imo de aliquibus certum videtur non fuisse amittenda, de alijs autem res est incerta. Nã si ille status includebat gratiam, & habitus per se infusos, certum est, non fuisse excludendos per peccatum veniale, sicut nec nunc excluduntur. Item si includebat omnes habitus virtutum moralium per accidens infusarum, non est verisimile fuisse amittendos per peccatum veniale, quia de se non sunt incompossibiles cum peccato veniali, & ex se non possulat, vel meretur tale peccatum, vt Deus non conseruet huiusmodi habitus, quos semel infudit, nam illa conseruatio, suppositâ productione naturaliter debita est, quãdo forma cõtraria non inducitur. Vnde existimo etiã per graue peccatum non amisisse primum hominem huiusmodi habitus per accidens infusos voluntati, vel appetitui, sicut nec scientias amisit, nam hæ sunt perfectiones de se ita naturales, vt in homine lapso, & in peccato existente, & in puris etiam naturalibus esse possint: Deus autem non priuat his naturalibus bonis propter peccata secundum cõmunem legem. Præter hæc autem fuerunt in illo statu alia priuilegia, vt carentia fomitis: preseruatio ab omni errore, & donum cuiusdam immortalitatis, & impassibilitatis corporis, vt videbim. De huiusmodi ergo incertum est, an propter solũ veniale peccatum, si fieret, amittenda essent, quia ex vi solius rationis id affirmare non possumus, quia peccatum veniale de se non habet repugnantiam cum illis bonis, nec videtur ex se illorum priuationem mereri. Neq; etiam constat, huiusmodi legẽ fuisse à Deo statutam, imò probabilius est, nõ fuisse: quia ita est ille status institutus, vt in eo nõ esset illa lex necessaria, vel potius vt illius capax nõ fuerit, vt in vltimo puncto monstrabimus.

Item in scientia.

De alijs tãdem illius status priuilegijs non nullis non procedit satis certo assertio.

14

Ad rationes in num 9. quatenus proxime dictis obstare possent.

Atq; ita est facile rationes in contrarium soluere, nam illæ procedunt de amissione totius doni, quoad omnes effectus, & priuilegia eius, & sic fatemur, non fuisse amittendum per solum veniale peccatum, quia hoc omnes confirmationes ibi factæ sufficienter ostendunt. Nihilominus tamen non probant integritatem & rectitudinem illius status aliqua ex parte non fuisse immutandam, id est, vel tollendam, vel minuendam, veniali peccato intercedente, quia peccatum ipsum veniale & per se, ac formaliter illum rectum ordinem inuerteret, ratione suæ intrinsecę inordinationis: vel aliquam etiam pœnam illi statui repugnantem mereretur. Neq; obstat ratio ibi facta, quia si maneret iustitia, maneret etiam rectitudo naturalis, quia accessorium sequitur principale: nam contrarium huius ponitur in ipsa hypothesi, nimirũ, quod veniale peccatum committatur manente iustitia originali, saltem quoad reliqua. Vnde tũc consequenter dicendum esset, iustitiam illæsam perfectam rectitudinem, & integram contulisse, nihilominus tamen potuisse aliqua ex parte diminui. Atq; ita licet potissima pars illi⁹ iustitiæ esset vnio cum Deo, nihilomin⁹ potuisset ab illa separari aliqd accessoriũ, seu min⁹ principale, quia est qd posteri⁹, & separabile per humanam libertatẽ.

Videndum ergo superest, vtrum absolute fuerit possibile id, quod in illa hypothesi supponitur, vel potius aliquid repugnans in illa hypothetica quæstione inuoluatur: id est, an absolutè loquendo homo in dicto statu conditus, antequam peccatum aliquod committeret, posset venialiter peccare. Et in hoc sensu multi Theologi affirmantem partem docuerunt, sed non eodem modo. Nam duplex est peccatum veniale, vnum quod ex surreptione vocatur, quia ex imperfecta deliberatione per motum aliquem illam præuenientem cõmittitur, quomodo etiã in materia graui peccare venialiter contingit, aliud, q; cum perfecta deliberatione fit, & ideo solũ in materia leui locum habet.

15

Dubium an peccatum ante mortale.

Peccatum ex defectu deliberationis antecedentis.

Prima igitur opinio est, Adam potuisse vtroq; modo peccare venialiter. Ita tenet Scot. in 2.d.21. & sequitur Gabr. ibi d.22.q.1.a.3.dub.1. & Maior, ac Bacon. in d.21. Fundatur Scot. præcipue in hoc, quod peccatum veniale non est contra præceptũ sed contra consilium: potuit autem Adam nõ violando præcepta, nec deserendo vltimum finem aliqua facere, quæ vel non maximè expedirent, vel aliquo modo à fine retardarent, quod ad peccandum venialiter sufficit. Item poterat hoc facere vel plenaria libertate in materia leui, vt dicendo verbum otiosum, vel leue mendacium, aut in materia graui per surreptionem insurgentem saltem in voluntate, vt, v.g. per motum dubitationis indeliberatum circa materiam fidei. Secunda sententia admittit in illo statu peccatum veniale in materia leui cum plena deliberatione, quia hoc peccatum non supponit aliquem motum præuenientem contra rationem, sed seruato recto ordine in motione ex parte obiecti, & inferiorum potentiarum, ex vi solius libertatis potest committi. Et ideo in priori parte repugnat rectitudini illius status: posterior vero pars ex plena libertate sequitur quæ in illo etiam statu seruanda fuit. Ita tenuit Altisiod. l.2.sum.tract.10.c.3.q.4.principali, & Alm. tract.3.Moral.c.22. Tertia verò opinio vtrunque genus peccati negat fuisse possibile in illo statu. Hæc est sententia D.Tho.1.2.q.89.a.3. vbi est communis omnium scribentium, & Thomistarũ in alijs locis, Capreol. & Hispalen.2.d.21.Sot.l.1.de Natur. & Grat.c.6.in fin. Eandem tenuit Alb.2.d. 21.q.10.Alens.2.p.q.103.membr.6. & Bonau.in 2.d. 21.artic.3.q.1. & ibi Durand.quæst.4. Richard.art. 3.quæst.1.Marsil.in 2.q.14.artic.1.part.1. Ægid.eadem dist.21.q.2.art.3. & Argentina q.1. articul.1. & ibi fere omnes. Et hanc sententiam veram censemus, eamque per duas breues assertiones confirmabimus.

1. Opinio affirmans de peccato veniali ex defectu materiæ, & in genere materialiter facta ratione.

2. Affirmans de peccato veniali ex defectu materiæ, & in genere formaliter ratione.

3. Communis sententia negans.

16

Assertio in ordine.

Propria assertionis ratio.

Dico ergo primo, in Adam nullum potuisse peccatum veniale ex surreptione ante peccatum mortale inueniri. Hæc assertio probari potest rationibus omni peccato veniali communibus, quas in sequenti assertione afferemus. Nunc ergo probatur ratione propria, quia omnis surreptio repugnat perfectioni, & rectitudini illius status, qualis in præcedenti capite declarata est, & probata, & traditur ab Augustin. lib.14.de Ciuit.cap. 10. & sequentibus vsque ad 26. Respondent, duplicem esse surreptionem, alteram ex præuia motione sensualitatis, seu concupiscentiæ, & obiectorum

17

Explicatur assertio.

ctorum sensibilium. Et de hac fatentur repugnasse illi statui. Et Maior in 1. concl. statuit, non potuisse in primum hominem cadere peccatum veniale ex surreptione sensualitatis, & ita exponit Augustinus, quia iustitia originalis omnes hos motus cohibebat: alia verò est surreptio in ipsamet voluntate ex præuia, & repentina repræsentatione intellectus, quæ maximè accidit circa res superiores spirituales, vel quæ à materialibus obiectis aliquo modo abstrahunt, vt sunt in temporalibus honor, & fama, in æternis verò, quæ ad Deum, & animam pertinent, & præcipuè si supernaturalia sint. Ex huiusmodi ergo surreptione dicunt, potuisse committi peccatum veniale in eo statu, quia iustitia originalis hos motus non frænabat, sed eos tantùm, qui in potestate sensitiua insurgunt.

Sed hoc in primis gratis dicitur. Primò, quia Augustinus qui statum illum præcipuè declarauit, generaliter loquitur, vt patet ex lib. 14. de Ciuit. c. 10 ibi: *Nec aberat quicquam, quòd bona voluntas adipisceretur, nec inerat, quod carnem, animúmve hominis feliciter viuentis offenderet.* Notetur verbum *animúmve*, nam motus surreptitius inclinans ad malum, & præsertim peccaminosus non poterat animum hominis feliciter viuentis non offendere. Adiungit Augustinus. *Amor erat imperturbatus in Deum.* At certè motus infidelitatis vsq; ad venialem culpam non poterat amantis animum non turbare. Item infrà: *Erat deuitatio tranquilla peccati, qua manente, nullum omnino aliunde malum, quod contristaret, inrepebat. Simul um omnino*, multo minus motus infidelitatis, vel similis, quàm reliqui. Secundò, quia cætera omnia, quæ cap. præcedenti adduximus, non minus de motibus surreptitijs voluntatis, quàm de cæteris procedunt, & in vniuersum probant, fuisse integram, & perfectam rectitudinem in interioribus potentijs, & in qualibet earum per se spectata, ita vt quando voluntas adhæreret Deo per dilectionem, & obedientiam, nihil inordinatum per sepati posset, non solùm circa inferiora, sed multò minus circa ipsum Deum, nam hæc multo maior deordinatio fuisset.

Tertiò inuoluitur repugnantia in illis dictis, nam in voluntate animæ coniunctæ corpori non insurgunt motus surreptitij contra rationem, nisi præcedant similes motus in sensu. Nam ante motum voluntatis necessaria est apprehensio intellectus, quæ illum excitet, illa verò apprehensio intellectus naturaliter non excitatur, nisi media phantasia, quia intellectus nō pōt excitare seipsum: ergo ante motum surreptitium voluntatis, præcedit surreptio, vel in appetitu sensitiuo, vel saltem in phantasia: ergo è contrario, si in parte sensitiua non erant motus inordinati, nec in voluntate esse poterant. Sed instant aliqui, quia necessarium fuit in statu innocentiæ, vt cogitatio intellectus præcederet motum voluntatis, & rursus naturale erat, vt cogitatio intellectus prius esset imperfecta, quàm plenè deliberata: ergo etiam potuit in voluntate insurgere motus indeliberatus ex vi imperfectæ cogitationis, & ita posset in illo esse venialis peccatum.

Sed respondetur idem argumentum fieri posse de motibus surreptitijs circa sensibiles delectationes, quia etiam quando de illis homo cogitat, necesse est, vt aliqua cogitatio intellectus præcedat voluntatem, & vt cogitatio imperfecta deliberationem perfectam antecedat. Negatur ergo prior pars illationis, nam vel in illo statu ita essent res ordinatæ, & Deus cum illis & cum homine ita concurreret, vt vel intellectus ipse nunquam haberet cogitationem aliquam in ordine ad opus, nisi cum plena aduertentia, vel deliberatione, vel certè licèt talis cogitatio imperfecta esset in intellectu, nihilominus voluntas vsque ad plenum iudicium non moueretur. Quod certè, & per diuinam prouidentiam, & adiutorium facilè fieri posset: & naturæ, ac rationi esset valde cōsentaneum, suppositio alio priuilegio, quo in appetitu sēsitiuo præuenientes motus inordinati non insurgerent. Quia voluntas non necessitatur, aut vehementer ducitur ad hos motus ex sola cogitatione imperfecta intellectus, nisi simul ab appetitu, & importuna imaginatione trahatur. Denique negatur etiam altera pars illationis, nam licèt aliquis motus voluntatis excitari posset ante plenam deliberationem, Deo prouidente, & gubernante fieret, vt nūquam esset de obiecto turpi, vel rectæ rationi contrario. Quia, vt dixi, cogitatio intellectus etiam deliberata à phantasia semper ortū haberet: phantasia autem non posset excitare intellectum ad cognitionem de se malam, alioqui etiam in parte sensitiua non esset rectus ordo sufficienter constitutus, vt supponebatur: non possunt ergo hæc duo priuilegia, seu partes vnius priuilegij inter se conuenienter, vel consequenter separari.

Ad 2 partē.

21 *Assertio 5. in ordine. Qua ratione quidam probent assertionem.*

Dico secundò. Non potuit Adam in eo statu venialiter peccare ex perfecta deliberatione, nisi prius mortaliter peccando statum amitteret. Aliqui ex auctoribus, qui nobiscum in hac assertione conueniunt, illam probare nituntur ex intrinseca perfectione, & dignitate hominis in illo statu. Nā erat in excellenti gradu sanctitatis, & habebat perfectissimas virtutes, & plenam cognitionem, & deliberationem, & ideo vel non poterat malè eligere in materia leui, vel respectu illius non esset leuis, & ideo iam peccaret mortaliter. Sed hoc fundamentum quomodocunque spectetur, conueniens non est, meritoque à D. Thoma reijcitur. Quia in primis non possumus negare homini in illo statu intrinsecam libertatem ad volendum, seu eligendum in quacunque materia particulari, etiam de se leui, vt est verbum otiosum, vel mendacium. Quia nihil erat, quod necessitaret voluntatem hominis, siue quoad exercitium, siue quoad specificationem in tali materia magis, quàm in alia. Nec sola sanctitas, aut virtutes habituales in quouis gradu perfectæ poterant hanc necessitatem imponere voluntati, quia habitibus vtimur, cùm volumus. Et ex parte intellectus poterat esse inconsideratio, vel alius similis defectus non minus in materia leui, quàm in graui, quantum est ex naturali modo cognitionis humanæ, etiam suppositia perfecta scientia habituali illius status: ergo impotentia peccandi venialiter dicto modo non potuit oriri ex intrinseca necessitate, vel carentia libertatis.

Refelluntur 1. à D. Th.

Deinde non possumus dicere, materiam illam respectu hominis in illo statu fuisse grauem solùm propter excellentiam status, aut virtutum, quia talis circumstantia personæ non transfert peccatum veniale in mortale, neq; mutat speciem malitiæ, quæ potest esse ex suo genere venialis, cum qua sola peccatum non fit mortale, nisi ad aliam speciem transferatur, vt patet in verbo otioso, & mendacio. Imò etiam peccatum ex genere mortale quod fit veniale ex leuitate materiæ tantùm, si materia ipsa non augeatur, nunquam fit mortale, ex sola dignitate, vel sanctitate personæ, nisi alia circumstantia interueniat, quæ speciem, seu modum grauitatis mutet, vt tanquam certum suppono ex materia de peccatis.

22 *Refelluntur 2.*

Præterea non est probabile, quod quidam dicunt, peccatum illud in eo statu ex modo peccandi futurum fuisse mortale, quia esset ex contemptu, cum non esset ex passione, vel ignorantia, sed ex mera libertate. Hoc, inquam, gratis, & sine fundamento dicitur, quia sine ignorantia, vel passione potest aliquis liberè operari propter aliquam

23 *Aliorum quorundam ratio improbatur.*

delectationem, vel commoditatem contra rationem, & sine fine honesto, de quo nunc non considerat, vel non satis aduertit, quòd totum fieri potest sine contemptu Dei, aut legis, aut alio simili, qui grauis sit. Ergo non est verisimile in illo statu necessarium fuisse vt formalis contemptus Dei vel legis cum peccato ex genere suo, vel ex leuitate materiæ veniali, semper coniungeretur. Quin potiùs nec peccando mortaliter, videntur primi homines hunc formalem contemptum habuisse, sed tantùm virtute propter rei grauitatem: ergo nec peccando in materia leui, erat necessarius ille formalis contemptus. Vnde enim esset talis necessitas, cùm nec sit intrinseca actioni, aut voluntati, neque ex Deo esse posset: Neque etiam venialis cõtemptus ibi esset, quia supponitur obiectum esse graue. Denique non minus improbabile est, quod Albert. ait, omne peccatum futurum fuisse mortale in illo statu, quia tunc homo nullum haberet incitans ad peccandum in leui materia, & ideo debuisset tale peccatum illi ad mortem imputari. Hæc enim illatio nullum fundamentum habet, quia ille modus peccandi ad summum auget libertatem in eo genere peccati, non verò transfert peccatum veniale in mortale. Et deinde licèt intrinsecum incitans ibi deesset, obiectum ipsum sub aliqua ratione boni spectatum incitare posset, vt voluntas illud liberè amando solùm haberet deordinationem illi obiecto proportionatam, quanuis plenè liberam, non tamẽ morte dignam.

Denique Albertina-to euertitur

24. *Vera ratio pro assertio.*

Verum ergo fundamentum assertionis ex diuina lege in illo statu posita sumendum est. Statuit enim Deus, vt status ille integer, & illæsus permaneret, quandiu homo à suo vltimo fine non auerteretur, quia illam voluit esse quasi primam, & essentialem rectitudinem illius status, ratione cuius nullus posset esse defectus in inferioribus potentijs, vel actibus quandiu duraret. Et ideo consequenter fuit necessarium ita Deum homini prouidere in eo statu, vt nunquam venialiter peccaret, quandiu ipse peccando mortaliter non se priuaret tota illius status felicitate. Hæc est ratio D. Thomæ, & ad eam reuocantur omnes aliæ, quæ in hoc puncto fieri solent. Probari autem potest fundamentum illud ex August. 14. de Ciuit. cap. 10. cuius verba suprà retuli. Veruntamen in cap. 26. addit alia, quæ pro hoc puncto videntur expressa. *Viuebat*, inquit, *homo in Paradiso, sicut volebat, quandiu hoc volebat, quod Deus iusserat, viuebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: viuebat sine vlla egestate.* Quod verbum vltimum ponderari potest, nam peius est peccatum veniale, quàm quælibet egestas, imò ipsummet veniale peccatum magna est miseria. Addit infrà, *Summa in carne sanitas, in animo tota tranquillitas.* Quomodo autem animus sapiens, & iustus cum peccato veniali posset esse tranquillus. Et si in corpore summa sanitas, cur non magis in anima? at vbi est peccatum veniale, non est summa animæ sanitas. Et subiungit inferiùs, *Nihil omnino triste, nihil inaniter lætum.* Est autem inanis lætitia quoddam genus venialis peccati: ergo, sicut hoc ab illo statu August. excludit, ita censet de reliquis, est enim eadem ratio.

Fundatur dicta ratio in Augustino

25. *Fit inductio pro ipsa assertione.*

Vnde potest fieri quasi inductio quædam: nam quandiu homo esset conuersus ad Deum, vt vltimum finem, eiusque præceptum in eo statu seruaret, nunquam moreretur, vt cap. sequenti videbimus, & Scotus fatetur, etiam per peccatum veniale non fuisse amittendum illud bonum. Deinde nullam molestiam corporis pateretur, nam, vt August. *suprà* ait, *neque esuriret, neque sitiret, neque in corpore, vel ex corpore vllas molestias vllis eius sensibus, quicquam ingereret.* Item nullum inordinatum motum in animo sentiret, vt iam ostensum est: ergo maiori ratione debuit ab omni peccato veniali præseruari, quia est in se maius malum, & secum affert rationem tristitiæ, & pœnæ, vt iam diximus. Respondeti autem potest esse differentiam inter hoc peccatũ veniale, & cæteros defectus, nam reliqui sunt involuntarij, & nõ est in hominis morali potestate illos omnes vitare: & ideo conueniens fuit per diuinam prouidentiam hominem in illo statu ab eis præseruari. Venialia autem peccata plenè libera facillimè poterant ab homine in illo statu vitari, & ideo expedire potuit relinquere hominem in manu consilij sui quoad hæc peccata venialia, sicut relictus est quoad mortalia.

Respuitur

Sed hoc discrimen si attente consideretur nullum est. Nam cætera mala licèt per se non requirant formalem libertatem, sicut veniale peccatũ, nihilominus non vitabantur ab homine in illo statu sine conueniente vsu libertatis suæ, vt supra cum D. Thom. diximus, & in cap. sequenti magis explicabitur. Vt autẽ infallibilis esset talium malorum carentia, seu euitatio, Deus sua prouidentia ita dirigebat hominis voluntatem, vt semper conuenienti modo omnem occasionem talis mali effugeret. Ergo licèt peccatum veniale libere vitãdum esset, potuit Deus hominem præseruare, ne illud committeret, quandiu in peccatum mortale non incideret: ergo supposita institutione illius status, credendum est ita factum esse. Tum propter rationem factam, quia magis minueret, & perturbaret ordinem, ac perfectionem illius status peccatum veniale, quàm cætera mala. Tum quia aliàs durante illo statu homines possent acquirere habitus vitiosos, & per venialia peccata disponi ad peccandum mortaliter, & multiplicatis hominibus, possent huiusmodi peccata multiplicari per mandacia, fraudes, ambitiones honoris, & potestatis, & similia. Quæ omnia non possent non perturbare aliquo modo felicitatem illius status, & perfectionem eius minuere. Tum denique, quia si homo in illo statu venialiter peccaret, non posset cum illo ingredi beatitudinem, sed priùs oporteret pro illo satis facere. Respondet Scot. per actum dilectionis potuisse omnino deleri sine alio dolore, vel satis factione. Sed contra hoc obstat ratio iustitiæ, vt quantum quisque in malo delectatur, tantum pœnæ subeat. Et præterea ipsemet Dei amor cum conscientiæ accusatione quasi naturalem dolorem aliquem, & tristitiam de offensa etiam veniali contra Deum commissa excitaret. Est ergo huiusmodi malum, tametsi in suo genere leue, illi statui valde contrarium.

Respuitur

Stans ad præsens probandi intentum

Confirmatur & explicatur

Confirmatur ex dictis

Ex quibus constat, qualis fuerit impotẽtia peccandi venialiter in illo statu, nam in primis censeo, non fuisse ex solis habitibus intrinsecis, neque ex carentia fomitis, nam licèt hæc facilioré multo redderent potentiam vitandi omnia peccata venialia, non tamen auferrent libertatem ad sic leuiter peccandum. Tum quia habitibus vtimur, cùm volumus. Tum etiam, quia sine præcedente passione, & cum quadam habituali virtute poterant in illo statu peccare mortaliter: ergo quantum erat ex parte illorum principiorum, multo magis potuissent venialiter peccare, quia & habitus magis inclinant ad vitandum graue malum sibi contrarium, quàm leue, & alioqui motus fomitis, neque ad leue, neque ad graue malum inclinarent: ergo illa principia non sufficiunt ad impediendum infallibiliter peccatum veniale. Addenda ergo est diuina protectio, quæ ita regebat mentem hominis, vt infallibiliter in huiusmodi peccatũ nõ consentiret. Quod duobus modis fieri potuit à Deo. Primo necessitando voluntatem primi hominis saltem quoad specificationem, respectu huiusmodi actuum, seu negando concursum ad huiusmodi actus. Sed hic modus minus perfectus est, minusque moralis, & ideo non videtur asserendus. Alter-

Probatur assertum

Non potest deduci

ergo

ergo modus esse potuit per diuina auxilia excitantia congrua, data in omni occasione peccandi venialiter, vt voluntas non consentiret. Quod quidem ipsa integra libertate, & infallibiliter faceret, quia illa non esset necessitas simpliciter, sed composita, supponens congruitatem auxilij ex præscientia conditionata boni vsus liberi arbitrij cum tali auxilio futuri. Et hic modus præferendus est, quia est aptior ad meritum, & ad moralem gubernationem humanæ voluntatis.

Sed instant aliqui pro Scoti opinione pugnantes, quia hinc sequitur, Adam non obstante originali iustitia potuisse peccare venialiter, ac proinde non fuisse repugnātiam inter peccatum veniale, & iustitiam originalem, & ita conceditur Scoto, quicquid ipse intēdit. Nam quòd Deus potuerit non obstante illa potestate peccandi facere, vt homo illa non vteretur, nemo dubitare potest, & an facturus esset, non constat. Imò, quod grauius est, addit quidam, ex effectibus constare Deum id non fecisse, quia de facto Eua, & Adam venialiter peccarunt, priusquam mortaliter. Eua quidem, loquendo cum serpente, & exponendo se periculo saltem remoto deceptionis, & grauioris lapsus: at verò exponere se tali periculo aliquod peccatum fuit, & nondum erat mortale: ergo saltem veniale, nam tenebatur statim vitare colloquium cum serpente, vel consulere Adamum, vt vel ipse cum serpente disputaret, vel alio modo illam à periculo custodiret. Adam verò priusquam de cibo vetito ederet, peccauit non reprehendendo Euam, vel nimium amando illam, in quo potuit saltem venialiter peccare. Imò Aug. 14. de Ciu. cap. 11. dicit, Adamum existimasse, veniale futurum fuisse peccatū, si ad conueniendū vxori de cibo comederet.

Ad priorem partem obiectionis respondeo, illam procedere ex falsa existimatione, quòd iustitia originalis sit aliquis particularis habitus, cui non repugnat peccatum veniale, quod nos in superioribus reprobauimus. Imò in sequentibus ostendemus, iustitiam originalem non addere aliquem habitum, vltra omnes virtutes per se, & per accidens infusas, & Spiritus S. dona. Vnde sumendo iustitiam originalē pro aliquo habitu, vel habituum collectione tantùm, conceditur non repugnare peccatum veniale simul esse cum illis, neque in hoc sensu tractatur à nobis quæstio: sed nos loquimur de iustitia originali, vt includit omnes perfectiones illius status, prout à Deo de facto institutus est, & sic dicimus includere peculiarē Dei protectionem ad non deficiendum, neque patiendum aliquod malum non solùm pœnæ, seu naturale, sed etiam culpæ, & morale, quamdiu rectitudo iustitiæ ad Deum sine auersione ab ipso cōseruaretur. Et ita non admittimus in voluntate primi hominis absolutam impotentiam peccādi venialiter, sed tantùm compositam cum dono iustitiæ, vt illam protectionem diuinam includente.

Vnde ad alteram partem omnino negamus de facto peccasse homines venialiter, priusquā mortaliter. Id enim repugnat ferè omnium Theologorum opinio, nā licet aliqui potestatem admittant, de facto non ita loquuntur. Nec est fundamētum ad id asserendum. Nam August. 14. de Ciuit. cap. 13. expressè docet initium omnis peccati in primis hominibus fuisse superbiam, iuxta illud Tobiæ 4. *Superbiam nunquam in tuo sensu, nec in tuo verbo dominari patiaris, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Et Ecclesiast. 10. *Initium omnis peccati est superbia.* Et apertè constat, illam superbiam fuisse peccatum mortale, nam fuit de graui obiecto, & plenè deliberata: ergo ex sententia Augustini primum peccatum hominis mortale fuit. Vnde quæ in contrarium ponderantur nullius sunt momēti. Nam quantum ad Euam, illa certè audiendo serpentem non peccauit, quia actus ille de se indifferens erat, imò in potestate illius nō fuit, non audire loquētem. Et quamuis potuisset non respondere, nec responsum postea expectare, ad hoc non tenebatur, quia nulla ratio periculi tunc occurrebat: vide inferius lib. 4. cap. 2. in cap. verò 3. ad alteram partem de peccato Adæ respondebimus.

CAPVT XIV.

Vtrùm homo creatus fuerit aliquo modo immortalis, & impassibilis.

1. Ordo præsentis capitis ad præcedentia.

PErfectiones, quas hactenus explicuimus, ad solam animam, & eius potentias pertinent: hæc autem, quam nunc declarare aggredimur, totius est compositi, ideo post perfectiones, quas in corpore, & animo sigillatim considerauimus, de indissolubili vtriusque nexu dicendum sequitur, præsertim, quia hæc indissolubilitas, partim ex perfectione corporis, partim ex vigore animi proueniebat, vt videbimus. Primùm ergo cauendus est error Pelagij, qui dixit, non minus fuisse mortalem, & moriturum Adamum ante peccatum si nō peccasset, quàm peccando fuit. Ita refert Aug. Ep. 106. circa finem, dicens in Synodo Palæst. inter alia obiectum esse Pelagio, *cum dicere, quia Adam siue peccaret, siue non peccaret, moriturus esset, & mortem non esse in genus humanum introductum, per præuaricationem Adæ.* Et cum alijs, etiam hunc errorem Pelagium retractasse, quamuis fide non satis syncera. Et ita lib. de Hæres. in 88. hunc eundem errorē Pelagio tribuit. Cuius fundamentum quantū ad ipsum Adamum aliud esse non potuit, nisi quia mortalitas naturalis est corpori humano secundum eius naturam spectato: corpus autem Adæ naturale fuit. Quantum verò ad filios Adæ fundabatur, quia putabat peccatum Adæ nihil posteris eius nocuisse. Sed hæc est alia hæresis, cuius impugnatio ad materiam de peccato originali spectat: nunc contra priorem breuiter agendum est.

Error Pelagij in præsenti.

Pelagij fundamentum quod.

Vide in tract. de peccatis disp. 9. sect. 5.

2. 1. Assertio de fide.

Primò ergo dicimus, Adamum fuisse aliquo modo immortalem, id est, potuisse nunquam mori, si vellet, seu nunquam fuisse moriturum, si non peccasset. Hoc de fide tenendum est. Probatur primò ex Script. Gen. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Quem locum de morte animæ Pelagius interpretatus est, quia Adam in die, in qua peccauit, non statim secundum corpus mortuus est, sed tantùm secundum animam. Ad quam sententiam videtur accedere Gregor. lib. 5. Epist. Ep. 14. aliàs cap. 114. & li. 6. Ep. 31. cap. 195. & Eucher. in Gen. 3. Nihilominus certa fide tenendum est, comminationem illam fuisse de morte corporis, vt Paulus statim citandus illam interpretatur, vt ex Gen. 3. colligi potest in illis verbis: *In sudore vultus tui vescēris pane tuo, donec reuertaris in terrā, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Et infra, *Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum, emisit eum Dominus Deus de Paradiso*, &c. Per quæ ostenditur quasi executio illius pœnæ. Nam propter peccatum priuatus est homo Paradiso, & remedijs, quibus ad vitandam mortem vti poterat, & quasi morti traditus est, vt per commuem ciborum vsum vitā conseruaret, donec in terram reuerteretur. Vnde tacitè etiā explicatur, quo sensu dictum fuerat, *In quocunq; die comederis, morte morieris*, id est, morti obnoxius eris, seu mortalis efficieris, seu mori incipies. Nec Gregorius vel Eucher. huic veritati contradicere voluerunt, sed declararunt, etiam mortem animæ ibi significatam fuisse, & hanc statim incursam fuisse, illam verò in reatu, ac debito, vt expressiùs declarauit Albin. seu Alcuin. in quæst. in Genes. Et hanc pœnam mortalitatis significasse Deum in eodem Gen. 3. cum fecit Adæ, & Euæ tu-

Probatur 1. ex Script.

Pelagij euasio cui videtur assentire Greg. & Eucher Expugnatur

Explicatur Greg. & Eucher.

nicas pelliceas, & induit eos, docent Epiphan. in Anchor. & Hæres. 74. & Origen. homil. 6. in Leuit. non longè à principio.

3 *Cæpta ratio pro assertione absoluitur.*

Ex hac ergo pœna optimè à contrario colligitur, Adam si non peccasset, non fuisse morituru[m], quia si moriturus esset, non fuisset mors pœna peccati. Item quia ante peccatum non incepit mori, quia dictum est, in qua die comederis, morte morieris: ergo non antea moriebatur, etiam inchoatiuè, vt sic dicam, neque erat mortalis, neque morti obnoxius. Et hac ratione dicitur Sapient. 1. *Quoniam Deus mortem non fecit*, quia non fuit ex prima institutione Dei, *nec lætatur in perditione viuorum*, vt ibidem subditur: & ideo creando non instituit hominem mortalem: sed iudicando, punit peccatorem, vt dixit Prosper. in lib. sententiar. Aug. in 303. Clarius hoc confirmat idem Sapiens cap. 2. dicens, *Deus creauit hominem inexterminabilem, inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Denique expressè id testatur Apostol. ad Rom. 5. dicens, *Per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors*: vbi apertè explicat comminationem Genesis de morte corporali, quæ sine peccato in mundum non intrasset. Et ideo cap. 6. addit, *Stipendia peccati mors gratia autem Dei vita æterna.* Sicut ergo sine gratia comparari non potest vita æterna, ita nec mors intraret, si peccatum nõ fuisset, & sic addit in cap. 8. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem.* Et 1. ad Corinth. 15. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio, & sicut in Adam omnes moriuntur*, & cætera.

4. *Probatur 2. ex Concil.*

Præterea definita est veritas contra Pelagium in Conc. Mileuit. cap. 1. his verbis: *Qui dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* Idem tradit Conc. Arausi. II. can. 1. & 2. & Conc. Trid. sess. 5. cap. 1. dicens, *Adam peccando incurrisse mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus.* Augustin. etiam varijs in locis hanc docuit veritatem, præsertim lib. 6. Gen. ad liter. cap. 22. & sequentib. & lib. 1. de Peccator. merit. c. 2. & sequent. & lib. de Nupt. cap. 5. & lib. 6. cont. Iulian. cap. 4. & lib. 13. de Ciuit. cap. 3. & 23. & lib. 14. cap. 26. & Prosp. libr. 1. de Promiss. & prædest. cap. 2. & lib. 2. de vita contemplatiua, cap. 19. & alibi sæpe contra Pelagium Fulgent. lib. de fide ad Petrum, cap. 15. & de Incarn. & grat. cap. 12. & 14. & Petr. Diacon. de Incarnat. & grat. cap. 6. & Cyrill. Alexandr. lib. 1. in Ioan. c. 15. Chrysostom. homil. 17. in Genes. & reliqui Patres, & expositores Genes. secundo & tertio, & super citata loca Pauli.

Accedunt Patres.

5. *Ratione qua tenus probetur assertio.*

Ratione nõ possumus probare veritatem hanc, nisi ex institutione diuina nobis sufficienter reuelata. Nam si puram hominis naturam consideremus, non est dubium, quin ex intrinseca conditione sua mortalis sit, & suis viribus, & conditioni relictum fuisse discursu temporis moriturum. Deus autem, sicut supra diximus, creare voluit hominem in statu altiori, quàm ex vi naturæ illi deberetur, & legem statuit, illum in perfecta rectitudine conseruandi, quamdiu ipse homo libertate sua Dei præceptum non transgrederetur. Ad illam autem rectitudinem pertinuit, vt corpus animam non aggrauaret, nec molestias, vel defectus mortalitatis sentiret, quandiu in sua innocentia permansisset. Et hoc probant testimonia adducta. Est autem per se notum, potuisse Deum hanc prærogatiuam, & priuilegium homini conferre, si à peccato abstineret. Solùm ergo superest explicandum qualis fuerit hominis immortalitas in illo statu.

6. *Arguitur nõ videri posse*

Ratio autem dubitandi esse potest, quia Adam ex eadem materia corpus habuit, ex qua sunt nostra, & ex eisdem qualitatibus, & temperamento corpus eius erat dispositum, quo nostra sunt corpora, eodem, inquam, secundum speciem, & secundum earundem qualitatum variam mistionem pro diuersitate mẽbrorum, & humorũ. Sed homo iunc non aliunde habet, quòd sit mortalis, nisi ex eo, quòd tali materia sic dispositа constat: ergo eadem ratione Adam fuit mortalis. Quia existente eadem causa formali, vel materiali intrinseca non potest non sequi idem effectus. Secundò corpus Adæ erat alterabile, & passibile actione physica, & materiali, quæ per se potest inducere corruptionem: ergo habebat corpus incorruptibile. Consequentia videtur per se nota. Et antecedens probatur, quia homo in illo statu indigeret cibo, & potu ad conseruandam vitam: ergo signum est fuisse subiectum actioni, & alterationi caloris naturalis. Vnde consequenter fit, vt conuertendo cibum in suam substantiam per eius reactionem aliquid etiam propriæ substantiæ resolueretur, & amitteretur: ergo corpus illud erat corruptibile secundum partes: ergo etiam secundum totum, quia partes eiusdem naturæ sunt cum toto. Tertiò, quia si Adam applicaret manum igni, & multo tempore ita perseueraret, combureretur: ergo erat corruptibilis. Quartò, quia secundum Aristotelem omne generabile, est corruptibile, sed homines in statu innocentiæ essent generabiles, imò per veram generationem humanam procrearentur: ergo etiam essent corruptibiles.

7.

Propter hæc, & similia argumenta aliqui dixerunt, homines in statu innocentiæ, & Adam ante peccatum fuisse mortalem, licet non esset moriturus, si non peccaret. Ita Scot. Gabr. & alijin 2. d. 19. Idque ex professo contendit Moses Barceph. opusc. de Parad. part. 1. cap. 5. & in eam sententiam refert Chrysost. Athanas. & Cyill. & Philoxenum, refert item alios dicentes, Adam mortalem, & immortalem fuisse, cùm ipsius libero arbitrio permitteretur à Deo, vt vel obseruata lege immortalis esset, vel fracta moreretur. Quod alijs verbis scripsisse videtur Augustin. 7. Genes. ad liter. cap. 25. dicens, *Corpus Adami mortale erat, quia poterat mori, & immortale, quia poterat non mori.* Sic etiam Nemes. lib. de Natura hominis, c. 1. & ex illo Anastas. Nyssen. in Quæstion. Scripturæ, q. 24. dixerunt, hominem ab initio neque planè mortalem, neque planè immortalem genitum esse, sed veluti in confinio vtriusque naturæ, vt si corporeas affectiones sequeretur, sub corporis mutatione subijceretur, sin animi bona anteponeret, ad immortalitatem traduceretur. Simili modo Anastas. Synaita lib. 11. Exaem. non longè à fine, ex professo probat ex Methodio contra Origen. primos homines ante peccatum fuisse mortales.

8.

Veruntamen omnes hi Patres in sensu catholico locuti sunt: nam solùm docere intendunt, hominem non habuisse ante peccatum naturalem, vt ita dicam, immortalitatem, neque gratuitam illam, quæ corporibus gloriosis tribueretur, sed potius ex vi suæ intrinsecæ compositionis, & dispositionis fuisse mortalem, licet ex dono Dei futurus fuisset expers mortis, ac subinde aliquo modo immortalis, si non peccasset. Sic dixit Aug. supra. *Aliud est non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creauit Deus, aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus homo creatus est immortalis.* Et infra concludit: *Mortalis ergo erat conditione corporis animalis: immortalis autem beneficio conditoris.* Dicit autem *corporis animalis*, vt immortalitatem corporis glorioſi excludat. Et ideo infra adiungit, non fuisse ita immortalem, vt mori nõ posset, sed vt posset non mori. *Neq; enim*, ait, *immortale, quod mori omnino non possit, nisi corpus spirituale, quod nubis futu-*

futurum in resurrectione promittitur. Et in eodem sensu cæteri Patres, quos allegaui, suam sententiam declarant. D. autem Thom. 1.p.q.97.art.1. tres immortalitates distinguit, naturalem, qualis est in Angelis, & cœlis, gloriosam, qualis erit in beatis hominibus, & mediam (vt ita dicam) quæ dici potest originalis, seu innocentiæ, & concludit, Adam nec primam, nec secundam habuisse, sed hanc tertiam, quæ intrinsecam capacitatem mortis non excludit, sed solum confert, vt illa potentia in actum non reducatur. Quia vero hoc erat infallibile ex promissione diuina, ideo theologice loquendo illa potestas non moriendi immortalitas quædam vocari potest, & è contrario Adam dicitur factus mortalis peccando, quia illud priuilegium propter peccatum amisit. Et in hoc sensu loquuntur Patres in priori puncto cit. in n. 4. Nec contra hanc immortalitatem procedunt rationes dubitandi supra propositæ in n. 6. sed naturalem & intrinsecam potestatem moriendi ostendunt.

Dubitant autem Theologi quale fuerit illud immortalitatis donum, seu quomodo cõseruari semper possent homines ne ad mortem peruenirent, si à peccato abstinerent. Et vt melius rem totam explicemus, suppono, duobus modis mortẽ homini euenire, scilicet ab extrinseca causa, vt per ignem, aquam, ensem, &c. quæ dicitur mors violenta, vel ab intrinseco per actionem interni calidi in humidum: quæ dicitur mors naturalis. Ab vtroque igitur modo interitus seu mortis immunis esset homo in illo statu, quandiu non peccaret: causa vero illius præseruationis, seu immortalitatis diuerso modo tradenda, & explicanda est, & ideo de illa duplici morte figillatim dicemus.

Circa priorem interrogari potest, an corpus Adæ ita fuerit à Deo intrinsecè dispositum, & quasi solidatum per qualitatem aliquam illi inditam vt à nulla extrinseca causa, etiam illi sufficienter applicata posset corrumpi. In quo puncto P. Molina tract. de oper. sex dierum, disp. 28. 3. & 4 concl. sentire videtur corpus hominis fuisse immortale, & impassibile per donum habituale illi collatum, quod erat qualitas quædam corporea per totum corpus diffusa & extensa. Mouetur primo, quia illa immortalitas non erat miraculosa, aut transiens, seu breui tempore duratura, sed erat donum & propria conditio illi statui quodammodo debita. Deus autem non consueuit huiusmodi dona permanentia tribuere immediatè per seipsum, sed per aliquam facultatem intrinsecam, & inhærentem: ergo credendum est ita donum illud contulisse. Secundò argumentatur, quia existimat simili modo ræanasse Deum appetitum primi hominis ab omni concupiscentiæ motu per habituale donum: ergo eodem modo credendum est tribuisse immortalitatem. Tertiò, quia Deus potuit hoc modo illa corpora præseruare per qualitatem cõsentaneam corpori animali, in quo actio calidi in humidum esse potest. Nam corpus gloriosum immortale fit per qualitatem intrinsecam illi statui accommodatam: & corpora damnatorum fient immortalia per qualitatem, licet non futura sint impassibilia ab igne corporeo: cur ergo non potest cogitari, & fieri qualitas, quæ alio modo statui innocentiæ accommodato corpus hominis faceret immortale? Si autem hoc possibile fuit, id certè est magis consentaneum ordinariæ prouidentiæ Dei, qui effectus ordinarios (vt sic dicam) alicuius status per secundas causas facere solet. Quartò argumentatur, quia fœminæ in illo statu parerent sine dolore, ratione alicuius qualitatis ad hoc bene disponentis earum corpora: ergo idem in proposito dicendum est.

Alij verò dixerunt etiam illum effectum per intrinsecam qualitatem factum fuisse, non tamen corpori, sed animæ inhæsisse, ac subinde non corporalem, sed spiritualem fuisse. Quã opinionem indicare videtur S. Augustin. lib. quæstionum noui, & vet. Testam. q. 19. Aliqui etiam tribuunt D. Thomæ dicta q. 97. art. 1. quia dicit, corpus Adæ non fuisse indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed quia inerat animæ vis quædam supernaturaliter diuinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præseruare. Et infra reddit rationem his verbis: *quia anima rationalis excedit proportionem corporalis materiæ, conueniens fuit, vt in principio ei virtus daretur, per quam corpus conseruare posset*, &c. & in solut. ad 3. ait, quòd vis illa præseruandi corpus à corruptione non erat animæ humanæ naturalis, sed per donum gratiæ. Et tandem sententiam indicat D. Th. in 2.d.19.q.1.art.4.& q.5.de Malo, art.5. Et ita etiã intellexit D. Thomam Scotus in 2.d.19.q.1. & ideo Caiet. in art.1.& 4. idem sentiens non reprehendit Scot. quòd malè D. Thom. intellexerit, sed quòd illum impugnauerit. Idẽ tenet Valent. 1. tom. disp. 7.q.3.punct.2. vbi ait, illum vigorem fuisse qualitatem supernaturalem animæ infusam, quã Deus potuit talem facere, vt natura sua actionem contrariæ agentis impediret. Ac denique aliqui Thomistæ existimant, qualitatem illam fuisse gratiam ipsam, quæ est in essentia animæ, quæ tunc illum vigorem habebat, & solet allegari Scot. libro 1. de Natur. & Grat. cap. 5. vbi non satis clarè, nec determinatè loquitur.

Mihi tamen probabilius est, immortalitatẽ, seu impassibilitatem quoad hanc partem non fuisse datam homini in statu innocentiæ per intrinsecã qualitatem. Hæc est communis sententia Theologorum in 2.d.19. vbi Durand. q.1. & Scot. q. vnic. & in d.29.5. Potest dici, in fine, & Gabr. d.19.q.1. & ibi aliorum. Item specialiter D. Thomas dicto art. 4. in fine, loquens de modo corruptionis per violentiam ab extrinseco agente, vel per incisionem gladij, vel adustionem ignis, vel huiusmodi, dicit, *Ab hoc modo corruptionis conseruabat hominem illæsum diuina prouidentia*. Et in dicta q.97.art.1. prius dicit, Adam non fuisse incorruptibilem per intrinsecam dispositionem: postea verò in art. 2. & 4. magis explicat, quod in 2. dixerat, addens, potuisse Adam conseruare corpus illæsum ab extrinseco agente, *partim per propriam rationem, per quam poterat noxia vitare, partim per diuinam prouidentiam, quæ sic ipsum tuebatur, vt nihil ei occurreret ex improuiso, a quo læderetur*. Eadem est sententia D. Augustin. lib. 1. de Peccat. merit. & remiss. cap. 3. vbi sic inquit: *Si Deus Israelitarum vestimentis, & calceamentis præstitit, quòd per tot annos non sunt obtrita, quid mirum si obedienti homini eiusdem potentia præstaretur, vt animale, ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum, quo sine defectu esset annosum*, &c. Et postea comparat statum innocentiæ immortalitatem illi quam Elias, & Enoch nunc habent, & vsque ad dies propinquos iudicio finali habituri sunt. Verisimile autem est, vestes, & calceamenta Hebræorum non per intrinsecas qualitates, sed per Dei prouidentiam sine diminutione conseruata fuisse, idemque de Elia, & Enoch est verisimilius: idem ergo de primis hominibus Augustin. intellexit.

12 3 *Assertio communior.*

Vide authorem t.1. in 3.p. disp.55 sect. 1 concl.3.

Præterea licet illa qualitas fortasse non sit impossibilis, de quo modò disputare nolumus, nihilominus nimis esset miraculosa, & nullum habet fundamentum in his quæ de immortalitate primorum hominum sancti, vel Scriptura docent. Nam potiùs indicãt illum modum incorruptibilitatis esse proprium corporis glorioſi. Nec ad conuenientem prouidentiæ ordinem erat alius necessarius, nam per prudentem ipsius hominis diligentiam, adiuncta peculiari D E I prouidentia, & custodia per se, vel per Angelos, sufficienter, satisque

13 *Suadetur assertio ratione.*

tisque conuenienter poterat homo ab his extrinsecis incommodis præseruari. Nam, v.g. vt homo non posset ab igne comburi, vel nimium calefieri, quid necesse erat, esse tali qualitate affectum, vt quanuis in ignem ingrederetur, ab illo pati non posset, cùm multo facilius esset vitare nimiam ad ignem propinquitatem. Alioqui etiam dicendum esset, hominem fuisse per intrinsecam qualitatem ita affectum, vt licèt ambularet super aquas, non mergeretur, vel licèt mergeretur, non suffocaretur. At hæc, & similia incredibilia sunt: multo ergo veriùs & faciliùs dicitur, hæc omnia incommoda per prudentem prouidentiam præcaueri potuisse, & consequenter etiam vitanda fuisse.

14. *Ratio altera*

Denique est optima ratio, quia si in corpore hominis, & in omnibus partibus eius esset qualitas resistens naturaliter omni extrinseco corrumpenti, eadem ratione eadem qualitas resisteret, ne vna pars corporis ab alia dissimili pateretur, seu ne calidum ageret in humidum: ergo per illam qualitatem etiam fieret homo incorruptibilis ab intrinseco, & consequenter non indigeret cibo, & potu ad vitam conseruandam, quæ sunt apertè falsa, & contra Scripturam, vt statim dicemus. Prima verò sequela probatur, quia actio calidi in humidum, seu alteratio inter partes dissimilares corporis organici inter se, eiusdem rationis est cum alteratione proueniente ab extrinseco agẽte, quia ad eundem proximum terminum caloris, vel frigoris tendit, & ab eodem principio, & eodem naturali modo progreditur: ergo qualitas, quæ resisteret extrinseco calefacienti, v.g. resisteret etiam extrinseco calori, vel propinquæ parti calidiori: & ita omnis intrinseca alteratio inter membra corporis impediretur.

15. *Ad 1. motiuũ Molinæ in num. 10.*

Atque hæc pars magis explicabitur, & confirmabitur respõdendo ad motiua aliarum opinionum. Ad primum enim pro qualitate corporea cõcedimus, illud donum fuisse permanens, & durabile in illo statu, quia modus ille prouidentiæ etiam esset stabilis, & certa lege promissus. Cùm autem dicitur, quòd non esset miraculosus, eatenus concedi potest, quatenus sine vllo proprio miraculo illa præseruatio fieri poterat. Hinc autem potiùs nos inferimus, id non esse factum per qualitatem intrinsecam, nam perpetuum miraculum fuisset, corpus animale esse tali qualitate dispositũ, & speciale miraculum esset, corpus per qualitatem illam fieri impassibile respectu extrinsecorum agentium, & non ab intrinseco. Nihilominus tamen necessaria fuisset prouidentia non debita naturæ hominis, ac proinde sub ea ratione supernaturalis, quanuis illi statui esset connaturalis.

16. *Progreditur responsio ad idem motiuum. Donum inhærens quãdo non sufficiat absque intrinseco.*

Cùm verò instatur, quòd Deus confert hæc dona permanentia per habitus: respondemus, duo posse in effectibus horum donorum distingui, vnum est effectio alicuius boni, aliud ablatio impedimentorum, vel causarum extrinsecarum, quæ possent aliquid incommodi afferre. Et de primo verum est ad operationes ordinarias alicuius status permanentis, quando naturam superant, infundere Deum habitus, qui talium operum sint accommodata principia. De secundo autem non semper est verum conferri per intrinsecos habitus, nam sæpe necessaria est extrinseca Dei custodia. Et sic videmus, Deum dare iustis ordinaria, & intrinseca principia operandi: quando autem iustum dono perseuerantiæ diuturnæ, vel confirmationis in gratia stabilire vult, non id facere per solos habitus, sed per peculiarem prouidentiam suã, quæ hominis cooperationem coniunctã habeat. Sic ergo in præsenti ad immortalitatem diu conseruandam dedit quidem Deus homini in corpore temperamentum aptissimum ad resistendum contrariis, quantum naturalis capacitas humani corporis patiebatur: in animo verò dedit prudentiam, & scientiam, ac vigilantem rationem, qua posset pericula, & agentia contraria euitare. Quia verò hæc non sufficiebant, adiunxit ex parte inferiorum causarum locum temperatum, & salubrẽ, qui non posset ordinarie, & in communi cursu vitæ corpori nocere, & ex parte superiorum causarum, scilicet, cælestium, etiam constituit hominem sub climate optimo, & temperatissimo. Et quia in his omnibus poterat defectus inueniri, suam peculiarem prouidentiam adiunxit, tum ad excitandum hominem in occasionibus opportunis, tum etiam ad remouenda extrinseca impedimenta, quæ homo etiam vigilans præcauere non posset.

17. *Ad 2. motiuum.*

Atque ita patet responsio ad exemplum de extinctione fomitis. Negamus enim id factum esse per alios habitus, nam licèt aliqui infunderentur bene disponente appetitum ad illum effectum: soli fine peculiari protectione Dei non sufficerent, vt supra diximus. Imò fortasse probabilius etiam est, nullum habitum ad illum effectum datum esse, quia ad virtutes naturales non pertineret, de quo infra dicturi sumus. Vnde facilè nos possumus argumentum illud in contrarium retorquere. Ad tertiam verò probationem iam responsum est, licèt demus illam qualitatem esse possibilem, nihilominus vsum eius (vt sic dicam) nec necessarium, nec illi statui conuenientem fuisse. Necsunt similia, quæ de corporibus gloriosis, vel damnatorum referũtur, nam priora non sunt corpora animalia, sed quodammodo spiritualia: posteriora verò etiam sunt extra statum corporum animalium, quatenus nec cibo, nec potu indigent, & quoad hoc fortè disponuntur per aliquam intrinsecam qualitatem, licèt relinquantur passibilia ab igne, & alijs diuinis instrumentis. Quanquam perpetua conseruatio sub actione illa, & passione tam graui, sine peculiari actione prouidentiæ Dei fieri posse non videatur, de quo alias. At verò in corpore animali qualitas illa necessaria non erat, neque dispositioni corporis ad actiones illius status erat accommodata. Ad vltimum verò exemplum de partu fœminarum sine dolore, infrà ex professo respondebimus, nunc consequenter etiam dicimus, etiam in illo effectu peculiarem Dei prouidentiam fuisse interuenturam.

Probatur minoris cum propositio. *Ad 3. motiuum.* *Ad 4. motiuum.*

18. *Impugnatur altera opinio num. 11.*

Ad alteram sententiam de spirituali qualitate animæ indita respondemus in primis, nullũ pro illa sententia ferri rationis fundamentum: nos autem ostendimus nullam omnino qualitatem necessariam fuisse. Et profectò si aliqua necessaria esset, potius corpori, quàm animæ infundenda esset, in quo magis probo sententiam Molinæ, quia maior proportio est in qualitate corporea ad resistendum formaliter agenti corporeo, quàm in qualitate spirituali, nã vix intelligitur, quomodo spiritualis qualitas inhærendo animæ per se resistere valeret, ne qualitas materialis induceretur in corpus, nisi prius ab illa qualitate spirituali, aliqua proportionata dispositio in corpus redundaret: & tunc fruſtra multiplicarentur tot qualitates, nam materialis sufficeret. Quòd si dicatur qualitatem illam spiritualem non resistere formaliter, sed effectiuè, tunc difficile est ad explicandum, quid anima hominis per illam qualitatem efficeret in agente extrinseco corporali, quo eius actionem impediret. Et Præterea vrget hic etiam ratio suprà facta in n. 14. quòd talis qualitas etiam actionem calidi in humidum, & inter partes ipsas corporis humani impediret.

19. *Probatur altera opinio Augustini.*

Nec etiam ille modus dicendi auctoritate fundatur, nam August. qui citatur in lib. Quæstion. noui, & veteris Testamenti, q. 19. in primis liber ille incerti auctoris, & non multæ auctoritatis est: & etiam

deinde

deinde nullum verbum in illa quæstione inuenio, quo talis sententia significetur, vt in sequentibus declarabo. De D. Thoma etiam opinor, non fuisse de tali qualitate loquutum, sed vigorem animæ appellasse vim rationis, id est, scientiæ, discretionis, & prudentiæ, ac rectę voluntatis, per quam poterat homo in illo statu illa extrinseca damna vitare. Quod mihi persuadeo, primò ex testimonio, quod sub nomine Augustini citat, in dicta q. 19. cuius verba sunt: *Deus hominem fecit, qui quandiu non peccaret, immortalitate vigeret, vt ipse sibi auctor esset ad vitam, aut ad mortem.* In quibus euidenter loquitur de potestate vitandi mortem per rationem, & electionem rectam: ergo in eodem sensu loquutus est D. Thomas. Secundò, quia D. Thomas ait, hoc modo fuisse hominem incorruptibilem ex parte causæ efficientis, quod non potest intelligi de efficientia physica animę in proprium corpus, vel intrinsecum agens: ergo intelligitur de virtute efficiente intellectus, & voluntatis ad præseruandum corpus à corruptione moraliter, vtique obediendo Deo, & prudenter vitando, & remouendo corrumpentia. Tertiò, quia ita videtur exponere ipse D. Thomas a. 2. ad 4. & euidentius in alijs locis suprà citatis.

Superest dicendum de alio modo corruptionis ab intrinseco, de quo certum videtur ex dictis nõ fuisse per intrinsecam qualitatem impedientem internam actionem, & passionem, alioqui non indigeret homo alimentis. Quod manifestè fassum est, vt constat ex illo Gen. 2. *Præcepit que ei, dicens: Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* In quibus verbis explicatur necessitas comedendi, quæ in illo statu fuisset ad cõseruandam vitam, & ideo graues Theologi notant, non solùm præcepisse Deum primo homini vt nõ comederet de ligno scientiæ, sed etiam præcepisse vt de alijs comederet, quia hoc erat illi necessarium ad vitam. Quod sentit D. Thom. 1. part. quæst. 97. art. 3. & Magister in 2. d. 19. & ibi Durand. q. 2. Quanquam Abulens. Gen. 13. q. 206. & 209. contendat, illud præceptum tantùm fuisse negatiuum prohibens esum ligni scientiæ, nam quoad alteram partem magis videtur esse permissio, aut concessio, quàm obligatio. Vnde D. August. lib. 14. de Ciuit. cap. 15. dixit, vnicum tantùm præceptum Deum imposuisse Adæ. Et ipse etiam Deus solùm comminatus est mortem propter transgressionem illius præcepti. Sed quanuis hoc posteriùs verum sit quo ad præceptum speciale positiuum, nihilominus rectè dicitur per illa verba etiam explicatum esse præceptum naturale comedendi quantum ad conseruandam vitam necessarium esset. Vnde cùm dicitur, *ex omni ligno Paradisi comede*, non est putandum (vt quidam obijciunt) fuisse præceptum comedẽdi de omnibus fructibus collectiuè, seu distributiuè, & copulatiuè, sed disiunctim, seu de quolibet, vt placeret. Specialiter verò (vt Magister notat) certum est ibi præceptum comedendi de ligno vitæ aliquando, quia ad vitæ perpetuitatem illud necessarium erat, ideoq; supposita qualitate illi cibi etiã illud speciale cõprehẽdebatur sub naturali prę cepto conseruãdi vitã.

Vnde colligitur corpus Adæ de se, ac intrinsecè possibile naturaliter fuisse, & alterabile etiam vsque ad aliquam partialem transmutationem secundùm aliquas corporis particulas. Sic enim D. Thom. dicta q. 97. art. 3. ad 1. docet per actionem caloris aliquid de humido corporis Adæ perdi potuisse. Et in solut. ad 2. & in art. 4. indicat, etiam potuisse pati à cibis, quanuis illa passio nunquam posset corpus ab statu connaturali extrahere. Et idem docent Scot. Durand. & alij in 2. d. 19. & ratio est, quia hic effectus extrinsecè sequitur ex actione calidi & humidi, & continua nutritione, tum quia naturaliter cõiuncta est conuersio alimenti in substantiã aliti, cum aliqua resolutione, & depositione substantiæ ipsius aliti: tum etiam quoniam naturale agens agẽdo repatitur, ex quo sequebatur, vt corpus hominis in illo statu agẽdo in cibum, vt illũ in suam substantiam cõuerteret, aliquid etiã ab ipso pateretur. Quãuis Caiet. dicta q. 97. a. 3. & 4. hanc repassionem neget in illo futuram fuisse, *quia anima* (inquit) *habebat vim quandã supernaturalem propter quam corpus agendo in nutrimentum, non repatiebatur ab eo.* Et potest hoc confirmari, quia aliàs corpus in illo statu esset simpliciter passibile, etiam passione præternaturali, & corruptiua, atque ita esset simpliciter mortale.

Negat tamẽ Caietanus.

Et confirm.

Sed nõ video quomodo virtus animæ poterat reddere corpus illud impassibile ab alimẽtis, magis, quàm ab actione calidi in humidum, vel ab actione, & passione partium dissimilarium inter se. Item nõ video, cur magis obstet immortalitati illius status repassio ab alimentis, quàm passio humidi à calido, quia per vtrãq; alterationem potest extrahi corpus à naturali dispositione, si alteratio nimia fit, & à neutra extrahetur si fit moderata. Et ideo D. Thom. in art. 3. ad 2. cùm in prima responsione illam doctrinam insinuasset, in illa non persistit, sed addit secundam, dicẽs, quòd talis passio esset ad perfectionem naturæ. Nullum ergo est inconueniens admittere aliquam alterationem fieri potuisse in illo statu in corpore hominis per reactionem ciborũ. An verò propter has alterationes dicendũ sit, illud corpus fuisse passibile simpliciter, tantùm est quæstio de modo loquendi, sicut suprà dicebamus de quæstione, an esset mortale, vel immortale. Idemq; est, an sit dicendum potuisse tunc hominem non mori, vt Scot. & Gabr. loquuntur, & sentit Magist. dicta d. 19. cum August. lib. 7. Gen. ad lit. cap. 25. vel etiam non potuisse mori, vt Bonauent. & Durand. contendunt. Vtrunque enim est verum in diuerso sensu, potuit enim non mori, quia potuit non peccare, & non interueniẽte peccato, non poterat mori, non quidem ex intrinseca impotentia, seu dispositione corporis, nec ex physica virtute animæ ad resistendũ extrinsecis agẽtibus, sed ex alijs causis, & remedijs à Deo præparatis, quibus infallibiliter, durante illo statu, mors vitaretur. Et similiter erat passibile, quoad aliquam alterationem, non tamen quoad tantam alterationem, quæ à naturali dispositione corpus remoueret.

22. Expugnatur Caietanus

Ad confir. pro Caiet. in fine numeri præcedentis.

Qua ratione verificetur Adamum potuisse non mori, & non potuisse mori.

Explicatur hoc ex doctrina Augustini lib. 14. de Ciuit. cap. 26. & lib. 1. de Peccat. merit. c. 3. & sub eius nomine dicta q. 19. noui, & veteris Testamenti, & D. Thomæ dicta q. 97. a. 4 nã duo defectus sunt in corpore humano in sua pura natura considerato, ex quibus, nisi remedium adhibeatur, mors ab intrinseco eueniet, vnus est deperditio humidi per actionem caloris naturalis: alius est diminutio continua, quę fit vel in ipso calore naturali per reactionem alimenti, vel in ipso humido, quod minus perfectum ex alimento extrinseco reparatur. Primo ergo defectui subuentũ est per fructus lignorum cõmunium Paradisi. Nam ex illo defectu præcisè spectato nõ sequitur mors, nisi cibus, & potus omnino deficiant. Et eadem ratione non sequitur fames, aut sitis, nec præternaturalis alteratio, si opportuno tempore naturali necessitate subueniatur. Et ideo dicit August. suprà: *Cibus aderat ne esuriret, potus ne sitiret.* Dices, hinc solùm sequitur, potuisse non esurire, aut famen nõ sentire, nihilominus tamẽ potuisse hominẽ pro sua libertate, vel omnino, vel saltẽ plus iusto abstinere à cibis, & ita vel mori, vel etiã vsq; ad passionem famis præternaturaliter alterari. Respondeo in primis, quòd si omnino abstineret à cibis, eo ipso grauiter peccaret, & ab statu caderet, atque ita licèt

23. *Id explicatur amplius ex Aug. & D. Thoma. Mors ab intrinseco ex duobus defectibus potest obuenire*

Quo pacto vni defectui subuentum fuerit in statu innocẽtiæ.

Instantia

Soluitur 1.

Soluitur 2.

licèt moreretur, non contingeret mors in statu innocentiæ, sed peccati. Deinde non posset etiam præter rationem rectam, & illi statui conuenientem abstinere à cibis, quin saltem venialiter peccaret. Dictum est autem subuentum esse homini in illo statu, vt nunquam venialiter peccaret, quâdiu mortale peccatum non præcederet: ergo ex vi eiusdem prouidentiæ, & protectionis Dei nunquâ relinqueretur abstinere à cibis indebito modo, nec cum aliquo nocumento illi statui repugnante.

24 *Quo puncto subuentum fuerit alteri defectui.*

Contra secundum defectum maximè subuentum est per alia remedia, maximè verò per lignum vitæ. Nam in primis in ipso corpore data est perfecta dispositio, & humorum contemperatio, ita vt inter se habere non possent vehementem actionẽ, quæ ægritudinem vel aliquam similẽ dispositionem omnino præternaturalem ab intrinseco possent inducere. Deinde per iustitiæ donum datum est, vt non possent humores nimium alterari, aut ex feruenti passione, aut ex nimio labore, quia in hoc statu in his omnibus esset maxima moderatio, & sic ait Augustinus suprà, *Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore vllas molestias vllu eius sensibus ingerebat, nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus, summa in carne sanitas.* Præterea etiam ex parte illorum fructuũ, seu alimentorum, quibus priori defectui subueniebatur, prouisum est, vt optimæ qualitatis essent, ita vt ex magna facilitate, & cum minima alteratione partium corporis hominis possent in illius substantiam conuerti, & ad hoc etiam iuuabat optima, & salubris loci dispositio, & hoc est, quod Augustinus *citato loco de ciuitate Dei*, dixit. *Stant in Paradiso nullus æstus, aut frigus, sic in eius habitatore, nulla ex upiditate, vel timore offensio, nihil omnino triste, non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat inuitum*, &c.

25. *Non tamen illomodo subueniretur omnino.*

Veruntamen quanuis hæc omnia possent sufficere, vt pro aliquo tempore corpus hominis in naturali dispositione, non obstante actione calidi in humidum, & reactione ciborum conseruaretur, nihilominus progressu temporis debilitaretur, & marcesceret, nisi aliud remedium quo ab illo malo præseruaretur, Deus illi prouidisset. Hoc autem remedium fuit lignum vitæ, nam fructus eius virtutem habuit confortandi, & reparandi calorem naturalem, vel potiùs præseruandi ne infra connaturalem dispositionẽ minueretur. Quod his verbis Augustinus suprà docuit, *Lignum vitæ aderat, ne hominem senecta dissolueret.* Et iterum, *Quandiu in creatoris lege duranit, dignus fuit edere de arbore vitæ, vt mori non posset. Neque enim corpus tale erat, vt dissolui esset impossibile, sed fructus arboris vita corruptionem corporis inhibebat.*

Sed ligno vitæ supplebatur.

26. *Declaratur quo modo per lignum vitæ non solũ mors, sed passio omnis corruptiua vitaretur.*

Quomodo autem hoc modo non solùm mors, sed etiam passio corruptiua vitaretur, intelligi poterit aduertendo temperamentum vnicuique homini conueniens, & connaturale non consistere in indiuisibili, sed habere aliquam latitudinem intra quam variari potest secundum aliquam intensionem primarum qualitatem sine proprio defectu, vel læsione corporis. Imò aliquando cum perfectione, & augmento: aliquando verò cum consistentia in statu naturali. Circa hanc ergo latitudinem poterat per continuam nutritionem alteratio aliqua, & mutatio crescere vltra terminos illius latitudinis, sed priusquam ad illum terminum corporis dispositio perueniret, adhibendus erat fructus ligni vitæ, quo illa dispositio corporis ad optimum statum intra illam latitudinem reduceretur, vel (vt bene Caiet. notauit) ne vnquam ad præternaturalem statum perueniret, præseruaretur. Quod his verbis docuisse mihi videtur Augustinus lib. 13. de Ciuit. cap. 23. dicens: *Primus homo de terra terrenus in animam viuentem factus est, non in spiritum viuificantem, quod ei per obedientiæ meritum seruabatur. Ideo corpus eius, quod cibo, & potu egebat, ne fame afficeretur, ac siti, & non immortalitate illa absoluta, atque indissolubili, sed ligno vitæ à mortu necessitate prohibebatur, atque iuuentutis flore tenebatur, non spirituale, sed animale fuisse, non dubium est.*

CAPVT XV.

De ligno vitæ, & quomodo, quantaque efficacia homini immortalitatem largiretur.

TRia in titulo insinuantur, quid fuerit lignum illud, qualisque & quanta efficacia eius fuerit. Primò ergo dico, lignum illud fuisse veram arborem sensibilem fructum ad comedendum aptum naturaliter producentẽ. Quod censeo de fide certum, oppositumque ad errorem Origenis, qui historiam de Paradiso ad metaphoras traduxit, pertinere. Probaturque manifestè ex contextu Gen. 2. *Produxitque Dominus Deus de humo omnẽ lignũ pulchrum visu, & ad vescendum suaue, lignumque vitæ in medio Paradisi & lignum scientiæ boni, & mali.* Sicut ergo cætera ligna, & lignum etiam scientiæ arbores fuerunt sensibiles, ita & lignum vitæ. Et verbum *produxit*, quod in omnia cadit, ostendit ex eadem terra, & ex eodem genere creationis fuisse lignum vitæ cum cæteris factum. Vnde consequenter manifestum est, fructus illius arboris fuisse quendam corporalem cibum, sicut fuit etiam fructus ligni scientiæ, vt constat ex Gen. 3. Vnde cùm sancti dicunt, sapientiam, aut Eucharistiam esse lignum vitæ, id intelligendum est in sensu spirituali, seu per quandam significationem, sicut Prou. 3. de sapientia dicitur: *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam.* Quod ita exponit Augustinus 2. de Peccat. merit. cap. 25. dicens, cibum illius arboris fuisse figuram sapientiæ, quia sicut illa arbor erat in corporali Paradiso, ita sapientia est in spirituali, & sicut hæc arbor sensibilis exteriorts hominis, ita sapientia interioris hominis sensibus præbet vigorem. Quod in alijs locis, præsertim super Genesim sæpe repetit. Cuius autem speciei illa fuerit, ignotum nobis est.

1. *Primus assertio quidam lignum vitæ fuisse verum arborem fructum producentem.*

Certum ex fide.

Probatur ex Gen. 2.

Producit dicitur de omnibus quæ ex terra.

Præcipuus fructus ligni vitæ.

Sapientia & Eucharistia lignum vitæ spirituum.

Cuius species illa fuerit ignotum.

Deinde dicimus fructum illius arboris per propriam efficaciam sibi connaturalem contulisse homini vigorem illum, seu renouationem. Itaque valde errant, qui dicunt, illam arborem seu fructum eius tantum fuisse figuram illius effectus, & incorruptionis, quam Deus daturus esset homini, si non peccasset, quod sensit Eugub. in cap. 1. Gen. refellitur autem sufficienter ex illis verbis Gen. 3. *Ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso.* Si enim fructus ille non conferret hunc effectum, sed Deus ad præsentiam eius, non oporteret Adamum eiicere de Paradiso, ne comedendo de illo cibo particeps fieret immortalitatis. Quia Deus non promiserat illum effectũ, nisi homini in sua obedientia perseueranti, & ita post transgressionem non tenebatur legem illam, vel pactum aut significationem seruare. Atque eadem verba isto modo inducta etiam probant, illam efficaciam fuisse per virtutem connaturalem illi arbori, & fructui eius, & non tantum per supernaturalem virtutem, aut eleuationem Dei, vt Bonauent. & Gabr. existimarunt. Et indicant Gen. 2. Eucher. & Beda. Imò etiam Augustinus lib. 8. Gen. ad lit. eandem sententiam indicat, dum ait, cibum illum contulisse talem effectum *nonnullis inspirationes salubritatis occultæ.* Et quia statim inter miracula Dei computat, quòd cibus ille immortalitatẽ efficeret. Sed pie exponi potest eodem modo, quo aliqua singularia opera dici solent, quasi miracula naturæ.

2. *Assertio efficacia naturali ligni fructus ad reparandum calorem.*

Refellitur Eugubinus.

Eugubini error.

Probatur ex Gen. 3.

Contra Bonau. Gabr. Eucher. & Beda.

Quia Deus non promiserat immortalitatem.

Confirmatur etiam contra Bonau. Gabr. Eucher. & Beda.

Quia Deus non tenebatur seruare pactum.

Augustinus lib. 8. Gen. ad lit. cap. 5. naturalem efficaciam ligni vitæ significat.

Miracula naturæ.

naturæ. Absolute tamen loqueodo verisimilius est virtutem illam fuisse naturalem. Nam si virtus erat supernaturalis, cum solum esset data vel promissa pro hominibus præcepto Dei obtemperantibus, quamuis post peccatum de illa arbore comederent, fructum immortalitatis non acciperent. Sicut nunc, licet Eucharistia virtutem supernaturalem habeat ad sanctificandos recipientes, non omnes, qui illam sumunt, fructum illum recipiunt, si bene dispositi non sint, quia non est data illa virtus pro omnib. simpliciter, sed tantũ pro dignè sumentibus. Ergo è contrario si Adam post peccatum, comedendo de ligno vitæ immortalitatem consequeretur, vt verbis illis docetur, profecto non erat supernaturalis talis virtus, sed ex naturali, & intrinseca facultate illius fructus procedebat. Et hoc sentiunt D. Thom. Scot. & alij auctores statim allegandi.

Dicimus autem, illum effectum fuisse à virtute activa, & per propriam efficaciam illius cibi in corpus hominis, quia sola bona dispositio, vel quasi materialis causalitas, non poterat ad effectum illum esse sufficiens. Duobus enim modis potest intelligi cibum aliquem esse corpori humano naturaliter conuenientem ad conseruandum, vel confortandum illud. Primò, quasi materialiter tantum, videlicet, quia talis cibus ratione sui temperamenti, & qualitatum, quibus disponitur, facilè conuertitur in substantiam corporis humani, & postquam conuersus est, illæmet qualitates, quæ in ipso erant, in homine manent (siue sint eædem numero, siue specie, parum enim hoc in præsenti refert) & illud cõmode afficiunt, & suo modo formaliter illud confortant, & protegunt. Alio modo potest cibus confortare corpus efficienter, nimirum vel per nouas qualitates ipsum temperamentum connaturale corpori perficiendo, ac reparando, si quid in illo diminutum fuerat, vel intendendo natiuas qualitates, & alias remittendo. Prior ergo modus non solum possibilis est, sed etiam frequens, non tamen fuisset sufficiens ad conferendam homini vitæ perpetuitatem in corpore animali, quia per solum illum modum non reparatur diminutio naturalis caloris, à quo pendet corporis conseruatio. Necessaria ergo fuit virtus activa in illo fructu vt posset temperamentum hominis, à quo vita pendet, perfectè restaurare. Nec est, cur impossibile existimetur, fructum vnius arboris habuisse hanc virtutem connaturalem, quia ille effectus de se naturalis ordinis est, & finitæ perfectionis, imo non excederet gradum formarum accidentalium: ergo non repugnat virtutem activam eius connaturalem esse alicui arbori, seu fructui eius. Et ita sentit de virtute illius fructus Rupert. l. 3. in Gen. c. 3. & Hugo de S. Victor in Annotat. Genes. cap. 7. & Glossa ordinaria Gen. 2. vbi Lipoman. alios refert, & D. Thomas dicta q. 97. a. 4. & ibi Caietanus, Durand. Scot. & Gabr. in 2. dist. 16.

Ex quo vlterius addimus, cibum illum habuisse virtutem conseruandi vitam, non tantum ad longum tempus, sed perpetuò, seu pro quacunque temporis diuturnitate, non tamen semel tantum sumptus, sed sæpius temporibus opportunis. Ita explicat satis dilucidè hunc effectum D. Thom. dicta q. 97. a. 4. & est consentaneum Augustino 3. de Ciuit cap. 20. vbi inter alia dicit, *De ligno vitæ propterea gustabant, ne mors vndecunque subreperet, vel senectute confecti decursis temporum spatijs interirent.* & cap. 23. postquam dixerat, *quod ligno vitæ corpus à mortis necessitate prohibebatur, atque in iuuentutis flore tenebatur* addit de homine post peccatum: *& alimentis extra Paradisum non negatis, à ligno tamen vitæ prohibitus tradutus est vetustate finiendus in ea duntaxat vita, quam posset in Paradiso, nisi peccasset habere perpetuam.* Et idem sentit lib. 11. Gen. ad lit. cap. 40. & libr. 1. de Peccat. merit. cap. 3. *Habebat Adam de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem:* & Chrysost. homil. 18. in Genes. vbi ait, potuisse Adam, si voluisset, de ligno vitæ vesci, quod perpetuam illi contulisset vitam, eumq; immortalem fecisset. Et infra exponens dicta verba Gen. dicit: *Ne nunc & lignum, quod vitam præbet cõtinuam, attingere audeat*, &c. Idem sentit Magist. dist. 19. vbi Gabr. a. 3. dub. 1. & Durand. q. 2. quamuis in 1. dubius videatur.

Ratio autem est, quia fructus ligni vitæ non tantum alebat corpus per modum cibi, sed etiam reficiebat, & confortabat, seu reparabat per modum medicinæ, vt ait auctor illius quæstionis 19. noui, & veteris Testamenti. Vnde infert, *Sic erat homini quasi inexpugnabilis murus*, vtiq; cibus ille cõtra mortem, *quia corporis corruptionem inhibebat*, vt prius dixerat. Probatur autem hæc illatio, quia ille fructus semel sumptus post annum, v. g. restituebat temperamentum calidi, & humidi ad illum statũ, in quo in principio illius anni fuerat: ergo iterum sumptus post alium annum ad eundem statum corpus reduceret, & sic per singulos annos: ergo pro quocunque annorum numero posset eodem modo corpus immortale conseruare. Loquor de annis solum gratia exempli, nam idem erit de quocunque breuiori tempore, multiplicando cũ proportione sumptiones eiusdem fructus: solum ergo oportet, vel aliquod certum tempus determinetur virtuti fructus proportionatum. Quod sane tempus quantum esset, nos quidem ignoramus, tamen in statu innocentiæ hominibus notũ esset, vt conuenientibus temporibus illo remedio vti possent.

5 *Ratio pro assertione.*

Quoties gustandum de fructu vt vitam tueretur, ignotum

Contra hanc vero sententiam duæ occurrunt inter se extremè oppositæ. Prima est Ruperti libr. 3. Gen. ad lit. cap. 30. vbi dicit non fuisse necessariũ frequentari illum cibum ad vitæ perpetuitatem, sed semel tantum sumptum illam daturum fuisse. Probat ex verbis illis, *ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.* Nam Deus non dixit, & sæpius sumat, sed tãtum, *& sumat*: ergo vna assumptio ad illum effectũ sufficeret. Et specialiter ponderat particulam *forte* & ex ea colligit, Adam nesciuisse virtutem ligni vitæ, & ideo non potuisse post lapsum ex certa scientia, & intentione comedere de illo ligno contra mortem, potuisse tamen casu, & ideo dictum esse *ne forte*. Et inde concludit non fuisse necessarium frequentem vsum, nam ea, quæ casu fiunt, non frequentantur, ac proinde vnum actum casu contingentem, sufficientem fuisse. Et ad hoc confirmandum adducit exẽpla herbarum medicinaliũ, quæ mirabiles habent virtutes ad fouenda, & conseruanda humana corpora.

6 *Ruperti sententia vnicã sumptionem sufficisse ad viuendum semper. Probat ex Gen. 2.*

Sed hæc sententia verisimilis non est, & optimè refellitur ratione D. Thomę, quia virtus illius fructus finita erat. Addo etiam, fuisse corruptibilem, nam & arbor corruptibilis erat, vt fructus ipse in substantiam manducantis illum conuerteretur. Ergo etiam effectus eius, quem semel sumptus faceret in corpore humano, esset finitus, & diminutioni, ac corruptioni obnoxius, quia non redderet corpus inalterabile, & intrinsecè, ita impassibile, vt post vnam sumptionem illius fructus, amplius cibi, & potus indigens non esset: ergo effectus ille posset postea iterum perdi post continuam nutritionem: ergo si non amplius remedium eiusdem fructus applicaretur, profecto corpus diuturnitate temporis senesceret, ac tandem deficeret. Et declaratur argumento facto, ponamus enim Adam creatum in optimo statu vitæ, & complexionis suæ per annum, vel quodlibet aliud designatum tempus dixisse, cibum sumendo ex alijs lignis

7 *Refellitur ex ratione D. Thom.*

Refellitur 2.

Paradisi, & postea semel comedere de ligno vitæ. Tunc certè per illam sumptionem ad summum reduceretur ad illum optimum statum, in quo creatus fuit, quia vel non poterat esse melior, vel si melior fingitur, non esset naturalis, nec corpori humano accommodatus. Ergo post primam sumptionem vtcdo iterum alijs cibis, ille optimus status iterum minueretur: ergo ne tandem corrumperetur, necessarium illi fuisset iterum sumi de ligno vitæ.

8 *Ad locum Gen. & alia pro Rupert. in num. 6.*

Nec verba Gen. quæ expendit Rupertus, aliquid vrgent. Nam verbum *ne sumat*, indefinite positum nec vnicam, nec repetitam sumptionem indicat, sed abstracte, seu indefinitè ponitur, *ne sumat*, vtique quantum necessarium fuerit ad viuendum in æternum. Nec etiã est verisimile, Adam ignorasse lignum vitæ, & propriam rationem, ac virtutem eius. Quia illa cognitio erat in illo statu maximè necessaria, Adam autem habuit illum statum vndique perfectum. Item quia habebat scientiam aliarum arborum, & fructuum: cur ergo illam ignorasset? Item particula *forte* non hoc significat, & sine fundamento ita inducitur, quia, vt illo modo Deus loqueretur, satis erat non necessarium, sed tantum contingens fuisse, vt Adam manens in Paradiso sumeret de ligno vitæ. Imo etiam erat contingens, quod sumendo de ligno vitæ post peccatum in æternum viueret, vt statim declarabimus. Denique in contrarium nos expendere possumus particulam *etiam*, cum Deus dicit, *& sumat etiam de ligno vitæ*. Nam per illam fit relatio ad sumptionem de ligno scientiæ, id est, vt sicut de illo sumpsit, ita de hoc sumat. Ergo sicut de priori sumpsit ex certa scientia, & contra Dei institutionem, ita significauit Deus, voluisse præcauere, ne Adam ex certa scientia, & contra Dei voluntatem, qui pœnam mortis fuerat comminatus ad impediendam illi pœnæ executionem, de ligno vitæ sumere tentaret. Aliæ verò coniecturæ, quas adducit Rupertus sunt optimæ ad suadendum, potuisse illam arborem habuisse virtutem naturalem ad illum effectum pro aliquo tempore durabilem efficiendum non vero perpetuum, & inconsumptibilem.

9 *Scoti sententia dictum fructum non conseruare vitam semper, sed diu etiam frequenter sumptum.*

Nihilominus est alia opinio extremè contraria, quæ negat potuisse illum fructum, etiam sæpius sumptum conseruare corpus immortale per quod libet tempus in infinitum, sed solum pro aliquo diuturno, & longæuo tempore. Ita sentit Scot. in 2. dist. 16. dicens, homines in statu innocentiæ nunquam fuisse morituros, non quia in illo statu manentes potuissent perpetuo viuere ex vi fructus ligni vitæ, cum alijs priuilegijs illius status: sed quia diuturno tempore possent ex vi illius status conseruari, & antequam illud tempus finiretur, si in innocentia perseuerarent, ad vitam beatitudinis simpliciter immortalem transferrentur. Fundamentum Scoti est, quia fructus ligni vitæ nunquam integre restitueret corpus hominis ad priorem statum, nec posset efficere, quin in die debilius redderetur. Quod probat, quia natura debilitata frequenti, & continua actione, & repassione nutritionis non posset confortari ligno vitæ, nisi conuertendo fructum eius in substantiam suam, sed illud conuersum non esset nobilius, quam conuertens: ergo propter nutrimentum illius fructus nunquam posset corpus hominis ad priorem statum redire. Imo conuertendo in se fructum illius arboris magis debilitaretur, propter repassionem ab illo, sicut ab alijs fructibus.

Eius fundamentum.

10 *Caietani sententia partim assentiens, Scoto, partim dissentiens.*

Et huic sententiæ ex parte assentit Caiet. & ex parte dissentit. Putat enim ille, hominem in statu innocentiæ habuisse vim resistendi actioni contrariæ agentis per qualitatem supernaturalem, & spiritualem animæ inditam, & ideo dicit, durante innocentia, potuisse hominem perpetuo conseruari per fructum arboris vitæ, quia conuertendo illum, in se confortaretur, & roboraretur ab eo, & ab illo non repateretur propter dictam ex parte animæ resistentiam. In hoc igitur ab Scoto dissentit. Addit vero sublata illa resistentia non potuisse fructum arboris vitæ restituere ad pristinum statum naturalem calorem debilitatum, quia reactio ne sua aliqua ex parte illum debilitaret, & ideo si post peccatum homo sumeret de ligno vitæ, non tantum semel, sed etiam sæpius, non fuisse perpetuo victurum, sed tantum ad longum tempus. In quo sensu putat dixisse Deum de homine iam lapso, *Ne forte sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum*, id est, tempore diuturno.

Sed neutra sententia placet, nam in primis fundamentum Scoti aliquid valeret, non solum probaret fructum ligni vitæ non potuisse integre separare diminutionem caloris factam, sed etiam parum aut nihil naturam debilitatam confortare potuisse: quia, vt ipse ait, *conuersum non potuit esse nobilius, quam conuertens*: imò per illud natura debilitata amplius debilitaretur. Si autem hoc verum esset, non solum non daret fructus ille vitæ perpetuitatem, verumetiam nec diuturnitatem. Secundò ac præcipuè deficit Scot. quia tantum considerare voluit fructum illum vt cibum, & non vt medicinam, seu pharmacum, habens virtutem agendi, & confortandi calorem naturalem, priusquam in substantiam aliti conuerteretur, cum tamen fructus ille, vt supra diximus, vtranque rationem, & virtutem haberet. Vnde tantum abest, vt per reactionem illius cibi amplius natura hominis debilitaretur, vt potius confortaretur. Ex quo etiã fit, vt eo tempore quo fructus ille conuerteretur in substantiam aliti, iam conuertens esset confortatum, & ideo posset etiam conuersum esse perfectius dispositum, quam esset ipsum conuertens in principio, quando fructum sumpsit, quia illa conuersio in aliquo tempore facta est, & in illo tempore potuit homo ab eodem fructu confortari, vt ipsummet fructum melius posset in se conuertere. Et confirmatur, quia alias diuturnitate temporis homines in statu innocentiæ debilitarentur, & quodammodo senescerent, nec possent in statu consistentiæ conseruari, nedũ ad statũ iuuentutis restitui, q. est contra Aug. citat. loc. & contra communem sententiam, & illius status existimationẽ.

Respon. Scoti.

Secundo.

Contra.

Et hinc facile reijcitur altera sententia Caietani. Nam in primis illa resistentia per qualitatem intrinsecam falso asseritur, vt iam dixi ca. præced. num. 22. Deinde si illa daretur, non minus resisteret alijs cibis, quam fructui ligni vitæ: ac proinde fructus ille non esset necessarius, quia ex alijs cibis nulla debilitatio sequuta fuisset. Tertiò illa resistentia respectu ligni vitæ potius obesset, quam prodesset ad immortalitatem, quia actio ligni vitæ non destructiua, sed conseruatiua vitæ esset. Quapropter etiam videtur defecisse Caietan. non considerando fructum illum, vt salutarẽ causam efficientem, sed tantum vt nutritionis materiam, seu alimentum. Et ideo dixit lignum vitæ non fuisse habiturum æqualem effectum in homine post lapsum, ac haberet in statu innocentiæ, quia post lapsum deesset qualitas resistens ex parte hominis, & ideo etiam ex reactione illius cibi aliquam diminutionem caloris naturalis pateretur, quam antea propter resistentiam non patiebatur. Nos verò dicimus ex parte fructus non fuisse futurum minorem effectum, tum quia etiam in statu innocentiæ nulla erat resistentia ab intrinseco, vt dixi: tum etiam quia actio illius fructus, quatenus medicamentum erat, non diminuebat, sed confortabat potius calorem naturalem, atque ita resistentia illa potius poterat obesse, quam prodesse ad vitam conseruandam. Dixi autem, *quantum ex*

Respon. etiam Caiet. multipliciter.

Quia licet ligni vitæ esset.

Contra.

ex

ex parte sua, quia aliunde posset effectus illius cibi magis impediri in statu naturę lapsæ, quam in statu innocentiæ, quia in illo statu multo temperantius viueret homo, & leuioribus cibis, minusque naturalem calorem minuentibus vteretur, quam in statu naturæ lapsæ, & è contrario in hoc statu sunt plures aliæ causæ extrinsecæ, quę possunt humores corrumpere, & naturalem calorem, vel nimium minuere, vel augere, quæ causæ non possūt huiusmodi passiones in homine efficere, si in innocentia perseueraret. Ob has ergo causas non posset fructus ligni vitæ tam integrè reparare, & quasi renouare corpus corruptibile post peccatum, sicut antea potuisset. Erat enim virtutis finitæ, & ideo non poterat æqualiter maiorem resistentiam vincere: & similiter habebat determinatum effectum, ideoque non posset omnem morbum depellere, neque omnibus contrarijs obsistere, & in hoc sensu intelligendum est, quod D. Thom. 2.2.q.164. art. 2. ad 6. dicit, *quod homo si post peccatum de ligno vitæ comedisset, non propter hoc immortalitatem recuperasset, sed beneficio illius cibi potuisset vitam magis prolongare.* Quod etiam docet Lyran. Lipom. & alij in Genes. Qui consequenter exponunt verba illa, *& viuat in æternum*, id est, in longæuum tempus, sicut dixit Caietanus. Est enim hoc verum consideratis alijs causis mortis, quæ in statu peccati suam vim exercent, & possunt resistere efficacitati ligni vitæ, quia cibus ille non erat sufficiens causa immortalitatis, sed solum subueniebat cuidam defectui. Nihilominus tamen *quantum est ex se*, eundem effectum haberet in statu naturæ lapsæ, & ita etiam ex parte sua posset illam perpetuo conseruare, si aliæ causæ mortis non interuenirent. Et ita sentit auctor dictarum quæstionum noui, & veteris Testamenti, dicta quæstion. 19. & sequuntur Durandus, Molin. & alij.

Ex quibus tandem facilè resoluitur alia quæstio, quam Scholastici in 2.d. 19. de immortalitate innocentiæ tractant, an esset naturalis, vel supernaturalis. Nam cum duobus modis contingat aliquid esse supernaturale, scilicet quoad substantiā, & quoad modum, manifestum est, immortalitatē illam quoad substantiam fuisse naturalem, quoad modum verò supernaturalem. Prior pars manifesta est, quia vita, quæ eo modo conseruaretur, semper esset vita naturalis, & cum proprietatibus connaturalibus corpori, quandiu scilicet in eo tantum statu conseruaretur. Nam si transferretur ad statum gloriæ, iam tunc aliud donum immortalitatis acciperet, quale nunc est in corporibus gloriosis, de quo alia ratio, & disputatio est, quę videri potest in 2. tom. 3. p. disp. 48. sect. 2. Altera pars probatur, quia in primis illa immortalitas non erat debita corpori humano, cum natura sua corruptibile sit. Deinde, quia illa peculiaris prouidentia, & protectio Dei erat futura modo extraordinario, & præter ordinarium cursum causarum naturalium, quas sæpe impedire, vel auertere extraordinario, & supernaturali modo, necessarium foret.

Aliqui verò suadere conantur, immortalitatem illam simpliciter fuisse naturalem, vel ex parte animæ, quæ naturaliter immortalis est, & ideo ex natura rei petit corpus aliquo modo immortale, vel ex parte fructus ligni vitæ, quia virtute, & modo naturali immortalitatem conferret. Sed hæc sententia sine dubio falsa est, vt probant rationes factæ. Et quia alias nec mors esset naturalis, nec illa immortalitas amissa fuisset propter peccatum, quia naturalia non amittuntur propter peccatū. Nec immortalitas animæ sufficit, quia ex natura sua postulat corpus talis materiæ, & temperamenti: ad quod per accidens sequitur corruptio, cui anima ipsa naturali virtute obsistere, aut subueni-

re non potest, vt latius dixit D. Thom. 1. p. q. 76. a. 5. & 2.2. dicta q. 164. a. 1. De fructu autem ligni vitæ in primis dicitur, quod licet ex eo capite præseruatio à morte non neret supernaturali modo, nihilominus non erat illa causa adæquata immortalitatis, sed necessaria fuisset singularis Dei prouidentia, in qua modus aliquis supernaturalis includeretur. Deinde dicitur beneficium illius ligni non fuisse debitum humanæ naturæ, sed peculiari ratione concessum quasi in præmium obedientię, si in ea perseueraretur, & non alio modo, ideoque etiam ex ea parte immortalitatem illam quoad modum supernaturalem fuisse.

CAPVT XVI.

Vtrum homo in statu innocentiæ peculiare dominium, tanquam proprium illius status donum, ac beneficium acceperit.

HActenus explicuimus bona veluti intrinseca, quæ homini in statu innocentiæ concessa sunt nunc de extrinsecis aliquid adijciendum est, propter verba Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs vniuersæq; terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.* Et infrà, *Benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animalibus quæ mouentur super terram.* Ex quibus verbis manifestum est, Deum in principio mundi dominium cæterorum animantium primis hominibus tribuisse, nam verba eius tanquā supremi Domini efficacia sunt, & per illa concessionem, & translationem huius dominij apertè significauit. Dubium vero est, an dominium illud fuerit tantum aliquid naturaliter consequens ex sola hominis natura, secundum se spectata, an verò fuerit aliquod speciale beneficium, pro illo statu innocentiæ peculiariter à Deo collatum.

1 *Tractanda quæstionis occasio ex verbis Genesis.*

Ratio dubitandi, quæ priorem partem suadet, in primis sumi potest ex verbis illis: *Faciamus hominem ad imaginem, & præsit*, &c. vbi illa duo ita connectuntur, vt secundum ex primo consequi significetur. Sed esse ad imaginem non est aliquid peculiare status innocentiæ, sed ad puram essentiam, & naturam hominis pertinet: ergo etiam prælatio illa, & dominium homini in sua creatione datum, fuit aliquid merè naturale, puram hominis naturam consequens. Secundo, quia bona propria status innocentiæ per peccatum amissa sunt, & è contrario illa, quæ post peccatum permanserunt, naturam humanam secundum se spectatam consequuntur. Sed dominium externarum rerum, tam animantium, quam non animantium in homine post peccatum manst, vt ipso vsu, & ratione constat: ergo non fuit aliquid peculiare pro statu innocentiæ datum, sed merè naturale. Dicetur fortasse, hoc esse verum de communi quodam, & generali dominio: aliud verò peculiare, & maius pro statu innocentiæ datum esse.

2 *Arguitur 1. pro parte negante.*

Arguitur 2.

Effugium.

Sed contra hoc argumentor tertio, quia non apparet, in quo fuerit hic excessus, vel specialis prærogatiua dominij in statu innocentiæ, magis quam nunc sit. Declaratur, quia Gen. 9. dixit hominibus Deus, *Terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum vniuersis, quæ mouentur super terram, omnes pisces maris manui vestæ traditi sunt.* Hoc autem dictum est hominibus iam lapsis: ergo nullum maius dominium innocentes habere potuerunt. Probatur consequentia, quia vel hic excessus est in amplitudine materiæ: & hoc non, quia omnia animalia sine exceptione etiam homini lapso subijciuntur. Vnde in Psal. 8. dicitur, *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, &c. vel excessus est

3 *Præcluditur & arguitur 3.*

sus est in modo potestatis, & hæc etiam non videtur fuisse maior in statu innocentiæ, quam illis verbis describatur. Nam eisdē ferè verbis ex Gen. 9. vtitur Sapiens loquens de primo homine, Eccl. 17. *Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram, posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum, & volatilium.* Quod si quis dicat, ita fuisse animalia subiecta primo homini: vt ad nutum ei parerent. Hoc certe neque vllo testimonio Scripturæ probari potest, nec sine miraculo fieri poterat. Sicut nunc inter sanctorum Martyrum, & aliquorum confessorum, ac Prophetarum miracula computantur, quod interdum animalia etiam ferocia dicto modo eis obedirent, vel mansueta, vel subiecta se illis ostenderent: dicere autem hoc miraculum futurum fuisse perpetuo in statu innocentiæ, difficile creditu est, cum in Scriptura non sit reuelatum.

Quorundā responsio instatur.

4 Quin potius dominium, quod homo nunc habet in hoc statu, in duobus videtur excedere. Primò in materia, quia in principio solum est datum dominium in animalia bruta: nunc autem etiam ad homines extenditur. Secundò in vsu, quia prius non poterant homines vti animalibus in cibum, aut operimentum, nec ad alia laboriosa opera, ad quæ omnia nunc illis vtuntur. Nam in dicto cap. 9. Gen. specialiter addit Deus, *& omne, quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum, quasi olera virentia dedi vobis omnia.* Primis autem hominibus solum dictum fuerat, *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna*, &c. vt *sint vobis in escam.* Vnde vix apparet, quem vsum habere potuerit in bruta animalia dominium illud hominibus datum, si status innocentiæ duraret.

Instatur amplius.

5 Tria possumus in hoc dominio distinguere, scilicet, capacitatem, potestatem, & vsum, seu statū dominandi. Hæc enim tria adeo distincta sunt, vt sint etiam separabilia, non quidem mutuò, quia posteriora necessario supponunt priora, tamen è contrario priora possunt à posterioribus seiungi. Homo enim capax est regni, quanuis neq; potestatem, neque actum imperandi habeat: & rex, qui per tyrannidem priuatus est regno, non solum capacitatem, sed etiam dominium habet, quamuis imperandi vsu careat, qui autem & dominus est, & rem suam possidet, vsum illius habet, si vult. Hæc igitur tria in præsenti explicanda sunt & sic facile res ipsa intelligetur, & difficultates propositæ soluentur. Sciendum tamen est, ex illis tribus, dominium propriè consistere in secundo. Quia dominium iuxta communem, & receptum morem non dicit actum secundum, sed primum, vnde vsus, qui est veluti actus secundus, à dominio procedit, & è conuerso definiri solet dominium, quod sit ius vtendi, &c. est ergo dominium actus primus per modum principij actiui, & ideo proprie non consistit in sola capacitate remota, quæ respectu dominij solum est per modum potentiæ passiuæ: sed in potestate, quæ est veluti principium actus imperandi, vel vtendi.

Distinguuntur pro resolutione tria, scilicet capacitas, potestas, & vsus.

Declaratur in potestate consistere dominium.

6 Primo igitur dicimus, capacitatem dominij conuenire homini naturaliter ex eo quod ad imaginem Dei factus est. Hoc per se manifestum est, nam homo propter rationem, & libertatem est ad imaginem Dei, & propter easdem proprietates est capax dominij, & ideo reliqua animantia capacia dominij non sunt, quia rationis vsum non habēt, neque libertatem. Atque hoc in primis indicatur in verbis illis Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & præsit*, id est, vt possit præesse, particula enim *præsit*, vel potestatiuè potest exponi, vel certe capacitatem dominandi in primis supponit. Et ita Augustinus sæpe dicit, per illa verba, *& præsit*, &c. significatum esse, hominem factum esse ad imaginem Dei secundum rationem, nam animalia omnia subiecta sunt homini, quia habet intellectum, quem illa non habent, vt ait lib. 1. Gen. contra Manich. c. 18. & 20. & lib. 3. Gen. ad lit. c. 20. Vnde quantum ad hanc capacitatem manfit hoc dominium in hominibus lapsis: nam sicut in eis integra manfit imago Dei quoad substantiam eius, vt supra ostendimus, ita etiam dominandi capacitas conseruata est.

1. Assertio de capacitate dominandi. Probatur 1. respectu irrationaliū.

Addere etiam possumus, hominem, vt est ad imaginem Dei, non solum habere capacitatem dominandi brutis animalibus, sed etiam rationalibus, id est, hominibus. Quia per rationem non solum potest homo discernere, ordinare, ac disponere ea, quæ pertinent ad animalia bruta, sed etiam quæ ad homines spectant, & multo facilius, ac proprius potest illis imperare. Imò addo, etiam esse hominem capacem dominij in Angelos, nam si homo potest iudicare Angelos, teste Paulo, cur non poterat etiam illis dominari? Item Christus Dominus etiam vt homo vere est Dominus Angelorum, eisque potest præcipere, & imperare, vt docet Paulus ad Hebr. 2. vbi de Christo specialiter exponit illud Psalm. 8. *Constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius.* & addit, *In eo enim, quod omnia ei subiecit, nihil dimisit, non subiectum ei*, volens concludere etiam Angelos esse subiectos ei. De quo alibi dictum est, nam hic solum ab effectu ostendimus, esse in humana natura capacitatem ad dominandum Angelis. Potest autem notari discrimen, nam ad dominandum aliis rebus infra Angelos, habet homo naturalem capacitatem, vt constat: ad dominandum vero Angelis solum habet obedientialem. Quia ex natura rei Angeli sunt excellentiores homine, & altioris ordinis, & ideo non potest homini naturaliter competere dominium in Angelos, ideoq; etiam in statu innocentiæ tale dominium non habuisset, vt notat D. Thom. 1. p. q. 96. a. 2. Per gratiam vero potuit homo eleuari ad statum, in quo esset simpliciter dignior, & excellentior Angelis, & ideo dicimus habuisse capacitatem saltem obedientialem dominandi Angelis.

Probatur 2. respectu rationalium.

Secundo dicendum est, hominem ex vi creationis, & naturæ suæ habere potestatem, & dominium inferiorum animalium, & hanc etiam post peccatum retinuisse, quanuis in statu innocentiæ altiori modo illam haberet. Duas priores partes huius assertionis probant duæ primæ rationes dubitandi in principio positæ in num. 2. Vt autem tertiam partem probemus, simulq; tertiæ rationi dubitandi respondeamus, aduertere oportet, hoc dominium, quatenus naturale est circa animalia bruta, duo includere, vnum est (vt ita dicam) physicum & naturale, aliud morale. Primum consistit in naturali potestate quam homo habet ad subijcienda sibi bruta animalia, & vtendum illis, vel eis imperandum, quantum capacia sunt, vel ea cogendo, vel etiam interficiendo, si opus fit. Et quāquam hęc omnia non eadem facilitate, & modo possit homo exequi in omnia animalia, quia multa sunt viribus fortiora, & naturaliter ferocia, & quæ non solum resistunt homini, sed etiam illum aggrediuntur, & vincunt: nihilominus ratione, arte, & industria homo vincit omnia tam terrestria, quam aquatilia, & volatilia, & quædam mitigat: alia quodammodo instruit, iuxta eorum capacitatem, vel ad suam vtilitatem, vel ad iucunditatem: alia vero occidit, vel ad suos vsus, vel nealijs noceant. Et sic dixit Iacobus in sua Canonic. c. 3. *Omnem naturam bestiarum volucrum, & serpentum ceterorumque domari, & domitam esse à natura humana.* Et explicat eleganter Basilius homilia decima in Genesin, & Gregorius Nissenus Orat. in verba illa, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem*, &c. & libro de opificio mundi, cap. septimo, & attigit Augustinus

Auguſtinus libr. 9. Geneſ. ad liter. cap. 14. & libr. 83. Quæſt. q. 13. Igitur hanc totam poteſtatem vocamus phyſicam, quia non conſiſtit in peculiari iure dominandi, aut vtendi, quod ſtatim explicabimus, ſed in naturali induſtria, & efficacia, quam homo tum per vires corporis, tum maximè per diſcurſum, & rationem exercere poteſt. Vnde etiam dici poteſt hæc potentia executiua, quæ ad proprium dominium non ſufficit, nam Angelus ſimilem poteſtatem & maiorem habet in homines, & non propterea naturale dominium in illos habet, imò etiam vnus homo in alium ſimilem poteſtatem exercere valet, etiamſi dominus eius non ſit, quando non iure, ſed facto tantum id poteſt.

Vnde ſecundo requiritur ad dominium ius vtendi dicta poteſtate, quod ius poteſtatem moralem merito appellamus, quia non addit homini aliquam entitatem, vel qualitatem, ſed ſolam moralem facultatem, vt licitè, & ſine alterius iniuria poſsit vti rebus illis, quarum eſt dominus. Hoc ergo ius habuit etiam homo ex vi ſuæ creationis, eſtque illi naturale reſpectu inferiorum animaliũ, quia & naturaliter ſunt propter hominem, & illis nulla iniuria fieri poteſt in quocunque illorum vſu, & ideo pura hominis inſpecta natura licitum ei eſt vti his animalibus in quencunque honeſtum vſum. Dices, hæc animalia principaliter ſunt ſub dominio Dei: ergo non poteſt homo ex vi ſuæ naturæ habere proprium ius vtendi illis ſuo arbitrio niſi peculiari Dei beneficio illi donetur. Reſpondemus, verum quidem eſſe hoc dominium ex dono Dei homini competere: nihilominus tamen naturale dici, quia naturam ipſam conſequitur, eſtque ei quodammodo debitum, & vſus eius naturaliter licitus eſt, niſi ſpecialiter prohibeatur. Sicut fuiſſet licitum Adamo edere de ligno ſcientiæ boni, & mali, niſi ei fuiſſet ſpecialiter prohibitum. Vnde etiam Ariſtot. 1. Politicor. cap. 5. dixit, naturam omnia inferiora, hominum gratia, feciſſe, & ideo venationem, piſcationem, & omnem aliam ſimilem rerum acquiſitionem ex natura rei iuſtam eſſe. Quod optime ex ipſo naturæ ordine, & conuenienti Dei prouidentia, naturali perfectione hominis ſuppoſita, explicat D. Thom. dicta q. 96. a. 1.

Tertio probandum ſupereſt, aliquod maius dominium habuiſſe Adamum in ſtatu innocentiæ, quam poſt peccatum habeat. Ratio autem eſt, quia, vt ait D. Thom. dicto artic. 1. ad quartum in vltimis verbis, omnia animantia tunc per ſeipſa homini obediuiſſent, ſicut nunc quædam domeſtica ei obediunt. Sicut ergo ex parte animalium maior eſſet ſubiectio, quaſi diuinitus indita, etiam ex parte hominis maior eſſet poteſtas, & facilitas dominandi. Quod autem tunc animalia peculiari modo, & inſtinctu perfectè homini obedirent, indicatum in primis eſt Gen. 2. quando Deus adduxit omnia animalia ad Adam, vt ſingulis nomina imponeret, quaſi tradens illi poſſeſsionem eorum, quorum dominium iam dederat, ipſiſque animantibus quodammodo præbens peculiarem ſui domini cognitionem, cui ad nutum obedire oportebat. Vt eleganter expendit Chryſoſt. homil. 14. in Geneſ. Secundò, erat hoc maximè conſentaneum perfectioni illius ſtatus, in quo ita erant omnia rectè ordinata, vt inferiora perfectè ſuperioribus obedirent, quandiu homo in diuina obedientia perſiſteret: & ideo ſicut inferior appetitus in ipſomet homine perfectè ſubiectus erat rationi, ita etiam perfectè eſſent homini ſubiecta. Tertiò etiam erat hoc aliquo modo neceſſarium, vt homo ſine difficultate, & labore poſſet hanc poteſtatem, & dominium exercere. Maximè verò neceſſarium erat, vt omnia animalia etiam quæ ferocia ſunt, quæ nunc ab hominibus timentur, quia ab eis lædi, & interfici poſſunt, in illo ſtatu eſſent homini manſueta. Nam, vt ait Auguſtin. 14. de Ciuit. cap. 10. *In illo ſtatu, & in tanta affluentia bonorum nihil timere poterant homines, vel dolere, vbi nec mors metuebatur, nec vlla corporis mala valetudo, nec aberat quicquam quod bona voluntas adipiſceretur, nec inerat, quod carnem animumve hominis feliciter viuentis offenderet.* Vnde perfecta hæc animalium obedientia ad donum immortalitatis illius ſtatus ex parte pertinebat, vt homines ſecuri, & ſine vllo timore, aut ſolicitudine viuere poſsint, & fortaſſe hoc in cauſa fuit, vt Eua, cum ei ſerpens loqueretur, nihil timuerit, vt inferius latius dicemus.

Et ita reſponſum eſt tertiæ difficultati in principio poſitæ. Iam enim explicatum eſt, quomodo hæc perfectio dominij ex Scriptura, & Patribus, aliiſque eius expoſitoribus, & quomodo ex natura illius ſtatus colligatur. Quapropter licet verba cap. 9. Geneſis, & Eccleſiaſt. 17. magna ex parte ſimilia videantur, nihilominus cum proportione vtriuſque ſtatus intelligenda ſunt. Nam, vt bene notauit Caietanus, ſubiectio animalium in vtroque ſtatu naturalis eſt, tamen in executione, ſeu in modo obedientiæ aliquid ſupernaturale erat in ſtatu innocentiæ, quia nunc eſt cum aliqua contradictione, & repugnantia, tunc autẽ nihil homini repugnaret, quod ei naturaliter debet eſſe ſubiectum, vt D. Thomas dixit, & hoc ſignificatum eſt per illa verba Sapient. *Poſuit terrorem illius ſuper omnem carnem*, quia peculiari modo fecit, vt omnia animantia reuererentur, ac timerent hominem tanquam ſuum præſidentem, & dominum.

11 *Satisfit 3 argumento poſitorum n. 3.*

Cum autem inſtatur, quia hoc fuiſſet perpetuum quoddam miraculum: reſpondemus, ſi miraculum dicatur, quicquid eſt quoad modum ſupernaturale, verum quidem eſſe, priuilegium illud ſupernaturale fuiſſe, tanquam naturæ non debitum, nec conſequens puram naturam ipſorum animalium. Nihilominus tamen tunc non potuiſſet vocari miraculum, quia non eſſet rarum, nec præter communem, & conſuetam legem illius ſtatus. Nunc autem poſtquam illud peculiare donum per peccatum amiſſum eſt, quando per ſpecialem gratiam aliqua eius participatio conceditur, inter miracula computatur. Modum autem inſinuat D. Thomas articulo primo, & quarto, quia animalia bruta, quamuis rationem non habeant, aliquam habent æſtimationem naturalem, quatenus cum homine in ſenſitiuis facultatibus conueniunt. Vnde quędam illorum quendam naturalem inſtinctum, vmbram prudentiæ, vel artis præſeferentem habent, vt grues, & apes, & ſimilia, alia verò vſu, & conſuetudine, vel aliquali inſtructione mitigantur, & quodammodo familiaria, & obſequentia homini ſunt. Quicquid ergo poteſt in his animalibus conſuetudine acquiri, vel perfici, potuit Deus peculiari inſtinctu (vt ita dicam) quaſi per accidens infuſo, eis tribuere. Non quidem per inhærentem habitum, vt probabilius videtur, ſed per prouidentiam peculiarem inducendo phantaſiam bruti ad eam apprehenſionem, & appetitum eius ad eam inclinationem, quæ ad parendum homini ſine contrarietate, vel repugnantia magis eſſet accommodata.

12 *Ad inſtantiam contra reſponſionẽ ibid. factam.*

Modus ex D. Thoma quo animalia homini ad nutum obedirent.

Explicatur magis.

Nonnulla vero dubia circa hanc partem interrogari poſſunt. Primum eſt, an hæc aſſertio generaliter poſita de animalium ſubiectione aliquam patiatur limitationem. Quod dubium mouetur propter Theodoretum, qui in quæſtione vigeſima in Geneſ. dixit, non vniuerſa animalia propter hominem creata eſſe, excipitque *cete illa grandia & feras terreſtres*, & conſequenter dicit, in hæc non eſſe datam homini poteſtatem. Alioqui enim ait, eorum quoque nomina addita fuiſſent. Hanc

13 *Circa proximam aſſert. dub 1. An dominium hominis extendatur ad omnia animantia. Quidnam ſit*

Senserit Theodoretus, & eius ratio. verò sententiam merito refellit Pererius libr. 4. in Gen. Et improbatur primo ex verbis Scripturæ, quæ valde generalia sunt; Gen. 1. & 9. & Eccles. 17. & Psalm. 8. quorum locorum verba supra adducta sunt, & Iacobus in sua Epist. cap. 3. generatim dicit: *Omnis natura bestiarum & volucrum, & serpentum, & cæterorũ domantur, & domita sunt à natura humana.* Secundò, quia Scriptura in alijs locis docet omnia esse creata propter hominem, etiam cælum ipsum, & terram, vti Moyses ait, Deuter. 4. & Paulus 1. ad Corinth. 3. dixit, *Omnia vestra sunt, sive mundus*, &c. Tertiò, quia homo omnibus illis animalibus dominatur, quæ potest capere, & domare, vel mansuefacere, vel interficere, sed hoc potest homo facere & physicè, seu cum effectu, & moraliter, seu licitè etiam circa feras terræ, & circa cete grandia, seu balenas maris: ergo omnibus sine exceptione dominatur. Argumentum sumptum est ex Augustino dicto lib. 9. Gen. ad lit. c. 14. dicente, datum esse homini non solum pecora, & iumenta, sed etiam fœuas feras, & mansuetas facere, & eis mirabiliter imperare, potentia rationis, & non corporis valeat, vbi cum potestate dominandi feras, potestatem etiam imperandi coniungit, & satis significat, potestatem esse vniuersalem. Quam expressius docuit Basil. hom. 10. in Exaem. vbi etiam cetorum, seu balenarum, ac leonum specialem mentionem facit. Denique experimento etiam hoc comprobatur. Quapropter sine vllo fundamento exceptio illa facta est. Nec ratio insinuata à Theodoreto est alicuius momenti, quia Deus in verbis suis nullum animal in specie nominauit, sed vsus est verbis indefinitis, vel distributis, *dominamini piscibus maris*, inter quos balenæ cõtinentur, *& vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram*, in quibus etiam feræ comprehenduntur.

Primo ex Scriptur.

Secundo ex alijs locis ipsius Script.

3. Ratione.

4. Experientia.

Ad rationẽ Theodoreti.

14 Secundò interrogari potest, an hoc dominium limitandum sit ad animalia. Videtur enim hoc significari, cum specialiter dicitur, *dominamini piscibus maris*, &c. nam cum hoc dominium sit ex dono Dei solum, videtur cadere in res illas, quas ipse expressit. Respondeo, ex rebus à brutis animalibus distinctis, quædam sunt imperfectiores illis, vt plantæ, & alia mista inanimata, vel elementa: alię sunt perfectiores, vt homines vel Angeli. De prioribus certum est, comprehendi sub dominio non solum specialiter pertinente ad statum innocentiæ, sed etiam communi, & connaturali humanæ naturę, ita docet D. Thom. d. art. 2. Quod probat primo ex verbis Gen. 1. *Et præsit vniuersæ creaturæ* Quę verba nunc in vulgata leguntur, *præsit vniuersæ terræ*. & iterum, *Replete terram, & subijcite eam.* Vnde Gregor. Nissen. libr. de opific. homin. cap. 3 dicit, *homini datum esse imperium, cum in maris pisces, tum in terra belluas, aeris que volucres, in iumenta, in terram denique vniuersam.* Si ergo terra hominis dominio tradita est, etiam omnia, quæ ex illa generantur. Deinde hæc omnia sunt facta propter hominem, & ad illius vsum, vel immediatè data sunt, vel mediatè, quia plantæ datæ sunt cunctis animantibus terræ, vt habeant ad vescendum. Ergo si animantia sunt sub hominis potestate, multo magis plantæ, eademque ratio est de cæteris rebus inferioribus. Notat autem D. Thom. aliter exercere hominem dominium circa animalia, quam circa inferiora, nam animalibus dominatur aliquo modo imperando, quia cum illa sint capacia cognitionis & memoriæ, ac experientiæ, possunt signis, & nutibus excitari, & assuefieri, vt obediant, atque ita potest homo aliquo modo illis imperare. Circa alias vero res homo exercet dominium tantum illis vtendo, & executione potius, quam imperio. Et fortasse propter hanc causam expressius fuit declaratum dominium in animantia, quam in cæteras res inferiores, vel etiam quia dominium circa animantia erat in illo statu aliquo modo supernaturale: circa res vero inferiores naturale sufficiebat.

Dub. 1. an dictum dominium extendatur ad alia præter bruta.

Pars neg. suadetur.

Resolutio quoad res infra bruta.

Probatur ex D. Thom. primo.

Secundo.

Discrimen inter dominium in bruta, & in res inferiores.

Cur dominium in bruta expressius

De rebus autem superioribus, vt sunt Angeli, 15 nulla est quæstio, nam certum est, neque humanum dominium ex natura rei ad Angelos extendi, cum illi sint altioris ordinis, & naturæ, neque etiam speciali priuilegio primo homini concessum esse. Quia neque hoc alicubi legitur, neque est diuinæ prouidentiæ consentaneum, quia Deus seruat conuenientissimum ordinem prouidentiæ suæ, inferiora per superiora gubernando. Vnde licet in statu innocentiæ multa facerent Angeli in subsidium hominum, in ijs potius Deo, quam hominibus ministrabant, vel etiam vt superiores, inferiores iuuabant, sicut etiam nunc faciunt.

De æqualibus vero, id est, de hominibus inter 16 se, an homini datum sit dominium in alios homines, dubitari potest, tum quia illud fundamentum dominij, quod est, factum esse hominem ad imaginem Dei, ad dominium supra homines extenditur, cum etiam, quia tale dominium est humanæ naturæ consentaneum, & potuit esse in statu innocentiæ necessarium ad hominis indemnitatem, vt neq; ab alijs hominibus detrimentum aliquod pati posset, sicut de feris dicebamus. Sed quia hoc dominium de facto non fuit in vsu in illo statu, ideo quæstio hæc melius, & plenius infra tractabitur, explicando, qualis futurus esset ille status si Adam non peccasset, pendet enim ex alijs, quæ prius dicenda sunt. Et ideo nunc breuiter dicimus, nullum peculiare dominium in alios homines datum esse Adamo in illo statu, præter illud, quod naturale est, vel quatenus aliquo modo tale esse potest, quia nihil aliud cum fundamento affirmari potest, cum scriptum, aut reuelatum nõ sit, neq; ex alijs conditionibus status innocentiæ necessario sequatur. Accepit igitur capacitatem huius dominij, nam hæc naturalis est, & illa tantum probatur, ex verbis, *ad imaginem, & similitudinem nostram.*

Quadruplex est subiectio mulieris.

Pars affir.

Resolutio.

Obiectio.

Solutio.

Deinde accepit potestatem superioris in vxorẽ, 17 quæ potestas aliquod genus dominij est, & est suo modo naturale ius, quoniam vir caput est mulieris, vt ait Paul. ad Eph. 5. & ideo monet, vt mulier subdita sit viro, ad Colos. 3. & idem habetur 1. Pet. 3. quod ius sine dubio naturale est, vnde etiam in statu innocentiæ seruatum est. Neque contra hoc obstat, quod post peccatum dictum est mulieri, *sub viri potestate eris*, quasi illa fuerit pœna peccati, & nõ ex primaria institutione naturæ. Respondet enim Aug. l. 11. Gen. ad lit. c. 37. significatam ibi esse seruitutem quandam, quę est cuiusdam conditionis, potius quam dilectionis, & in hoc sensu ait, maritum habere dominium in mulierem, *quod non meruit natura sed culpa.* Et Rupert. l. 3. in Gen. cap. 21. ponderat, non solum dixisse Deum, *sub viri potestate eris*, sed etiam addidisse, *ipse dominabitur tui*, quod aliquid amplius indicat, nempe necessitatem quãdam parendi. Quod nos scholastico more explicare possumus, quod in statu innocentiæ fuit mulier sub potestate directiua viri, propter peccatum vero facta est sub potestate coercitiua, & fortasse non solum voluit Deus declarare legitimam potestatem viri in vxorem, sed etiam prædicere, quam molesta, & incommoda sæpe futura erat mulieribus illa subiectio in natura lapsa. Nam permissio huius mali pœna peccati esse potuit. Quod potest à simili explicari ex 1. Regum 8. vbi Samuel ius regis explicuit, non tantum potestatem, sed etiam abusus eius indicando.

Nota

Tertiò dicendum est, dominium hominis super animantia quantum ad vsum aliquo modo maius esse post peccatum, quam antea, quanuis prius fuisset nobilius, & perfectius. Explicatur, quia in statu

Assert. 4.

statu innocentiæ non indigeret homo vsu animalium ad subsistentationem vitæ, quia ex fructibus terræ sufficienter, & sine solicitudine, ac labore sustentaretur. Item non vteretur homo lanis, aut pellibus animalium ad corporis tegumentū, quia in eo statu vestibus non indigeret. Item neque vteretur animalibus ad vehiculum, vt ait D. Thom. dicta q. 91. propter corporis robur, & quia fortasse non multum peregrinaretur, neque cum labore, & defatigatione corporis nimium ambularet. In his ergo vsibus excedit nunc vsus huius dominij in hominibus lapsis. At verò altera pars declaratur, quia homines vterentur his animalibus vel ad vsum scientiæ, vel ad eleuandam mentem in Deum, & laudandum illum ex illorum cognitione, & consideratione, vel ad honestam animi recreationem, & iucunditatem, vt D. Thomas eodem loco docet. Hic autem vsus ex suo genere nobilior est, & in illo statu altiori modo exerceretur. Quod intelligendum est ex vi status, & communiter, seu regulariter loquendo: nam per auxilia diuinæ gratiæ fortasse datum est aliquibus hominibus in hoc statu naturæ lapsæ, vt in hoc vsu creaturarum multos etiā homines status innocentiæ excesserint. Ex his verò oriebatur quæstio, an in statu innocentiæ futurus fuisset vsus carnium. Item an futura essent particularia dominia, & rerum diuisio. Sed hæc tractabuntur melius infrà lib. 5. explicando totum illum permanente statum sub illa hypothesi, *si primi homines non peccarent*, nunc enim, vt dixi, solùm de statu primorum hominum agimus.

CAPVT XVII.

Vtrum primus homo in statu gratiæ creatus fuerit.

HActenus solùm explicuimus naturales perfectiones, quas homines in creatione sua acceperunt, & quædam dona, seu beneficia Dei illis super addita ad supplendos, vel cauendos aliquos defectus, homini in pura natura spectato connaturales, quæ dona homini dari possent, illisque indigeret, etiamsi ad supernaturalem finem, & gradum non eleuaretur. Imò etiam de facto aliqui Theologi putant, ita fuisse hominem creatum in statu, quem vocant integritatis, & innocentiæ naturæ, sine intrinseca eleuatione ad statum gratiæ, quanuis non negent ex diuina intentione, seu ordinatione Dei extrinseca ad supernaturalem finem fuisse creatum. Quia verò ad illum finem non peruenit homo, nec peruenire potest sine habitibus, & actibus gratiæ: ideo videndum superest, an etiam hæc supernaturalia dona primo homini collata fuerint, & quando illa receperit.

In quo puncto in primis supponimus tanquam de fide certum, Adam ante lapsum gratiam sanctificantem habuisse, ita videtur apertè docere Cōcil. Arausic. II. dicens in can. 19. *Natura humana etiam in illa integritate, in qua est condita permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adiuuante, seruaret. Vnde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit.* Igitur ante lapsum habuit natura humana in primo parente salutem gratiæ. Idem definire videtur Concil. Trid. sess. 5. can. 1. vbi sic inquit, *Siquis non confitetur primum hominem Adam cùm mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus statim sanctificantem sanctitatem, & iustitiam in qua constitutus fuerat, amisisse*, &c. *anathema sit.* Vbi particula *constitutus*, in rigore non significat idem quod conditus, seu creatus, sed solùm indefinitè, quòd ante peccatum iam esset gratiam adeptus. Sicut in can. 2. subiungit Adam *acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam perdidisse*, & sess. 6. cap. 7. dicit homines in iustificatione accipere veram, & Christianam iustitiam, *quam Adam sua inobedientia sibi, & nobis perdidit*. & hæc fuit antiqua, & communis Patrum traditio, vt constat ex August. *Ex Patribus* lib. 6. Gen. ad litt. cap. 24. vbi ait, nos renouari per Christum, *quia recipimus, quod perdidit primus homo* & infrà, *Renouamur ergo spiritu mentis nostræ secundum imaginem eius, qui creauit nos, quam peccando Adam perdidit, id est, deformauit gratiam amittendo*. Vnde addit cap. 26. *Vide ergo quid sequatur: Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis: ecce quod perdidit Adam per peccatum.* Et lib. 14. de Ciuit. cap. 10. describens statum primi hominis ante peccatum dicit, in eo fuisse *amorem imperturbatum in Deum, & deuitationem tranquillam peccati*, ac denique habuisse *cuiusdam felicitatis statum*: & libr. de correp. & grat. c. 11. *Quid ergo: Adam non habuit gratiā: imò verò habuit magnam.* & lib. 11. Gen. ad litt. cap 13. *post peccatum intrinsecus gratiam deserente*, & idem lib. 4 contr. Iulia. c. 16. & alia loca in sequenti puncto referemus.

Sic etiam Ambr. lib. 6. Exaemer. cap. 7. *Illa* (inquit) *anima à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pictatis. Illa anima bene picta est in qua est splendor gloriæ, & paternæ imago substantiæ. Secundum hanc imaginem, quæ refulget picturæ pretiosa est Adam ante peccatum* Et lib. 4. Epist. epist. 30. ad Sabinum, *Adam* (inquit) *ante peccatum nudus erat sed nudum se nesciebat, quia erat inditus vi turibus.* Et Epist. 31. ad eundem. *Solus erat Adam, & non est præuaricatus, quia mens eius adhærebat Deo.* Et lib. de Parad. cap. 13. de primis hominibus ait, *Ante peccatum nudi erant, sed non sine virtutum integumentis* Et lib. de Noe & Arc. c. 30. *Adam* (inquit) *reus amictu sapientiæ & iustitiæ mandatorum cœlestium præuaricatione nudatus, nudum se vidit*, &c. Et lib. 2. Epist. epist. 13. ad Marcel. de Adamo inquit, *Agnosce esse te nudum, quia bona indumenta fidei perdidisti.* Et infra dicit amissse peccando *incolatum Paradisi, gratiam Christi.* Et similia habet lib. de Elia, & Ieiunio, cap. 4. & lib. 7. in Luc. cap. 10. explicando parabolam de homine, qui incidit in latrones, *qui despoliauerunt eum semiuiuo relicto* Quam explicat de Adamo, *qui ineffensa beatitudine fruebatur, priusquā incideret in latrones*, id est, vt exponit, *Angelos tenebrarū qui despoliant, quæ accepimus indumenta gratiæ spiritualis* Et adiungit, *Caue ergo ne ante nuderis sicut Adam nudatus est.* Item Cyprian. l. de Bon. patient. dicit, *cōsummari nos cœlesti natiuitate reparatos si similitudo diuina quā peccato Adam perdiderat, manifestetur, & luceat in nobis*, vbi per similitudinem diuinā gratiam intelligit, sicut multi alij Patres exponūt verba illa, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram* scilicet, ad imaginem per naturam, & similitudinem per gratiā. Vnde inferiùs circa finem libri iterum inquit, *Adā contra cœleste præceptum cibi lethalis impatiens in mortem cecidit, nec acceptam diuinitus gratiam patientia custodę seruauit.* Idem sentit Tertull. lib. de Patient. c. 5. dicens de Adamo, *Innocens erat & Deo de proximo amicus & Paradisi colonus.* Præterea Irenæus lib. 3. contra hæres. c. 20. in eodem sensu dixit Christum salutē nobis præstitisse, vt q. perdideramus in Adam, id est, secundùm imaginē, & similitudinem esse Dei, hoc in Christo Iesu reciperemus. Et cap. 37. clariùs dicit amissse Adam per inobedientiam quā habuit ab Spiritu sanctitatis stolā. Quod priùs significauit Dionys. c. 3. de Eccles. hierarch. in tertia eius parte versùs finē, & sic etiam dixit Basil. lib. de Spiritu sanct. c. 15. quòd *per Spiritum sanctū datur in Paradisum restitutio.* Et priùs dixerat, Christum venisse, *vt homo veterem illam adoptionem, qua in ius filiorum ascitus fuerat, recipiat.* Vbi sine dubio *veterem adoptionem* vocat eam, quæ in Adamo primitus facta est. Et sic etiam dicit Cyrill. l. 1. in Ioan. cap. 15. Adam propter transgressionē gratia fuisse nudatum. Et Anast. Synait. l. 10. in Exaemer. dicit, Adam

ante transgressionem fuisse *totum lucidum, Deiformem, & imaginem quandam Deo similem.* Quas perfectiones non nisi gratia sanctificans animæ præbet. Et Moyses Barcepha lib. de Parad. p. 1. cap. vlt. non longè a principio quatuordecim beneficia, quæ Deus Adamo in Paradiso contulit, numerat, ex quibus nonnulla donum gratiæ indicant, nam in 6. ait, *Admisit ipsum velut in suam familiarem, vt ea sese pro arbitrio obiectaret, meditationibus, contemplationibusque diuinis vacans, & indulgens.* Et in 8. quòd *maxima ipsum sapientia induit.* Et in 9. quòd *prophetiæ dona in ipsum contulit.* Nam licèt hæc dona interdum separentur à gratia, tamen quando ex peculiari fauore, & beneuolentia conferuntur, statum gratiæ supponunt. Et simile est, quod 12. loco ponit, dicens: *Ita ipsum Adamum comparauit, vt animo, & intelligentia sua, Angelis esset familiaris.* Vnde Chrysost. homil. 16. in Gen. dicit, hominem in Paradiso habuisse *angelicum quendam statum, & mira gloria fuisse amictum, & in summo fuisse honore, & nihil minus prope modum Angelis ipsis habuisse.* Vnde & *Angelum terrestrem* vocat, quem malus Angelus inuidit, & ideo magna vsus est machinatione, vt ipsum gratia Dei priuaret: & sæpius ibidem repetit, propter peccatum fuisse *honore maximo priuatum, a gratia Dei abalienatum, & supernæ gratia amictu nudatum.* Et in sequenti assertione plura alia referemus non solùm ex Patribus, sed etiam ex Scriptura, quæ hanc partem à fortiori confirmant.

4. *Stabilitur denique dicta suppositio ratione sumpta ex diuinæ prouidentiæ cõgruentiis. Prima.*

Ratione solùm potest hæc veritas ostendi ex conuenienti ordine diuinæ prouidentiæ. Et in primis sumi potest argumentum à simili ex prouidentia circa Angelos, etiam malos, quos Deus prius in gratia constituit, quã peccarent, vt superiori tractatu lib. 5. cap. 4. ostensum est: ergo idem credendum est fecisse cum humana natura. Probatur cõsequẽtia, tum quia illam æquauit angelicæ in termino, seu in statu patriæ quoad substantiam beatitudinis: ergo debuit etiam æquare in viæ statu, quoad substantiam gratiæ: tum etiam quia licèt natura angelica sit excellentior natura humana, est magis indigens, & ex hac parte debuit magis in via sanctificari, tum denique quia voluit Deus creare hominem in quodam beatifico statu, quãtum viæ ratio patiebatur, sicut etiã Angelos creauit, vt latè discurrit August. in lib. 11. de Ciuit. & lib. 11. de Gen. ad lit. quod etiam significauit Chrysost. primum hominem appellando *Angelum terrestrem*, sicut etiam Nazianz. loco statim citando, *alium angelum* vocat. Secunda congruentia sumi potest ex August. lib. de corrept. & grat. cap. 10. & 11. vbi ait, Deum sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet, quid eorum liberum arbitrium, deinde quid posset *suæ gratiæ beneficium.* Quod necessarium intelligendum est de libero arbitrio sufficienter per gratiam instructo, & adiuto, vt supra dixi, quia sine gratia nihil potest liberum arbitrium in ordine ad supernaturalem finem. Vnde in initio cap. 11. addit: *Quid ergo, Adam non habuit Dei gratiam? Imo verò habuit magnam.* Vt ergo iustum, & æquum esset experimentum, debuit libero arbitrio adiũgi gratia in ipso certamine, seu in statu viæ. Vnde consequenter ait August. *Istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus, sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset; & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset.* Et infrà, *Nec ipsum ergo Deus sine sua gratia esse voluit, quam reliqui in eius libero arbitrio, quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotente bono.* Et hanc rationem indicauit Tertull. lib. 2. cõtra Marcio. cap. 5. dicens, *Hunc statum,* (scilicet primi hominis) *confirmauit etiam ipsa lex tunc à Deo posita, non enim poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate.* Vnde licèt præcipuè intendat probare potestatem liberi arbitrij, quia verò liberum arbitrium sine gratia non sufficit, idem consequenter de gratia, ratio probat. Posset autem quis dicere, rationem hanc rectè probare de auxiliante gratia, non verò de habituali, & sanctificante. Respondetur auxiliantem gratiam non dari connaturali modo, nisi ratione habitualis, & sanctificatis gratia præexistentis, & consequenter non dari per se loquendo, nisi ratione illius, licèt aliquando ex accidenti detur in ordine ad illam, & ideo in prima institutione non debuit gratia auxilians à sanctificante separari.

Secunda.

Efficacia præcluditur.

Hoc ergo certo fundamento supposito, superest dubium, an hæc gratia fuerit data Adamo à primo instanti creationis eius. Potuit enim non dari in primo instanti, & nihilominus dari ante peccatum, quia sufficiens tempus interfuit. In hoc ergo sensu dixerunt aliqui Theologi, Adam non fuisse creatum in gratia. Ita Alens. 2. p. q. 91. membr. 1. art. 1. quanuis membr. 2. art. 1. fateatur, habuisse gratiam ante lapsum. Idem tenet Magist. in 2. d. 24. Bonauent. in 2. d. 29. art. 2. q. 2. cùm in prima dixisset, fuisse in gratia, priusquam peccaret. Et idem sentit ibi Scot. q. *vnica,* & Marsi. in 2. q. 16. art. 6. & Richard. d. 21. art. 1. q. 1. & idem sentiunt quasi à fortiori, qui negant, Angelos fuisse in gratia creatos. Specialiter Ægid. in 2. d. 4. q. 1. art. 4. & ibidem Argent. q. 1. art. 2. Citatur etiam Hugo de Sanct. Vict. lib. 1. de Sacram. p. 6. Veruntamen ille in cap. 17. ii. fin. *Nihil temere* (ait) *diffinire volumus.* Loquitur que non solùm de primo instanti, sed absolute de toto tempore illius status, de quo minimè dubitare debuit, quanuis de primo instanti res dubia sit.

Videturque huic sententiæ fauere Cyprian. Epist. 74. ad Pompei. vbi cùm dixisset, hominẽ nasci *denuo per Baptismum,* & in manuũ impositione Spiritum sanctum accipere, addit, *Vt spiritum iam natus accipiat, sicut in primo homine Adam factum est. Ante enim Deus eum plasmauit & tunc insufflauit in faciem eius flatum vitæ, neque enim potest accipe spiritus, nisi prius fuerit, qui accipiat.* In quibus verbis videtur peculiari modo exponere verba illa Gen. 2. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Nam prima verba intelligere videtur de formatione totius hominis integri, & capaci Spiritus sancti, quod non est, nisi homo iam constans ex rationali anima. Et ita in secunda verborum parte per *spiritum vitæ,* gratiam Spiritus sancti intelligere videtur, & consequenter necesse est, vt vltimam partem intelligat, non de vita corporis animali, sed de vita spirituali animæ. Et quod ad rem præsentem facit, necessarium putat, vt prius homo exiterit, quàm Spiritum sanctum reciperet: ergo sentit non accepisse primum hominẽ gratiam in eodem instanti, in quo creatus est.

At verò D. August. 13. de Ciuit. cap. 24. quanuis illam non probet expositionem, nam spiraculum vitæ de anima rationali, & de vita animali rectissimè interpretatur: nihilominus in hoc cõcordare videtur, quòd in illo creationis instanti non recepit homo spiritum gratiæ, sed solũ spiritum animæ rationalis. Et inducit illud Pauli 1. ad Corinth. 15. *Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem, sed non prius quod spirituale est, sed quod animale.* Et clariùs lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 8. vbi eandem tradens expositionem de infusione animæ, per quam homo naturaliter viuit, adiungit, *Nondum tamen spiritualem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viuentem, sed adhuc animalem. Tunc enim spiritualis effectus est, cum in Paradiso, hoc est, in beata vita constitutus, præceptum etiam perfectionis accepit, vt verbo Dei consummaretur.* Per quæ verba indicat, Adamum non fuisse

fuisse iustificatum, donec in Paradisum translatus est. Præterea idem August. l. 11. de Ciuit. cap. 12. dicit, quantum ad spem futuræ vitæ iustos in natura lapsa beatiores esse, quàm fuerit homo in statu innocentiæ, quod non esset verum, si homo in statu innocentiæ, simul cum cæteris donis proprijs illius status gratiam etiam habuisset.

Et ex his testimonijs possunt coniecturæ, seu congruentiæ sumi. Prima, quia oportuit opus naturæ distingui ab opere gratiæ, & ideo prius tempore hominem creari, quàm iustificari. Secunda, quia verisimile est, non fuisse Adam iustificatum, nisi in Paradiso, quanuis extra Paradisum fuerit creatus. Tertia, quia homo adultus non iustificatur sine proprijs actibus: non potuit autē Adam, propter impedimētum corporis animalis, statim in primo instanti habere simul omnes actus ad iustificationem necessarios: ergo.

Nihilominus probabilius credimus, Adā fuisse iustificatum in eodem instanti, in quo fuit creatus. Hæc est sententia D. Thom. 1. p. q. 95. a. 1. quam omnes Thomistæ sequuntur, & Albert. Magn. in 2. d. 24. art. 1. & alij *ibidem*, & d. 29. idem censent in hoc puncto in primo homine, quod in Angelis, quos suprà cōditos in gratia fuisse ostendimus. Et probatur primò ex verbis illis, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, iuxta expositionem Patrum, qui per imaginem intellectualem naturam, per similitudinem verò sanctificationem gratiæ interpretantur, quos in superioribus allegauimus, & alios statim referemus. Nec dici cum fundamento potest, hominem in primo instanti factum esse ad imaginem in actu, (vt sic dicam) ad similitudinem autem, non actu, sed aptitudine. Hoc enim gratis fingitur, & distinguitur, cùm Deus æqualiter de vtraque fuerit locutus. Item frustra adderetur *ad similitudinem*, propter solam capacitatem, quia hæc in imagine intrinsecè continetur. Ac denique cùm hoc testimonium maximè fundetur in expositione Patrum, illi certè æqualiter docent, hominem simul accepisse imaginem, & similitudinem.

10. Secundò ad hoc probandum vtitur D. Thomas illo Ecclesiast. 7. *Deus fecit hominem rectum*, vt videre licet dicta q. 95. & 100. Et habet magnum fundamentum in Scriptura, in qua non dicuntur simpliciter recti, nisi iusti, & Deum in toto corde diligentes, iuxta illud Canticor. 1. *Rectè diligunt te*, & Iob 4. *Quando recti deleti sunt?* & Psalm. 7. *Saluos facit rectos corde.* & Psalm. 32. *Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio*, vbi in secunda sententia prioris ratio redditur, & ita eosdem vocat rectos, quos iustos vocauerat. Atque hoc sensit Aug. 14. de Ciuit. cap. 11. & 27. & de Correp. & grat. cap. 10. cùm exponit, creasse hominem rectum, id est, bonæ voluntatis. Nam secundùm August. non fecit voluntatem bonam, nisi charitas, imò neque aliquid simpliciter bonum fit sine gratia. Et in idem redit, quod Hieron. ibi & lib. 1. contra Iouini. exponit, hominem rectum, id est, bonum. Quia etiam non est homo simpliciter bonus, nisi sit iustus. Et ita etiam intellexit illum locum Rupert. lib. 2. in Gen. cap. 3.

11. Præterea non parum fauent, quæ de perfectione, quam Deus primo homini contulit, dicuntur Ecclesiast. 17. *Deus creauit hominem, & secundum se vestiuit illum virtute*, id est, fortitudine, *& robore*, vtique animi, quod maximè præstat gratia. Et infrà, *Disciplina intellectus impleuit illos, creauit illis scientiam spiritus*, &c. vsque ad illud, *addidit illu disciplinam, & legem vitæ hereditauit illos, testamentum æternum constituit cum illis, & iustitiam, & iudicia sua ostendit illis.* Per quæ verba non solùm status gratiæ, sed etiam valde perfectus, indicatur. Verum est tamen inde non satis colligi illa omnia in instanti creationis fuisse homini collata, aliqua enim ex illis potuerunt in Paradiso, & ante peccatum tribui. Addi verò potest, quod dicitur Sapient. 2. in fine, *Deus fecit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ*: nam ibi satis significatur, perfectionem illam à principio habuisse. Similitudo autem addita imagini perfectionem gratiæ indicat, vt dixi, iuxta multorum Patrum expositionem. Et præterea in eo, quod dicitur *inexterminabilis*, stat⁹ integritatis, & immortalitatis indicatur, quia in gratia fundatus erat, vt statim dicam. Maximè verò hoc videtur confirmare Paulus ad Ephes. 4. dicens, *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Vbi Paulus iubet, nos renouari induendo sanctitatem, quam Christus nouus homo nobis attulit, & istam sanctificationem renouationem vocat, quia per illam reducimur secundùm spiritum ad illam primam nouitatem, quā in Adam habuimus, & amisimus: ergo præcesit hæc sanctitas in primo homine. Et, vt intelligamus, hanc sanctitatem fuisse in Adamo à principio creationis, addit Paulus ad Colos. 3. *Expoliantes nos vetere hominem, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illum.*

12. *Probatur 2. eadem assert. ex Patrib.*

Secundò probatur assertio ex Patribus. Et in primis aliqui adducunt pro hac assertione Concilia, & testimonia in præcedenti adducta, nullū discrimen inter eas constituentes. Sed fine dubio est maximum, nam prior certa est, & de fide, quia est apertè definita: hæc posterior non est ita certa, quia nec satis expresè in Scriptura continetur, nec definita inuenitur. Possunt nihilominus induci Conciliorum, & Patrum testimonia in priori puncto allegata, quia dum docent, primum hominem ante peccatum fuisse iustum, indefinite, & sine limitatione loquuntur: ergo indicant in toto illo priori tempore fuisse iustum, nec nos possumus cum fundamento distinguere diuersos status in illo priori tempore, nec Patrum locutiones limitare. Sed præterea conclusionem hanc speciali-

Quomodo afferri possunt quæ allata sunt num. 2. & 3.

Deinde stat August. pro assertione:

liter confirmat August. lib. 14. de ciuit. cap. 11. dicens, *Bona voluntas opus est Dei cum illa quippe ab illo factus est homo.* Non autem bona voluntas apud Augustinum sine charitate. Vnde inferius subdit, *Viuebat itaque homo secundum Deum in Paradiso, & corporali, & spirituali, nec enim erat Paradisus corporalis propter bona corporis, & propter mentis non erat spiritualis.* Deinde in alijs locis sæpe indicat Augustinus totam rectitudinem, quā primi homines habuerunt in appetitu, & pacem illam inter corpus, & spiritum, fundatam in gratia fuisse. Vnde lib. 13. de Ciuit. c. 13. ait, *Postquam præcepti facta transgressio est, confestim gratia deserente diuina de corporum suorum nuditate confusi sunt.* Quod etiam repetit lib. 11. Gen. ad litt. cap. 31. in fin. At verò certum est hominem à principio cum illa integritate fuisse creatum: ergo secundum August. etiam fuit in gratia creatus. Denique alibi in hoc æquiparat primum hominem, & Angelos, præsertim lib. de Corrept. & grat. cap. 10. & 11. Atque de Angelis dicit idem Augustin. lib. 12. de Ciuit. cap. 9. *Quod Deus simul erat in illis condens naturam, & largiens gratiam*, vt in præcedenti tract. lib. 5. in princip. latiùs diximus: idem ergo de primo homine August. sensit. Vnde in Enchirid. cap. 104. dicit, *Quod Deus primum hominem in ea salute, in qua conditus erat, custodire voluisset*: nomine autem *salutis* clarum est, significari sanctificationem gratiæ: ergo fuit homo conditus in gratia, secundum Augustinum.

13. *Stat Damascen.*

Præterea hoc indicant alij Patres, Damasc. lib. 2. de Fide, cap. 12. prius enim dicit: *Hominem ex visibili, & inuisibili natura Deus manibus suis ad imaginem, & similitudinem suam condidit.* Et inferiùs addit, *His verbis ad imaginem vis intelligendi, arbitriique libertas significatur.*

catur. His autem ad similitudinem, virtutis quoad eius fieri potest, expressa similitudo, vbi ponderandum est verbum *quoad eius fieri potest*, quia non potest naturalis imago melius perfici, ad similitudinem Dei in statu viæ, quàm per gratiã, de qua intelligitur, quod subdit: *Creauit itaque Deus hominem innocentem, rectum, probum, omni virtutum genere coornatum, Angelum alterum, adoratorem mixtum.* Et infra, *Spiritum simul & carnem, spiritum videlicet ob gratiam*, &c. idem sentit Basil. Psalm. 48. circa illa verba, *Homo cum in honore esset, non intellexit*, dicens, *Hominibus vis inest, qua creatorem suum, & opificem agnoscere possint, & intelligere, insufflauit enim in faciem, hoc est, partem aliquam propriæ gratiæ apposuit homini, vt per hanc sibi impressam similitudinem, eum, cui similis est, agnosceret.* Idem significat Nazianzen. Orat. 42. quæ est 2. in Pascha, nam describendo creationem hominis perfectionem gratiæ æquiualentibus verbis describit. Nam ab illo multa verba mutuauit Damas. ait enim, *creasse Deum hominem velut Angelum alium mixtum adoratorem, terrenum, & cœlestem spiritum, & carnem, spiritum propter gratiam, carnem ob elationem, & quod mysterii extremum est animi ad Deum nutu, & properationem diuinitatem consequens.*

14. Idem significat Cyrill. lib. 1. de Adorat. in spiritu, dicens: *Posteaquam propriæ naturæ rationibus hoc animal (scilicet homo) absolutum fuit, opifice Deo, statim illius similitudine præditum est. Impressa enim in illo est diuinæ imago naturæ inspirato Spiritu sancto.* Et lib. 2. in Ioan. cap. 3. ad medium, *Ad imaginem* (inquit) *& similitudinem Dei factus homo à Moyse dicitur. Ab eodem etiam didicimus spiritu ad imaginem diuinam sigillatum hominem fuisse. Simul enim & vitam creaturæ spiritus immisit, & characterem suum, vt Deum decet, impressit, & sic fuit in Paradiso, quousque gratiam creatoris Spiritu sancto inhabitante seruauit.* Et lib. 11. cap. 25. dicit in verbis illis, *Iuspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, significasse Moysem non *absque sanctificatione spiritus animam homini datã, nec à diuina natura penitus destitutam*, quod etiam repetit lib. 12. cap. 56. Sic etiam Chrysost. homil. 9. in Gen. dicit hominem factum ad similitudinem, quia *virtutibus Deo similis effectus est*, & homil. 16. ait, dæmonem inuidia motum esse, quoniam *videbat hominem formatum in summo esse honore*, & alia quæ suprà retuli. Denique idem significat Prosp. in respons. ad 8. obiection. Gallorum, circa finem, dicens, *Neque hæc dona* (scilicet iustitiæ & gratiæ) *ita ex Deo esse opinemur, vt quia ipse naturæ nostræ auctor est per conditionem, iam hæc contulisse videatur. Quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccauimus.* Videri etiam potest lib. 2. de vita contemplat. cap. 18. & Leo Papa serm. 4. de Natiuit. cap. 2. & Anselm. lib. de Conceptu Virg. cap. 10. vbi inter alia dicit, rationalem naturam *iustam* esse creatam. Multa etiam de hoc habet Bernard. serm. 1. de Annunc. & serm. de Cœna Domini, & Rupert. libro 2. de victori. Verbi, cap. 6.

15. *Probatur denique rationib. Prima.* Ratione suaderi potest hæc sententia. Primò ex congruentia diuinæ prouidentiæ, nam Deus creaturas produxit in statu perfecto ad ferendum fructum vnius cuiusque fini consentaneum, vt suprà de creaturis etiam homine inferioribus diximus: ergo multo magis credendum est, creasse hominem perfectum ad fructificandum in ordine ad supernaturalem finem, propter quem illum creabat. *Secunda.* Secundo probari potest à simili, quia Deus creauit Angelos in gratia: ergo & hominem, nam sicut vtramque naturam æqualitatem quandam in gloriæ statu habere voluit, ita in statu vitæ verisimile est, vtranque aqualiter in gratia creasse. *Tertia.* Quam æquiparationem multi ex citatis Parribus faciunt, & superius in num. 4. latiùs explicata est. Tertio est optima coniectura, quia si Adam perseueraret in statu iustitiæ, filij eius nascerentur in gratia: ergo multo magis dicendum est primum eorum parentem fuisse in gratia creatum. Consequentia secundùm prudentem rationem videtur per se nota. Antecedens verò infrà tractãdum est. Nunc verò declaratur à posteriori, quia nunc infantes ab instanti conceptionis incipiunt esse in peccato, quia carent gratia, quam habere deberẽt: ergo è conuerso, si radix non fuerit infecta, statim gratiam reciperent, quam habere debuissent. Denique coniectura etiam suprà tacta non est contẽnenda, quia est certum, primos homines habuisse gratiam, antequam peccarent, & non potest cum fundamento, post primum instans, tempus certũ iustificationis eorum designari, neque in primo instanti est peculiaris ratio repugnantiæ, aut difficultatis, vt ex solutionibus argumentorum patebit: ergo lõgè credibilius est, in primo instanti fuisse iustificatos. Quæst.

Superest, vt ad argumenta in principio posita respondeamus. Primum sumebatur ex testimonio Cypriani, in quo etiã insinuatur ratio, qua Alens. Bonauent. & alij vtuntur: quia esse gratiæ supponit esse naturæ, & ideo prius debuit homo creari in esse naturali, quàm gratiam reciperet. Ad quam rationem, vt hinc initium sumamus, facilis est responsio, quia satis est, quòd creatio hominis in esse naturæ ordine naturæ præcesserit sanctificationem eius, nec fuit necessarium, vt etiam ordine temporis antecederet. Quæ responsio quantum ad vim rationis pertinet, sufficientissima est. Instari tamen potest exemplo à Cypriano inducto, eiusque auctoritate. Quia sanctificatio per Baptismum tempore antecedere debet plenitudinem Spiritus sancti, quæ in confirmatione datur: neq; ibi ordo naturæ sufficit. Respondetur tamen, non esse similem rationem, quia sanctificationes Baptismi, & confirmationis dantur per modum generationis, & perfecti augmenti, inter quæ solet esse non tantùm ordo naturæ, sed etiam temporis. Item dantur per duo sacramenta distincta, inter quæ tẽpus necessariò interponitur, quia vtrũque succesiuè fit. At verò creatio, & productio gratiæ fiunt in instanti & per modum creationis, & concreationis, & ideo sufficit inter eas ordo naturæ. Sed additur tandem auctoritas Cypriani, quia comparat sanctificationem Adæ respectu creationis eius, sanctificationi per confirmationem respectu generationis per Baptismum. Respondeo æquiuoca esse verba Cypriani: sic enim ait: *Non per manus impositionem quis nascitur, quando accipit Spiritum sanctum, sed in Baptismo, vt spiritum iam natus accipiat sicut in primo homine Adam factum est. Ante enim Deus eum plasmauit, & tunc insufflauit in faciem eius flatum vitæ. Neque enim potest accipi spiritus, nisi prius fuerit, qui accipiat.* Quæ comparatio potest duobus modis intelligi. Primò vt non loquatur de sanctificatione Adæ, sed de animatione per infusionem animæ rationalis, de qua ad litteram est sermo in testimonio Genesis, quod adducit. Et ita exemplum erit cum proportione sumendum: quòd sicut Deus prius formauit corpus, vt posit accipere animam, quam postea insufflauit in ipsum: ita priùs homo generatur in Christo, quam ei Spiritus sanctus singulariter conferatur. Vel secundò si totum Adam intelligit, cùm dicit *prius fuisse plasmatum*, scilicet, ex corpore, & anima constantem, & postea *illi esse insufflatum spiritum*, id est, gratiam: dicendum est, non facere vim in ordine temporis, nec ad hoc exemplum adducere, sed solùm ad declarandum ordinem præsuppositionis, seu distinctionis inter actiones, quarum vna supponit effectum alterius, siue ille ordo sit temporis, siue naturæ, hoc enim nil ad causam referebat. *Duplex sensus Cypriani.*

Ad secundum argumentum sumptum ex testi- 17. monijs Aug. quod attinet ad primum ex lib. 13. *Aduersus de Ciuit. Aug. n. 9.*

de Ciuit.cap.24. respondeti potest, Augustinum non ibi tractare, vtrùm Adam fuerit creatus cùm gratia, necne, sed quid per verba illa significetur, *Insſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* In hoc ergo sensu dicit, per illa verba non significari inspirationem gratiæ, ac proinde ex vi actionis significatæ per illa verba, non fuisse Adam factum spiritualem, seu sanctum, sed esse factum hominem viuũ, & naturalem, seu animalem, vt declarant illa verba, *Et factus est homo in animam viuentem.* An verò cum illa actione coniuncta fuerit alia, qua homo iam factus in animam viuentem fuerit etiam factus in spiritum viuificantem, ibi Augustinus nec affirmat, nec negat, quia illud non tractat. Difficilior est alter locus ex l. 2. Gen. contra Manich. cap. 8. quia in eo videtur dicere, primum hominem non fuisse spiritualem effectum, *donec in Paradiſo, hoc eſt, in beata vita conſtitutus præceptum perfectionis accepit.* Sed fortasse ibi per hominem spiritualem nõ intelligit hominem vtcunque in gratia constitutum, sed habentem iam integram perfectionem illius status, quam vsque ad Paradisum non obtinuit. Quæ expositio acceptanda videtur, quia in alijs locis magis declarauit mentem suam, nisi velimus dicere in alijs locis postea addidisse, quod priùs non satis declarauerat, vel fortasse assecutus non fuerat. Aliud verò testimonium ex 11. de Ciuit.cap.12. difficultatem non habet, quia Augustinus non dicit homines in statu innocentiæ non fuisse æque beatos in spe, sicut sunt homines lapsi, ordinariè loquendo, neque hanc absolutam comparationem facit, aliàs illo testimonio probaretur, sensisse Augustinum, hominem in statu innocentiæ non fuisse iustum, quod improbabile est. Comparat ergo hominem in statu innocentiæ, reuelationem perseuerantiæ non habentem, cum homine iusto in statu naturæ lapsæ habente talem reuelationem, & hunc dicit esse beatiorem, non ratione iustitiæ, sed ratione certitudinis æternæ salutis, quod clarum est.

Ad congruentias respondetur, ad primam, negando consequentiam, quia opus naturæ, & gratiæ, etiamsi simul tempore fiant, satis ex suis terminis distinguuntur. Et homo, qui vtrunque beneficium simul recipit, per fidem optimè cognouit beneficium gratiæ fuisse distinctum à dono creationis, & Deum erga se eo liberaliorem, quo vtrunque donum simul sibi donauit, ex quo ad maiorem erga Deum beneuolentiam, & gratitudinem permoueri potuit. Ad secundam congruẽtiam respondeo, nõ esse verisimile, Adam non fuisse iustificatum prius, quam in Paradisum translatus fuerit, quia illa tanta dilatio nec ratione, nec auctoritate fundari potest: diuina autem gratia tarda molimina nescit, nec tunc erant necessaria, vel oportuna. Item quia à principio fuit homo cùm integritate naturæ conditus, & sine rebellione appetitus: cur ergo non fuisset etiam sanctificatus ante translationem in Paradisum: Denique maximè decuit vt in ipsum Paradisum iam sanctus ingrederetur, ibique perficeretur. Ad tertiam coniecturam de sanctificatione per propriam dispositionem post caput sequens dicam.

CAPVT XVIII.

Quam perfectam rerum ſupernaturalium cognitionem homo ante peccatum obtinuerit.

EX dictis in præcedenti capite manifestè colligitur habuisse Adam in statu innocentiæ charitatem, & alias virtutes per se infusas morales, & dona Spiritus sancti, saltem quoad habitum: quia hæc, vt supponimus, consequuntur gratiam gratum facientem in omni eius statu, ideoque de his habitibus nihil aliud in particulari dicendum superest. De actibus verò eorum nonnihil in capite sequenti addemus. Vt autem etiam constet, quid de fide, & spe sentiendum sit, supponendum vlterius est Adam ante peccatum illam perfectissimã cognitionem non habuisse, quæ est visio beata. Ita docent D. Thom.1.p.q.94.art.1.& Alexand. Alens. 2.p.q.92. memb.2.art. 1. & reliqui Theologi in 2.d. 23. Potestque conclusio duobus modis intelligi. Prior est indefinitus, nimirum Adam non toto tẽpore ante peccatum vidisse Deum clarè, seu pro aliquo tempore caruisse visione Dei. Et in hoc sensu conclusio est certissima, quia Adam potuit peccare, & peccauit in Paradiso, vt est de fide certum. Ergo eo tempore non videbat Deum, quia visio Dei saltem quandiu durat, reddit hominem impeccabilem. Item certũ est Adam in Paradiso fuisse viatorem, & in statu merendi, & ad hoc habuisse à Deo præceptum, vt per eius obedientiã posset de Deo bene mereri, sed hæc repugnant cum statu comprehensoris: ergo. Nec refert quòd Aug interdum dicat, hominem in Paradiso fuisse beatum, vt lib.11.de Ciuit.c.12.& l.14.cap.10. nam loquitur de beatitudine inchoatæ viæ. Vnde in lib.11. Gen. ad litt.cap.18.ait. hominem in Paradiso fuisse beatum, non simpliciter, sed secundùm *quendam modũ*, & ideo ibidem, & alijs locis ait, hominem si in Dei obedientia perseuerasset sine morte ad statum comprehensorum transferendum fuisse. Et eodẽ modo loquitur Damasc. lib.2.cap.11.in princ.iunct.o cap. 12. De hoc ergo sensu nulla est dubitatio, sed certa fides.

Adam in 1. inſtanti

1. Aſſertio præambula: sẽsus vnius aſſertionis probatur 1.

Probatur 2.

Non obſtat Auguſtinus

Nec Damaſcenus

Posterior sensus est vniuersalis, scilicet nullo tempore, vel momento Adã vidisse Deum in sua creatione, vel in Paradiso. Et hic sensus licèt tam certus non sit, nihilominus est omnino verus, & oppositum nullam habet probabilitatem. Ratio est, quia generalis regula Scripturæ est, *Deum nemo vidit vnquam*, vtique in vita mortali, vel animali, iuxta id, quod alibi Deus dicit: *Non videbit me homo, & viuet*, vtique animali vita. Ab hac autem regula generali non licet quenquam excipere sine sufficientis auctoritatis fundamento. Quia talis exceptio non potest ratione ostendi etiam in primo homine, quia illud priuilegium non erat debitum illi statui: imò nec est secundùm se consentaneum statui viatoris, & alioqui pendet ex liberali Dei voluntate: ergo nisi de hac voluntate per reuelationem, seu auctoritatem constet, non solùm gratis, sed etiam temere quispiam affirmare audebit, priuilegium hoc Adæ in Paradiso, aut tempore viæ fuisse concessum. Quòd autem id nulla auctoritate fundetur, probatur, quia neque in Scriptura reuelatum est, neque à Patribus, vel Ecclesia traditum. Aliqui verò dixerunt, soporem illum, quem Deus immisit in Adamo ad formandam Euam, fuisse eleuationem mentis eius ad visionem Dei clarã, vt sic omnino à sensibus abstractus auulsionem costæ non sentiret. Quam opinionem refert D. Thomas dicta q.94.art.1.& nihil de ea dicit. Re tamen vera nullum fundamentum in verbis Scripturæ habet, quia nomen *soporis* valde generale est, & gratis determinatur ad extasim visionis beatæ, quia potuit esse sopor ille per solam cognitionem abstractiuam in altissima contemplatione, vel prophetica reuelatione, vt in superioribus diximus cum Augustino lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 12. nec propter solam abstractionem à sensibus, aut propter indolentiam ex ablatione costæ visio beata necessaria erat, quia per plura alia media facillimè potuit Deus vtrunque præstare, vt per se satis est notum, & suprà etiam explicatum.

2 *Probatur etiam ſenſus alter.*

Occurrunt quidam

Sine fundamento tamẽ

Hoc lib.5: c.2.à n.17

Ex

3. 1. Corollar. ex dictis cuiusmodi gratiam habuerit Adã. 2. Corollar. cuiusmodi ſpem.

Ex hoc ergo fundamento colligimus non habuiſſe Adamum in ſtatu innocentiæ gratiam conſummatam, quia non conſummatur niſi in ſtatu beatitudinis, ſeu per viſionem beatam. Vnde fit, gratiam Adæ fuiſſe gratiam viatoris, quia inter viam, & terminum non eſt medium. Secundò ſequitur habuiſſe Adam ſimul cum gratia, & charitate ſpem futuræ beatitudinis, quia ſicut is, qui videt, iam non ſperat, & è conuerſo, qui nõ videt, vt iuſtificari poſsit: & in beatitudinem tendere, neceſſe eſt, vt ſperet. Et ideo nunc ad iuſtificationem neceſſaria eſt ſpes, vt Conc. Trident. ſeſſ. 6. docet, in quo eadem eſt ratio de homine in ſtatu innocentiæ, quod attinet ad ſpem beatitudinis, nam ſpes remiſsionis peccatorum tunc non erat neceſſaria, nondum exiſtente peccato. Potuit autem, & debuit ſperari auxilium bene operandi, & perſeuerandi, quia propoſitum obediendi Deo, & perſeuerandi in eius obedientia tunc etiam neceſſarium erat. Nec homo tunc præſcius erat ſui caſus, ideoque ad perſeuerandum conari poterat, & debebat, quod ſine ſpe diuini auxilij facere non poterat, cum ſine Dei gratia perſeuerare non poſſet. Fuit ergo ſpes ſimul gratia hominis infuſa. Tertiò concluditur ex dictis, etiam fuiſſe primo homini ante peccatum infuſam notitiam aliquam ſupernaturalem myſteriorum ſupernaturalium, earum rerum, quæ ſupernaturaliter amandæ, vel ſperandæ erant. Hoc etiam eſt omnino certũ. Tum quia non minus eſt neceſſaria in viatore, cognitio termini, in quem tendit, quàm intentio, & voluntas tendendi in illum: eſt autem terminus beatitudo ſupernaturalis, quæ ſine reuelatione ſupernaturali cognoſci non poteſt. Tum etiam, quia ſicut voluntas ſupponit intellectum, ita ſupernaturales virtutes voluntatis ſupponunt ſupernaturalem cognitionem in intellectu. Quæ quidem rationes de toto illo tempore, & de primo inſtanti creationis ſaltem de habituali cognitione concludunt. Quid verò de actuali dicendũ ſit quoad primum inſtans, in cap. ſequenti dicam. Nunc verò circa dictam cognitionem duo ſuperſunt declaranda. Primum eſt, materia eius, id eſt, quorum ſupernaturalium myſteriorum fuerit illa cognitio. Secũdum eſt forma, ſeu ſpecies illius cognitionis, id eſt, quantæ perfectionis eſſentialis fuerit, & conſequenter ſub qua ratione formali de rebus ſibi reuelatis homo tunc iudicaret.

3. Corollar. cuiuſmodi cognitionem generatim habuerit, nempe ſupernaturalẽ.

Duo puncta tractanda circa 3. corol.

4. Circa 1. punctum ponitur 1. aſſertio formaliter pertinens ad 1. ſtatum myſteria diuinitatis (ſi timeri in obiecto diſtæ cognitionis. Probatur de diuinitate ſecundum abſoluta.

Circa primum ſupponenda eſt communis partitio materiæ fidei in myſteria, pertinentia ad diuinitatem, & ad Incarnationem Dei ſpectantia. Nam de prioribus certum eſt, fuiſſe reuelata primo homini in ſtatu innocentiæ. Nam in primis quod Paulus ait, *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*, etiam primo homini fuit neceſſarium. Cognouit ergo Deũ eſſe, non ſolum vt ratione naturali manifeſtatur, ſed etiam vt eſt obiectum ſupernaturalis beatitudinis, & vt eſt principium ſalutis iuſtitiæ, & ſanctitatis, & vt eſt remunerator, qui redditurus eſt præmium diuini & ſupernaturalis ordinis. In quibus includitur cognitio Dei, prout in ſe vnus eſt, vt prout eſt Saluator & glorificator ac ſubinde vt eſt, vltimus finis per ipſius gratiam, & iuſtitiam obtinendus. Hæc enim omnia ſunt per ſe primò (vt ſic dicam) neceſſaria ad vitæ ſanctitatem, & ad quærendum Deum cũ vera fiducia, & dilectione perfecta, quæ cuicunque viatori in quocunque ſtatu eſt per ſe loquendo ad ſalutem neceſſaria.

5. Probatur etiam ſecundum reſpectiua.

Deinde valde credibile, & probabiliſsimum eſt etiam myſterium Trinitatis fuiſſe Adamo reuelatum antequam peccaret. Ita ſumitur ex D. Thoma in locis ſtatim citandis, & expreſsè tradidit Epiphan. *contra hæreſ. in Præfat. totius operis*, dicens *Adam protoplaſtus formatus eſt, non circunciſus, ſed cárne præputium habens. Non autem erat idololatra, & nouit Patrem Deum & Filium & Spiritum ſanctum, Prophetarum erat.* Quod infrà probat, *Quia nouit quod Pater dixit filio faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Cùm enim hæc verba referantur, à Patre dicta ante creationem Adæ, non potuit Adam niſi per reuelationem notitiam illorum habere, quæ ad prophetiam pertinent. Vnde per eandem reuelationem intellexit Adam (vt Epiphanius tradit) illa fuiſſe verba Patris ad filium dicta, atq; ita myſterium Trinitatis cognouit.

6. Suppletur locus Epiphanij.

Verum eſt tamen Epiphanium ibi non loqui de Adam in ſolo ſtatu innocentiæ, ſed de toto tempore vitæ ipſius, ait enim, ipſum non fuiſſe ludæum, nec ſimulachra adoraſſe, nec idololatram fuiſſe, ſed Chriſtianiſmi formam oſtendiſſe. Vnde cùm dicit, Adam cognouiſſe Trinitatem: non ſatis declarat vtrum ante peccatum, vel poſt illud illam cognitionem habuerit. Nihilominus cùm de Adamo abſolutè loquatur, de toto tempore vitæ eius loqui videtur. Et quidem ſi poſt peccatum Adam habuit Trinitatis cognitionem, multo magis ante peccatum illam habuiſſe credendum eſt, nam cognitio Trinitatis perfectio eſt ſimpliciter, non requirens ſtatum peccati, nec illum ſupponens, ſed per ſe ad beatitudinem conferens, quia Trinitas ad obiectum eſſentialis beatitudinis intrinſecè pertinet, vnde & Angelis in via reuelata eſt. Denique ex licendis ſtatim de myſterio Incarnationis idem colligi poteſt, quia fides Incarnationis fidem Trinitatis ſupponit, vt rectè docet Diuus Thomas 2.2.q.2.art.8. Qui propterea pro hac aſſertione allegari poteſt cum cæteris Patribus, & Theologis, qui de myſterio Incarnationis idem ſenſerunt, vt iam dicemus. Et hæc de articulis ad diuinitatem pertinentibus.

7. Myſteria humanitatis in primis dubitari ſolet an Incarnatio Verbi Dei fuerit Adæ ante peccatum reuelata, aliqui enim ex his, qui exiſtimant, Adam fuiſſe prædeſtinatũ ante Chriſtum Dominum, putant non habuiſſe fidem Chriſti antequam peccaret. Quia per idem decretum, quo Deus præordinauit, creare Adamum vt caput totius generis humani, à cuius arbitrio, vel iuſtitia, vel culpa totius poſteritatis penderet, per idem (inquam) decretum præordinauit iuſtitiam, & gratiam, & conſequenter etiam fidem conferendam Adamo pro ſtatu innocentiæ: ergo non potuit ſub illa fide comprehendi Incarnationis myſterium, quia nondum præordinatum erat. Item quia ſi Adam non peccaſſet, eandem fidem retinuiſſet integram, & tamen tunc non eſſet de myſterio Incarnationis, quia futurum non fuiſſet, non exiſtente peccato: ergo nec de facto fides Adæ de myſterio Incarnationis fuit. Denique propter hanc rationem gratia, quam in ſtatu innocentiæ Adam habuit, non potuit eſſe ex meritis Chriſti: ergo nec fuit ex fide Chriſti: ergo non eſt cur Adæ in illo ſtatu data fuerit fides, ſeu cognitio Chriſti.

8. 3 aſſertio.

Nihilominus communis, & vera ſententia eſt, Adam ante peccatum reuelationem de Chriſto, ſeu de Verbi Incarnatione habuiſſe. Ita docuit D. Thomas 2.2.q.2.art.7. & 3.p.q.1.art.3. ad 5. vbi plures Patres in huius veritatis confirmationem adduxi. Et eandem ſententiam tenet Bonauent. in 2. d.23. circa litt. Magiſtri, & Catherin. ſuper Gen. c. 2. & ibi Pereira libr. 5. in Gen. diſp. de ſcientia Adæ, q.4. & Valentia 1. tom. diſp. 7. q.2. memb. 1. & Vaſq. 3.p. diſp. 12. cap. 3. Quod præcipue colligunt ex verbis eiuſdem Adami: *Hoc nunc oſs ex oſſibus meis, & caro de carne mea propter hanc relinquet homo patrem, & matrem.* De quibus verbis ait Paulus ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.* Quod quidem ſacramentum non ignorauit Adam, propter quod Chryſoſt. homil. 16. in Gen.

Gen. dicit, illum accepisse gratiam prophetiæ, & similiter illum Prophetam vocant Epiphan. hæres. 48. & August. lib. 9. Gen. ad litt. cap. 19. & Hieron. ad Ephes. 5. dicit, fuisse primum de Christo vatem, & Philon. Capathiorum Episcopus Cantic. 5. in fin. cùm dixisset, *talem factam esse vnionem Dei, & humanitatis, vt iure dicatur Deus homo & homo Deus*, addit, *quod Adam primus omnium parens futurum diuinitus præuidit, cùm exclamauit, hoc nunc os ex ossibus meis, præuiderat enim Deum aliquando ex homine nasciturum, cui homines tandem adhæsuri erant per fidem, spem, & charitatem.* Et Prosper in 1. cap. totius operis de Prædestinat. & Promiss. Dei, dicit, *Sacramentum magnum Christi, & Ecclesiæ fuisse promissum Adæ, quod promissum*, inquit, *ipse speraut.* Si autem sperauit, profectò cognouit, & credidit.

Ratio autem ob quam Deus voluit Adæ reuelare mysteriũ incarn. ante peccatum, esse potuit, vel quia pertinuit ad honorem Christi, vt semper, & in omni statu fuerit ab hominibus recognitus tanquam caput, & auctor salutis, & quia fides Christi semper, & in omni statu fuit ad salutem necessaria. Vnde longe probabilius apparet, speransse Adam gloriam per Christum. Quod etiam significauit D. Thom. dicto art. 7. dicens, habuisse hominem ante peccatum explicitã fidem de Christi Incarnatione, secundum quòd ordinabatur ad consummationem gloriæ, licet non secundùm quòd ordinabatur ad liberationem à peccato. Cognouit ergo Adam Christum, vt auctorem gloriæ, & propter ipsum illam sperauit. Vnde fit etiam verisimilius hoc donum cognoscendi illum, & consequenter etiam gratiam, quam tunc recipiebat, ab ipso, & per ipsum acceptam recognouisse. Vnde nihil nobis obstat ratio dubitandi in contrarium posita, quia probabilius credimus, Christum vt Deum hominem fuisse primum prædestinatum, & in ipso, ac propter ipsum fuisse gratiam, & iustitiam Adæ collatam. An verò cum opposita sententia, quæ dicit, quòd si homo non peccasset, Deus homo nõ fieret, possit rectè subsistere, quòd Adam cognouerit hoc mysterium in statu innocentiæ, alterius considerationis est, in qua nunc immorari non oportet.

Vlteriùs verò interrogari potest, quid de hoc mysterio reuelatum fuerit Adamo. Sed breuiter dicendum est, ei ostensum esse mysterium Incarnationis quoad substantiam vnionis naturæ humanæ cum diuino verbo, & consequenter propositum fuisse Christum vt credendum, & adorandum tanquam verum Dei filium, & tanquam spirituale caput totius humani generis, & consequenter vt auctorem gratiæ, & gloriæ. Nam hæc omnia peccatum in humana natura non supponunt, & sunt valde coniuncta cum substantia ipsius mysterij, præsertim iam cogniti, ac reuelati, & ad hominis iustificationem conducunt. Alia verò mysteria, quæ ad redemptionem pertinent, quia peccatum supponunt, non fuerunt tunc reuelata Adæ, quia non oportuit esse præscium sui lapsus, vt rectè D. Thom. cum Augustino docet. Et quamuis Prosper, & nonnulli alij Patres oppositũ indicent, piè explicandi sunt, vt *in citato loco* 3. *p.* latiùs tractaui. Quando verò fuerit hoc mysterium reuelatum Adæ, in cap. seq. dicam.

Circa secundum punctum dubium est, qualis fuerit cognitio, quam de his mysterijs Adam habuit. In quo tanquam certum supponimus fuisse illam cognitionem supernaturalem non solùm ex parte reuelationis, & rei reuelatæ, sed etiam ex parte ipsius assensus, & iudicij, quo Adam vera esse iudicabat, quæ sibi reuelabantur. Hoc certum est, nam iustitia apud Deum sine supernaturali eius cognitione esse non potest, vt nunc ex materia de Gratia suppono, & suprà de Angelis dictum est: quia cùm cognitio Dei sit fundamentum iustitiæ, non potest esse inferioris ordinis quàm ipsa iustitia. Vnde omnes etiam pro certo habent, cognitionem Adæ in illo statu non fuisse inferiorem nostra fide, in substantia, & specie sua, quia & gratia Adæ fuit eiusdem speciei cum nostra, & status eius fuit aliquo modo excellentior, & felicior nostro: cùm ergo sit de fide certum, nostram fidem esse supernaturalem ex parte ipsius assensus, & ex parte auxilij ad illum necessarij, idem de cognitione Adæ citra dubium tenendum.

Obiicitur 1. Vide lib. 8. de gratia, cap. 7

Obiicitur 2.

Difficultas ergo superest, an fuerit vera fides, vel aliquid altius illa: aliqui enim ex antiquis, & grauioribus Theologis dixerunt non fuisse fidem: sed aliquid perfectius, & medium quoddam inter fidem, & visionem Dei. Hæc opinio tribui solet Hugoni de Sanct. Victor. lib. 1. de Sacram. p. 6. cap. 14. cuius verba sunt: *Cognouit homo creatorem suum non ea cognitione, quæ foris solum & auditu percipitur sed ea, quæ potius intus per spirationem ministratur. Non ea quidem, qua Deus modo à credentibus absens fide quæritur, sed ea, quæ tunc per præsentiam contemplationis aperti manifestius cernebatur.* Et infrà addit, cognitionem illam fuisse maiorem, & certiorem fide nostra, inferiorem autem visione beata. Vnde concludit, difficile esse modum illius cognitionis explicare, hoc tantùm excepto, quòd Adam per internam inspirationem edoctus, nullatenus de ipso creatore suo dubitare potuit.

12. *Fuisse illam cognitionem mediam inter fidem, & visionẽ videtur sentire Hugo.*

Et hanc opinionem sequitur Alens. 2. p. q. 91. art. 2. memb. 2. §. 1. nam licèt in principio dicat, *Quod primus homo ante lapsum habuit fidem*, postea distinguit, duplicem fidem, vnam ænigmaticam, qualis est nostra, aliam lucidam, qualis (inquit) *fuit illa, quam habuit Christus*, & hanc fidem dicit, habuisse Adamum, & esse mediam inter nostram fidem, & visionem Patriæ. Idem fere habet 3. p. q. 64. memb. 8. & sequitur Bonauent. in 2. d. 23. art. 2. q. 2. & ibidem Gab. art. 3. dub. 2. Fundamentum est, quia obscuritas fidei videtur esse imperfectio repugnans perfectioni status innocentiæ. Et probatur, quia fides in hominibus est ex auditu, iuxta Paulum ad Rom. 10. primus autem homo non habuit à quo per auditum fidem susciperet. Dices etiam posse fidem per interiorem reuelationem obtineri: Sed contrà, quia talis reuelatio Adæ facta immediatè à Deo saltem fuit illi euidens, quoad Dei testificationem: ergo eo ipso non fuit fides. Adde Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 1. dicentem: *Homo in Paradiso assuerat Dei verbis perfrui, Angelorum beatorum spiritibus in cordis munditia, & celsitudine visionis interesse.*

13. *Tenet item Alensis.*

Et Bonau. atque Gabriel.

Eorum motiuum.

Responsio.

Replica in contrarium.

Nihilominus dicendum est, Adam per fidem supernaturalem, & diuinam cognouisse supernaturalia mysteria, quæ ante peccatum illi reuelata fuerunt. Hæc est sententia D. Thomæ 1. p. q. 95. art. 3. & 2. 2. q. 2. art. 7. & q. 5. art. 1. & q. 18. de Verit. art. 3. quem reliqui posteriores Theologi communiter sequuntur. Et sumitur ex August. 14. de Ciuit. cap. 26. vbi dicit, *Habuisse hominem in statu innocentiæ gaudium verum, quod perfruebatur ex Deo, in quem fiagrabat charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* Idem sumitur ex Ambros. lib. 7. in Luc. circa c. 10. in parabola de homine, qui incidit in latrones, vbi ait, *Adam nudatus est mandati cælestis custodia destitutus, & exutus fidei vestimento lethale vulnus accepit.* Quem locum inter alia commendat Aug. lib. 1. contra Iulian. cap. 3. Idem sentiunt Chrysost. & alij qui dicunt, Adam propheticam cognitionem habuisse, nam prophetica cognitio etiam est ænigmatica, & ordinariè non distinguitur essentialiter à fide, vt nunc suppono. Imò Anast. Synaitã lib. 4. Exaem. circa principium dixit, *Quòd in principio, & in prima creatione dedit Deus Adamo exilem, & euanidam lucem cognitionis.* vbi cùm *exilem* vocat, satis indicat non excessisse perfectionem fidei, *euani-*

14. *Assertio 5. prædictam cognitionem fuisse fidem.*

Vide in tractatu de fide disp. 8 sect. 5. & 6.

dam autem appellat, quia parum erat duratura.

15 *Suadetur assertio ex Scripturæ regulis.* Et suadetur hæc sententia ex generalibus regulis Scripturæ, quòd *iustus ex fide vivit*, Abacuc. 2. ad Hebr. 10. & quòd *sine fide impossibile est placere Deo*, ad Hebr. 11. & quòd *dum sumus in corpore, & peregrinamur à Domino, per fidem ambulamus*, 2. ad Corinth. 5. & quòd *fides est substantia rerum sperandarum*, ad Hebr. 11. Nam Adam in statu innocentiæ iustus fuit, vt diximus, ac subinde placuit Deo, & cùm esset in corpore animali, peregrinabatur à Domino, & viator erat: ergo per fidem ambulabat, & placebat Deo, & meliorem vitam sperabat. Tandem ratione probatur, quia illa cognitio Adæ erat supernaturalis, & non erat visio Trinitatis, v. g. in seipsa, vt iam supposuimus, nec etiam erat euidens cognitio abstractiua, quia hæc vel possibilis non est, præsertim de mysterio Trinitatis, & Incarnationis, vel si aliquo modo est possibilis, secundùm legem ordinariam non datur viatoribus, vt suprà de Angelis dictum est. Neque potest aliud de Adamo cùm fundamento dici, vt respondendo ad fùdamentum cõtrariæ sentẽtiæ magis declarabitur.

Suadetur etiam ratione.

16 *Ad motiuũ in contrarium in n. 13* Ad motiuum ergo priori sententiæ respondet D. Thomas, negando assumptum. Imò inde probat, fidem fuisse in Adamo, quia imperfectio eius non erat contra perfectionem primi status. Nam eo ipso, quòd ille non erat status comprehensorũ, sed erat status non videntium Deum, erat capax imperfectionis spei, & fidei, quæ est sperare, & credere non visa. Ad probationem autem rectè respõsum est, non esse de ratione fidei, vt per exteriorem locutionem fiat, nam per interiorem inspirationem, quæ etiam est locutio quædam, fieri potest. Imò in primis credentibus ita fieri solet, vt D. Thomas suprà dicit, adducens illud Psalm. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus*, & ad Adam illud accommodans, & ad replicam ad euidentia testificantis. Respondemus in primis non esse necessarium Adamum habuisse euidentiam testificãtis, seu reuelantis Dei: tum quia necessarium non fuit, fidem illi proponi immediatè à Deo, potuit enim proponi mediantibus Angelis. Item quia Adam non videbat personam sibi loquentem clarè, & in seipsa substantiam eius intuendo, neque ex locutione ipsa, vel ex alijs signis, seu coniecturis poterat euidenter colligere, an esset persona creata, vel increata, quæ loquebatur: & quanuis sciret esse Angelum, non posset euidenter scire, an proprio, vel diuino spiritu loqueretur. Denique sicut per externam locutionem, ita etiam per internam possunt res fidei sufficienter proponi, vt euidenter credibiles, licèt non fiat euidens esse dictas à Deo: ergo ita potuit Adæ fides proponi siue à Deo immediatè, siue mediantibus Angelis sine euidentia Dei testificantis.

Ad replicam obiect. solut. 1.

17 *Solutio 2.* Secundò respondemus, etiamsi aliqua euidentia testificantis in Adamo admittatur, illam non fuisse talem, quæ fidem excluderet, quia non esset euidentia supernaturalis per scientiã per se infusam, sed ad summum per aliquem naturalem discursum, vel coniecturas, quę simul esse potest cum fide, vt suprà in simili puncto de Angelis diximus. Ideoque non rectè Alens. in hoc comparat Adamum cum Christo Domino, quia in Christo non fuit vera fides, sed scientia infusa. Et quanuis fortasse per illam aliqua cognouerit cum euidentia testificantis, ipsamet scientia illã præstabat, quod Adamo tribuendum non est. Quanuis Hugo de Sanct. Victor. oppositum sentire videatur, quem explicare conatur D. Thom. 2. 2. q. 5. a. 1. vt de quadam maiori perfectione accidentali contemplationis Adæ loquatur. Verba autem Gregorij nihil obstant, nam in primis verbis Dei perfruuntur qui per fidem Deum contemplantur. Et similiter propter magnam perfectionem fidei, & cõtemplatio-

Vide auth. rem lib. 5. de Angelis c. 5. à n. 16. & in tract. de fide disp. 3. sect. 8.

Ad Hugonẽ in num. 12. quid respondeat D. Th. Ad Gregor. in num. 13.

nis dici potest aliquis celsitudine visionis Angelorum cetibus interesse. Et ita exponit illa vltima verba D. Thomæ 1. p. q. 94. a. 2. & fortasse Gregorius etiam de frequentibus Angelorum apparitionibus loquutus est.

CAPVT XIX.

Virum Adam in statu innocentiæ per propria actus sanctificatus fuerit, & consequenter meritum gloriæ habuerit.

1 DIximus de fide Adami, nunc breuiter dicendum est de rectitudine voluntatis quoad eius actus supernaturales, nam de habitibus iam dictũ est. Possumus autem loqui de voluntate Adæ, vel præcisè spectando illam secundùm dispositionẽ, quam in primo instanti creationis habuit, vel pro reliquo tẽpore, quo in Paradiso fine peccato perseuerauit. Et circa primum instans non nulla interrogari possunt. Primum an in illo instanti habuerit actum spei, vel dilectionis in Deum, nam de alijs virtutibus, quæ non versantur circa Deũ, etiamsi supponamus illas esse per se infusas non oportet mouere quæstionem, quia & earum actus minus necessarij sunt, & per se multo credibilius est, Adamum in primo instanti suæ creationis non habuisse actus illarum, quia nec necessarij tunc erant, quia Adamus si in eo instanti contemplatus est Deum, & in amore eius fuit occupatus, fortasse non poterat simul ad alia obiecta attendere, nisi fortè in generali quatenus omnia ad Dei cultum, & honorem referre poterat, quæ omnia sub amore Dei, & spei in ipsum comprehendimus.

In hoc ergo puncto Sot. 1. de Natur. & Grat. c. 5. sentit, Adam in primo instanti accepisse gratiam & iustitiam sine proprio motu voluntatis in Deũ, atque ita sentit non fuisse creatum Adã in actuali sanctitate (vt sic dicam,) seu non habuisse actus gratiæ in primo instanti. Fundamentum eius est, quia Deus tunc erat simul condens naturã, & largiens gratiam. Ergo concreauit gratiam per modum naturæ: ergo non mediante actu liberi arbitrij. Secundam rationem insinuat, quia gratia data est Adæ, non tanquam beneficiũ personale, sed pro tota natura: ergo nõ est data per proprium actum, & dispositionem liberam, quia illa, quæ dãtur quasi per modum naturę, nõ dantur dependẽter à dispositione libera. Vnde tertiam argumentationem insinuat, quia alias, si Adã non peccaret, gratia nõ infunderetur posteris eius, nisi per proprium actũ, quia non maiori liberalitate hlijs quã eorum parenti collata fuisset. Quartò inducit exemplum de B. Virgine, nam qui tenent (ait illã fuisse conceptam in gratia, dicturi sunt cõsequenter datam illi esse sine proprio actu: ergo idem de Adamo à fortiori dicendum est. Tandem in toto illo discursu insinuat, nõ posse esse sanctificationem in primo instanti creationis hominis, & esse per proprium actum, præsertim liberum. Et suaderi hoc potest, quia non potest homo naturaliter subito, & in primo instanti sufficienter attendere, vt liberè possit in vltimum finem statim conuerti, neque aliquid miraculosum sine sufficienti fundamento asserere debemus. Vnde non immeritò, imò à fortiori pro hac sententia citari possunt, qui negant huiusmodi actus, & motus gratiæ Angelis in primo instanti creationis, vt sunt Alens. Henric. Camo preol. & alij, quos suprà allegaui, similem quæstionem de Angelis tractando lib. 5. cap. 8. n. 3.

Nihilominus contrarium verum censeo. Dico ergo Adamũ in primo instanti fuisse sanctificatũ non tantùm per habitus, sed etiam per proprios actus. Hæc est expressa sententia D. Thomæ 1. p. q. 95. a.

95.art.1.ad 5.quod erat, quia ad recipiendam gratiam requiritur consensus ex parte recipientis, vtique proprius, quando persona ratione vtitur, & potest illum præbere. Respondet autem, cum motus voluntatis fiat in instanti, potuisse primum hominem in eodem instanti in quo creatus est per proprium motum gratiæ consentire. Ex quo testimonio ratio etiam conclusionis desumitur, quia iustificatio cum proprio actu, vel per proprium actum perfectiori modo fit, quam per solum habitum. Vnde idem D. Thomas 3.p.q.34. a.3. Sicut actus (inquit) est perfectior, quam habitus, & quod est per se, eo quod est per aliud, ita iustificatio secundum proprium actum perfectior est. Et ideo addit hanc esse sanctificationem adultorum, aliâ vero, quæ fit sine actu, esse puerorum. Sed Adam sanctificatus fuit perfecto modo, & vt adultus, & non vt infans: ergo sanctificatus est actu operans sanctificationem: quod est sanctificari secundum proprium actum. Minor quoad priorem partem probatur, quia opera Dei perfecta sunt, sed sanctificatio Adæ fuit proprium Dei opus: ergo debuit perfecto modo fieri cum ex parte recipientis capacitas non deesset. Vnde probatur altera pars, quia Adam in adulta ætate creatus fuit, & sufficienter dispositus ad vtendum ratione: ergo vt adultus sanctificari debuit, & non vt infans.

Et hæc ratio magis ex responsione ad argumenta confirmabitur. Et locupletari etiam potest ex his, quæ in simili quæstione in lib. 5. præcedentis tractatus de Angelis diximus. Confirmari etiam potest ex Patribus dicentibus hominem fuisse creatum in quodam beatitudinis statu, vt capite antepræcedente retuli. Et videri etiam potest Anselm. lib. de Concord. grat. & liber. arbitrij, vbi in hoc primum hominem cum Angelis æquiparat. Idemque habet Bern. in serm. de Cœna Domini, dicens, fuisse primum parentem factum *domesticum Domini, eiusque amore, & cognitione ditatum, & Angelorum consortem*. Hoc etiam videtur sensisse Athanas. Orat. contra Idola, circa princip. ait n. creasse Deum hominem, *tribuendo ei suæ aternitatis intellectū, & cognitionem*. Et infrà inquit, *Cum corporalibus commercijs non immiscetur mens humana, nec vllam ex rebus extrantis admistam trahit cupiditatem, sed sibi tota adest, vt à principio condita fuit, tunc in sublime euolat*, &c. Et sic etiam dixit Anselm. in cap. 3. Epist. ad Colossen. circa illa verba, *Spoliantes vos veterem hominem, sicut homo post lapsum in agnitione Dei renouatur, ita in ipsa agnitione creatus est*, &c. Denique fauent alij sancti, qui docent, hominem à principio fuisse sanctificatum inspiratione Spiritus sancti, quia non de habituali tantum, sed etiam de actuali intelligere videntur, præsertim Cyrillus l. 1. in Ioan. c. 9. & lib. de Adorat. in spiritu, non longè à principio.

5 Nec contra hoc obstant motiua inducta pro priori sententia. Ad primum enim negatur consequentia, quia non solum habitus, sed etiam actus potuerunt cum natura hominis concreari, id est, simul creari, nam illa concreatio non excludit omnem efficientiam creaturæ circa proprietatem, vel perfectionem, quæ cum illa concreari dicitur, nam etiam intellectus ipse, & voluntas cum essentia concreantur, à qua nihilominus manant. Et August. l. 12. de Ciuit. c. 9. dicit, Deum creasse Angelos simul conferenda illis castum amorem sui, quem in illis fecit, seu concreauit, ipsis nihilominus simul facientibus, & cooperantibus. Vnde licèt gratia dicatur in principio data homini per modum naturæ, eo modo, quo natura significat natiuitatem, seu primam originem, nihilominus non oportet, vt gratia fuerit data per modum naturæ, si naturalis modus sumatur, vt moralem excludit. Prima enim natura, seu substantia, vel naturalis potentia non potest aliquam operationem supponere, & ideo tantum naturali modo, & non morali recipi potest: at vero gratia quamuis à principio cum natura infundatur, supponit personam aptam ad operandum, & ideo non tantum per modum naturæ, sed etiam morali modo infundi potest.

Neque etiam contra hoc obstat secunda ratio, 6 quia licet gratia fuerit data Adæ pro tota natura, *Ad alterationem in eodem n. 2.* etiam est data ipsi vt particulari personæ, & ideo dari debuit perfecto modo iuxta capacitatem, & statum talis personæ. Eo vel maximè quod etiam in operatione libera potuit Adam se gerere, vt caput totius naturæ. Nam si peccâdo ita se gessit, cur non etiam rectè se conuertendo in Deum in primo instanti? Igitur non repugnat, gratiam in primo instanti datam esse Adæ vt proprietatem totius naturæ, & nihilominus cum libera operatione fuisse inditam. Neq; inde sequitur, quod in tertia *Ad 3. rationem.* ratione inferebatur, non peccante Adamo posteris eius non fuisse dandam gratiam habitualem sine actu, quia illi procrearentur in ætate infantili, in qua non essent capaces propriorum actuum, nec sanctificationis adultorum. Et in hoc etiam non est simile exemplum, quod de B. Virgine in 4. *Ad 4. ab exemplo.* argumento adducitur. Et nihilominus etiam in illo exemplo non est verum antecedens, quod sumitur, nam B. Virgo per proprium actum sanctificata fuit, vt in 2. tom. 3. p. disp. 4. sect. 7. & 8. ostendi, imò etiam de sanctificatione Ioannis Baptistæ idem do cui. Illud tamen fuit singulare gratiæ priuilegium, quod non fuisset in statu innocentiæ (si duraret) omnibus infantibus concessum, quia ille modus vtendi ratione in infantibus miraculosus est, quod miraculum non possumus cum fundamento dicere fuisse futurum generale in tota natura humana, durante illo statu. Longè autem alia ratio est de primis hominibus creatis in ætate adulta, in qua connaturali modo, & ratione vti; & propriæ voluntatis actus à principio exercere potuerunt.

Et ita etiam patet responsum ad vltimam ratio- 7 nem. Dico autē hominem adultum, & in suis po- *Ad 5. rationem.* tentijs, ac sensib. internis optimè dispositum potuisse sine nouo miraculo in instanti suscipere reuelationē fidei, cum sufficienti proportione, vt ita tim in momēto posset illi assentire, & in obiectū sic cognitū, & sic creditum per liberam voluntatē moueri. Nam licet illa cognitio penderet à phantasmatib. nihilominus etiā illa phantasia potuit in eodem instanti intellectui cooperari, tum per phantasmata, quæ iam habebat infusa, tum per speciale auxilium gratiæ, non miraculosum, sed consentaneum ordini gratiæ quamuis esset supra ordinem naturæ. Nec etiam obstare potuit necessitas discursus, qui successionem requirit, quia in primis assensus fidei per se; & intrinsecè non postulat discursum, sed fit per simplicē assensum suppositā sufficienti propositione obiecti, ad eū modum, quo principijs primis assentimur, suppositā sufficienti cognitione terminorum, quanquam in claritate, & obscuritate sit diuersitas. Sicut a. in assensu primorum principiorum; licet ad præcognoscendos terminos successio aliqua, & discursus necessarius sit, naturali, & ordinario modo procedendo, per diuinam autem reuelationem facile fieri potest, vt subito, & in momento concipiantur, ita etiā in cognitione per fidem, licet ordinario, & naturali modo, sufficiens propositio obiecti fidei, & credibilitas eius nō fiat, nec cognoscatur ab homine sine successione, & discursu: nihilominus per diuinam reuelationem, & illuminationem illa sufficiens propositio subito, & in momento potest fic fieri, vt ab homine percipiatur, & in eodem momento sufficiens iudicetur. Ita ergo fieri potuit in Adamo, & factum esse credendum

dum est, quia non est res, ppriè miraculosa, nec nimiũ extraordinaria, sed est q̃dam reuelatio quasi prophetica, quæ propter congruentes causas secundum ordinariam prouidentiam supernaturalem multis datur, temporibus opportunis. Quæ omnia in creatione Adæ concurrunt, vt satis explicatum est.

8 *Resoluitur ex dictis dubium 1.*

Atque ex his facilè responderi potest ad alias interrogationes, quæ hic fieri possunt. Prima est, vtrùm Adam per illum actum, quem in primo instanti habuit, se ad gratiam habitualem recipiendam disposuerit. Ad quam affirmatiuè respondẽdum est, quia fieri potuit, & est ordo perfectior. Secunda interrogatio est, an ille actus charitatis, seu conuersionis in Deum fuerit elicitus ab habitu, vel totum ab auxilio. Ad quam respondendum est, non fuisse elicitum ab habitu, quia repugnat effectum esse causam veram, & realem in quocunque genere sui efficientis principij. Vnde fit fuisse talem actum elicitum à voluntate mota, & adiuta diuinis auxilijs operante, & cooperante, seu excitante, & adiuuante: nam sicut hæc auxilia semper necessaria sunt, ita interdum, & præsertim ad primos actus sufficiunt. Tertia interrogatio est, an per illum actum Adam in primo instanti aliquid meruerit apud Deum. Ad quam affirmatiuè respondendum est, nam meruit de cõgruo primam habitualem gratiam, & de condigno primam gloriam, quia omnes conditiones ad illud meritum necessariæ in persona Adæ, & in actibus eius concurrebant. Quæ omnia eodem modo resoluimus de Angelis in superiori tract. lib. 5. c. 5. & sequentib. vbi illa latiùs declarauimus, & probauimus, & ideo in præsenti nõ plura dicimus, quia, vt sæpe cum Augustino diximus, & omnes fatentur, in huiusmodi rebus eadem ratio, & proportio in primo homine, & in Angelis inuenitur. Imò etiam in iustificatione hominis lapsi illa omnia eodẽ ferè mõ verũ habent, vt latiùs in materia de grat. dicimus.

Dubium 2.

Videlib. 8. de gratia c. 12. & lib 5. de Angelis c. 9. à n. 1.

Dubium 3.

Videlib. 12. de gratia c. 24. & 28.

9 *Difficultas iuxta doctrinam authoris.*

Vna verò nobis superest difficultas, quia probabilius credimus, primã sanctificationem Adæ fuisse ex Christi merito, vt iam insinuaui, & latiùs dixi in 1. t. 3. p. in Comment. a. 3. q. 1. & d. 41. sect. 1. in fin. Ex quo fundamẽto rectè colligi videtur Adam fuisse iustificatum per gratiam Christi. Imò in dictis locis ex eo, quòd fidem Christi habuit, intulimus, à Christo habuisse iustitiam, & ipsammet fidem. Sed Adam non habuit fidem Christi in primo instanti: ergo vel omnino non fuit sanctificatus in primo instanti, vel non per proprium actũ. Minor probatur, quia mysterium Incarnationis fuit reuelatum Adæ in sopore, quem multo post creationem Deus in illũ immisit, vt oẽs Patres suprà citati docent: ergo antea non habuit Adam fidem Christi, vt per eum sanctificaretur.

10 *Solutio prior*

Ad hanc difficultatem duobus modis respondere possumus. Prior est, negando illam propositionem subsumptam scilicet, non habuisse Adam in primo instanti aliquam fidem explicitam Christi. Et ad probationem ex Patribus respondemus quòd licèt Patres dicant Adamum in sopore habuisse peculiarem reuelationem propheticam de futuris Christi mysterijs, & specialiter de spirituali vnione ipsius cum Ecclesia, non tamen dicunt, Adamum vsque ad illud tempus nullã de Christo cognitionem habuisse. Fieri autẽ potuit, vt reuelaretur prius Adamo mysterium, quantum ad substantiam eius, vt in Christum crederet, & ipsum veneraretur, postea verò in sopore maiorẽ notitiam Christi, & futuræ Ecclesiæ ei daretur, semper à mysterio redemptionis in particulari abstrahẽdo. Quæ quidem responsio facilè defendi potest, non autẽ ita potest probari, aut persuaderi: & ideo mihi non omnino placet. Tum quia sine auctoritate, vel sufficienti probatione affirmat, Adam habuisse explicitam reuelationem Christi ante soporem. Tum etiam, quia difficile est cum fundamento explicare, quid illi reuelatũ fuerit de Christo in primo instanti, & quid postea fuerit additũ non dum reuelato mysterio redemptionis. Tum denique quia difficile creditu est, simul potuisse Adamum in primo instanti simul cognoscere Trinitatis mysterium, & Incarnationem, & alia mysteria, quæ ad sanctificationem hominis pertinebant, quod etiam in Angelis difficile in superiori tractatu iudicauimus, nedum in homine.

Secundò responderi potest, quòd licèt Adam in primo instanti non habuit explicitam fidẽ Christi, iam habebat implicitam, quę satis erat, vt per merita eius posset iustificari, sicut alij multi iustificati sunt. Quòd autem ita factum fuerit, rectè declaratur ex fide explicata Christi, quæ paulo post illi data est. Nam per illam fidem, quam in sopore habuit, & per alios actus postea subsequentes secundam sanctificationem seu augmentũ iustitiæ accepit, vt paulo post declarabimus. Illud autem augmentum iustitiæ per fidẽ explicitã Christi accepit, atq; adeò per meritum eius, nam per illã fidem factum est mẽbrum Christi, eumq; vt caput suum, & vt auctorem salutis suæ recognouit. Quomodo enim aliter potuissent conuenienter Christo vniri per fidem, illumq; amare, & venerari? Ergo per eãdem fidẽ in Christo, & per Christum est assequta illa iustitiæ augmentũ: ergo signum est, etiã primam iustificationem fuisse datã ex meritis Christi, & hoc ipsum recognouisse Adamum in reuelatione sibi in sopore facta. Quia sanctificatio per Christum non potuit esse dimidiata (vt fic dicam) quamuis modus applicationis eius ex parte hominis fuerit diuersus in principio, & in progressu, propter limitatam capacitatem hominis, quem paulatim ab imperfecto ad perfectũ procedere oportebat. Vnde Ambros. lib. 2. epistolar. in 13. aliàs 14. vel potiùs 15. ad Marcelli. soror. ait, *Adam reliquisse gratiam Christi propter vnam mulierem.* Et Psalm. 39. circa illa verba, *In capite libri scriptum est de me*, de Adamo ait, *Non mansit in Christo, qui non in eius fermento permansit, nam de his, qui manent in Christo, ipse dixit: Si manseritis in me & verba mea in vobis manserint, &c.* Ergo ex sententia Ambrosij Adam ante peccatum iam erat in Christo tanquam viuum membrum eius, & gratia eius erat gratia Christi, quo nomine solent Patres, & Concilia vocare gratiam, quæ per Christum datur, siue per fidẽ implicitam Christi, siue per explicitã comparetur, vel cum priori incipiat, & cũ posteriori perficiatur, & consummetur.

Vnde tandem addendum est, Adam toto tempore ante peccatum potuisse per proprios actus in gratia crescere, eiusque augmentum, & gloriam de condigno mereri, & credibile esse sæpius id fecisse. Prior pars certissima est, nam sequitur euidẽter ex principijs certis. Quia Adam toto illo tempore viator fuit, & iustus, & libertatem bene operandi habuit, ordinatusque erat ad vitam æternam: ergo habuit omnes conditiones necessarias ad eius meritum, & augmentũ gratiæ: ergo potestatem habuit crescẽdi in gratia, & in iure ad gloriam. Denique si potestatem habuit peccandi per solum suum arbitrium, multo magis potestatem habuit merendi per liberum arbitriũ cum gratia Dei. Vel certè si in primo instanti mereri potuit gloriam, id potuit multo magis in reliquo tempore viæ, quandiu gratiam non perdidit. Hac tamen seruata differentia, quòd in primo instanti nõ potuit mereri gratiam de cõdigno, quia supponebatur ad meritum, postea verò potuit per gratiam, quam iam gratis acceperat, tam gratiæ, quã gloriæ augmentum de condigno mereri. Et hanc partem supponunt omnes Patres, qui de illo statu loquũtur: & præsertim videri possunt Augustin. lib. de Corrept. &

rept. & grat. cap. 10. 11. & 12. & libr. 13. de Ciuit. ca. 1. 14. 15. 19. & sequentib. & Gregor. lib. 4. Moral. cap. 26. aliàs 27. & Damasc. libr. 2. de Fide, cap. 12. dicens, Deum creasse Adamum liberum, *vt cum diuina gratia adiumento nouos subinde in virtute progressus faceret, & rursus ob libertatem, à virtute recedere posset.*

Alia pars, quæ est de facto, quamuis non sit reuelata, nihilominus suppositâ potestate per se satis credibilis est. Nam Adam non fuit otiosus toto illo tempore, quo in Paradiso vixit, quia nec hoc humanum est, vel morale, præsertim in homine sapiente, & perfectis virtutibus prædito, nec sine aliquo peccato fieri posset. At vero quandiu mortaliter non peccauit Adam, venialiter peccare non potuit, vt supra ostendimus: ergo operatus est recte, & honestè: ergo meruit, & in gratia creuit. Præterea, quia per fidem multa operatus est, præsertim in sopore, in quo verisimile non est fuisse priuatum libertate ad meritum necessaria, & post soporem, cum ex fide concepta dixit, *Hoc nunc os ex ossib. meis*, &c. meritorium opus exercuit. Item quando recepit à Deo præceptum non comedendi de ligno scientiæ boni, & mali, credendum est voluntarie illud acceptasse, & propositum habuisse implendi illud, quod sine dubio meritorium fuit. Quod etiam de illo narratur, imposuisse nomina omnibus animalibus, meritorium in ipso fuit: tũ quia ex diuina ordinatione id fecit, tũ etiam quia fuit valde rationi consentaneum, & ad commoditatem humani generis necessarium. Addit præterea Gregor. l. 4. Dialog. c. 1. quod Adam ante peccatum cælestis patriæ gaudia contemplabatur. *In Paradiso quippe* (inquit) *assueuerat homo verbis Dei perfrui, beatorum Angelorum spiritibus cordis, munditia, & celsitudine visionis interesse. Sed postquam huc cecidit ab illo, quo implebatur, mentis lumine recessit.* Ergo in illo genere vitæ, quod Greg. describit, non potuit Adam non multum crescere in gratia, & donis Dei, quibus, vt idem Greg. ait, mentis lumine impleretur. Et Moyses Barceph. lib. de Parad. p. 1. c. 28. inter alias prærogatiuas, quas Deus Adæ contulit, inquit: *Admisit ipsum veluti in suam familiaritatem, vt ea sese pro arbitrio oblectaret, meditationibus, contemplationibus diuinis vacans, atque indulgens.* Et infra dicit *ita fuisse Adam comparatum, vt animo, atq; intelligentia sua Angelis esset familiaris.* Huiusmodi ergo vitam ducturus erat Adam in Paradiso, eandemq; inchoauit, prius quam peccaret: non potuit ergo in eo tempore non bene mereri apud Deum, & in gratia, & sanctitate crescere.

CAPVT XX.

Vtrum præter omnia dona naturæ, & gratiæ habuerit homo in statu innocentiæ originalem iustitiam, quæ fuerit donum ab omnib. supradictis distinctum.

EXplicuimus hactenus sigillatim perfectiones omnes, quas Deus primis parentibus in creatione, & Paradiso contulit, ex quibus omnibus simul collectis iustitia originalis consurgit, vt dicemus, veruntamen sub hoc nomine originalis iustitiæ nihil hactenus de illa diximus, quamuis in prologomeno 4. de gratia, à cap. 3. vsque ad 5. nonnihil scripserimus: & ideo in præsenti capite necessarium visum est, quid illa sit, vel potius, quid nomen illud significet, explicare. Supponimus enim, Adam fuisse conditum originali iustitia, vel saltem in Paradiso statum originalis iustitiæ habuisse, hoc enim tanquam dogma certum, & catholicum omnes Theologi recipiunt, cuius probatio ex effectibus talis iustitiæ sumenda est, ac proinde ex significatione illius vocis, & intelligentia rei per ipsam significatæ maxime pendet. Est igitur principalis quæstio, an iustitia originalis fuerit aliqua simplex forma, seu vnus peculiaris habitus distinctus ab omnibus, quos hactenus explicuimus, & Adamo in sua creatione collatos esse diximus, vel fuerit potius vnus ex illis particularis, & simplex, vel fuerit solum collectio illorum, vel non tantum illorum, sed etiam aliorum beneficiorum, vel priuilegiorum homini in illo statu concessorum. Nomine autem habitus in hoc puncto intelligimus omnes qualitates permanentes, quæ per modum actus primi datæ sunt homini in illo statu ad perficiendum illum, siue in anima, siue in corpore, & siue in substantia, siue in potentijs receptæ fuerint. Per alia verò priuilegia, vel beneficia intelligimus omnes res, vel causas extrinsecas iuuantes hominem in eo statu ad feliciter viuendum, & præsertim peculiarem Dei prouidentiam, qua Deus hominem protegebat, & ab omnibus incommodis tuebatur. *Quid ipsa originalis iustitia sit quæritur.*

His positis est prima sententia dicens, iustitiam originalem fuisse specialem quendam habitum distinctum à gratia, & voluntati inhærentem, cuius officium erat facere, vt voluntas adhæreret Deo suo fini naturali, non solum faciliter, & delectabiliter, sed etiam cum maiori intensione, & delectatione, quam appetitus sensitiuus adhæreat suo obiecto delectabili. Hanc sententiam tenet Scot. in 2. d. 29. q. vnic. §. potest dici, & in solut. 1. ad 4. quam ita explicat latè Herrer. in 2. disputat. 21. q. 3. vbi de hoc habitu dicit, fuisse distinctum ad habitu gratiæ, & charitatis, & nihilominus fuisse supernaturalem, quia dabat voluntati delectationem quam voluntas ex natura sua habere non posset. Et inde præcipue colligit necessitatem huius habitus, quia status iustitiæ originalis non solum erat facilitatis & tranquillitatis, sed etiam delectationis in adhærendo Deo fini naturali, & secundum rectam rationem operando, & compescendo appetitum sensitiuum, ne suum delectabile obiectum prosequeretur. Nec solum (ait) poterat voluntas hoc promptè facere, sed etiam cum maiori delectatione, quam posset esse in appetitu exequendo propriam operationem circa suum obiectum maximè delectabile. At vero tanta delectatio voluntatis nõ est cõnaturalis voluntati, nec in puris naturalibus posset illam habere: ergo necessarius erat aliquis habitus infusus à quo proueniret. Sed ille habitus non erat charitas, quia nunc in hominibus iustis est charitas, & illam delectationem non causat: ergo erat specialis habitus ad hunc finem inditus. Quod autem talis delectatio in statu originalis iustitiæ inueniretur, solum probat auctoritate Aug. 14. de Ciuit. c. 26. vbi dicit, quod in illo statu *nihil omnino triste, nihil inaniter lætum erat sed gaudium perpetuabatur ex Deo.* Vlterius vero inquirit Scot. an iustitia originalis includeret etiam speciales habitus appetitus sensitiui, & vtranque partem probabilem credit, in affirmantem vero magis inclinat. Quia etiam oportebat appetitum sensitiuum obedire rationi, & voluntati, retrahendo illum à proprijs delectationibus sensibilibus cum maiori delectatione, quam ex suis proprijs obiectis capere posset: hoc autem non erat illi naturale, & ideo necessarius fuit habitus supernaturaliter inditus, qui hunc effectum præstaret. Et significat Scot. duos fuisse hos habitus, vnum concupiscibilis, & alterum irascibilis.

1. *Sententia Scoti, esse vnum habitum voluntatis distinctum à gratia.*

Herrera latius explanat.

Prædictus habitus non excludit alios in appetitu.

Secunda sententia fuit Henr. quodlib. 6. q. 14. vbi dicit iustitiam originalem præter omnem rectitudinem gratiæ, & virtutũ infusarum, si qua fuit, addidisse quandam rectitudinem naturalem, quæ separabilis fuit à voluntate, & de facto per peccatum separata, & amissa fuit. Consistebat autem illa rectitudo in potestate, & pronitate voluntatis ad dominandum appetitui, & illum sibi obedientem

2. *Sententia Henrici esse pronitatem voluntatis ad subijciẽdum appetitum, præter rectitudinẽ gratiæ,*

tem reddendum. Et huic rectitudini oppositã esse dicit pronitatem ad malum, quæ est veluti curuitas quædam voluntatis inflicta illi propter peccatum. Probat Henricus suam sententiam, quia homo peccando non solum priuatus est gratuitis, sed etiam est vulneratus in naturalibus: ergo non solum est priuatus donis gratiæ, sed etiam rectitudine naturali. Si enim ablatis gratiæ donis, rectitudo naturalis integra permansisset: nullum posset intelligi vulnus inflictum homini in naturalibus, quoad facultatem rectè operandi secundum rationem naturalem. Confirmat hoc, quia aliàs non esset nũc natura lapsa magis obliqua, seu curua in naturalibus, quam esset in homine condito à Deo sine donis gratuitis, quod censet inconueniens: quia aliàs vterq; illorum hominum esset vel æqualiter innocens, vel æqualiter damnabilis, & puniendus. Vnde indicat rationem aliam: quia voluntas cum libera sit, potest seipsum obliquare; ergo potest corrupta priori iustitia, vitiosam iniustitiam inducere: hæc autem iniustitia in hoc tantum consistere videtur, quod homo non conseruat rectitudinem naturalem, quam accepit, & custodire deberet: ergo homo creatus sine donis gratię non haberet hanc iniustitiam, seu obliquitatem naturæ, sed potius rectitudinem naturalem contrariam: ergo hanc amisit homo peccando, & in illa consistebat iustitia originalis, prout à gratuita distincta est.

Probat illam 1. *Secundo.* *Tertio.*

4 *3. Sententia Soti non distinguens iustitiam originalem à gratia.*

Tertia sententia extremè contraria est, iustitiã originalem non fuisse aliquid distinctum à gratia gratum faciente, hęc enim sola apud Deum est vera iustitia, iuxta Paul. ad Rom. 4. Et originalis tũc fuit, tum quia in ipsa origine concreata est, tum etiam quia post originem posterorum in eos erat transfundenda, si non fuisset amissa. Et alioqui gratia in illo statu potuit esse maioris excellentiæ, quam nunc sit, quia non tantum poterat hominem gratum Deo reddere, sed etiam sensualitatem compescere, & corpus roborare in obsequium rationis, vt tranquilla voluntas subderetur Deo. Hanc opinionem tenuit Sõto l. 1. de natur. & Grat. cap. 5. quamuis explicando illam tandem dicat se non multum contendere, an gratia, & iustitia originalis sint habitus distincti, dummodo inseparabiles censeantur, ita vt, quia homo fuit creatus in gratia, fuerit etiam creatus in iustitia, & quia peccando amisit gratiam, amiserit etiam iustitiam. Propter hanc autem inseparabilitatem, videtur ipse in eam partem inclinare, quod fuerint idem, seu quod gratia sola omnes effectus iustitiæ contulerit. Et hoc sequitur Zumel 1. p. q. 95. a. 1. q. 2. in 1. dub. illi annexo, & consentit Valent. 1. tom. disp. 7. q. 2. punct. 2. §. quoad secundam. Qui hanc existimant esse sententiam D. Thom. 1. p. q. 95. a. 1. vbi dicit rectitudinem primi status, in quo ita erant omnia in homine ordinata, vt & ratio subderetur Deo, & vires inferiores animæ rationi subderentur, & corpus animæ, secundum supernaturale donum gratiæ. Loquitur q; de gratia gratum faciente, nam inde probat hominem fuisse creatum in gratia, quia in illa rectitudine creatus fuit: & è cõtrario amissa gratia illam rectitudinem amisit, iuxta Augustinum quem allegat libr. 13. de Ciuit. cap. 13. dicentem: *Postquam præcepti facta transgressio est, statim gratia deserente diuina de corporum suorum nuditate confusi sunt.* Item q. 97. artic. 1. ad 3. ait D. Thomas, vim præseruandi corpus à corruptione in illo statu fuisse per donum gratiæ. Vbi etiam loquitur de gratia sanctificante, nam subdit, nunc recuperari gratiam ad remissionem culpæ, & meritum glorię, non vero ad illum immortalitatis effectum.

Aut certe coniungens inseparabiliter. *D. Thom locus vnus pro eadem sententia.* *Locus alter.*

5 *Loci præterea ex aliis*

Simili modo 4. cont. gent. ca. 52. dicit, hominem fuisse institutum cum rectitudine superius dicta: *Deo sua gratia supplente, quod ad hoc perficiendum natura minus habebat.* Præterea idem D. Thom. 1. 2. q. 82. a. 1. ad 3. & a. 2. docet, peccatum originale primario esse in essentia animæ, vnde ibid. ad 2. consequenter ait, quod *originalis iustitia primordialiter pertinebat ad essentiam animæ.* Et in a. 3. consequenter dicit, iustitiam originalem post animę essentiam per prius perficere voluntatem, quam alias potentias. Sed hunc eundem ordinem ponit D. Thom. in gratia sanctificante, nec in animæ essentia potest aliud donum supernaturale intelligi, præter gratiam sanctificantem: ergo intellexit D. Thom. iustitiam originalem fuisse gratiam ipsam. Vnde in 2. d. 31. q. 2. a. 1. eandem doctrinam repetit, quod peccatum originale primariè est in essentia animæ. Et consequenter in d. 32. q. 1. a. 1. in corp. iunctis solutionib. ad 1. & 2. significat, iustiti...a originalem, quoad formale fuisse in essentia animæ: ergo sentit idem esse cum gratia. Ratio vero huius sententiæ solum est, quia cum gratia sufficeret ad huiusmodi effectum, superfluum est, alia dona, vel habitus multiplicare.

Quarta sententia est, iustitiam originalem fuisse donum distinctum à gratia gratum faciente, in illa tamen fundatum, & radicatum. Ita tenet Durand. in 2. d. 20. q. 5. & Caiet. dict. q. 95. a. 1. putatque esse sententiam D. Thom. in eodem art. vbi significat, iustitiam originalem fuisse effectum gratiæ, ac proinde fuisse aliquid distinctum ab illa, vbi in q. 100. a. 1. ad 2. dicit, gratiam esse radicem originalis iustitiæ: ergo sentit fuisse distinctas. Deinde D. Tho. 1. 2. q. 109. ferè in omnibus articulis distinguit inter naturæ integritatem, & gratiam: ergo supponit etiam D. Th. distinctionem inter illa duo. Et probari potest hæc opinio quoad hanc partem, quia effectus originalis iustitiæ sunt longe diuersi ab effectibus gratiæ: ergo & formæ sunt diuersæ. Antecedens patet, quia iustitia originalis solum reformabat defectus naturales humanæ naturæ, & ita solum illam perficiebat in ordine ad finem naturalem: ergo solum præstabat rectitudinem naturalem, & omnes effectus eius naturalem ordinem non transcendebant. At vero gratia ordinat, & perficit hominem in ordine ad finem supernaturalem. Altera vero pars, quod iustitia fundaretur in gratia, inde probatur à D. Thoma, quia subordinatio corporis ad animam, & inferioris partis ad superiorem fundabatur in perfecta subiectione superioris partis hominis ad Deum, quam subiectionem efficit gratia.

Probat 1. pars. *Probat 2. pars.*

Non explicat a. Caiet. quale fuerit donũ iustitiæ 7
q̃d à gratia distinguebatur, referendo a. opinionẽ Scoti non videtur in hac parte abScoto dissentire, sed solum in altera parte, quã retuli, q; iustitia fundata, & radicata fuit in gratia, & ideo ab illa separata non fuit, neq; à principio sine illa fuit infusa. Quanquã in hoc nõ omnino cõsentiat Cai. nã statim dicit, amissa gratia permansisse aliquo modo, & pro aliquo tempore, originalem iustitiam in Eua, quod iam in superiorib. notauimus, & reiecimus. Durand. vero in 2. d. 31. q. 3. sentit iustitiam originalem fuisse in virib. sensitiuis tanquã in subiecto, & non in voluntate, in quo differt ab Scoto. Tamen etiam ipse nõ declarat, an esset aliquis habitus: verum cum alibi doceat hominem in statu iustitiæ originalis non indiguisse virtutib. appetitus sensitiui, satis indicat, iustitiam fuisse aliquem peculiarem habitum, vel qualitatem appetitus sensitiui ab omnibus virtutibus distinctam.

3. sententia distinguit. *Refutatur.* *Probatur.* *In 2. d. 31. q. 3.*

8 *1. Sententia distinguit.*

Addere præterea possumus quintam opinionem parum à superiori distinctam, conuenit enim cum præcedenti in hoc, quod iustitiam originalem à gratia, distinguit: differt autem, quia etiam negat fuisse radicatam, seu fundatam in gratia. Hanc tenent omnes, qui concedunt, Adam fuisse creatum in iustitia originali, & negant fuisse

Refutatur. *Probatur.*

creatum

creatum in gratia. Nam ex illa separatione manifestè colligitur distinctio, & ex antecessione iustitiæ ad gratiam rectè infertur, gratiam non fuisse fundamentum, aut radicem iustitiæ. Et ita hanc sententiam tenent Alexand. Alens. in 2.p.q.91. aliàs 90.memb.1.& 2. & Bonauent. in 2. d. 29. art.2.q.2. & Marsil.in 2.q.16. art.6.& alij, quos supra retuli, de prima sanctitate Adæ tractando. Nullus enim eorum, qui negarunt hominem fuisse conditum in gratia, ausus est negare, hominem fuisse creatũ in iustitia originali, propter verbum Sapient. Eccles iast. 7. *Deus fecit hominem rectum*, cum alijs, quæ de integritate, & perfectione, in qua homo conditus est, à nobis sunt dicta.

Vltima verò sententia, quam verissimam iudico, docet in primis, iustitiam originalẽ absolutè, & simpliciter dictam non esse vnum peculiarem habitum, vel donum, sed esse collectionem plurium habituum, & beneficiorum Dei. Deinde, docet hæc sententia, iustitiam originalem in illa donorum collectione includere gratiam, virtutes, & dona, quæ per seipsam gratiam comitantur, & virtutes etiam morales, vel etiam intellectuales, quæ per actus humanos naturaliter acquiri possunt, & tunc per accidens infusæ sunt saltem Adamo. Vnde addit tertiò, non solos habitus, sed etiã actualia Dei auxilia, & plura extrinseca beneficia Dei in originali iustitia, seu in illa collectione bonorum, quam requirebat, comprehensa fuisse. Et hinc quartò adiungit rectissimè dici, gratiam fuisse fundamentum, & radicem, reliquorum donorũ, quæ ad complementum talis iustitiæ requirebantur. Ex quibus tandem concludit iustitiam originalem, vt hoc nomine significatur, non includere nouum aliquod donum, aut beneficium gratiæ, vel naturæ distinctum, vel superadditum iis, quæ hactenus à nobis explicata sunt. Hanc sententiam parum aliter explicatam tenet Molin. in tract. de opere sex dierum, disp. 27. quanuis aliquid addat, quod nobis non probatur, vt statim dicemus. Magna etiam ex parte concordat Pereir. lib. 5. in Gen. disputat. de tertia excellentia status innocentiæ. Eandemque esse opinor D. Thomæ sententiam, vt ex dicendis patebit.

10. Probatur 1. pars assertionis.

Probatur ergo per singulas partes, & primam quidem, scilicet hanc iustitiam includere collectionem plurium donorum. Probatur in primis ex ipso nomine iustitiæ, quod in præsenti non significat particularem iustitiam commutatiuam, vel distributiuam, aut aliam similem, vt est in cõfesso apud omnes, & quasi per se notum, quia significat rectitudinem quandam totius hominis tam secundùm animam, quàm secundùm corpus, de qua loquitur Sapiens cùm dicit, creasse Deum hominem rectum: est ergo hæc iustitia vniuersalis, & plures effectus includens. Et ideo Concil. Trident. sess. 5. can. 1. dixit, Adam amittendo sanctitatem, & iustitiam, secundùm corpus, & animam in deterius commutatum fuisse. In quo significat illam iustitiam corpus, & animam perfecisse, ac rectificasse. Iustitia autem vniuersalis & tot habens effectus non potest esse vna simplex qualitas, vel forma: est ergo plurium collectio. Minor declaratur, quia, vt D. Thom. docet dicta q. 95. art. 1. rectitudo illius iustitiæ in tribus præcipuè consistebat, videlicet in debita subordinatione animæ ad Deum, quæ est per intellectum, & voluntatem, & consequenter per dona, vel habitus illas potentias rectè disponentes in ordine ad Deum. Item in debita subordinatione inferioris partis, ad superiorem, id est, phantasiæ ad intellectum, & appetitus sensitiui ad voluntatem, per quam fiebat, vt in his inferioribus potentijs nulla motio disconueniens homini esse posset, quandiu ratio in perfecta subiectione ad Deum perseueraret. Item in debita subordinatione corporis ad animam quoad indolentiam, impassibilitatẽ, & immortalitatem. Sed hæc omnia manifestè includunt plurium donorum collectionem: ergo iustitia originalis in huiusmodi collectione posita erat. Et hoc amplius ex probatione aliarum partium declarabitur, & confirmabitur.

11. *Remouetur æquiuocatio vt probetur 2. pars.*

Secundò ergo probatur iustitiam illam simpliciter dictam, gratiam, & dona per se infusa includisse. In quo potest esse disputatio fundata solùm in æquiuocatione vocis, nam, vt Henric. Alens. & alij distinguunt, iustitia dupliciter accipi potest, primò vt includit perfectum ordinem, & subiectionem ad Deum, non solùm per naturæ dona, sed etiam per supernaturalia dona infusa. Secundò rectitudo naturalis includens tres illas quasi partes suprà numeratas solùm in ordine ad Deum vt finem naturalem, si daretur sine donis infusis, vt de absoluta Dei potentia fieri posset (id enim, quod multi dixerunt factum esse, sine dubio non fuit impossibile) non immeritò dici posset quædam iustitia naturalis. Quia intra suum ordinem constitueret in omnibus quandam æquitatem, & inæqualitatem excluderet. Ablata ergo hac nominis æquiuocatione, sensus nostræ assertionis est, de facto rectitudinem Adæ collatam in origine sua pro se, & sua posteritate si perseueraret, non tantùm includisse naturalem rectitudinem, sed etiam per se infusam, & supernaturalem, & ideo iustitiam originalem iuxta propriam, & theologicam significationem illius vocis, etiam gratiam, & supernaturalia dona includere.

12. *Probatur iam 2. pars assertionis quoad dona per se infusa primo.*

Hoc probatur primò, quia de facto talis iustitia collata est Adæ in sua creatione, vt suprà probatum est, & eodem modo erat transfundenda in posteros, vt infrà videbimus: ergo illa est, quę propriè iustitia originalis vocatur. Secundò, quia apud Deum non est iustitia simpliciter, nisi quæ gratiam, & charitatem includit, vt suprà probatum est ex Paulo ad Rom. 4. & idem probari potest ex 1. ad Corinth. 13. & alijs similibus locis. *Secundo.* *Tertio.* Tertiò probatur ex Conc. Trid. sess. 5. can. 1. dicente, Adam in principio sanctitatem, & iustitiam habuisse. Sed dicet fortasse aliquis, potiùs in his verbis videri Concilium distinguere iustitiam à sanctitate, ac subinde cùm sanctitas consistat in gratia, & bonis eius, videtur nomine iustitiæ intelligere solam rectitudinem, seu integritatem naturalem. Sed longè alia est mens Concilij, non enim coniungit illas duas voces, vt formas condistinctas per illas significaret, sed vt modum, & effectum illius sanctitatis magis declararet. Vnde inferiùs in sess. 6. cap. 7. dicit, *iustificationem esse sanctificationem per susceptionem gratiæ, & donorum, vnde homo ex iniusto fit iustus.* Et in fine capitis dicit, *Christianam iustitiam esse illam, quam Adam sua inobedientia sibi, & nobis perdidit.* Ergo eandem gratiam vocat iustitiam, & sanctitatem, quia vtraque voce significari solet, quia & gratis datur, & hominem gratum, purum, & rectum facit. Vnde est illud 1. Corinth. 1. *Qui factus est nobis iustitia, sanctificatio, &c.* Quanquam per nomen sanctitatis, animæ gratia, per nomen verò iustitiæ, magis virtutes potentiarum significari videantur, ex eodem Concil. in eodem cap. 7. Vltimo probatur ex D. Thoma. Nam testimonia, quæ adduximus in tertia sententia, optimè probant, sensisse D. Thomam, iustitiam originalem includere gratiam gratum facientem, imò esse fundamentum, & radicem aliorum donorum, quæ iustitia originalis includebat: prout in alia parte asserimus, cuius rationem infrà reddemus, per quam etiam hæc pars confirmabitur, & ratione ostendetur.

Obiectio ex adducto loco Tridentini.

Soluitur ex locis aliis eiusdẽ Concilij.

Quarto.

Quòd autem non solùm gratiam, & habitus infusos per se, sed etiam infusos per accidens iu-

13. *Deinde probatur eadem*

2. pars quo-ad dona infusa per accidens.

stitia originalis includat, probatur primò, quia iustitia originalis non solùm supernaturalem, sed etiam naturalem rectitudinem perficiebat, atque præstabat, quantum ad naturæ integritatem, & facilitatem bene operandi, & cauendi defectus naturæ contrarios necessarium, & conueniens erat. Sed ad huiusmodi rectitudinem ex ea parte, quæ ad naturalem rectitudinem pertinebat, necessarij erant habitus ordinis naturalis studiosi, & honesti, ac per accidens infusi: ergo iustitia originalis hos habitus includebat. Maior, & minor ex toto discursu præcedentium capitum manifesta sunt, nam ostensum est, totam illam rectitudinem illi statui fuisse concessam, & sine illis habitibus non potuisse connaturali modo fieri. Consequentia verò manifesta est, tum ex cõmuni Theologorum consensu, nam omnes tribuunt hunc effectum iustitiæ originali, licèt in modo differant, nam quidam volunt esse vnicum, alij esse principalem, alij esse secundarium, quæ differentia ad nostræ rationis efficaciam nunc non refert: tum etiam idem patet ex significatione nominis *iustitia* originalis suprà declarata: significat enim illam formam, quæ illam rectitudinem formaliter conferebat.

14. *Ex proximè dictis impugnatur sententia Sotti nu. 4 relata.*

Atque hinc constat falsam esse tertiam sententiam Soti', si in sensu huic parti contrario accipiatur, vel sano modo expositam à nostra non differre. Nam siue per gratiam intelligat solam qualitatem essentiæ animæ inhærentem, siue cum illa comprehendat omnes habitus per se infusos virtutum, & donorum, non potuit sola gratia sufficere ad omnes effectus iustitiæ originalis formaliter præstandos. Nam sola gratia solùm confert effectus, & actus ordinis supernaturalis, iustitia autem originalis habebat etiam effectus ordinis naturalis, & in naturalibus actibus rectitudinem constituebat, ergo sola gratia per se infusa cum suis habitibus non potuit esse integra (vt sic dicã) originalis iustitia. Ad hanc verò rationem videtur respondere Valentia, dum ait, cùm animæ essentia sit radix omnium potentiarum, à gratia, quæ est in animæ essentia, posse vim accipere potentias eius ad omnes effectus originalis iustitiæ. Sicut ab eodem iustitiæ dono existente in anima corpus etiam immortalitatem reciperet.

Quid respõdeat ad hanc impugnationem Valentia.

15. *Refellitur responsio.*

At verò hæc responsio si de propria, & formali causa, de qua loquimur, intelligatur, facilè refutari potest. Nam licèt eadem anima sit origo potẽtiarum, nihilominus potentiæ (vt supponimus) sunt res ab anima distinctæ: & ideo perfectio existens in essentia animæ non potest formaliter perficere potentias, nec dare illis vim proximam ad suos actus necessariam. Aliàs eadem ratione probatur, iustitiam infusam esse vnicam simplicem formam, scilicet, gratiam existentem in essentia animæ, nullamque formam, seu habitum in potentijs ponere, quod omnino falsum est, & Concilio Trid. contrarium. Si ergo forma quæ inest propriè in essentia animæ per seipsam nõ dat vim potentijs ad actus sui ordinis: multo minus dare potuit ad actus alterius, seu inferioris ordinis. Quin potiùs nec virtus per se infusa potentiæ dat formaliter vim ad actus inferioris, & naturalis ordinis, quia nec ad illos inclinat, nec per se facilitatem in illis exercendis confert, sed facultatem ad actus superioris ordinis eliciendos præbet. Imò ad hoc etiam in vna potentia vna simplex supernaturalis forma non sufficit, sed secundum varietatem actuum, & obiectorum sæpe multiplicantur habitus per se infusi in eadem potentia, & præter eos requiruntur habitus boni acquisiti, vt potentia sit in omnibus benè, & completè disposita.

16. Fortasse respondebitur, licèt nunc sola gratia existens in essentia animæ non possit totam hanc vim formaliter conferre potentijs, nihilominus in statu innocentiæ altiori modo datam, & eleuatam fuisse, vt ad omnes illos effectus sola sufficeret. Hoc enim significat Soto, cùm dicit, gratiam Adæ in hac parte fuisse maioris dignitatis, quàm sit gratia nostra, quia non tantùm faciebat hominem gratum Deo, sed etiam *sensualitatem compescebat, & corpus roborabat in obsequium rationis.* Et idem significat Valentia, dicens, vnum & idem donum realiter habuisse omnes effectus iustitiæ, & gratiæ. Sed hoc in eodem formali sensu loquendo sustineri non potest. Nam gratia Adæ, & nostra non fuerunt diuersæ speciei, sed eiusdem naturæ & essentiæ: tum quia Concil. Trid. dicta sess. 5. dicit, in can. 1. & 2. Adam amisisse sibi, & nobis sanctitatẽ, & in sess. 6. cap. 7. addit, nos gratiam accipere, seu primam stolam pro illa, quam Adam nobis perdidit. Tum etiam, quia peccatum originale est priuatio illius gratiæ, quam Adam habuit, & nobis danda fuisset in statu innocentiæ, si ille non peccaret: ergo sua, quæ nunc datur non esset eiusdem rationis, & in sua essentia, & entitate æque perfecta non omnino auferret culpam originalis peccati, prout idem Concilium definit. Tum præterea, quia gratia, quæ nobis nunc infunditur, est suprema participatio diuinæ naturæ, quæ in ratione essentiæ participatæ intelligi potest. Vnde neque Angelis data est perfectior quoad essentiã: ergo neque primo homini. Deniq; quia fides, spes, & charitas eiusdem rationis fuerunt in primo homine, ergo & gratia.

Hinc ergo vlteriùs procedimus fruſtrà dici gratiam in statu innocentiæ habuisse dignitatem, aut nescio quam eleuationem, vt per seipsam omnes effectus iustitiæ conferret. Primò, quia hoc gratis, & sine fundamento dicitur. Nam illud est supra naturam illius qualitatis, in nobis enim habet gratia omnem effectum formalem sibi connaturalem, & tamen non habet omnes effectus iustitiæ: ergo non potuit illos conferre sine magno miraculo, quod sine fundamento affirmandum non est. Secundò, illa maior dignitas non potuit esse physica, quia in gratia non potest intelligi physicum augmentum perfectionis, nisi per modum intensionis, quæ ad illos effectus formaliter non confert, vt per se constat. Nam in homine lapso potest esse intensior gratia, quàm fuit in Adam, licèt in eo dicti effectus iustitiæ non inueniantur. Si autem dicatur illa dignitas esse moralis per aliquã Dei acceptionem, illa sufficere non potuit, vt sola gratia omnes illos effectus formaliter conferret, quia sunt effectus physici, & per alias formas, seu habitus physicè, ac formaliter conferri debuerũt. Tertiò quod de eleuatione dicitur intelligi potest, aut in genere causæ formalis, aut in genere efficientis. Prior est impossibilis, quia nulla forma eleuari potest ad dandum alium effectum formalẽ, realem, & physicum, præter illum, quem ex natura sua conferre potest. Vnde non potest gratia, si est qualitas in essentia animæ existens, dare volitati illum effectum formalem, quem præbet illi charitas, & sic de cæteris. Igitur gratia in statu innocentię solùm potuit habere suum effectum formalem in essentia animæ, & eundem, quem nunc habet in homine iusto. Posterior autem eleuatio effectiua est impertinens, & sine fundamento: nam illa eleuatio non est naturalis: ergo oportet, vt per reuelationem constet, aut aliam sufficientem auctoritatem, vel saltem per satis probabilem coniecturam: nihil autem horum in præsenti inuenitur. Cur enim Deus relinqueret potẽtias sine propijs habitibus, & principijs suarum actionum illi statui conuenientium, & miraculosè vteretur sola qualitate gratiæ ad iuuandas potentias in illis omnibus actionibus efficiẽdis. Hoc enim nihil ad

Quid sit gratia nostra. *Sensus Valentiæ.* *Impropriè dicitur.* *Primò.* *Secundò.* *Propriè dicitur.* *Dicitur improprie.* *Tertiò improbatur.*

perfectionem illius status conduxisset: imo perfectionem minueret quia potentię ipsę non agerent connaturali modo, & proprijs perfectionibus formalibus carerent. Si autem potentiæ habebant propria intrinseca principia, eo ipso integra iustitia originalis plures habitus, seu qualitates includit præter gratiam, & consequenter illa eleuatio gratiæ ad nouam efficientiam impertinens est.

Quæ omnia euidenter conuincunt de virtutibus, & donis per se infusis, vt à gratia distinguuntur, & ex illis non minus efficax argumentum sumitur ad reliquos habitus per accidens infusos, quatenus ad perfectam integritatem, & rectitudinem naturalem necessarij sunt, vel conferunt, vt magis connaturali modo fiat. Ac denique idem euidentius est de immortalitate, & robore corporis. Quomodo enim poterat hæc perfectio per solam gratiam animæ inhærentem formaliter conferri: Imo suprà ostendimus nullam qualitatem spiritualem potuisse effectum illum formaliter dare, quin etiam nec per intrinsecam qualitatem corpoream factam esse. Quod si dicti auctores non intendunt loqui de iustitia in dicto sensu, quâ formalem, seu in genere causæ formalis appellauim⁹, sed solum intendunt gratiam contulisse effectus iustitiæ per habitus, vel alia dona, quæ ratione illius dantur: & in hoc habuisse gratiam primi status quandam maiorem dignitatem moralẽ, quia plura dona, & beneficia ratione illius dantur, sic non sunt nobis contrarij, obscurè tamen loquuti sunt, vt in quarto puncto videbimus.

Et hinc facile intelligitur, quod in tertio puncto nostræ sententiæ asseruimus, nimirum originalem iustitiam etiam in actu primo consideratam, prout de illa loquimur, non incluisse tantũ habitus, vel qualitates intrinsecas permanentes, & animæ, & corpori inhærentes: sed etiam aliaDei beneficia, & maximè specialem eius protectionem & prouidentiam. Probatur, quia in superioribus ostensum est, effectum non peccandi venialiter in illo statu: & non incurrendi deceptionem, vel errorem infallibiliter, & continendi appetitum inferiorem, vt nunquam haberet motum præuenientem rationem, aut homini disconuenientem, non potuisse fieri per solos habitus, sed necessariã fuisse specialem Dei prouidentiam & protectionem. Idemque ostendimus de corporis immortalitate, seu impassibilitate: sed isti effectus pertinebant ad iustitiam originalem: ergo integra iustitia in actu primo sumpta aliquid amplius præter habitus includebat. Dices, quomodo potest esse per modum actus primi, & non esse per habitum, vel qualitatem permanentem? Respondeo quia esse potest per extrinsecum adiutorẽ homini assistentem, semperq; expositum, ac sufficienter præparatum ad præueniendum hominem, & iuuandum in omnibus opportunitatibus ad illos effectus necessarijs. Non est tamen inde inferendum hoc adiutorium extrinsecum ad omnia sufficere, nam virtus intrinseca formaliter perficiens, & dans connaturalem virtutem operandi, necessaria in primis fuit, vbi autem illa non sufficit, diuina protectio adiungenda est, quæ prædicto modo adiutorium in actu primo conferre censeatur. Sicut ignis, v.g. sufficienter est constitutus in actu primo ad calefaciendum, quia licet calor eius per se solus absolute non sufficiat ad calefaciendum habet nihilominus paratum Dei concursum, propter quod quasi in actu primo illum habere dicitur: ita ergo seruata proportione in præsenti loquimur.

Quarta vero pars resolutionis datæ ex dictis facile probari potest, eamque præcipuè intendit D. Thomas in locis pro tertia sententia allegatis. Nã hac ratione dicit iustitiam originalem quoad formale fuisse gratiam ipsam, id est, quoad principalem formam, quæ tanquam radix, & fundamentum ad alias perfectiones iustitiæ originalis comparatur. Item in eodem sensu dicit, peccatum originale esse priuationem iustitiæ originalis, vtique formaliter, seu essentialiter quoad priuationem gratiæ; & consequenter quoad reliqua, quia destructa radice, consequenter destruuntur reliqua. Et nihilominus è contrario ait, per infusionem gratiæ simpliciter auferri originale peccatum, quia tollitur quoad suum formale, & essentiale, quamuis non tota iustitia originalis integre, quoad omnes suos effectus, restituatur. Ac deniq; hac ratione verum habet, quod Aug. & D. Thom. dixerunt, *hominem peccando immortalitatem amisisse, quia gratiam perdidit*, id est, quia gratia suo modo erat fundamentum, & radix illius immortalitatis.

21 *Vnde ratione.*

Ratione declaratur, quia iustitia originalis formaliter, & adæquate erat quædam collectio plurium perfectionum data à Deo ad constituendum hominem in quodam felicitatis statu: ergo illa omnia data sunt cum aliquo ordine inter se. Nam multitudo sine ordine est confusio, & ideo, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, imo cum summa sapientia, & pulchritudine ordinantur: optimus autem ordo postulat, vt quando multa in vnum conueniunt, inferiora superioribus subordinata sint, & quod in eis est supremum, sit quasi caput, & fundamentum aliorum: ergo ita fuit constituta originalis iustitia. Vnde cum in illa collectione gratia fuerit principalis forma, illa censenda est quasi essentialis in illa iustitia, reliqua vero omnia tanquam proprietates eius, vel tanquam auxilia, & ornamenta illi adiuncta ad perfectius viuendum, & operandum secundum iustitiam, & fine defectu.

22 *Confirmatur, & declaratur amplius.*

Et confirmatur, amplius rem ipsam declarando. Nam si nomine gratiæ intelligam⁹ solam simplicem formam gratiæ existentis in essentia animæ, illa in primis comparatur ad habitus operatiuos per se infusos, tanquam essentia ad proprietates: & hac ratione dicitur esse illorum radix, & fundamentum. Si vero sit sermo de tota gratia habituali, prout includit habitus operatiuos per se infusos, & præbet animæ supernaturalem rectitudinem: sic etiam gratia fuit fundamentum, & radix illius rectitudinis naturalis, quæ per iustitiam originalem supra puram naturam addebatur. Quia, teste Augustino, imo etiam teste experientia, & effectu, quem Scriptura narrat, illa naturę integritas, seu rectitudo sub hac lege data est, vt quandiu prior rectitudo erga Deum duraret, etiam inferior rectitudo naturalis conseruaretur, & priori destructa, posterior consequenter amitteretur: ergo signum est, gratiam etiam fuisse fundamentum rectitudinis naturalis saltem ex lege, & pacto Dei. Imo supposita eleuatione humanæ naturæ ad finem supernaturalem, & statum gratiæ, id ex natura rei consequebatur, quia non potest homo in hoc statu se auertere à Deo fine supernaturali, quin contra rationem etiam naturalem peccet, & consequenter rectitudinem naturalem deserat, & ideo perfecta etiam rectitudo naturalis in supernaturali fundari debuit.

23 *Progreditur dicta confirmatio, & declaratio.*

Deniq; cum homo in eo statu propter finem supernaturalem conditus sit, quicquid perfectionis recepit in rectitudine naturali, datum illi est ad conseruandam felicius, & melius rectitudinem supernaturalem, & vt posset homo facile, & sine impedimentis tendere in illum finem sine peccato, & cum magno merito: ergo omnis illa perfectio intuitu gratiæ data est, & sub ea ratione censeri potest tanquam speciale adiutorium gratiæ: ergo fuit in illa fundatum, & radicatum, & propter illam tanquam propter formam principalem donatum. Atque eodem modo concludi potest de

test de alijs perfectionibus pertinentibus ad robur, & impassibilitatem corporis. Nam hæc etiam propter virtutis operationem data sunt tanquam dispositiones, quæ & euitationem mali, & operationem boni faciliorem reddebant. Et præterea si aliquid considerari potest in originali iustitia, quòd vel ad hominis ornamentum, vel ad naturalem commoditatem, aut iucunditatem pertineat, totum id datum est homini vt amico Dei, & filio iusto, & innocenti, & ideo datum fuit dependenter à prima gratia in statu innocentiæ collata: fuit ergo illa gratia fundamentum reliquorum bonorum originalis iustitiæ. Vnde si Soto, & alij auctores tertiæ opinionis hoc tantùm dicere voluerunt, illis non contradicimus, veruntamẽ non satis id explicuerunt.

24. *5. Assertionis pars exclusiua ostenditur.* Tandem probanda superest vltima pars nostræ sententiæ, quæ quidem ex discursu præcedentium capitum satis, vt existimo, probata est, nũc etiam propter Scotum, Henric. aliquid addere, vel magis vrgere necessarium est. Et in primis, vt per omnia discurramus, supponimus, iustitiam originalem non addidisse aliquẽ habitum inhærentem essentiæ animæ præter gratiam sanctificantem. Hoc non est necesse contra Scotum probare, cùm ipse nec gratiam inhærentem in essentia animæ admittat. Et ferè idem de Henrico dicere possumus, cùm ipse non admittat in essentia animæ gratiam, quæ sit qualitas à charitate realiter distincta. Et ita neuter illorum in præsenti de tali qualitate loquitur. Generaliter autem probatur, quia vel talis qualitas esset ordinis supernaturalis, vel naturalis. Neutrum dici potest: ergo. Probatur minor quoad priorem partem, quia esto illa qualitas sit possibilis ad aliquem animæ ornatũ, nihilominus ad rectitudinem iustitiæ, & sanctitatis, necesset necessaria, neque aliquid conferre poterat. Quia qualitas gratiæ sufficienter constituit animam participem diuinæ naturæ, & perfectam in esse diuino supernaturali: ergo propter hanc rectitudinem non est necessaria alia qualitas per se infusa in essentia animæ. Neque etiam propter operationem: quia qualitas existens in essentia animæ non dat proximam facultatem operandi supernaturaliter, hanc enim præbent habitus potentiales. Quòd si fortasse dare potest efficientiam radicalem, vt sic dicam, vel principalem, illam sufficienter confert qualitas gratiæ. Frustrà ergo & sine fundamento talis supernaturalis qualitas fingeretur.

Excluditur in primis habitus omnis harens substantiæ animæ supernaturalis.

25. *Tum etiam naturalis.* Aliud item membrum de qualitate naturali facilè probatur, quia nullum effectum formalem potest in essentia animæ talis qualitas habere, qui ad rectitudinem iustitiæ naturalis pertineat, quia nec potest dare animæ aliquam maiorem integritatem in suo esse, neque etiam ad operationem iuuare, cùm non sit in potentia. Solùm potest aliquis cogitare, talem qualitatem in essentia animæ quasi eleuantem, aut confortantem illam ad informandum corpus immutabiliter, seu incorruptibiliter, atque ita fuisse necessariam ad iustitiã originalem ex ea parte, qua corporis immortalitatem tribuebat. Et hoc fortasse dicerent, qui opinati sunt, corpus hominis in statu innocentiæ habuisse immortalitatem ex vi cuiusdam qualitatis spiritualis. Sed hæc opinio in superioribus reiecta est, & re vera non est verisimilis. Tum quia informatio animæ circa corpus est intensiuè indiuisibilis, & non recipit magis, aut minus. Tum etiam, quia cùm sit modus substantialis, etiamsi esset capax illius augmenti, non posset per qualitatem accidentalem illud formaliter recipere. Tum denique, quia illa qualitas spiritualis non posset resistere contrarijs agentibus, ne dispositiones corporis humani corrumperent, neque illis subla-

Quorundã responsio.

Refellitur.

tis posset vnio animæ, ad corpus naturaliter conseruari. Igitur originalis iustitia nullam qualitatem præter gratiam in animæ substantia ponebat.

Deinde in intellectu nullum peculiarem habitum cognoscitiuum iustitia originalis addebat. In hoc non contradicit Scotus, nec quisquam de tali habitu loquitur. Nec etiam Henric. loquitur de rectitudine intellectus, sed tantùm voluntatis. Neque aliquem alium auctorem inuenio, qui huiusmodi habitũ excogitauerit, & ideo breuiter probatur hæc pars. Primò quia per fidem, & dona Spiritus sancti sufficienter perficitur intellectus viatoris in ordine ad supernaturalem rectitudinem intellectus: nec in statu iustitiæ originalis haberet homo supernaturalem rectitudinem habitualem alterius rationis, quia non haberet aliam scientiã per se infusam, aut lumen propheticum habituale distinctum à lumine fidei, multoque minùs lumen gloriæ. Nihil enim istorum ad rectitudinem illius status necessarium erat: nec cum probabili fundamento affirmari potest. Quòd si fortasse facilior, & melior visus fidei, & aliorum bonorum intellectualium in statu innocentiæ necessarius erat, nõ ex habitu distincto prouenire poterat, nisi sub nomine habitus includantur species, quas non negamus potuisse sub perfectione iustitiæ originalis comprehendi. Non oportet autem illas fingere per se infusas, nam ad vsum fidei sufficiunt acquisitæ, quæ tunc per accidens infunderentur, quantum ad integritatem illius status necessarium esset, & in suo ordine essent valde perfectæ, & cum eis darentur phantasmata ad illarum vsum valde accommodata. Et, quod caput est, illa maior perfectio ex actualibus Dei auxilijs, & illuminationibus maximè proueniret. Vnde rectè dici potest, iustitiam originalem illa auxilia comprehendisse modo suprà explicato, non tamen nouum intellectualem habitum per se infusum.

Deinde in intellectu nullum peculiarem habitum.

Secundò etiam in ordine ad naturalem rectitudinem sufficienter perficiebatur intellectus per intellectuales virtutes per accidens infusas, imò fortasse non semper, & in omnibus fuissent necessariæ: sed nunc de Adamo loquimur, cui datas esse diximus cum speciebus, & phantasmatibus necessarijs, & sufficientibus ad bonum vsum rectæ rationis, ac subinde ad rectitudinem naturalem, quatenus ex intellectu pendet. Quis ergo alius habitus ordinis naturalis excogitari potest, quem iustitia originalis in intellectu postulauerit, aut posuerit? certè vix videtur intelligibilis, aut possibilis, nedum necessarius. Nam habitus opinionis, aut fidei humanæ, ad perfectionem illius status non pertinebant: virtutes autem intellectuales nõ videntur plures excogitari posse. Quòd si obijciatur de perfectione intellectus, quam iustitia originalis includebat, scilicet, vt illo statu durante, non deciperetur. Respondemus, illam perfectionem non potuisse à peculiari habitu prouenire, sed ex prudenti vsu in iudicando de rebus non euidentibus adiuncta simul, vel potius antecedente peculiari Dei protectione, & prouidentia, vt in superioribus explicatum est. Nec in hoc puncto Henric. aut Scotus nobis contradicunt.

Tum eam distinctam infusis accidentibus.

Obiectio.

Solutio.

Tertiò verò addimus, iustitiam originalem nullum habitum, aut rectitudinem naturalem permanentem addidisse voluntati præter virtutes ordinis naturalis, quæ ex natura sua per actus acquiri possunt, & in statu originalis iustitiæ per accidens infundebantur. Probatur generatim ratione facta, quia illi habitus studiosi ad omnem rectitudinem naturalem, quæ in voluntate esse potest permanenter, & per modũ habitus, sufficiunt. Nam hæ virtutes versantur circa omnia obiecta honesta, quæ per rationem naturalem ostẽdi pos-

Excluditur.

Praeterea nec habitus ullus.

Tum etiam.

Quia.

Quia.

Tum denique.

possunt, vt sunt principia omnium honestorum actuum, qui per naturalem prudentiam regulari possunt: ergo sufficienter inclinant ad omnem rectitudinem naturalem, nam rectitudo in vsu ipso per actus honestos, & naturali ratione conformes, & non per alios, exercetur.

29 Deinde contra Henricum, quem etiam Scotus impugnat, argumentari possumus, quia illa rectitudo naturalis quã iustitia originalis addebat voluntati secundum Henricum, vel erat res aliqua distincta à voluntate, vel modus eius, formaliter, aut ex natura rei ab illa distinctus. Hæc enim Henricus non declarat. Dicit tamen illam fuisse quandam iustitiam, quam voluntas condita sine donis gratiæ in puris naturalibus haberet, & illam posset amittere, quia per suam libertatem posset se obliquare, & ita iustitiam corrumpere inducendo in se obliquitatem iustitiæ oppositam. In quo insinuat illam iustitiam esse rem à voluntate distinctam siue omnino realiter, siue ex natura rei, seu modaliter: quia vt auferri possit à voluntate, saltem hæc distinctio necessaria est. Contra hanc vero partem obijcit Scotus, nam si hæc iustitia est aliqua res, vel modus realis positiuus separabilis à voluntate, posset Deus creare hominis voluntatẽ sine illa iustitia, seu rectitudine, quia quæ in re distincta sunt, & per actionem hominis separari possunt, multo facilius possunt à Deo separari. Sed voluntas hominis sic creata posset peccare, quia esset libera ad agendum secundum rationem naturalẽ, vel contra illam: ergo tũc etiam obliquaretur per suum actum sine amissione alicuius entitatis: ergo ex potestate se obliquandi non potest colligi talis qualitas.

30 Secundo argumentari possumus, quia si illa iustitia est qualitas realiter distincta à voluntate, non potest esse, nisi aliquis habitus. In qua n. alia specie qualitatis esse potest? Erit ergo habitus operatiuus, quia potentia non est capax aliorum habituum, vel saltem vt potentia est alijs non indigens: erit præterea habitus operatiuus actuũ rectorum, seu honestorum, quod ipse Henricus fateri videtur, cum qualitatem illam iustitiam nominat ergo non potest esse qualitas illa distincta à virtutibus omnibus naturalibus, quæ voluntati præbent rectitudinem in ordine ad actus morales honestos. Diceret fortè Henricus, illam iustitiam nõ esse aliquam virtutem particularem, sed esse quãdam qualitatem simplicem, & vniuersalem rectificantem voluntatem ad omnes morales actꝰ virtutum particularium. At profectò talis qualitas non est nisi ipsa voluntas, nam ipsa non est capax alterius habitus æquè vniuersalis respectu boni honesti, aliàs omnis distinctio moraliũ virtutum superuacanea est. Et præterea sine vllo fundamẽto talis qualitas excogitata est. Quod si fortasse dixerit Henricus, illam iustitiam non esse propriam qualitatem, seu rem omnino distinctam à voluntate, oportet, vt nobis explicet, quis, vel qualis sit iste modus. Nam voluntas est res quædam inuisibilis, incapax ex natura sua modi intensionis, & extensiui augmenti, in qualitatib. autem hos duos modos inuenimus, nec alium in voluntate intelligere possumus. Præsertim quia ille modus ponitur separabilis naturaliter à voluntate, ac proinde distinctus ab illa ex natura rei: voluntas autem ex natura sua est immutabilis in sua entitate, & inhærentia ad animam, non minus quam anima ipsa: ergo ille alius modus gratis excogitatus est, & percipi non potest.

31 Tertio principaliter errat Henricus, quia vult, illam iustitiam esse naturalem, ac debitam homini in puris naturalibus, & nihilominus tantam esse, vt omnino subijciat appetitum voluntati, & rebellionem carnis ad spiritum auferat. Vtrunque autem falsum est. Nam in primis pugna inter inferiorem, & superiorem appetitum naturalis est homini, si in pura sua natura spectetur, vt suprà probatum est, quia sensibilia obiecta naturaliter præueniunt, & immutant sensus externos & internos: & consequenter appetitum etiam sensitiuum naturaliter mouent. Corpus etiam hominis in pura natura corruptibile est, & consequenter agrauat animam: & impedit spiritum. Ergo status iustitiæ originalis non potest dici illo modo naturalis, vt suprà etiam tactum est, & paulo post confirmabitur. Deinde nulla qualitas existens in voluntate per modum habitus potest sua naturali virtute impedire omnes præuenientes motus appetitus, vt supra ostensum est. Præterea, si qualitas illa esset dicto modo connaturalis, non amitteretur propter peccatum, tum quia naturalia manent integra, teste Dionysio, tum etiam, quia vnus actus non potest statim corrumpere totum habitum iustitiæ acquisitum: ergo multo minus posset corrumpere totam illam iustitiam naturalem, tum præterea, quia alias nunc homo esset monstrosus, & mancus in his, quæ suæ naturæ debita sunt, & consequenter posset euidenter cognosci, vel nunc nasci hominem in statu peccati, vel à suo auctore absque donis naturę debitis, sine causa procreari.

32 Hæc autem omnia absurda sunt, & sine occasione excogitata. Nam fundamentum Henrici nullius est momenti. Quia voluntas hominis in puris naturalibus creata per se esset naturaliter recta, quia esset naturaliter propensa ad ea, quæ rectæ rationi consentanea sunt. Et quamuis habeat simul naturalem propensionem ad bona corporis, tamen etiam illa est recta, quia est subordinata priori propensioni, & regulæ rectæ rationis. Voluntas autem sic creata, prius quam libere operetur non esset positiuè recta moraliter, sed dici posset recta negatiuè, id est, non obliqua, sicut dicitur innocens, qui nihil peccauit. Vnde cum primum peccaret se obliquaret moraliter, non amittendo aliquam iustitiam positiuam, sed amittendo innocentiam, & inducendo in se actualem obliquitatem actus praui, & moralem auersionem; quæ transacto actu in ea relinquitur. Vel certe si per actus peccatorum habitus vitiorum acquirerentur, illi non essent naturales, id est, congeniti cum natura, neque excluderent aliquem habitum cum natura congenitum, sed tantum adderent inclinationem ad malum, quam voluntas in pura natura ex se non haberet. Et ita inducerent obliquitatem in voluntate, non aliquam rem auferendo, sed inclinationem rectæ rationi non conformem addendo: ergo superfluè, & sine fundamento excogitauit Henricus iustitiam aliquam naturaliter congenitam voluntati, ita in re ab ipsa distinctam, vt per quodlibet peccatum amittatur. Cuius etiam signum esse potest, quod per secundum, & tertium, & subsequentia peccata augetur obliquitas voluntatis, & tamen non augetur illa physica carentia iustitiæ originalis, quia secundum Henricum per primum peccatum tota amittitur. Ergo signum est, illam obliquitatem non consistere in reali priuatione alicuius qualitatis, sed in additione, vel morali, per plures malitias peccatorum, vel physica, per generationem prauorũ habituũ. Nõ fuit ergo in Adã talis iustitia nec fuisset in eiꝰ posteris, etiãsi ipse non peccasset.

Ad probationes Henricum n. 3.

33 Supereſt dicendum de opinione Scoti, in qua duo nobis displicent. Primum, quod in solis quibusdam habitibus voluntatis, & appetitus sensitiui constituit originalem iustitiam. Nam suprã probatum est, per solos habitus non potuisse subdi perfectè appetitum sensitiuum voluntati, nec fomitem extingui, seu concupiscentiam omnino

Contrà Scotum in n. 2. quod iustitiam originalem constituat ex solis habitibus

bus vtriusq; appetitus.

mnino frænari, ita vt nunquam rationem præueniret, quæ obiectio non omnino latuit Scotum, & ideo non reputat inconueniens concedere, aliquos motus huiusmodi potuisse esse in appetitu, non obstante iustitia originali, quia per voluntatem possent facillimè coerceri, & cum magna delectatione hominis, non obstante aliqua tristitia appetitus, sine propria hominis imperfectione. Quia quod conuenit homini secundum superiorem potentiam, dicitur illi simpliciter conuenire: quod autem inest in potentia inferiori, non ita simpliciter hominem denominat. Sed hoc etiam ibi refutauimus, quia secundum doctrinam Augustini, & valde receptam in Ecclesia, nullus talis motus futurus erat in eo statu, in quo homines nudi erant, & non erubescebant, & concupiscentia ita erat frænata in præsentia talis obiecti, ac si homo illud non videret, nam propterea oculi primorum parentum per peccatum aperti fuisse dicuntur.

34 Vrgetur amplius.

Differentia verò illa, quam Scotus assignat inter motum superioris, & inferioris potentiæ, tantum in verbis consistit. Nam in re clarum est, motus appetitus hominis esse, & ab homine fieri, & ipsum afficere. Ergo si est imperfectus, vel inordinato modo consurgit, non potest non esse hominis imperfectio. Vel certè, vt verborum contensio tollatur, saltem sequitur non fuisse hominem totaliter rectum, & bene compositum per iustitiam originalem: quia sicut malum est ex quocunque defectu, ita quilibet motus inordinatè existens in inferiori appetitu tolleret integritatem, & rectitudinem iustitiæ originalis. Accedit, quod si appetitus pati posset huiusmodi præuenientes motus, etiam ipsa voluntas secundum inferiorem partē, seu propensionem ad corpus, traheretur ab appetitu, præueniendo superiorem rationem quæ esset magna imperfectio, nam inde vlterius fieret, peccatum veniale ex surreptione, & non paruam difficultatem bene operandi simul cum iustitia originali esse potuisse. Vltra hoc verò etiam ad operandum bonum cum perfectione consentanea iustitiæ originali, non sufficiunt illi tres habitus, quos excogitauit Scotus, quia necessarij sunt habitus virtutum, vel per se, vel per accidens infusi, quia illi sunt, qui vel dant facultatem operandi in ordine supernaturali, vel quodammodo complent illam, vel inclinationem eius perficiunt in ordine naturali, vt in superioribus ostensum est.

35 Item quod ponat tales habitus distinctos á virtutibus ac primum quoad habitus voluntatis impugnatur.

Vnde secundo displicet in illa sententia, quod illos habitus tanquam speciales ad iustitiam originalem requirit. Quod primo ostendo in habitu voluntatis, cuius affectus esse dicitur dare voluntati vim auertendi appetitum inferiorem à proprijs eius delectationibus minus bonis, cum maxima delectatione, quæ naturalem virtutem excederet, & ideo talis habitus supernaturalis appellatur. Quod in doctrina Scoti de supernaturali secundum modum, erit intelligendum, quia ipse non videtur formas, vel qualitates in substantia supernaturales admittere. Vel certe (quicquid de hoc sit) manifestum est, iuxta hanc Scoti opinionem, non esse charitatem infusam, quia nunc iusti habent charitatem, & non habent illum habitum, & è contrario potuisset Deus creare hominem cum illo habitu, & sine gratia, & charitate. Imò ita fuisse creatum primum hominem credit, vel probabilissimum reputat Scotus cum Alense, & alijs. Ergo talis habitus ordinis esset naturalis. Eius ergo effectus formalis esset dare voluntati magnam virtutem & vehementem inclinationem ad recte operandum secundum rectam rationem. Est enim attente considerandum, habitum non posse per se primo, & immediatè (vt sic dicam) causare delectationem, sed quatenus ea resultat ex actu ad quem habitus per se primo inclinat. Quia nec ipsa delectatio potest aliter à nobis fieri, quia non est per modum actus per se primò facti, sed per modum proprietatis, & quasi passionis resultantis ex actu, qui versatur circa obiectum delectabile, eo quod sensui, vel rationi consentaneum sit. Si enim ille habitus in vincendis & auertendis delectationibus sensuum maximam delectationem conferebat, non poterat id facere, nisi quia ad obiecta rationi consentanea, & repugnantia delectationibus sensuum vehementer inclinabat.

Ex quo vlterius infero, non potuisse habitum illum esse vnum, & specialem, distinctum ab omnibus, qui per actus acquiri possunt, & per accidens in statu originalis iustitiæ infundebantur. Probatur in primis ratione generali, quia ille habitus non dabat delectationem in reprimenda inferiori concupiscentia, nisi inclinando vehementer ad actus virtutis illi concupiscentiæ repugnantes: sed illi actus virtutis necessario versantur in materijs virtutum acquisibilium per tales actus, & fiunt sub eadem regula rationis naturalis, & sub eisdem motiuis honestis, sub quibus virtutes morales, & acquisitæ operantur: ergo vel impossibilis est talis habitus ab omnibus acquisitis, seu acquisibilibus (vt sic dicam) distinctus, vel saltem superfluè cogitatur. Secundò valet contra Scotum argumentum factum contra Henricum, nam vel ille habitus est vnus simplex, vel collectio plurium. Si hoc posterius dicatur, erit collectio virtutum omnium, quas voluntas suis actibus posset acquirere, sicut nos dicimus. Nam multo improbabilius esset, alium ordinem virtutum quasi medium inter supernaturales, & acquisitas, seu inter gratiam, & naturam fingere. Primum autem de habitu simplici satis contra Henricum impugnatum est, præsertim si sit sermo de habitu eliciente omnes actus honestos, quos in omni materia potest voluntas naturaliter efficere, & per illos inferiorem appetitum in officio continere. Quod addo, quia imperando potest vnus habitus simplex dare facilitatem, & delectationem in omni materia virtutis, sicut de charitate dixit Paulus, *Omnia credit, omnia sustinet, patiens est, benigna est*, &c. 1. Cor. 13. Tandem hoc etiam Scotum nihiluuat: tum quia talis habitus ad perfectam operis facilitatem & delectationem non sufficit sine proprio habitu eliciente. Tum præcipuè, quia in ordine naturalium actuum ille habitus maximè esse posset naturalis amicitia ad Deum. De quo habitu suprà diximus esse vnam ex virtutibus ordinis naturalis, quæ per se, & ex suo genere per actus proprios acquiri potest, & Adamo per accidens infusa fuit. Et ideo propter illam dici non potest, originalem iustitiam includere aliquem habitum, præter collectionem omnium virtutum. Et idem est de quacunq; alia generali virtute, vt obedientia, vel alia simili.

Fortasse vero diceret Scot. vt aliqui eius discipuli insinuant illum quidem fuisse habitum charitatis Dei perficientis voluntatem solum in ordine naturæ, seu respectu Dei vt auctoris naturæ, & in hoc distinctum à propria charitate infusa: nihilominus tamen superantem amicitiam, seu charitatem naturalem in duobus. Primo, quia non solum posset reprimere appetitum, sed etiam prævenire illum, ne ad sensibilia moueatur. Secundo in hoc, quod per talem habitum posset voluntas vehementius, & intensius operari, ac delectari in Deo, & in cohibendo appetitu propter ipsum Deum, quam naturaliter posset. Sed neutrum horum satisfacit. Nam primum si intelligatur generaliter de omni motu appetitus falsum est, quia nec fomes non potest auferri per solum habitum existentem in voluntate, imo nec adiungendo habi-

37 Respondetur Scoticis pro Scoto.

tus

tus appetitus, vt suprà probatum est. Si vero intelligatur indefinite de aliquibus motibus appetitus, quos præuenire potest voluntas, ne insurgant, fateor posse ad hoc iuuari voluntatem per habitum naturalem amoris Dei, tamen hoc facere posset etiam sine iustitia originali. Quia id non potest fieri ex inclinatione talis habitus, nisi vitãdo occasiones, & fugiendo obiecta, quæ tales motus sensibiles excitare possent. Hoc autem naturali industria, & prudentia fieri potest, quantum est ex vi talis effectus, quanquam vt facile fiat, non sufficiat talis habitus, sed necessariæ sint etiam aliæ virtutes, & præsertim prudentia, vt autem semper fieri posset iustitia originalis non per solos habitus, sed per alia etiam auxilia conferebat.

Secundum etiam, quod de intensione dicitur, mihi non placet. Primo, quia non constat potuisse hominem in statu innocentiæ diligere Deum vt auctorem naturæ per amorem quoad substantiã naturalem intensiorem, quam naturaliter posset efficere. Vnde enim hoc probari potest? Quamuis enim fortasse in illo statu posset homo naturaliter diligere Deum cum maiori intensione, & voluptate, quam posset in statu naturæ lapsæ, eo quod nunc à corpore corruptibili, & passionibus eius, & à mutabilitate phantasiæ impeditur, ne tanto conatu, & attentione in Deum ferri valeat, sicut tunc poterat, his ablatis impedimentis. Nihilominus totus ille conatus voluntatis in illo statu forte non superaret naturales vires voluntatis humanæ, nullum enim fundamentum ad id asserendum inuenio. Cur enim non posset anima separata in pura natura existens diligere Deum naturali dilectione tam intensa quantum potuit homo in statu innocentiæ? Item Angelis ipsis non est datus habitus ad diligendum Deum vt auctorem naturæ intensius, quam per solam potentiam naturaliter possint: ergo neque primo homini in statu innocentiæ. Denique habitus inclinans ad actum naturalem fortasse non iuuat potentiam ad agendum intensius, quam naturaliter possit, sed tantum ad agendum facilius, & promptius actus eiusdem intensionis. Vel quamuis dicatur, dare virtutem ad intensiorem actum, illam poterit præstare habitus eiusdem ordinis, & speciei solum propter maiorem intensionem: ergo talis habitus non erit distinctus à naturali dilectione Dei habituali, quicquid sit de intensione, de qua nihil nisi diuinando affirmari potest.

Atque hæ rationes cum proportione applicari possunt ad habitus, quos in appetitu sensitiuo ponit Scotus secundum vnum opinandi modũ. Nã si tales habitus intelliguntur distincti ab omnibus habitibus, vel virtutibus, quæ naturaliter inesse possunt appetitui, & per actus eius acquiri valent, mihi non est verisimilis illa opinio propter rationes factas de voluntate: nam sine dubio, est eadem proportio. Si vero intelligatur de habitibus eiusdem rationis non acquisitis, sic non solum probabile, sed certum mihi videtur ad iustitiam originalem fuisse necessarios habitus in appetitu sensitiuo: non tamen duos tantum propter irascibilem, & concupiscibilem, sed plures in vtraq; facultate propter varietatem materiarum, & obiectorum moralium, vt ex dictis facile colligitur, & contra Durandum in superioribus probatum est.

Atque ex his satisfactum est primis quinque opinionibus supra recitatis, nam de prima, & secũda, Scoti scilicet, & Henrici nunc proximè diximus. De tertia vero quæ est Soti, iam declaratum est, quomodo gratia sola non sit tota forma iustitiæ originalis, & quomodo radicaliter, & fundamentaliter potuerit iustitia originalis appellari. Ad quartum vero Caietani, Durandi, & aliorum, qui iustitiam originalem à gratia distinguunt, dicimus, si intelligant esse distinctas tanquam duas formas, quarum neutra alteram includat, nobis non probari, quia ostensum est habitus gratiæ ad veram iustitiam necessarios fuisse. Vnde consequenter in fundamento illius sententiæ negamus illud principium, scilicet, iustitiam originalem solum perfecisse naturam intra latitudinem honestatis, seu rectitudinis naturalis. Nam principaliter conferebat rectitudinem supernaturalem, & in ordine ad illam perficiebat naturalem. Si verò iustitia originalis distinguatur à gratia tanquam includens aliquid gratiæ, sic vera est distinctio. Et hoc solum probant testimonia D. Thom. quæ ibi adducuntur. Et ita etiam responsum est ad quintam opinionem: nam duo, quæ in illa adduntur, scilicet, gratiam non fuisse fundamentum iustitiæ originalis, & Adam fuisse creatum in iustitia originali, & non in gratia, iam à nobis impugnata sunt. Quod autem à contrario, gratia nunc separetur à iustitia originali, solum probat iustitiam originalem addidisse aliquid vltra gratiam, sine qua sola gratia nomen originalis iustitiæ non meretur.

Iudicium de 4. Durandi & Caiet. in num. 6.

Ad eius probationem ibid.

Iudicium de 5. in n. 8.

Ex quo in primis resoluta manet quæstio, quæ de subiecto originalis iustitiæ tractari solet. Nam D. Thomas illam collocat in essentia animæ, quãtum colligi potest ex 1. 2. q. 83. a. 2. iuncta q. 110. art. 3. & 4. Durandus vero extreme distans à D. Thoma dixit, subiectum iustitiæ fuisse appetitum sensitiuum, vt patet in 2. d. 29. q. 2. At vero Scotus in eadem dist. vel in sola voluntate, vel in illa simul, & appetitu sensitiuo iustitiam originalem collocat, quod sentit etiam Bonau. in 1. d. 31. a. 1. q. 2. Veruntamen resolutio ex dictis est, iustitiam originalem quoad principalem eius formam, & quasi fundamentum, & radicem aliarum perfectionum eius, fuisse in essentia animæ tanquam in proximo subiecto, quia illa forma erat gratia, quam credimus cum D. Thoma esse immediatè in essentia animæ, & in hoc sensu ipse de iustitia loquutus est. At vero quoad alias perfectiones non erat in vna, vel altera potentia adæquatè, sed in omnibus simul, & in singulis inadæquatè. Et ita primo erat in intellectu, quasi ordine generationis, principalius vero in voluntate, quia in illa erat charitas, consequenter vero in alijs potentijs inferioribus. Quod ex parte attigit Bonau. in 2. d. 24. q. vlt. ad penult. Hæc autem intelliguntur de subiecto iustitiæ quo ad habitus: nam quoad alia priuilegia non inhærebat homini quoad actum primum, sed assistebat: quoad effectus vero non solum in anima, sed etiam in corpore inesse poterat, vt ex dictis manifestum est.

41 *Corollarium 1. ex hactenus tractata in quidnam sit subiectũ iustitiæ originalis.*

Authoris resolutio.

Secundo colligitur ex dictis, an iustitia originalis naturalis, vel supernaturalis censenda sit. Nam in hoc etiam est varietas inter Theologos, quæ in vno sensu potest esse de re: & in alio tantum de nomine. Nam loquendo de iustitia originali, prout à nobis explicata est, certum est non fuisse naturalem, saltem quoad eam partem, qua gratiam, & virtutes seu dona per se infusa includebat. Si vero sit sermo de iustitia originali sumpta tantum pro illa perfectione, quam addebat vltra iustitiam per se infusam, sic dicendum videtur, quoad eam partem posse duplici titulo vocari naturalem, primo, quoad substantiam, quia omnes habit⁹, quos sub ea ratione includebat, erant ordinis naturalis, & ideo dicuntur per accidens infusi, & similiter peculiaris prouidentia Dei, quatenus ad eam partem pertinebat, ad effectus quoad substãtiam naturales ordinabatur, & ad conseruationem, vel immunitatem corporis, & similes. Secundo dici potuit naturalis, quia tantum perficiebat naturã in operib. naturalis ordinis, & proximè, ac per se tantum in ordine ad finem naturalem sine eleua-

42 *Corollaria. an iustitia origin. sit naturalis, vel supern: 1. Pars resolutionis: Pars altera vt à quibus dam resoluatur.*

tione ad opera supernaturali, & in hoc sensu Vega l.2.in Trid.c.11.iustitiam originalem vocat donum naturæ, & quæ ab ipsa in homine fuerunt, & fuissent, naturalia vocat, quod refert, & approbat Bellarm.lib.de Grat. primi homin.cap.5.

43 *Quid absolute dicendū*

Nihilominus tamen simpliciter dicendum est, donum iustitiæ originalis etiam quoad eam partem fuisse supernaturale, saltem quoad modum, quia non oriebatur ex principijs naturæ, sed potius reformabat defectus, qui ex principijs naturæ humanæ intrinsecè oriuntur, vt sunt pugna inter carnem, & spiritum, mors, & similes. Deinde quia habitus ad illam partem iustitiæ pertinentes non producebantur modo connaturali, sed alio superiori. Et similiter alij effectus, qui ex peculiari Dei protectione in homine fiebant, modo præternaturali proueniebant. Hac ergo ratione donum illud simpliciter dicendum est supernaturale. Vnde etiam sequitur fuisse donum gratuitum, quia non proueniebat à natura, aut ex meritis. Erat ergo gratia saltem gratis data, imò etiam secundum extrinsecam relationem, ad auxilia gratię gratum facientis pertinuisse dici potest, quia ad vitanda peccata, & salutem consequendam multum iuuabat, & propter hunc finem præcipuè datum est. Atq; hanc partem ex Scripturis, Patribus, & Scholasticis, ac rationibus latè probat Bellarm.dict.lib. c.5. & nos in materia de Grat.prolog.4.c.5.aliquid de hoc puncto addimus.

44 *3.Corol. Cū tradita doctrina de iustitia orig. cohæret status humanæ naturæ consideratio quadruplex.*

Tertiò intelligitur ex dictis, quomodo cum prædicta doctrina de iustitia originali subsistere possit distinctio plurium statuum humanæ naturæ quam Theologi tradunt. Nam quidam quatuor, alij quinque vel sex etiam numerant. Vnus est status naturæ puræ. Alius est status iustitiæ originalis. Tertius status naturæ lapsæ in peccato iacentis. Quartus est status puræ gratiæ, id est, solius gratiæ sine perfectionibus originalis iustitiæ. Et inter hos satis clara est distinctio. Nam in primo (qui nunquam fuit, sed est possibilis) haberet homo naturam sine habitibus per se, aut per accidēs infusis, & sine aliquo dono gratuito, vel supernaturali beneficio: atq; etiam sine peccato. In secundo habuit homo naturam cum tota perfectione originalis iustitiæ, quam explicuimus. In tertio autem habet homo naturam carentem perfectione iustitiæ: ob propriam, seu inhærentem culpam, quamuis non habeat naturam carentem omni gratuito beneficio, quale est, esse ordinatam ad finem supernaturalem, & cum sufficientibus auxilijs. In quarto vero statu habet homo naturam sine culpa, saltem mortali, quamuis simpliciter non habeat originalem iustitiam.

45 *Cohæret item alia statuum consideratio.*

Possunt autem isti status multiplicari, vel vnū vel plures diuidendo, vel ex mistione plurium aliquos conficiendo. Sic à multis distinguitur status iustitiæ originalis perficientis hominem intra ordinem, & finem naturalem, ab statu gratiæ, seu statu iustitiæ vt includentis gratiam. Sed hic status licet possibilis fuerit, nunquam tamen fuit. Hoc posterius ex eo sequitur, quod supra probauimus, hominem in gratia fuisse creatum: illud vero prius per se clarum est. Quia licet de facto, & ex ordinatione diuina naturalis iustitia in supernaturali fundata fuerit modo suprà dicto, tamen per se, & intrinsece ab illa non pendet: potuit ergo sine illa conferri. Imo potuisset Deus creare hominem ordinatum tantum ad naturalem finem, & cum tota illa integritate, & rectitudine, quam in ordine naturali iustitia originalis conferebat. Status autem ille non distingueretur ab statu iustitiæ originalis, prout in primo homine fuit, nisi sicut pars à toto, sicut etiam nunc ex alia parte distinguitur status gratiæ ab statu iustitiæ originalis. Vnde cōsequenter hic status solius gratiæ, & ille status solius iustitiæ quasi naturalis, distinguuntur tanquam duo status partiales à completo, & integro statu iustitiæ originalis.

Quin potius solet vlterius distingui status integræ naturæ ab statu iustitiæ originalis etiam præcise spectato solum in rectitudine naturali, absque statu gratiæ. Quæ distinctio solum fit, quasi diuidendo integram iustitiam naturalem in plures partes. Nam posset Deus condere hominem perfectum intra ordinem naturalem, & sine fomite, vel rebellione inter carnem, & spiritum, absque alijs peculiaribus priuilegijs datis Adæ in primo statu: & ille status sic conceptus vocatur integritatis naturæ qui separabilis est à statu gratiæ, vt ex dictis constat, & præterea distingueretur ab statu originalis iustitiæ, quia non haberet adiuncta priuilegia, vel immortalitatis, vel indolentiæ, aut præseruationis ab omni errore, vel defectu veniali. Quæ diuisiones fieri solent à Theologis præcisione mentis, aut de possibili, ad explicandas vires liberi arbitrij, & necessitatem gratiæ ad operandum bonum in omni statu, & ideo de illis dicemus ex professo, in prologomenis de Gratia, hic enim ad explicandum statum primi hominis necessarij non sunt. 46 *Integra natura dicit.*

Ad eundem vero modum considerari potest alius status, in quo simul iustitia originalis sine iustitia gratiæ, cum statu peccati coniungatur, nam hic status possibilis est, quia inter illa duo non est formalis repugnantia. Imo aliqui dixerunt de facto hunc statum aliquando fuisse in Eua, & futurum fuisse interdum in posteris Adę ipso non peccante. Sed illud prius supra improbatum est: de posteriori autem parte in sequentibus videbimus. Et ad hunc modum possent alia membra multiplicari, vt facile ab vnoquoque considerari potest. Sic enim beatissima Virgo habuit quendam peculiarem statum naturæ lapsę, cōiunctum cum statu gratiæ, & perfectæ innocentiæ personalis, & cum carentia fomitis, quę ad naturę integritatem pertinet, & nihilominus statum iustitiæ originalis non habuit, vt explicaui in 2.tom.3.p.d.4.sect. 6. Atq; hæc omnia intelliguntur de statibus, nam status Patriæ præsentis considerationis non est. 47 *Deinde fieri possibile sit, quia inter illa duo non est contradictio formalis repugnantia.* 48 *Fuisse interdum in posteris Adę ipso non peccante posse.*

CAPVT XXI.

Quale fuerit præceptum datum Adæ in Paradiso, & cur ei impositum fuerit.

1 *Contenta præsentis disputationis cum aliorum.*

HActenus perfectiones omnes status innocentiæ, seu originalis iustitiæ, in qua primus homo fuit conditus, explicuimus, nunc de mutatione illius status dicendum sequitur. Contigit autem illa mutatio per præuaricationem diuini præcepti, & ideo primum tale præceptum explicandum est, & postea de ipsius transgressione, & de istius effectu disseremus. Quod igitur Deus peculiare præceptum Adamo imposuerit, constat ex illis verbis Genes.2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit illum in Paradiso, vt operaretur, & custodiret illum præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Circa quem textum occurrebat in primis explicandum, an verba illa. *Ex omni ligno comede*, ad substantiam præcepti pertineant, seu peculiare præceptum indicent. Sed quidquid sit, an illa verba fuerint præcipientia, an solum explicantia, tum necessitatem comedendi, tum liberalitatem Dei, & sufficientiam aliorū fructuum ad hominem sustentandū: ac subinde facilitatem, & æquitatem prohibitionis comedendi de vno tantum ligno: de quo puncto in superioribus dictum est, ad præsens nihil refert vno, vel alio modo sentire. Nam lapsus primi hominis non ex ea parte contigit. Substantia ergo illius 2 *Quid in præcepto ad substantiam eius spectet, & de illius natura.*

illius præcepti in illis verbis posita est, *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas.* Reliqua autem verba, quæ sequuntur, *in quocunque die*, &c. iam non præceptum, sed comminationem pœnæ continent. Duo tamen declarant: vnum est præceptum illud fuisse graue, & sub mortali reatu obligans: hoc enim ex grauitate pœnæ sufficienter colligitur. Aliud est vnum actum comedendi ad grauem transgressionem illius præcepti sufficientem fuisse. Hoc enim significant illa verba, *In quacunque die comederis*, &c. Non defuerunt tamen hæretici, qui negauerint, illud fuisse verum præceptum primis hominibus impositum, quia erant iusti, & iusto non ponitur lex, teste Paulo 1. ad Tim. 1. Dicebant ergo solum fuisse admonitionem, ne comederent de ligno scientiæ boni, & mali, quia eius fructus erat humanæ vitæ noxius. Hunc errorem refert Bellar. l. 3. de Amissione gratiæ, c. 1. & illum eleganter cōfutat: ideoque circa illum immorari amplius non oportet, nam ex verbis, & ex comminatione, & effectu, & ex alijs locis Scripturę euidenter hic error conuincitur. Locus autem ille, *Iusto non est lex posita*, in tom. de Legibus libro primo, cap. 19. latè tractatus est.

2 De hoc præcepto igitur quinque inquiri possunt, quæ ad vim eius directiuam explicandam pertinere videntur: nam de coactiua, seu de comminationibus, & pœnis eius postea dicemus. Primum est, quæ fuerit illius præcepti materia. Secūdum est, ob quam rationem, seu causam Deus illud præceptum tulerit. Tertium quam grauem fuerit præceptum illud. Quartum cui fuerit impositum. Et quintum an peculiare pactum inter Deū, & genus humanum incluserit. Circa primum distingui potest duplex materia illius præcepti, remota, scilicet, & proxima. Remotam voco arborem scientiæ boni, & mali, & fructum eius: proximam voco actionem comedendi. Circa materiam remotam occurrebant variæ quęstiones, quas curiosè tractant expositores Gen. præsertim Abulen. Genes. 13. q. 148. & sequentibus, & Pereira libr. 3. in Gen. in peculiari disp. de illa arbore. Nobis autem duo supponere sufficiet, vnum est, arborem illam, veram, propriam, seu materialem fuisse: quod est de fide certum. Primo, quia ex Scriptura aperte colligitur. Nam de illa dicit, sicut de cæteris, fuisse productam de humo, & plantam in paradiso, & fructum eius fuisse bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, Gen. 2. & 3. Secundo, quia intellexit Ecclesia communi consensu, & perpetua traditione. Tertiò, quia alias non peccassent primi homines verè, & corporaliter comedendo de fructu cuiusdam arboris: quod est contra fidem, vt infrà attingemus, & in materia de peccato originali traditur.

Quærunt autem expositores, cuius speciei arbor illa fuerit. Ex antiquis aliqui dixerunt, fuisse ficulneam repræsentatam in illa, quam Dominus maledicendo exsiccauit, & cuius folijs Adam suam nuditatem operuit. Vnde Isidor. Pelusiota libr. 1. Epistol. in 51. *In hac*, inquit, *re arcanus sermo adnexus est à senibus sapientibus ad nos grassatus: nempe hanc transgressionis arborem esse, cuius etiam fructus ad corpus tegendum ij qui mandatum violarunt vsi sunt.* &c. Et pro eadem refertur Theodoretus Antioch. a b Anastas. Synaita l. 8. Exaem. in princ. Refertur etiam Athanas. q. 58. ad Antioch. Sed ibi non dicit ficum fuisse arborem in qua peccauit, sed ex qua peccatum tegere voluit. Theod. verò q. 28. in Gen. nimis asseueranter id affirmat. Et sequitur Niceph. l. 1. Hist. ca. 27. Moses Barceph. l. 1. de Paradis. p. 1. c. 19. alijs opinionibus reiectis, & pro hac refert Philoxenum cum multis alijs, quos non nominat, eandem sequitur Baronius tom. 1. anno Domini 34. Mihi verò valde placet, quod An. Synait. supra docet, rem esse abstrusam, & ab Ecclesię cognitione remotam nam quia ad fidem necessaria, vel vtilis non erat, Scriptura illam non reuelauit. Atq; ita communiter Patres in Genesi, nihil de specie illius arboris dicunt, & non minus ignotam esse censent, quam arborem vitæ.

Et sane verisimilius videtur non fuisse ficum, 4 *Imo verisimilius non fuisse ficulneam.*
tum quia ficus nō est tam pulchra visui, vt illa describitur: tum etiam quia non est verisimile assumpsisse primos parētes folia arboris in qua peccarunt: nam potius tantum malum experti ad illā accedere perhorrescerent, vt recte coniectat Abul. in c. 13. Gen. q. 164. Tum præterea, quia ex eo quod ex ficu potius, quam ex alia arbore folia, quibus se tegerēt, acceperint, ad summum colligi potest fuisse ficum vicinā arbori scientiæ: quin potius nec hoc colligitur, quia mulier postquam peccauit tulit fructū ad virum, vt comederet: & forte Adam longe distabat ab arbore scientiæ: non n. suis manibus tulit fructum eius, sicut Eua: sed ex manib. Euæ, quod esse potuit sub arbore fici, & longe ab arbore scientiæ. Imo etiam postquā vterq; peccauit, verisimile est per Paradisum ambulasse, & folia commodiora, & maiora, ac firmiora legisse, quibus se tegerent, & ideo folia ficus accepisse, quia erant commodiora. Imo addit Iren. l. 3. c. 37. accepisse illa, quia erāt asperiora ex affectu pœnitētiæ.

Vnde multo improbabilius est, quod alij dixe- 5 *Multoque magis nec segetem, aut vitem.*
runt, vt refert Moses Barceph. fructum illum fuisse frumentum, vel vitem. Nam frumentum non est fructus, qui sumptus ex segete statim comedi possit, neq; ita sumptus est delectabilis: neq; est fructus alicuius arboris, sed herbæ, aut segetis. Vitis etiam non est proprie arbor, neque de vite est vlla verisimilis coniectura. Quod verò quidam dixerunt arborem illam esse malum propter verba Cant. 8. *Sub arbore malo excitauite*, friuolum est etiam, tum quia æquè incertum est, quid ibi nomine *mali* significetur in specie. Quia etiam nomen illud generale esse potest, & ambiguum. Præterquam quod ibi fortasse metaphoricè sumitur, & de ligno crucis, alijsq; modis exponitur. Concludimus ergo rem esse incertam. Mihiq; valde probabile est, quod sicut arbor vitæ non fuit alicuius speciei illarum arborum, quas homines post lapsum extra Paradisum experti sunt: ita etiam arbor scientiæ alterius reconditæ speciei ac perfectionis fuit, & maioris pulchritudinis & suauitatis, quam sint isti communes, & vsuales fructus. Nam Scriptura de vtraque arbore cum eadem singularitate loquitur: & hoc modo præceptum ad virtutis, & præsertim obedientiæ probationem aptius ostenditur.

Neque satis ostenditur fuisse malū.

Probabile est fuisse alterius speciei à communiter notis arboribus.

Secundo supponendum est arborem illam non 6 *2. Propositio circa eandem materiam cur dicatur scientia.*
esse dictam scientiæ boni, & mali, quia esset in aliquo noxia. Nam, vt Aug. ait l. 8. Gen. ad lit. c. 6. *Qui fecerat omnia bona valde in Paradiso, non instituerat aliquid mali*: neq; etiam dicta est scientiæ boni, & mali, quia fructus eius virtutem haberet dandi huiusmodi scientiam: vel quia Adam prius hanc scientiam non haberet, & comedendo fructum illius arboris illam acquirere posset, vt quidam finxerunt. Quorum error accedere videtur ad promissionem serpentis promittentis, *Eritis sicut dii scientes bonum, & malum.* Manifestum autem est & Adam priùs sciuisse, quid bonum, vel malum sit, & materialem fructum arboris non potuisse illam efficacitatem naturalem habere: dicere verò à Deo esse datam per miraculum, fictitium est. Igitur illius nominis varię redduntur rationes. Greg. Nissen. lib. de opificio hominis, c. 20. hâc reddit, quòd fructus ille sub specie boni oblatus, mali experientiam induxit. Et huc etiā spectat ratio alia, quòd ita dicta fuerit scientia boni, & mali, quia serpens hanc scientiam per illius esum promisit: ita vt nomen sit, quasi per antiphrasim impositum, sicut

Quorundā responsio ficta.

Nisseni responsio.

dixit Deus, *Ecce Adam sicut vnus ex nobis factus est sciens bonum, & malum.* Ratio vero frequentius recepta est, nomen illud impositū esse ab euentu, quia comedendo de illa arbore experimento cognouit bonum, quod amisit. & malum, in quo incidit, vt ait Chrysost. hom. 16. in Gen. circa fin. Vel per illud nouit peccatum, vt ait Theod. q. 62. in Genes. Vel quia ostensum est inobedientiæ malum, & quantum fuisset inobedientię bonum, vt ait S. Aug. 14. de Ciuit. c. 17. & l. 8. Gen. ad lit. ca. 6. & 13. & cum eo D. Tho. 1. p. q. 102. a. 1. ad 4. & Opusc. 2. seu in Compendio Theologiæ c. 188. & in 2. dist. 17. Vbi cæteri Theologi. Et sequitur Albin. in q. Gen. Interrog. 52 & Moses Barc. supra. Et in idem fere redit, quod Damas. c. 11. ait arborem illam esse sic dictam, quia posita est, *vt obedientia, & inobedientiæ esset periculū*: quāuis hoc modo nō proprie ab euentu, sed ex fide denominatio illa sumpta est. Atque ex his satis constat,

De materia proxima eiusdem præcepti. quòd de proxima materia dicendum sit; fuit enim corporalis actio comedendi, quæ per verba illa *Inhibita est, nec comedas*: sunt enim illa verba ad litteram, & vt sonant intelligenda, vt ex dictis constat: alia vero quę circa illa desiderari possunt in tertio puncto explicabuntur.

7 *Circa secundum. Quæ ratio imponendi præceptum. Quorundā responsio reiicitur ab Augusti.* Circa secundum de ratione huius prȩcepti visum aliquibus fuit, vel certe videri potuit, prohibitionem illam factam esse hōmini, quia arbor illa mala erat, vel homini fructus eius noxius esset, & nociuus. Quia non est verisimile Deum prohibitionem illam fecisse sine aliqua occasione, vel fundamento ex parte materię, quod non potest aliud excogitari. Hanc vero sententiam merito improbat Aug. l. 8. Gen. ad liter. cap. 6. & 13. Quia vel arbor illa mala cogitatur absolute, & secundum suam substantiam spectata, vel respectiue cogitatur mala homini, quia fructus eius noxius esset eius saluti, & incolumitati; neutrum autē dici potest. Non quidem primum, quia nulla substantia est per se mala, cum malum nihil sit, nisi priuatio boni: neque etiam secundum, quia Deus, qui omnia fecerat valde bona, non est verisimile aliquid noxium, vel nociuum, in Paradiso plantasse.

8 *Vera responsio.* Respondendum ergo totam rationem illius præcepti fuisse Dei obedientiam, & diuini præcepti recognitionem. Sic Chrysostom. homilia 14. in Gen ait: *Hæc faciebat* (scilicet Deus) *quasi Dominus aliquis liber alis domum magnam alicui concredens, vt dominium sibi saluum maneat paruam tantum pecuniam dandam ab illo præscribat.* Et Aug. d. lib. 8. c. 6. *Oportebat autem* (inquit) *vt homo sub Domino Deo positus aliunde prohiberetur, vt ex promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia.* Et infrà: *Non esset ergo vnde se homo Domino haberet cogitaret, aut sentiret, nisi aliquid ei iuberetur.* Et in cap. 13. addit, *vt causam iussionis huius non diuius requiramus, si hæc ipsa magna est vtilitas homini, quod Deo seruit, iubendo Deus vtile facit, quicquid iubere voluerit.* Et eandem doctrinam habet l. 2. de Peccat. Merit. & remiss. c. 21. & sequitur Rupert. l. 2. in Gen. c. 30. & in 31. addit etiam ad exercitium fidei, spei, & charitatis prȩceptum illud impositum est. Consentit etiam Gregor. l. 35. Moral. c. 10. alias 13. & D. Thom. opusc. 2. c. 188. cuius verba paulo post referam. Et 1. 2. q. 102. a. 1. ad 2. vbi addit, illam, phibitionem habuisse aliquam rationem in ordine ad

D. Thom. expenditur. aliud, in quantum scilicet, per hoc aliquid figurabatur. Non explicat autem D. Thomas, quid figurauerit illa prohibitio, existimo tamen non esse intelligendum de propria significatione alicuius rei futuræ, aut eius figura, sicut erat in præceptis cæremonialibus legis veteris, quia nihil huiusmodi in illo præcepto cogitari, aut cum fundamento affirmari potest. Solum ergo illa prohibitione indicatum, seu figuratum est, Deum esse Dominum omnium, cuius voluntati parendum est. Et ita etiam exponit rationem huius præcepti Altisiodorensis l. 2. summæ tract. 10. cap. 3. vbi propter hanc causam vocat hoc *præceptum disciplinæ*, quia datum est ad probandam obedientiam, & eius valorem indicandum. Idem Abulens. Gen. 2. q. 19.

At vero idem Abul. Gen. 13. q. 207. contra rationem, & verba Augustini duas rationes obijcit. Vna est, quia per omnia alia præcepta naturæ, & gratiæ poterat homo se subditum Deo, & Deum superiorem, & supremum Dominum cognoscere, imo nō solum ex præceptis, sed etiam ex beneficijs acceptis id posset sufficienter intelligere. Alia ratio est, quia potuisset Deus multa alia præcipere, in quibus non minus obedientia commendaretur, & diuinum dominium ostenderetur. Rectè autē ipsemet respondet ad priorem. Illud præceptum non fuisse quidem simpliciter necessarium, vt homo per subiectionem suam, & dominatum Dei recognosceret, vel vt ei obedientiam prȩstaret, nam sine dubio, & cognitio illa multis alijs modis haberi, & obedientia in aliis præceptis exerceri poterat: nihilominus tamen conuenientissimum fuit illud præceptum ad peculiarem modum subiectionis, & obedientię restringere, quia in alijs prȩceptis aliqua ratio mali, vel incommodi prȩter Dei prohibitionem inuenitur, & ideo, vt ait Augustinus dicto cap. 13. talis prohibitio facta est, quod ex sola transgressione voluntatis Dei mala esset, vt inde ostenderetur inobedientiæ malitia, quia ex sola ratione obedientiæ abstinere bonum fuit, & comedere malum, quod alias secluſa prohibitione malum non esset. Et similiter Diuus Thomas in opusculo dixit, *Eius ligni esus non ideo prohibitus est, quia secundum se malus esset, sed vt homo saltem in hoc modico aliquid obseruaret ex sola ratione, quia esset à Deo præceptum.* Vnde prædicti ligni esus factus est malus, quia prohibitus. Ad alteram vero obiectionem concedimus, superiori ratione solum probari, fuisse conueniens dari homini in illo statu aliquid peculiare præceptum diuinum positiuum: non tamen probari fuisse magis conueniens hoc determinatum præceptum in tali materia, & actione, quam cætera omnia, quæ Deus posset imponere. Nec de his omnibus peculiarib. vt sic dicam, Dei voluntatibus oportet semper rationem reddere, aut vestigare, quia & sæpius nobis innotescere non potest, & interdum *tota ratio facti est voluntas facientis.*

Circa tertium dubium in primis certum est, 10 illud præceptum fuisse graue, & obligans ex genere suo sub reatu peccati mortalis. Hoc certum de fide est, quia de facto fides docet, Adam, & Euam illud præceptum illud violando, mortaliter peccasse. Item ex commination mortis addita prȩcepto id aperte comprobatur. Nam si intelligatur de morte animæ, vt voluit Philo, & senserunt Greg. & Eucherius in ipsa commination formaliter cōtinetur prędicta mortalis grauitas: si vero intelligatur de morte corporis (vt ad litteram intelligi debet iuxta Paulum, & Concil. Trid.) ex commination tam grauis pœnæ ita colligitur, præceptum illud obligasse sub graui culpa, & ideo Patres communiter de vtraque morte corporis, & animæ cōmination illam interpretati sunt, vt suprà tractando de immortalitate Adami cap. 14. dictum est. Præterea si materiam illius præcepti spectemus, quanuis secundum se non grauis esse videatur, tamen hilominus vt subsistabat diuino præcepto, & voluntati per quā abstinentia illa imposita fuit quasi peculiare tributum in signū subiectionis, & obedientię, materia erat grauissima, & ad obligationem præcepti sub mortali culpa sufficientissima. Vnde Aug. 14. de Ciuit. c. 12. inquit, *Non ideo debet aliquis existimare leue, aut paruum fuisse illud commissum, quia in esca factum est, non mala quidē, neq; noxia, sed quia prohibita est, nam obedientia commendata est in præcepto,*

qua

qua virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium custosq; virtutum. Additq; inferius, legem illam eo grauius obligasse, quo in illo statu facilius impleri poterat, quod in c. 15. latius persequitur.

11. Interrogabit verò aliquis, an præceptum illud obligauerit tantùm ex virtute obedientiæ, vel etiam ex alia specialiori virtute morali, ad quã materia illius præcepti pertineret. Nam August. & D. Th. alijq; Patres indicant vnicam rationem illius obligationis fuisse obedientiam, vt allegatum est. In contrarium verò est, quia leges positiuæ, etiam humanæ constituunt medium in materijs virtutum, & consequenter faciunt, vt specifica obligatio præcepti ad illam virtutem pertineat, quæ in tali materia versatur. Ergo à fortiori idem dicendum est de præcepto à Deo impositio. Sic n. præcepta cæremonialia lata à Deo in lege veteri non obligabant tantùm ex virtute obedientiæ, sed etiam ex virtute religionis. Ergo similiter hoc præceptũ Adæ impositum: propter obligationem generalẽ obedientiæ, habuit specialem vim obligandi sub ratione alicuius virtutis moralis particularis. Duplex autẽ ratio virtutis in illa materia cõsiderari potest. Vna est iustitiæ, contra quam peccat, qui rem alienam contrectat, vel consumit, inuito domino. Deus autem ligni vitæ, & fructus eius erat supremus Dominus, & prohibuit esum eius: ergo ex vi talis præcepti contra iustitiam fuit, de illo ligno comedere, domino eius inuito. Deinde facta illa prohibitione abstinentia ab illo cibo cœpit esse necessaria ad seruandum medium in virtute temperantiæ, & è contrario comedere ex illo fructu fuit peccatum gulæ: ergo obligatio propria illius præcepti non fuit solius obedientiæ, sed etiam vel immediatiùs iustitiæ, vel temperantiæ.

12 Respondeo satis probabile hoc esse, & maximè de obligatione temperantiæ, ad quam proprijssimè spectat moderatio, seu abstinentia in vsu ciborum. Neq; Aug. seu D. Th. huiusmodi specialem obligationem negare voluerunt, sed solùm explicarunt, illam non esse naturalem, seu fundatam in conditione illius ligni, vel in qualitate fructus eiꝰ, sed in mera Dei voluntate. Vnde cùm dicunt obligationem illam solius obedientiæ fuisse, naturalem obligationem excludunt, non verò aliarum virtutum obligationem, quę positiua fit, & in obedientia suo modo fundetur, quia exclusiua dictio concomitantia non excludit. Addere etiam possumus, obligationem illius præcepti vt grauem, vel tantùm, vel præcipuè, ac proximè ex ratione obedientiæ ortam esse. Nam si transgressio illa præcisè sub ratione gulæ, aut furti consideretur, videri potest esse de materia leui: considerando autem prohibitionem illam vt factam præcipuè intuitu diuinæ obedientiæ, & recognitionis eius imperij, & propriæ subiectionis, inde habuit præceptum illud vim obligandi grauissimè, quia materia illa sub illo respectu grauissima est.

13 Vnde obiter expediri potest alia interrogatio, quæ hic fieri potest, scil. an transgressio illius præcepti potuerit esse culpa venialis ex leuitate materiæ. Nam ex indeliberatione certum est, in illo statu non fuisse locum huiusmodi culpæ, quia status ille ab omni surreptione immunis erat. Imò iuxta nostram sententiam suprà traditam nullum genus peccati venialis ibi esse poterat, ac propterea multo minus potuerunt Adam, vel Eua in transgressione illius præcepti venialiter peccare. Nihilominus tamen vel supponendo opinionẽ Scoti, quòd in eo statu poterat esse peccata cũ plena deliberatione, vel ex hypothesi, quod primi homines tali priuilegio carerent, locum habet interrogatio facta, scilicet, an commissio deliberata contra prohibitionem illam posset esse tantùm culpa venialis ex leuitate materiæ, sicut esse potest in violatione ieiunij, vel in furto leui. Videtur enim esse eadem ratio, nam si in alijs præceptis positiuis id contingere potest, cur non in illo?

Nihilominus dico, trãsgressionem illam, etiam ex hoc capite nõ potuisse leuem, seu venialem esse. Quod in primis videtur satis probari ab effectu, quia comestio Adę in materia satis parua fuisse videtur. Vnde Scriptura ad explicandam transgressionem grauem tam viri, quàm fœminæ solum dixit, *Tulit de fructu eius, & comedit, dedit q; viro suo, & comedit*, indicans quancunq; comestionem ad grauẽ transgressionem sufficisse. Ratio igitur sumenda ex dictis est, quia cõsiderata præcipua ratione, cuius intuitu prohibitio illa facta est, in quacunque comestione, quantumcunq; in parua materia sit, integra inuenitur, & ideo sub illo respectu grauem semper iniuriam contra diuinam obedientiam, eiusque recognitionem continet. 14 *Responsio nec garrula, & vera.* *Eius ratio.*

Intelligendum tamen hoc est, quãdo actus prohibitus circa talem materiam esset completus, sub ea ratione, sub qua prohibitus fuerat, nimirũ sub ratione comestionis, iuxta verbum Dei dicentis: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Vnde licèt aliquis aspectus vel tactus aliquo modo inordinatus fieret circa fructum illius arboris, illud non esset peccatum mortale, saltem ex vi actionis exterioris, quamuis esse posset ex intentione operantis. Neq; obstãt verba Euæ respondentis serpenti, *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud*, Gen. 3. Nam, vt in superioribus diximus cum probabiliori expositione verbum illud, *ne tangeremus*, per exaggerationem additum est, vel ab Adamo, quã pręceptum Dei Euæ declarauit, vt eam cautiorem ad seruandum Dei præceptum redderet (vt ex alijs refert, & probare videtur Amb. lib. de Paradiso, c. 12.) vel, vt alij volunt, ab ipsamet Eua additũ est, ad rigorem præcepti exaggerandum. Igitur tactus, vel aspectus cibi prohibiti de se nõ esset peccatũ mortale: imo si bona intentione fieret, nullum esset peccatum, quia non erat prohibitum, nec per se malum, sed indifferens. Et ideo si absq; fine honesto fieret, ad summum esset veniale peccatũ, vel actus otiosus. Hoc autem genus venialis peccati in statu innocentiæ esse non posset, vt sup. diximus. 15. *Intelligitur tamen de comestione.*

De masticatione autem cibi sine traiectione illius ad stomachum, & sine intentione deglutiendi cibum, dubitari potest, an esset peccaminosa, & in quo gradu. Qui n. putant, masticationem non esse intrinsecam comestioni, sed præuiam ad illã, consequenter dicere possent, non esse prohibitam ex vi verbi *ne comedas*, & consequenter ex obiecto nullum esse peccatum. Mihi tamen probabilius est, fore talem actionem peccaminosam, suppositia tali prohibitione. Nam licèt sola masticatio cibi nõ sit comestio, nec semper sit ad illam necessaria, quia potest interdum cibus deuorãdo comedi, sine diuisione, vel attritione ipsius: nihilominus quando fit, est quædam inchoatio manducationis, & ideo aliquale fuisse peccatum. Non tamen consummatum, & perfectum, ac subinde neq; mortale, si non transmitteretur in stomachum, nec ea intentione masticaretur, quia iuxta communem sensum, & doctrinam de ratione comestionis est traiectio cibi in stomachum, per illud autem præceptum sola comestio prohibita est, vt ex verbis eius constat. *Quid de masticatione sola quidam sentiant.* *Probabilior responsio.*

Circa quartum de personis, quibus impositum est illud præceptum cõmune, dubium est, an præceptum illud fuerit impositum soli Adæ, vel Adæ & Euæ simul, nam hoc secundum docuit Rupert. lib. 2. in Gen. c. 32. & sequentib. vbi Caiet. & probabile putat Perer. lib. 6. in Gen. post q. 6. quia Eua ipsa dixit, *Præcepit nobis Deus*, &c. Alij vero primum magis probant, vt Amb. lib. de Parad. c. 12. & Aug. 8. Gen. ad literam, c. 17. & Chrysost. homil. 10. in Gen. & Anast. Synaita lib. 9. Exaẽm. circa principium. 16 *Circa 4. an soli Adæ, vel etiam Euæ sit datum præceptum. Ruperti sententia, Caiet. Perer. Ambrosij, Augustini,*

Chrysost. & Anselmi sententia magis probatur.

Quæ sententia in superioribus, nobis placuit. Itaq; dicendum est præceptum illud immediatè soli Adamo fuisse à Deo ipso pronuntiatum, vel corporali, ac sensibili vocis specie, vel sola intellectuali reuelatione, vtrumq; enim modum vt possibilem proponit Aug. dict. lib. 8. c. vlt. & neutrum definitè eligit: Ystella vero Gen. 2. per internam solam reuelationem putat latum esse præceptum, quod nō video, qua efficaci ratione ostendere possit. Neq; Rupert. quem ipse allegat, id affirmat, incerta verò res est, & ad vim præcepti parum refert. Nihilominus tamen non solum pro viro, sed etiam pro muliere præceptum datum est. In quo omnes conueniunt, & hoc conuincitur, tum ex preuaricatione Euæ, tum ex verbis eiusdem dicentis, *Præcepit nobis Deus*, nam illis obligatā se professa est eodem præcepto, non vt humano, seu à marito imposito, sed vt diuino, licet per maritum sibi promulgato.

Datum fuisse solo interiori reuelatione putat Ystella, qui nō probatur.

17 Ex quo vlterius intelligimus, præceptum illud impositum esse primis parētibus, non vt personale tantum, id est, ad solas ipsorum personas obligandum, sed vt legem perpetuam, & generalem, quæ obligatura erat omnes filios Adæ in statu innocentiæ nascituros si perseuerasset. Tum quia præceptum illud, quamuis soli Adæ fuerit immediatè reuelatum, comprehendit Euam: ergo signum est, illud non fuisse soli personæ Adæ impositum, nec tātum intuitu eius, sed pro hominibus degentibus in Paradiso, & intuitu illius status latum fuisse. Nam hac ratione comprehendit Euam. Tum etiam, quia simul dixit Deus Adæ, *Ex omni ligno Paradisi comede, & de ligno scientiæ boni, & mali ne comedas*: sed prior licentia, vel, vt multi volunt, præceptum perpetuum fuit, & posteri Adæ illo vti possent, vel etiam deberent, si status innocentiæ durasset: ergo etiam secundum: nam eodem modo, & tenore pronuntiatum est. Quapropter non video, cur Peretius lib. 4. in Genes. q. 2. de hoc præcepto dixerit, incertum esse, & inexplicabile, an si status innocentiæ permansisset, posteri Adæ illa lege obligandi essent. Cum enim in tali obligatione nulla sit difficultas, & ex tenore verborum lex illa quoad totam, q; partem perpetua sit, non video rationem dubitādi de illa obligatione. Præsertim, quia illud, vt dixi, non fuit præceptum personale: fuit ergo lex data humanæ naturæ: de ratione autem legis est perpetuitas. Item ratio legis, nimirum protestatio diuinæ subiectionis, & obedientiæ perpetua erat, & non minus filijs, quàm parentibus conueniens. Atq; hoc magis ex sequenti puncto explicabitur.

Datum etiam pro posteris si status illa duraret.

Id ostenditur 1.

Ostenditur 2

Perer. de hoc dubitans reijcitur.

18 Quinto ergo loco explicandum proposuimus, an lex illa peculiare pactum inter Deum, & humanum genus incluserit. Vt autem dubium intelligatur, oportet aduertere, Adamum duobus modis considerari posse, vno modo vt particularem personam, alio modo vt caput totius humani generis, prout in eo virtute cōtinebatur, vnde duobus modis potuit illa lege obligari, scil. vel per se tantum, vel etiam pro tota posteritate. De priori ergo obligatione nō est dubium, quia in ipsis verbis Dei satis explicata est, vt optimè Athanas. lib. de Incarn. Verbi, circa princip. in tomo 1. per modum pacti inter Deum, & primos homines illam obligationem declarat, dicēs: *Introduxit eos in suum Paradisum, edictumq; præscripsit, vt si gratiam illam conseruarent, probiq; permanerent, fruerentur in Paradiso hilarissima vita, præter id, quod ipsis in cœlo immortaliter destinatum erat. Sin autem præuaricationem facerent, cognoscerent se morituros.* & cæt. Veruntamen quoad hanc partem præter ipsam legem non fuit necessarium speciale pactum, quia ipsa lex semel posita ex natura sua illam obligationem induxit in personā, circa quam lata est, nec requirebat consensum Adæ, vt illum obligaret. Vnde addita comminatione, *In quacunq; die comederis*, &c. per illam satis explicatur beneficium immortalitatis, (sub quo aliæ prærogatiuæ iustitiæ originalis comprehenduntur) sub illa conditione seruandi prædictam legem, primis hominibus datum esse quoad conseruationem, seu perpetuitatem suam. Et ideo lex illa per modum pacti explicatur, & pactum vocatur, nō quia fuerit formale pactum, cuius obligatio vtriusque partis consensum prærequirit, sed quia ex efficacia diuinæ voluntatis factum est, vt & Deus ipse talem legem ferendo suo modo ad seruandum promissum obligatus manserit, & homo etiam ad cōditionem acceptandam, legemque obseruandam obligatus fuerit, & pœnæ obnoxius, si legem trāsgrederetur. Atq; hoc modo lex illa ex natura sua & fine nouo pacto etiam personam Euæ obligauit, nam est eadem ratio. Et similiter obligaret singulos filios, seu posteros Adæ in proprijs personis, si Adamo non peccante in statu innocentiæ nascerentur: nam quicunq; illorum illam legem transgrederetur, in persona sua incurreret cōminationem illam, *In quacunq; die*, &c. (nam vt diximus in præcedenti puncto) illa lex ita lata est, vt in omni tempore duratura, & ad omnes personas futuras in illo statu si duraret, locutura esset.

An præceptū illud incluserit pactum Dei cum Adamo.

Resoluitur dubium prout lex ad Adamum vt priuatam personam spectabat.

Similiter si status Euæ esset perpetuus, & filios.

19 Nihilominus difficultas superest de alio modo obligandi Adam per illam legem non solùm vt erat persona particularis, sed etiam vt caput totius naturæ, & consequenter obligando posteros eius, si non solùm vt futuros in proprijs personis, & quasi successores, siue vnumquemq; suo tempore, sed etiam eos omnes, vt in Adamo contentos simul cum ipso obligando. Nam hoc genus obligationis in lege illa omnes catholici agnoscunt ex illo Pauli ad Rom. 5. *Omnes in Adam peccauerunt.* Nam si omnes peccauerunt in Adam, omnes egerunt contra præceptum: ergo omnes obligauit præceptum, quia nemo peccat contra præceptum, quo non obligatur, ac proinde cum eadem proportione debuerunt omnes posteri Adæ in suo parente obligari, qua in illo peccarunt. De hac ergo obligatione meritò dubitatur, quomodo ex illo præcepto oriri potuerit, an scil. ex vi præcepti, vel ex peculiari pacto Dei.

Alterum.

Quo modo posteri Adæ in illo peccauerint.

Omnes in Adam peccauerunt quomodo intelligendum.

20 De qua re duæ sunt sententiæ. Prima simpliciter negat peculiare pactum, sed ex vi solius præcepti obligationem illam Adamo, & toti eius posteritati in ipso fuisse impositam. Ita tenet Soto lib. 1. de Natur. & Grat. cap. 10. cum quo sentire videtur Vasq. 1. 2. disp. 133. c. 1. quamuis nomine *pacti* interdum vtatur. Fundamentum Soti est, quia tale pactum videtur fabulosum cùm nulla auctoritate nitatur, neq; vlla sit necessitas talis pacti. Primum probatur, quia Genes. 3. solùm fit mentio præcepti prohibentis esum ligni vitæ, & comminationis pœnæ, in quibus nullum pactum includitur. Neq; etiam necessarium fuit, (vt in altera parte sumpsimus) quia ad præcepti obligationem non erat necessarius Adæ consensus, vt suprà dixi, quod non minus verum est quoad obligationem totius naturæ in Adamo, quàm quoad omnem singularum personarum in seipsis. Et similiter ad incurrendum reatum pœnę voluntas Dei comminantis illam, etiamsi consensus totius naturæ per voluntatem Adæ non præcesserit, satis erat: ergo nullo titulo necessarium fuit tale pactum.

1. sententia Soto sequitur.

Eius fundamentum & partes.

Primum probatur.

Secundum probatur.

21 Secunda opinio est, obligationem illam ex peculiari pacto inter Deum, & genus humanum processisse. Hanc docuit Catherin. opusc. de peccat. originis. c. 8. & eam defendit latè Salmeron super ad Rom. 5. disp. 45. in fin. vbi refert eundem Soto super epist. ad Rom. hoc pactum agnouisse. Et in eius probatione adducit illud Eccles. 15. *Deus ab initio cōstituit hominem, &c. adiecit mandata, & præcepta sua si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem*

2. sententia.

Probatur.

fidem placitam facere. Quod verbum vltimum ita exponit. *Si, quod sponte placuit promittere, paciscendo seruauerit.* Addit etiam illud Eccles. 17. *Testamentum æternum constituit cum illo*, quia nomine *testamenti* pactum significatur, iuxta vsum Scripturæ, & proprietatem vocis Hebraicæ *berith*. Tertio adducit illud Gen. 17. *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur*, &c. *quia pactum meum irritum fecit*, quod de pacto cum Adamo inito exponit August. lib. 2. de nuptijs, cap. 11. & alibi sæpe. Quarto de eodem pacto exponit illud Oseæ 6. *Ipsi autem sicut Adam præuaricati sunt pactum meum, ibi præuaricati sunt in me.* Et adducit ibi Hieronymum. Denique adducit rationes, quas statim expendemus.

Veruntamen vtraque sententia in aliquo sensu vera est, & si in eodem sensu altera contradicat, non est admittenda. Quod, vt explicem, dico primo, ad prædictam vim obligandi Adamum per tale præceptum, & in eo totam naturam, tanquã in capite, cuius voluntas totius posteritatis arbitrium moraliter reputaretur, necessaria fuit institutio ex peculiari Dei voluntate, neque ex vi solius legis præcise spectatæ communitati hominum imponi potuisset. Hanc assertionem non negaret Soto, vt existimo, nam expresse requirit Dei voluntatem. Et illam recte declarat Vasq. 1. 2. disp. 132. cap. 9. Et probatur primo, quia ex natura rei lex data parentibus, etiamsi detur vt vera lex, & perpetua duratura, non obligat vllo modo filios, donec generentur, & capaces sint præcepti, vt patet in omnibus alijs legibus diuinis, & humanis, hac excepta: ergo vt hæc lex talem vim haberet, necessaria fuit peculiaris institutio, & voluntas Dei. Et declaratur hoc amplius in hac eadem lege. Nam si Adam non comedisset de ligno scientiæ, & consequenter statu innocentiæ perseueraſſet, & postea Cain filius Adæ de illo fructu comedisset, Enoch filius eius nullo modo in eo peccaret, nec propterea iustitia priuaretur: ergo signum est, illam legem ex vi sua non obligasse filios in parentibus, sed tantum in suis personis, & temporibus suis: ergo quod lex ita aliter ligauerit posteros in Adamo, non fuit ex sola legis natura, sed ex peculiari voluntate, & institutione Dei.

Tertio idem declaratur ex illa comminatione, *In quacunque die comederis morte morieris.* Quæ non de sola persona Adæ, sed etiam de eius posteris intelligenda est, nam Adam non sibi soli, sed etiam posteris gratiam, iustitiam, & immortalitatem perdidit, vt Concilium Arausi. II. c. 2. & Conc. Trid. sess. 5. can. 2. docuerunt. Vnde è contrario necessarium fuit, vt Adam eandem iustitiam, & immortalitatem non pro se tantum, sed etiam pro sua posteritate, saltem sub ea conditione, *si legem non præuari contigerit*, acceperit, vt recte docent Aug. suprà & Anselm in lib. de Conceptu virginali, & postea dicemus. At vero ad hunc modum comminationis, vel donationis, aut promissionis necessaria fuit peculiaris voluntas, & ordinatio Dei, nam ex solarei natura esse non poterat: ergo modus ille obligandi talis præcepti, ex peculiari Dei voluntate, & positiua institutione, vt sic dicam, ortum habuit. Et huc tendunt, idque tantum suadent rationes Salmeronis, videlicet, quia ex hac institutione oritur, quod Adam tali peccato nobis nocuerit, & non alio, & quod eius peccatum nostrũ fuerit: non vero eius pœnitentia, & similes. Quocirca si nomine pacti hæc sola Dei institutio, & ordinatio significetur, negari non potest, quin ille modus obligationis fuerit ex peculiari pacto Dei, id est, ex peculiari Dei voluntate vltra totam naturalem legem, & vltra ordinarium & quasi connaturalem modum obligandi legum positiuarum. Nec ille vsus nominis pacti alienus est à modo loquendi Scripturæ, vt testimonia allegata Scripturæ probant, & similia frequentia sunt.

Secundo dico ad prædictum modum obligationis non fuisse necessarium consensum Adæ etiam vt capitis continẽtis in virtute totam posteritatem. Vnde si nomine pacti in rigore, & proprietate significetur illud vinculum, quod ex formali consensu duorum oritur, ac pendet, non interceſsit tale pactum, nec ad prædictam obligationem necessarium fuit. In hoc sensu loquitur prior sententia, & in eodem eius ratione sufficienter probatur. Quia voluntas Dei per se est sufficiens ad inducendam omnem obligationem possibilem sine consensu eius, cui eam imponere vult. Vnde sicut potuit illo præcepto obligare omnes homines præsentes, & futuros non postulando ab eis consensum, sed exigendo, ita etiam potuit totam naturam in Adamo obligare, non expectando consensum, seu voluntariam acceptationem, etiam per voluntatem Adæ, sed exigendo, seu absolute, & efficaciter obligationem imponendo. Neque hoc Salmeron negare ausus est: respondet enim, *Non quid possit Deus sed quid egerit videndum est qui solum est per pacta seipsum nobis dimittere.* Et adducit exempla de pacto inito cum Noe de non amplius mittendo diluuio, & cum Abraham de circuncisione, & de danda terra promissionis, &c.

Veruntamen quæ dicuntur pacta Dei, considerari possunt, vel vt Deum ipsum obligant, vel vt obligationem homini imponunt. Et ex vtraque parte potest esse vel absoluta, vel cõditionata obligatio. Quando ergo est conditionata, Deus aliquo modo se accommodat, & expectat hominis consensum, vel voluntariam operationem, non vero quando obligatio est absoluta, vt fuit in illo præcepto. Declaro singula exemplis à Salmoron adductis. Nam pactum illud de non iterando diluuio Genes. 9. absolutum fuit per simplicem Dei promissionem, & ideo non fuit necessarius hominum consensus, vt DEVS verbo suo aliquo modo obligaretur, vt ex contextu, & ex omnium sententia constat. At vero pactum promissionis terræ sanctæ potuit esse conditionatum, sicut illud, quo Deus solet promittere pœnitentibus remissionem, & bene merentibus præmium, conditionatum est, & conditio pendet ex libero hominis consensu, & ideo ex hac parte, vt DEVS absolute obligetur ad faciendum quod sic promittit, voluntatem expectat. Quamuis etiam in hoc ipso genere paciscendi prima constitutio ipsius pacti, & conditionata obligatio omnino ex sola DEI voluntate prouenit, nullo expectato hominis consensu. Quoad hæc ergo, & similia pacta non habet locum dicta responsio, neque exempla illorum ad rem præsentem faciunt, quia pactum obligans Adam non fuit conditionatum, sed absolutum, vt patebit.

At verò pactum Dei cum Abraham de circuncisione directè obligauit Abraham, & posteritatem eius, induxitq; absolutam obligationẽ, nullo expectato consensu Abrahæ, vel posterorum. Quia absolutis verbis sine vlla conditione impositum est, scilicet, *Tu Abraham custodies pactum meum, & semen tuum post te.* Et iterum, *Hoc est pactum meum quod obseruabitis* &c. & sæpius vsque ad illud, *Masculus, cuius præputij caro*, &c. Illud verò pactum respectu hominum fuit absoluta lex circuncisionis obligãs Abraham, & filios eius, nullo eorum consensu expectato. Et ita multi Patres exponunt verba illa Gen. 17. *Quia pactum meum irritum fecit* de solo præcepto circuncisionis, quos latè retuli in 3. tom. 3. P. disp. 5. sect. 1. Quocirca illud exemplum potius cõtrarium in præsenti probat, nimirum pactum à Deo initum cum Adamo nõ postulasse illius con-

24 2. Propositio.

Quæ ratione probatur.

25 *Pacta & obligationes inter Deum & homines enucleãtur.*

De pacto nõ iterandi diluuium.

De pacto promissionis terræ sanctæ.

26 *De pacto cũ Abraham de circũcisione.*

Prædictum pactum circuncisionis contra Salmeronem pro nobis facit.

sensum, quia fuit absolutum præceptum, tali voluntate Dei, & modo positum, vt Adamum, & in ipso omnes posteros obligaret non expectato eius consensu. Quin potiùs vix inuenietur proprium pactum Dei obligans hominem, quod ad talē obligationem inducendam hominis consensum requirat. Posset tamen cogitari, si Deus aliquod offerret homini sub tali conditione, vt si illud acceptaret, ad aliquid aliud obligatus maneret, nam tunc obligatio hominis ex priori eius acceptatione penderet, sed huiusmodi pacti diuini nullū pro nunc exemplum occurrit. Neq; potest vllo modo ad pactum cum Adamo accommodari. Quia licèt Deus illum præueniret, dando illi iustitiam pro ipso, & transfundendam in posteris, tamen respectu illius donatio iustitiæ quoad primam infusionem absoluta fuit, quoad conseruationem verò, & transfusionem inclusit conditionem seruandi mandatum: nihilominus tamen obligatio mandati absolute fuit homini imposita, non expectato eius consensu. Et ideo non solùm spectando quid Deus facere possit, sed etiam quid facere soleat, quid ve in hoc negotio egerit, tale fuit illud pactū cum Adamo, vt ad illius obligationem consensu Adæ opus non fuerit.

27. *Obiectio cōtra proximè tradita.* Dices: ergo non cognouit Adam virtutem pacti in præcepto diuino inclusi, quia talis cognitio non erat illi necessaria, nisi vt suum consensum præstare posset: si ergo consensus eius non postulabatur, non est cur talis præcepti conditio illi reuelaretur. Consequens autem no videtur admittendū, quia aliàs peccatum Adæ non fuisset grauius ex ea circunstantia, q̄ per illud totum genus humanum corruit, cuius oppositum communiter sentiunt Theologi tractando de peccato originali, & necessitatem Incarnationis Christi ad illius remedium explicando. *Responsio.* Respondeo in primis, negando sequelam, quia in rigore formalis non est, nec ratione materiæ necessaria. Nam cognitio prior est, quàm voluntarius consensus, & ideo ex negatione posterioris non rectè infertur prioris negatio. Et deinde ratio adequata, propter quam potuit reuelari Adæ circunstantia illius præcepti, non rectè sumitur ex solo voluntario consensu, nam ob aliàs causas potuit esse cōuenientissima, vt iam dicam. Deinde in propositione illata aliqua distinctio necessaria est. Nam inquiri potest, an illud consequēs verum sit, id est, an cognouerit Adam se accepisse illud præceptum pro se, & pro tota posteritate sua in ipso tanquam in capite contenta, & an hæc cognitio Adæ fuerit necessaria ad prædictam legem cum illo particulari modo obligandi simul totā posteritatem in ipso, vt explicuimus. Videri enim potest necessaria, quia præceptum non obligat, nisi intimetur, & cognoscatur, nec violatio eius ad culpam imputatur, si omnino ignoretur: ergo non potuit obligari tota natura illo præcepto in Adamo, neq; violatio eius omnibus posteris imputari, nisi saltem in Adamo cognitio præcepti sub illa ratione præcederet. Vnde, cùm Paulus doceat peccatum illud omnibus posteris imputari, concludi videtur cognitionem illam in Adamo præcessisse.

An nouerit Adam se accepisse præceptum etiā vt caput totius posteritatis, & talis notitia ad id fuerit necessaria.

Partis affir. argumentū.

28. *1. Authoris pronuncia-* Veruntamen in hoc puncto duo verisimiliora videntur. Vnum est, ad prædictam obligationem totius naturæ in Adamo, & vt transgressio Adæ toti naturæ imputetur, non fuisse simpliciter, & in rigore necessarium, vt Adam cognosceret suam dignitatē capitis (vt sic dicam) neq; vt sciret, Deū statuisse, vt omnium posterorum gratia, & iustitia ex ipsius arbitrio ac voluntate penderet. Ita sentit Vasq. dicta disp. 133. c. 1. & mihi semper placuit. Probatur, quia vt filij Adæ nascerentur in gratia, & iustitia ipso Adamo non peccante, decretum efficax diuinę voluntatis id statuentis sufficiebat, etiamsi Adam talis decreti notitiam non haberet, vt videtur per se notum. Ergo etiam è contrario, vt Adam peccando, non solum sibi, sed etiam posteris iustitiam, & gratiam amitteret, sufficere poterat idem decretum Dei ita statuentis, etiamsi Adæ fuisset ignotum. Nam oppositorum eadem est ratio. Sed tunc posteriori etiam peccarent in voluntate parentis, & propter illam fierent Deo inuisi, & inimici, per priuationem gratiæ, & iustitiæ. ergo comprehenderentur sub præcepto in primo parente, etiamsi de hoc cōprehensionis modo parens ipse fuisset ignarus. Et confirmatur: nam ad huiusmodi cōprehensionem non est necessarium, quòd fuerit voluntaria ipsi parenti, nam prius facta est per voluntatem diuinam, quàm potuerit Adam illam velle: imò etiam si reuelanda esset, ante reuelationem præcederet, & vt iam facta reuelaretur: ergo talis reuelatio ad illum effectum, & quasi pactum necessaria nō fuit. Vnde soluitur facilè ratio dubitandi in contrarium posita. Consequenter tamen concedendum est, q̄ si Adam non haberet illam scientiam, non aggrauaretur eius culpa ex damno filiorum, quia nocumentum non præuisum nō auget peccatum, quia nō est voluntarium: in illo autem casu ruina filiorum non fuisset ipsi Adamo voluntaria propter eandem ignorantiam. Quomodo autem tūc ruina filiorum ab eis contracta veram rationem culpæ haberet illis, in materia de peccato originali tractandum est.

Tum quod etiam tra. dat Vasq. Probatur Cōfirmatur. Ad argum. in. princ.

Nunc verò addo secundò, probabilius videri habuisse Adamum notitiam, & reuelationem illius pacti, seu decreti diuini, nō propter cōsensum ab ipso Adamo exigendum, nec quia talis reuelatio ad prædictum modum obligationis esset necessaria, sed propter alias causas. Vna est, vt Adam magnitudinem beneficij à Deo sibi collati agnoscere, & æstimare posset, nam beneficiū de se perpetuum, & pro tota posteritate collatum multo maius est, quàm beneficium personale tantùm, etiamsi sub aliqua honesta, prudenti conditione conferatur. Secundò etiam oportuit eandem conditionem, sub qua beneficium fiebat, illi innotescere, vt ipse parens ad custodiendum depositum vigilantior, & cautior redderetur. Tertiò fuit etiam hoc valde conueniens, vt ipse Adam in propria persona, & voluntate grauius obligaretur ad illud præceptum seruandum, & vt transgressio præcepti, si fieret magis esset voluntaria, minusque excusabilis. Propter quæ opinor verba illa Dei, *In quacunque die peccaueris morte morieris*, in eo sensu intellecta fuisse ab Adamo, in quo à Deo sunt dicta, ac proinde intellexisse Adamū, si peccaret, omnes posteros suos immortalitatem fuisse amissuros, & consequenter etiam gratiam, & innocentiam, quæ illius status fundamentum erat.

1. Præmittitur.

Secundò.

Tertiò

)?(

ELEN-

ELENCHVS

CAPITVM LIBRI QVARTI.

Cap. I. De tentatione serpentis, quæ Euam ad peccandum induxit.

II. Quod fuerit initium peccandi Euæ, & quem progressum in multiplicandis peccatis habuerit.

III. Vtrùm principium peccandi in Adamo fuerit superbia.

IV. Vtrùm Adam etiam per infidelitatem peccauerit, vel quæ peccata post superbiam commiserit.

V. Vter grauiùs peccauerit, Adam, an Eua.

VI. An peccatum primorum hominum fuerit omnibus grauius.

VII. An conuenienter primi homines fuerint à Deo puniti propter suum peccatum.

VIII. Quando fuerit Adam è paradiso eiectus, quantoq; tempore in illo permanserit.

IX. An primi parentes sui peccati veniam consequi potuerint, vel etiam consequuti fuerint, & æternam salutem.

LIBER QVARTVS.

DE AMISSIONE STATVS INNOCENTIÆ.

CVm experimento satis nobis sit notum carere homines illo felici statu, quem superiori lib. descripsimus: & aliquando habuisse, secundum fidei doctrinam ostendimus. Ideo necessarium est inquirere, & quantum status ille durauerit, & quomodo amissus fuerit explicare. Supponimus autem statum illum non potuisse, nisi per peccatum amitti: quia dona Dei sunt sine pœnitentia, & beneficium illud tantùm sub conditione seruandi diuinum præceptum datum est, vt Gen. 2. & 3. manifestè colligitur. Declarabimus ergo quale fuerit peccatum illud, & quando, & quomodo commissum fuerit: & in fine aliquid de illius remissione attingemus.

CAPVT I.

De tentatione serpentis, qua Euam ad peccandum induxit.

EXplicato præcepto, quia homo non à se tantum motus, sed ab alio impulsus ad peccandum inductus est, ideo priusquam de peccato ipso dicamus, modum, & viam per quam homo ad tantum malum peruenit, explicare necesse est. Incepit autem tentatio ab Eua per serpentem, sicut Scriptura his verbis Gen. 3. *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus, quæ dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradisi:* vsque ad illud, *Nequaquam moriemini, scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum, & malum,* &c. Circa quam historiam primùm omnium dicendum est de illo serpente, quis vel qualis fuerit, deinde quomodo potuerit Eua cum illo colloquium miscere, tertiò quale fuerit ex vtraque parte colloquium illud. Ac denique quem effectum in Eua habuerit, antequam plenè consentiendo peccauerit.

Circa primum, omisso antiquo errore Ophitarum, qui dixerunt serpentem illum fuisse Christũ, quem vt stultissimum damnant August. de hæres. in 17. & 46. Epiphan. in 47. Irenæus libro 1. cap. 34. Tertull. de Præscr. cap. 47. Duo alij cauendi sunt, prior est, serpentem illum non fuisse corpus aliquod materiale, & visibile, & locutionem eius similiter sensibilem non fuisse, quæ auditu corporis percipi posset, sed omnia illa, quæ de tentatione serpentis dicuntur, esse per metaphoram intelligenda. Ita sentit August. lib. 2. de Genes. contr. Manichæos, cap. 14. Mutauit verò postea sententiam, vt videbimus. Origenes etiam per metaphoram illa omnia exposuit, quam sententiam refert etiam Ambrosius libro de Paradiso capite secundo. Nouissimè verò Caiet. Gen. 3. dicens, nomine *serpentis* significari ipsum dæmonem secundum se, & sine corpore assumpto, & per suggestionem tantũ internam Euæ locutum fuisse. Probat, quia in Scriptura diabolus ipse sine corpore assumpto Draco, & serpens appellatur Apocalyp. 12. Isaiæ 27. Secundò, quia de illo serpente dicitur fuisse callidiorem cunctis animantibus terræ: quod verum non esset, si de serpente visibili diceretur: ergo de dæmone id dictum est. Tertiò, quia animal brutum non poterat nisi miraculosè loqui, & tamen Moyses simpliciter narrando historiam, locutionem illam sine vllo miraculo factam fuisse indicat: ergo non fuit locutio exterior, sed suggestio interior, quæ ab Angelo naturaliter fieri potest. Quartò, si Eua, viso serpente, eum loquentem audiuisset, valde admiraretur, & horruisset, ac fugisset, sicut Moyses serpentem horruit Exod. 4. Nihil autem huiusmodi de Eua refertur, sed quòd magna pace illi responsum dedit tanquam *domestico collocutori* ait Caietan. Vltimò, quia infrà dicitur, Dominum Deum loquutum esse ad serpentem, illi ma-

2. *Circa 1. punctum omittitur error stultissimus confutatur ab Aug. Epiphan. Iren. & Tertul. Alter error præsertim Caiet.*

Arguit Caiet. 1.

2.

3.

4.

5.

illi maledicendo, vbi necesse est nomine serpentis dæmonem intelligi. Tum quia, lienum esset à diuina sapientia cum bruto animali loqui: tum etiam quia verba illa, *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, &c. tantùm de dæmone intelligi possunt.

3. 1. Assertio. Nihilominus dicendum est, tentationem illam exteriùs, & per auditum corporis factam esse, ac proinde serpentem illum corporeum, & visibilem fuisse, & sensibili voce, aut sono Euæ fuisse locutum. Hæc est sententia D. Thomæ 2.2.q.165. art.2. ad 2. & 3. quem reliqui Theologi sequuntur. Patres etiam exponentes Genesim communiter verba illa intelligunt propriè de loquela sensibili per organum corporeum, vt patet ex Basil. homil. de Parad. & Ambros. lib. de Parad. cap. 12. & lib. de Fuga sæculi, cap. 7. August. lib. 14. de Ciuit. cap. 11. Theodor. q. 34. & 35. in Gen. Rupert. lib. 3. in Gen. à principio, Beda in 3. cap. Gen. Chrys. homil. 16. in Gen. Cyrillus lib. 3. contra Iulian. Damasc. lib. 2. de Fide, cap. 20. vbi ait dæmonem nō per immissas cogitationes, sed per serpentem impetuisse Adamum, quod intelligendum est, mediante, seu interueniente Eua. Denique hæc veritas adeo est communi sensu totius Ecclesiæ recepta, vt sententia Caietani erroris excusari non possit, vt etiam Pereira, & Ystel. in Gen. adnotarunt.

Censura in Caiet.

4. *Probatur assert. primò ex Script.* Et probatur ex ipsa littera Genesis, primò ex verborum proprietate, quæ in historica narratione fine magna necessitate, vel auctoritate, relinquenda non est, vt iam contra eundem Caiet. in superioribus dixi. Secundò, quia illa verba, *serpens dixit ad mulierem, & mulier respondit*, colloquium fuisse sensibile ostendunt. Nam ex parte Euæ dubitari non potest, quin voce sensibili responsum dederit, nisi magna vis fiat verbis: ergo respondebat ad verba, quæ auribus corporis perceperat: ergo etiam videbat serpentem, qui loquebatur, & cui ipsa respondebat. Iuuant etiam verba illa per quæ serpens cōparatur ad cætera animantia terræ, quibus *callidior* dicitur, nam per hoc satis indicatur, sermonem esse de sensibili serpente: nam inter dæmonem, & bruta animalia congrua comparatio non fiet. Quod argumentum conatur fugere Caietanus multiplicando metaphoras voluntariè excogitatas, quas si admittere liceret ad negādum proprium litteralem sensum, nihil esset firmum in tota illa narratione Genesis. Nam eodem modo possent per metaphoram exponi omnia, quæ de Paradiso, & de lignis eius, & de formatione Euę ibi narrantur, quod in Origene damnatum est, vt in superioribus retulimus. Et hæc est potissima ratio damnandi interpretationem Caietani.

5. *Probatur 2. à D. Thom.* Addit verò theologicam rationem D. Thomas in dicta q. 65. art. 2. ad 2. quia dæmon in eo statu non poterat tentare Euam suggestione mere interna, sed tantùm externa, cuius oppositum Caietanus supponit tanquam suæ interpretationis fundamentum. Assumptum verò probat D. Thomas, quia diabolus non habuit tantam potestatem in homine ante peccatum, quantam nūc habet. Nam antea non poterat dæmon immediatè immutare internam phantasiam hominis, quia hoc erat contra perfectionem illius status, & contra rectitudinem originalis iustitiæ, per quam fiebat, vt quandiu ratio erat subiecta Deo, inferior portio esset ita perfectè rationi subdita, vt inordinate aduersùs illam moueri non posset: ergo nō potuit dæmon hunc ordinem immutare: ergo nec mere internè Euam tentare. Probatur consequentia, quia interna suggestio non fit nisi per internam immutationem portionis inferioris inordinatam, & præter rationem.

6. *Obiicitur contrariò.* Dices, in sensitiua portione interiori distingui motum phantasiæ à motu appetitus sensitiui, seu concupiscentiæ: & rationem factam solùm probare, non potuisse dæmonem in eo statu excitare motum concupiscentiæ præueniendo rationem, tamen ad suggestionem merè internam sufficiat. Assumptum probatur, quia quòd phantasia excitetur, præueniendo rationem, non est inordinatum, sed potiùs est ordo naturalis adeò necessarius, vt etiam in statu innocentiæ deesse non posset, alias non valerent tunc homines per obiecta sensibilia ad intelligendum excitari: ergo nullum est inconueniens, nec contra ordinem illius status, quòd illa interior immutatio phantasiæ operâ dæmonis immediatè fieret. Probatur consequentia primò, quia hoc nō erat contra ordinem proprium iustitiæ originalis, vt ostensum est. Secundò, quia per tentationem externam factam operâ dæmonis immutatur sensus exterior, immediatè, & phantasia mediatè: ergo eadem ratione potuit illa immutatio phātasiæ immediatè à Deo fieri, quia non apparet in hoc maior deordinatio. Præsertim, quia sicut externus sensus, v.g. auditus non ita immutatur à dæmone immediate, ita vt ipse per se efficiat speciem in auditu, sed mouendo corpus externum, & per illud efficiendo sonum, per hunc tanquam per obiectum imprimit speciē in sensu: ita licet merè internè moueret phantasiam, non per se, & immediatè in illam imprimeret phantasmata, sed mouendo humores, & spiritus per illos phantasmata imprimeret, vel moueret, quod non videtur maiorem inordinationem, quàm illud prius continere. Tertiò, quia aliàs nun quam posset dæmon in statu innocentiæ, quamuis duraret, tentare homines, nisi in corpore assumpto, vel formando sonum sensibilem, aut visibiles imagines, aut quid simile. Et pari ratione de facto non potuisset tentare B. Virginem, nisi eodē modo, scilicet assumendo formam visibilem, vel per aliquem modum sensibilis locutionis, aut externę imaginis: vtrunque autem videtur creditu difficile.

Nihilominus ratio D. Thomæ mihi videtur congruentissima, nam licet non excedat vires naturales dæmonis, mouere interius phantasiam illo modo, non fuit decens, vt pro statu innocentiæ tanta licentia in corpus hominis illi tribueretur, sed hoc pertinuit ad pœnalem subiectionem, qua homo post lapsum potestati dęmonis traditus est. Et ita non solùm motus cōcupiscentiæ, sed etiam motus phantasiæ præternaturali modo à dæmone immissus, erat non solùm contra decentiam, & dignitatem, sed etiam contra rectitudinem illius status. Tum quia vnus motus est propter alium, & ideo tanquam vnus reputantur. Tum etiam, quia si illa licentia dæmoni daretur, vix poterat fine nouo miraculo motus concupiscentiæ cohiberi, ne insurgeret. Tum denique, quia ipsemet motus phantasiæ sic excitatus esset præter rectum ordinem naturalem. Et confirmatur ex D. Gregor. homil. 16. in Euang. vbi ex eo quòd dæmon non potuit Christum tentare delectatione, aut consensu, intulit, *atque ideo omnis diaboli illa tentatio non irrita fuit*: ergo simili modo ex eo, quòd dæmon non potuit Euam tentare per delectationem, rectè inferimus, exteriùs tentasse, non merè interiùs.

Declaraturque hoc amplius respondendo ad obiecta contra rationem D. Thomæ. Nam prima ratio principalis rectè probat, seu sumit in antecedente, potuisse phantasiam in statu innocentiæ moueri ab obiectis materialibus medijs sensibus externis ordinario, & naturali modo: inde autem non rectè infert, potuisse merè interius à dæmone excitari, quia motionis modus imperfectus, & quodammodo præternaturalis est, ideo iustitiæ originali repugnabat. Vnde ad secundum respondetur, non esse eandem rationem de tentatione per

per locutionem externam, vel per internam suggestionem. Cuius optimum argumẽtum est, quia Christus potuit priori modo tẽtari: posteriori autem modo non decuit. Rationem verò differẽtiæ attigit D. Thom. quia in locutione, seu suggestione externa sola exterior creatura à dæmone proxime immutatur, & ideo postea sequitur, vt sensus hominis à voce exteriùs formata naturali, & ordinario modo excitetur. Vnde tunc extrinsecum & valde accidentarium est, quòd illud obiectum extrinsecum virtute, & industria dæmonis formatum fuerit, quia inde nullus naturalis ordo in ipso homine, vel in potentijs eius inuertitur. Quod secus esset si motio phantasiæ merè interiùs fieret virtute dæmonis: nam esto non posset immediatè, & per se imprimere species in phantasia, satis magna subiectio, & imperfectio hominis fuisset, si posset dæmon interiùs mouere humores, & spiritus animales intra corpus hominis existentes, atque illo modo interiores eius potentias excitare. Nam si hoc posset, parum abesset, vt etiam concupiscentiam mouere, & membra corporis alterare sine hominis voluntate posset, quod absurdissimum est: nulla ergo talis potestas, vel licentia illi fuit pro illo statu concessa. Vnde ad tertium libenter concedimus vtranque sequelam, nimirum, non potuisse dæmonem, vel homines in statu innocentiæ perseuerantes, vel etiam B. Mariam Virginem illo interiori modo tentare; nam ita maximè decebat, & illi statui quasi connaturale futurum erat.

At motiua verò Caietani respondetur. Ad primum, parum referre, vt in alijs Scripturæ locis dæmon per metaphoram Draco, aut serpẽs vocetur. Tum quia non oportet, vt vox in vno loco Scripturæ metaphoricè vsurpata, in eadem significatione in quolibet alio loco sumatur, vt est per se notum. Tum etiam, quia non negamus, serpentem etiam significare dæmonem etiam in dicto cap. 3. Gen. imò, vt videbimus, multa ibi dicuntur, quę non nisi in dæmonem conueniunt, sed dicimus, in dicto loco Geneſis non appellari dæmonem serpentem solùm per metaphoram, sed etiã quia per serpentem sensibilem, & externis oculis expolitum loquebatur. Sicut etiam in dicto loco Apocal. 12. dæmon Draco dicitur, & per metaphoram, & quia re vera sub forma sensibilis draconis apparebat in visione imaginaria, quæ ibi describitur. Et ita paulo inferiùs draco ille dicitur, *serpens ille antiquus*, alludendo, vt ibi notat Ribera, ad serpentem de quo modò agimus, nam fuit idem draco, quanuis sub sensibili forma serpẽtis. Imò hinc videtur illud nomen quasi hæreditasse, vt significat, Hieronym. Isai 17. Vnde ad secundum sumptum ex illa comparatione, *calliditor cunctis animantibus*, respondemus primò cum Augustino 11. Gen. ad litt. cap. 29. & D. Thom. 2. 2. q. 165. artic. 2. ad 4. comparationem illam per metaphoram conuenire in ipsum dæmonem, non solùm comparatione brutorum animalium, sed etiam respectu hominum. Nihilominus verò addimus respectu animantium brutorum eandem cõparationem per proprietatem sumptam verã esse de ipso animali, ac serpente; nam propter calliditatem illius animalis dixit Christus Matth. 10. *Estote prudentes, sicut serpentes.* Vbi licèt non ponat apertam comparationem, satis tamen indicat habere illud animal magnam astutiam natiuam ex instinctu naturali. De quare videri possunt Hilar. Chrysost. & Hieron. Matth. 10. Albin. & alij in Gen. & Basil. homil. 12. in initium Prouerb. & Epiph. hæres. 37. & Hugo de Sanct. Victor. in Institutionib. monast. 2. p. l. 3. de proprietatib. bestiarum, c. 40. vsq; ad 53. & Plinius lib. 8. historiæ, c. 27. Quorum sententias colligit Pereir. lib. 6. in Gen. q. 1. de hac re. Ad tertium respondetur, sine proprio miraculo potuisse dæmonem suа naturali virtute per serpentem loqui, vt ex dictis lib. 4. de Angelis constat. Sicut asina Balaam mouente Angelo locuta est Num. 22. Nam licèt ibi dicatur, *Aperuit Dominus os asinæ*, non ideo dictum est, quia illud fuerit proprium miraculum, vt Caietan. suprà argumentatur, sed vt significaretur, non fuisse opus dæmonis, sed boni Angeli ex diuina ordinatione. Alia verò argumenta Caietani explicando tentationem, & peccatum Euæ, ac pẽnas eius, dissoluemus.

Ad cætera Caietani argumenta, quid.

10

Secunda sententia præcedenti extreme contraria asseruit, serpentem illum fuisse verum animal, quod vel virtute sua naturali potuit loqui, vel saltem Deum illi tribuisse pro eo tempore intellectum, & facultatem ad loquendum, & consequenter etiam ad percipiendum, quæ illi Eua respondebat. Hanc opinionem refert Abulens. Gen. 13. q. 418. & q. 429. in priori sensu, de virtute scilicet naturali: & nominat Iosephum dicentem, diabolum non tentasse Euam, sed solum serpentem, vt littera sonat *Vnde vult* (inquit) *quod serpens erat naturaliter loquens, & intelligens, & ita potuit intelligere hoc, quod dixit, & concipere illud.* Et in fine ait plurimos tempore Iosephi hoc ipsum sensisse. Insinuatque illam opinionem Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 2. alias 3. non tamen habet illa formalia verba, quòd *serpens erat tunc naturaliter intelligens, seu potens intelligere, quæ dicebantur*, estque res adeo absurda, vt vix in mentem hominis Philosophi, & non ignorantis venire potuerit. Imò nec dicit expressè serpentem tunc potuisse naturaliter loqui. Hoc autem satem insinuat inferiùs, dicens, *Quod Deus iratus contra serpentem ob malitiam, qua erga Adamum est vsus, illi vocem ademit.* Posset autem hoc sano modo exponi, si ad dæmonem referatur, ita vt sensus sit, Deum priuasse dæmonem potestate amplius loquendi, vel tentandi hominem per serpentem. Sed hoc etiam voluntariè dictum esset, quia Scriptura nihil dicit de ademptione vocis facta serpenti, etiamsi per serpentem dæmon intelligatur. Nec multum nobis curandum est, de sensu Iosephi, quia fortasse ex aliqua falsa traditione Iudaica potuit errorem illum concipere, etiamsi absurdissimus sit, non Philosophiæ tantùm, sed etiam veræ fidei contrarius, quia nec Philosophia, nec fides agnoscit animal habens intellectum, & ratione vtens, nisi hominem: & idem est de propria locutione, vt tradit etiam Arist. lib. 4. de Generat. animal. cap. 9. & lib. 5. cap. 7.

Error alius extremè cõtrarius præcedenti.

Iosephus aliqua ex parte errorem hunc tenuit in priori sẽsu.

Quomodo posset tolerari.

Simpliciter tamen philosophia & fidei repugnat.

11

Magis autem mirandum est, quod Moses Barcepha lib. de Parad. p. 1. cap. 27. eandem sententiam in posteriori sensu de virtute diuina explicatam tribuit sancto Ephrem. Proponit enim dubium, an tentator fuerit corporatus serpens, vel Satan intra illum latens, & ait, *Ephrem in quodam commentario tradidisse, quod serpens corporeus mulierem allocutus fuerit, quia Satan impetrauit à Deo, vt ei locutionem, & intellectum conciderat.* Quæ sanè sententia multo est absurdior, quàm præcedens. Tum quia, si serpens ex natura sua non est intelligens, non potuit accipere vim intelligendi, nisi mutata natura, & tunc iam non esset serpens, sed homo, nam quod per sensus, vel materiales potentias intelligeret, prorsus erat impossibile. Tum etiam, quia licet esset possibile, esset stupendum miraculum frustra, & sine fundamento, vel causa excogitatum, & præterea peculiarem absurditatem habet, dicere fecisse Deum tam grande miraculũ ad petitionem dæmonis, & ad finẽ decipiendi hominem. Et quoad hoc idem est de locutione, quia licèt minus repugnet, locutionẽ quoad externũ, & sensibilem sonum fieri per serpentem, vt instrumentum Dei, tamen non erat necessarium fieri miraculoso modo, nec etiam decebat, Deum tali miraculo

Barcepha eundem errorem in posteriori sensu tribuit S. Ephrem.

Expugnatur dictus error.

miraculo veluti iuuare dæmonem ad tentandam Euam. Potuit ergo facilè fieri, vt suprà dixi, per naturalem potentiam Angeli formantem sonum similem locutioni humanæ per os serpentis, seu in ore eius, supplendo per aeris motionem defectum naturalis facultatis, & instrumenti idonei ad formandam vocem, qui erat in ore serpentis. Sicut etiam in locutione asinæ Balaam per bonum Angelum factum est. Nec in operibus Ephrem, quæ nunc extant, absurdam hãc sententiam ego reperio, quin potiùs in 3. tom. tract. de Pœnit. versùs finem, ait, *Inimicum*, id est, dæmonem, *per scientiam cunctarum rerum intelligentiam primos parentes decepisse.*

Apud Ephrẽ non legitur

12. *2. Assertio catholica.* Vera ergo, & catholica sententia est dæmonem fuisse, qui sub specie visibilis serpentis Euam tentauit. Nam quòd auctor præcipuus illius tentationis, & seductionis, dæmon fuerit, in Scriptura legitur. Nam hac ratione dicitur Sapient. 2. *Invidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum*, & ob eandem causam Ioan. Apoc. 20. vocat illum *serpentem antiquum*, vt suprà notaui. Et Christus Dominus Ioan. 8. *diabolum* (dicit) *fuisse homicidam ab initio*, quod ratione huius tentationis dixit, quia diabolus decipiendo Euam, & per illam Adamum, causa fuit mortis ipsorum, & omnium hominum. Et ratio est clara, quia tentatio illa non potuit fieri nisi à creatura intellectuali, & non ab homine, quia nec erat alius præter Adamum, nec si fuisset, per serpẽtem loqui potuisset, nec bonus Angelus potuit esse auctor tanti mali: ergo fuit diabolus. Et communiter creditur esse Luciferum, quod & multis coniecturis potest fieri verisimile, & est verbis Christi consentaneum. Quòd autem non in propria, & sola spirituali natura, sed sub specie visibili serpentis ad tentandum accesserit, satis cõtra Caietanum probatum est, & addi potest illud Pauli 2. ad Corinth. 11. *Timeo, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri.* Eademque est communis sententia Sanctorum, vt videre licet in Basil. homil. de Parad. & Chrysost. hom. 16. & 17. in Gen. Theodor. q. 31. & 32. in Gen. Rupert. & alij infrà citandi.

Probatur ex Script.

Probatur etiam ratione.

Tentator Eua lucifer.

13. *An serpens per quem dæmon tentauit fuerit verus, vel apparens.* Difficultas autem est, vtrùm serpens ille quo dæmon vsus est tanquam instrumento, fuerit verum animal, vel tantùm apparens, seu simulacrũ, & imago quædam serpentis. In hoc enim sunt opiniones, prima negat esse verum animal, sed tantùm corpus effictum ad similitudinem eius à dæmone, qui ad decipiendam Euam eius personam induere voluit. Hanc opinionem tribuunt Cyrillo Moyses Barcepha, & Pereir. Veruntamen Cyrill. lib. 3. contra Iulian. non tam aperte hanc sententiam abstruit. Nam respondens ad verba Iuliani calumniantis, dicere, serpentem locutum esse cum Eua sermone humano, esse quid simile fabulis Græcorum: respondet, se mirari quomodo Iulianus non intellexerit vocem illam dæmonis operatione fuisse factam: *serpente velamentum malignitatis illius sic adumbrante.* Quæ verba non minus de vero serpente, quàm de eius effigie intelligi possunt. Et infra §. *vlt.* concludit, quòd serpens solùm existens per se non fuit mulieri locutus, cùm naturâ, sermonis, & mentis expers sit, quod de vero animali dictum est. Subiungit autem hæc verba, *Induit vero personam eius, malorum auctor Satan.* Solùm ergo ex illo verbo *induit*, videtur collegisse Moses, loqui Cyrillum de serpente tantùm apparente: sed profectò etiam potest dici dæmon induisse personam serpentis, quia loquendo per verum serpentem tanquam vnum quid cum illo repræsentari voluit. Veruntamen illam opinionem defendit Eugub. in Gen.

1. Sententia tribuitur Cyrillo. Ostenditur tamen non satis clare eam scripsisse Cyrillum.

Eam tamen tenet Eugubin.

14. *Suadetur 1.* Suaderi potest primo, quia Angeli tam boni, quàm mali quando corpora sumunt ad aliquod ministerium, non formant vera animalia, quæ exteriùs repræsentant, sed eorum similitudinem, neque etiam vti solent veris animalibus, vel assumere illa ad sua opera efficienda, vt in superiori tractatu lib. 4. dictum est: ergo etiam dæmon formauit eodem modo, & assumpsit similitudinem serpentis ad suum opus, & non verum animal. Probatur consequentia. Primò, quia nõ erat maior necessitas veri animalis ad tentandam Euam, quam ad alia opera. Et est optimum exemplum de tentatione Christi, quam dæmon perficit in assumpto corpore hominis apparentis, non per verum hominem. Secundò, quia ex verbis Scripturæ id colligi non potest, tum quia licèt loquatur simpliciter de serpente, tamen etiam simpliciter vocat homines eos, qui Abrahæ apparuerunt, quanuis vere fuerint Angeli. Tum etiam quia nomen serpentis maximè refert ad ipsum dæmonẽ, quem sic vocat propter assumptam similitudinem serpentis, sicut iam diximus, & infrà explicando maledictionem serpentium latiùs videbimus. Tertiò, quia ex nullo effectu, vel signo ostendi potest, illum fuisse verum serpentem. Nam quod Pereira obiicit, quia quando Angeli assumunt adumbratam formam hominis, confecto ministerio, illam exuunt: serpens autem ille non euanuit finita tentatione, nam postea præsens adfuit maledictioni Dei: hoc (inquam) non cogit, quia licèt possit Angelus statim exuere formam, quam induit, tamen etiam potest sub illa aliquantulum perseuerare, præsertim quia tempus illud breuissimum fuit, & fortasse dæmon nondum expleuerat totum malum, quod intendebat. Vel certè, quod credibilius est, Deus coegit illum ad permanendum, vel ad comparendum in eadem specie, quia licèt ipse suum prauum opus consummasset, Deus suum bonum opus, id est, iudicium suum nondum tulerat. Nam certè nisi hoc ad diuinam prouidentiam referatur, etiamsi ille fuerit verus serpens, potuisset non adesse quando Deus pœnam denuntiabat primis parentibus, vel etiam poterat non adesse dæmon: igitur ex illo signo non rectè colligitur, verum fuisse serpentem.

Secundo.

Tertiò.

Replica Pereiræ.

Solutio.

15. *2. Secunda Barcepha.* Secunda sententia nihilominus affirmat, illum fuisse verum serpentem. Hanc opinionem refert allegatus Moses ex quodam Iacobo Sarugense, quam ipse approbat, & sequitur. Ratio verò, qua vtitur, infirma est, scilicet, quia Eua corpore, & spiritu constabat, & ideo dæmon, qui spiritualis est, sibi coniunxit corporalem serpentem ad aggrediendum illam. Hæc enim ratio ad summum probat assumpsisse dæmonem sensibilem formam serpentis, veram quidem quoad corporis sensibilitatem, non quoad specificam naturam serpentis.

Eius ratio dubia.

Alij etiam Patres, licèt apertè hoc non disputent, tamen in modo loquendi hanc sententiam multùm insinuant, vt videre licet in Basilio, Chrysost. Theodoret. *locis citatis*, & August. lib. 11. de Ciuit. cap. 27. vbi de dæmone dicit: *in serpente locutus est, vtens eo velut organo, mouensque eius naturam eo modo, quo ille mouere, & moueri illa potuit ad exprimendos verborum sonos.* Vbi in verbo illo, *mouens naturam eius*, multum insinuat fuisse verum animal. Et in cap. 28. iterum id repetit, & adductis exemplis similibus magis declarat. Et in lib. 14. de Ciuit. cap. 11. expressè dicit, in Paradiso fuisse animalia terrestria, & inter ea serpentem, quo dæmon ad suam deceptionem tanquam instrumento vsus est. In quibus verbis satis indicat, serpentem illum fuisse verum animal.

Eadem sentiunt docent Basil. Chrysost. Theodor. & Aug.

Atque hæc sententia facile defendi potest, & cũ omni proprietate verba Scripturæ intelligit, & ideo satis probabilis est, quanuis à nobis nulla sufficiens ratio reddi possit, cur potius vero animali, quàm eius simulachro dæmon vsus fuerit, cùm alioqui non soleant Angeli ita operari per animatum

Hæc sententia probabilis est.

lium corpora, vt obiectum est. Id vero huic sententiæ obstare non debet, quia etiam non possumus sufficientem rationem reddere, ob quam dæmon potius per serpentem, quam per aliud animal Euam tentauerit. Præsertim cum alia sint aptiora ad vocem humanam formandam per illorum ora, quam serpens: & alioqui serpentis aspectus ingratꝰ, imo & horrificus homini sit. Quocirca sicut Aug. lib. 11. Genes. ad lit. c. 3. dixit, *Non debemus opinari, quod serpentem sibi, per quem tentaret diabolus, eligerit, sed cum esset in eo decipiendi cupiditas, non nisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est.* Ita nos dicere possumus, dæmonem non sua libera electione vsum fuisse potius vero animali, quam eius simulachro, sed tunc non fuisse permissum fictum animal formare, & assumere. Cur autem non fuerit permissus, respondere possumus *ad abdita, & iusta Dei consilia pertinere*, sicut de priori permissione idem Augustinus dixit. Et fortasse in statu innocentiæ non permitteretur dæmon vti phantasticis corporibus ad homines decipiendos, & illudendos, propter illius status immunitatem.

Ex quibus colligere possumus, superuacaneum esse inquirere, cum sint varia genera serpentium, cuiusnam speciei fuerit: tum quia sciri à nobis non potest, tum etiam, quia nec rationem probabilem cur potius huius speciei, quam alterius fuerit, reddere possumus. Quod contra peregrinas aliquorũ opiniones latius prosequitur Perer. in dict. l. 6 q. 2. Et nihilominus ipse coniectatur fuisse serpentem, quem *scytalem* vocant, quia est animal formosum, & pulchrum, adeo vt licet sit reptando piger, admiratione sui capiat stupentes, quod affert ex Solino cap. 30. Sed hoc etiam mihi incertum est, nam Latini longe aliter nomen illud *scytale* interpretãtur, nimirum, significare murem arachneum, seu araneum, vt est apud Calepinum verbo *scytale*, cũ Columella, quem cit. l. 6. c. 17. & apud Scholiastem Plinij l. 32. c. 5. qui addit ex Lucano, esse serpentem exitiosum, nihil tamen de eius pulchritudine dicit. Nec existimo dæmonem fuisse vsum illo serpẽte propter pulchritudinem, sed propter calliditatem, vt infra explicabo. Vnde verisimile est, sicut Christus Dominus quando Luc. 10. dixit, *estote prudentes sicut serpentes*, locutus est de communibus serpentibus, hominibusq; notioribus, ita serpentem illum, quo vsus est dæmon fuisse vnum ex his, qui notiores sunt hominibus, & inter eos frequenter versantur, etiamsi in particulari qualis speciei fuerit ignoretur.

Sed illud magis mirandum, & inquirendum est quomodo Eua audiens serpentem loquentem nõ horruerit, ac turbata timuerit, sed potius magna tranquillitate responderit, & colloquium cũ serpente miscuerit. In quo puncto aliqui respondent, Euam non horruisse serpentem, quia tunc omnia animalia erant homini subiecta, & nihil mali poterant illi inferre. Ita Chrys. hom. 16. in Gen. addit-que Bas. in hom. de Par. serpentem specialiter fuisse tunc mitem, Damasc. etiam lib. 2. c. 10. adiungit, *Quod serpens familiaris homini erat, vt qui præceteris animantib. ad eum accederet, blandisq; motibus cum eo veluti colloqueretur. Ex quo* (ait) *factum est, vt omnis mali auctor diabolus ipsius opera vteretur*, &c. Alij denique addiderunt, illum serpentem virginem habuisse, quod ex Beda refert Bonau. in 2. d. 21. a. 1. q. 2. ad argum. quem ipse sequitur. Veruntamen si hæc vltima sẽtentia in hoc sensu intelligatur, vt aliqua species serpentum faciem virgineam habeat naturalem, & ideo talem dæmonem legisse, fabulosa res est, vt Lyran. & Pereir. dicunt contra Magistrum historiæ, quia in dicto sensu id asseruisse videtur. Quia neq; in Philosophis, nec in historijs talis generis serpentum memoria inuenitur. Neq; etiam videtur verisimile, quod posit tam imperfectum & horrendum animal faciem virginis connaturaliter habere. Si vero fit sensus dæmonem astutia sua formasse huiusmodi faciem in capite illius serpẽtis vt Eua placide, & sine perturbatione secum loqueretur: sic non habet tantam absurditatem. Nihilominus tamen habet magnam incertitudinem quia Scriptura nihil de hoc loquitur, & Patres frequentius significant, dæmonem vsum fuisse naturali serpente sine aliqua fictione, aut apparẽte immutatione. Et prẽterea etiã illo admisso nõ expedit difficultatem, vt videbimus. Illud autẽ, quod addit Damasc. de familiaritate hominis cum serpente non video quomodo constare possit, & difficultatem etiam nõ euacuat. Deniq; quod Chrys. & Basil. dicunt, tunc omnia animalia, & serpentẽ in particulari, fuisse homini mansueta, sufficit qui dem ad rationem reddendam cur Eua nihil horruerit, vel timuerit viso serpẽte, nam eodem modo, si deambulando in Paradiso occurreret ei leo, vel vrsus, nihil profecto paueret, aut timeret.

Dz Damasc. responsione.

De resp̃osione Chrys. & Basilij.

Difficultas vero est de loquelâ, & colloquio cũ serpente. Nam si Eua credebat, illum esse verum serpentẽ, sicut exterius apparebat, quomodo potuit non admirari cum illum loquentem audiret. Et cum esset prudens, & intelligens quomodo nõ prius secum recogitauit, qualis esset illa locutio? Ac deniq; cum sciret, illud esse animal irrationale, quomodo potuit ad illum loqui, & cum eo miscere sermonem. Ad hæc respondet aliqua ex parte Cyril. l. 3. cont. Iul. §. ecce iterum. *Cum tunc non esset aliud rationale animal, mulier impendio simplex existimabat fortasse, & alijs animalibus datum esse, humana voce loqui posse.* Magist. etiam in 2. d. 21. c. 2. in fin. dicit *mulierem putasse, serpentem officium loquendi à Deo accepisse.* Eumque sequutus est Abul. Gen. 13. q. 457. qui Augustinum etiam refert l. 11. Gen. ad lit. Sed in eo non inuenitur. Quin potius contrarium ex illo sumitur, quatenus in c. 30. dicit, mulierem non potuisse decipi à serpente, nisi prius peccaret. Et ideo etiam dixit D. Tho. dict. q. 94. a. 4. ad 1. non oportere in hac parte sequi Magistri auctoritatem. Et ob eandem causam mihi non placet hæc responsio. Nam (vt ex verbis dictorum auctorum constat) supponit magnam deceptionem in Eua, nam oportebat eam existimare, serpentem non solum loqui, sed etiam vti ratione potuisse, quod absurdissimum est.

19

Qua ratione potuerit Eua brutũ animal ad colloquium admittere.

Respõsio Cyril. Mag. & Abulens.

Reiicitur ex Augustino & D. Thom.

Et ex ratione.

Respondent aliqui illud non esse intelligendum de positiua deceptione, sed de negatiua nescientia quæ potuit esse in Eua, quia non oportuit eã adeo sapientem esse, sicut Adamum, neq; per experientiam tũc cognoscere poterat, an aliud esset animal locutionis, & rationis capax præter hominem. Et in hoc sensu defendunt rationem illam Pererius, & Ystella. Sed in primis interpretatio est contra expressa verba Magistri, & Abulensis, imo etiam Cyrilli, vt allegatum est. Deinde videtur impossibile in illa actione separare deceptionem à nescientia, quia Eua audierat serpentem loquẽtem, & illi respondit tanquam personæ intelligentiæ capaci: ergo necessario debuit putare illum, quem audiebat, & ad quem loquebatur, intelligentem esse: ergo si cogitabat, illud solum esse animal, quod oculis videbat, & loquebatur, non habuit tantum nescientiam, sed etiam iudicium erroneum circa proprietatem, seu capacitatem serpentis. Respondere videtur Pererius, illã ignorantiam Euæ (quã ipse puræ negationis vocat) non excluisse omnem assensum, sed firmum. Quia non credidit (inquit) firmo assensu serpentem posse naturaliter loqui, sed dubio tantum, & quasi suspenso. Quæ verba satis dubia, & (vt ita dicam) suspẽsa sunt, quia eorum auctor, neq; negare potuit assensum, nec affirmare ausus est: & ideo vocat dubium, & suspensum. Veruntamen si dubium esset, quod vocant negatiuum

20

Quo pacto Pererius & Ystella prædictam responsionem tuentur.

Impugnantur tamen primo.

Secundo.

Pererij effugium obstruitur.

negatiuum tantum, seu per suspensionem iudicij vtriusque partis, nullus esset assensus neque posset esse principium practicè operandi, & loquendi. Si autem fuit propositiuum iudicium, etiamsi non esset firmum sed formidolosũ, esset vera deceptio.

21 *Impugnantur 3. ex Ruperto.*

Deniq; illam sententiam merito refellit Ruper. l.3.in Gen.c.3.dicens: *Item & illud quæritur, vtrum nescierit mulier, quòd serpens æquè vt cætera animantia irrationalis esset, & sua facultate loqui non posset. Si hoc nescivit, minorem (quod absurdum est) intelligentiam in illo lucido Dei Paradiso habuit, quam nunc habet in hac obscuritate vitæ plenæ miseriis, vbi licet caro, quæ corrumpitur, aggraueat animam, scit tamen nullam præter suam rationalem esse vitam. Si autem (quod verum est) sciuit, serpẽtem non nisi alieno spiritu potuisse loqui profecto in eo mirâ seductionis immensitas est, quod quasi omnipotentiam spiritus eius mirata est mulier, qui per rationale animal humana formare verba potuisset.* Sentit ergo Rupert. cognouisse Euã aliquem spiritum per serpentem secum fuisse locutum: & consequenter cognouisse eundem spiritum responsum suum potuisse percipere, & ideo nihil timuisse, nec dubitasse cum eo loqui.

22 *Varia responsio ex allato Ruperto.*

Mihiq; hæc sententia valde probabilis videtur. Nam satis credibile est, habuisse Euam notitiam substantiarum spiritualium, id est, quod præter res corporeas creasset Deus spiritus ratione vtentes, & habentes potestatem ad habenda corpora. Ergo facile cogitare potuit, aliquem spiritum sibi per serpentem loqui. Fortasse tamen non discreuit, an spiritus bonus, vel malus esset, vel quia de Angelorum lapsu reuelationem nondum habuerat, quia hoc erat magis occultum, & contingens, minusque ad perfectam notitiam creationis Vniuersi necessarium. Vel certe, si id cognouerat, tunc de hoc non cogitauit, nec ex prioribus verbis, & interrogatione serpentis statim diiudicare potuit qualis esset spiritus, qui sibi loqueretur.

23 *Eandem indicat D. Th.*

Æque hanc sententiam indicasse videtur D. Thom 1.p.q.94.a.4.ad 2.dicens: Quod mulier putauit, serpentem accepisse loquendi officium non per naturã, sed aliqua supernaturali operatione. Vbi cum dicit *supernaturali*, non est rigorosè intelligendum, sed quatenus quicquid in aliquo fit vltra virtutem naturalem eius, quodammodo supernaturale dici potest. Bonau.etiam in 2.d.21.a.1. q.2.ad 1.fauere videtur, quatenus ait, *mulierem non credidisse eum, qui loquebatur cum serpente esse aduersarium sed potius bonum consiliarium. Et ideo* (inquit) *tam occulta erat illa tentatio, si. ut si diabolus loqueretur ad cor interius.* In quo supponit, cognouisse mulierem aliquem spiritum locutum esse in serpente. Quod autem ait credidisse illum fuisse bonum consiliarium, vel corrigẽdum est, vel negatiue, seu potentialiter interpretandum, scilicet, non iudicasse illum fuisse malum, sed vel abstraxisse, vel simpliciter processisse, quasi supponendo potuisse esse bonum consiliarium.

Fauet Bon.

24 *Instat contra hanc responsionem Pererius primo.*

Obijcit vero contra hanc sententiam Pererius. Primò, quia nõ satis consonat narrationi Moysis. nam ille simpliciter dicit, serpentem locutum esse ad mulierem, eiq; mulierem respondisse. Quod historice, & plane de serpente intelligitur, ad spiritũ autem non nisi incommode, & violenter detorquetur. Secundò, quia si Eua spiritum per serpentem sibi loqui credidisset, magis fuisset perturbata, & dolum statim suspicata esset, videns enim, non in specie hominis (sicut Angeli sibi, & marito apparere solebant) sed per serpentem secum loqui fraudem aliquam statim timuisset. Tertio, quia Eua, quando reprehensa est à Deo, non in spiritũ, sed in serpentem culpam coniecit, & Deus nõ spiritui, sed serpenti maledixit. Sed hæc ex supradictis facile solnuntur. Quia etiamsi Moyses loquatur de corporeo serpente, sub illo cõprehendit spiritum, qui loquebatur, sicut solet loqui Scriptura de Angelis sub specie sensibili apparentibus, & loquentibus.

Secundo.

Tertio.

Vnde ad primum dicimus, quod sicut serpens, qui locutus est, non erat solum animal sensibile, sed spiritus per illum: ita etiam serpens, cui respondit mulier, eodem modo intelligendus est: & ita ex littera illa colligi non posse, putasse Euam solum serpentem sensibilem esse, qui loquebatur, sed cõtrarium potius indicari, nam relatiuum *cui*, refert eundem, qui locutus fuerat. Ad secundum in primis ex Scriptura non constat, Angelos sanctos aliquando apparuisse in specie hominis Euæ ante peccatum. Nam Gen.1. solum habentur illa verba, *Benedixitq; illis Deus*, & ait, *crescite*, &c. Et infra, *Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam*, &c. Ex quibus ad summum colligi potest, locutum esse Deum sub forma humana sensibili ad primos homines ante peccatum. Quamnis etiam possint illa verba intelligi de interna inspiratione, & locutione, per quam Adam, & Eua illam cognitionem acceperunt. Et c.2. solum dicitur de Deo: *Et adduxit eam* (id est, Euam) *ad Adam*, quod non est necesse intelligi factum, apparente Deo in forma sensibili: & quicquid de hoc sit, de alijs certe apparitionibus Angelorum factis aut soli Euæ, aut illi simul cum Adamo, nulla est ibi mentio. Et deinde quamuis sub forma hominis prius ei apparuisset aliquis Angelus, nõ ideo postea perturbata fuisset, nam potius generaliter sciet, solere Angelos per corpora loqui, dubitare autem posset, an omnes loquantur per eadem corpora, vel per diuersa, & cur ille, quiloquebatur sub alia forma veniret, quam prior. In quo nullum est inconueniens, sed potius ad prouidentiã Dei pertinere potuit, vt Eua facilius cognoscere posset dæmonis deceptionem, & ita minus excusabilis redderetur. Ad tertium idẽ, quod ad primũ, respondendũ est: latius dicetur inferius, explicando verba, quib. Deus serpentẽ maledixit.

CAPVT II.

Quod fuerit initium peccandi Euæ, & quem progressum in multiplicandis peccatis habuerit.

INitium peccandi dici potest, vel primum peccatum ab Eua commissum, vel primum tempus, in quo Eua peccare incepit. Vtrunq; ergo initium explicare intẽdimus, sed vt facilius declaremus speciem peccati primi, ac præcipui ab Eua commisi, inquirimus prius temporis initium, in quo Eua ab innocentia cadere cœpit, & consequenter totũ progressum, & ordinem peccatorum eius explicabimus. Primum ergo Rupert. l.3.in Gen.c.2. fenit, aliquod peccatum Euæ totam serpentis tentationem antecessisse. Putat enim contra Paradisum nõ fuisse serpentes, nec alia bruta animalia, quia contra pulchritudinem, & decentiam, seu munditiẽ illius loci futurum fuisse existimat. Et ita locus ille non esset tãtæ beatitudinis existimãdus, quãtæ fuisse describitur. Ex hoc ergo infert, quod *mulier corpore* (vt ait) *& oculis vaga dum incontinenter deambulat, forte prospectans qualis extra Paradisum mundus haberetur, & dum serpẽs dulcedini terræ proprius, & ambitiosius innititur, locus diabolo datus est, & occasio porrecta, vt Euam tentaret.* Per quę verba satis significat, Euam culpa sua & inordinatis actionib. tentationi occasionem præbuisse, ac proinde culpam aliquam priorem tentatione fuisse. Et enim verba illa, *mulier corpore, & oculis vaga, dum incontinẽter deambulat*, manifeste indicant inordinatam actionem. Aliqui etiam dixerunt, Euam, prius quam à diabolo tentaretur, peccasse per superbiam, & nimiam confidentiam sui. Et mouebantur, quia Deus non permitteret tentari innocentem, nam ipsa tentatio quædam pæna est. Quam sententiam indicare videntur Aug.l.11.Gen.c.5. & Prosp. l.2.de Vit.contẽp.c...

Prior

Prior vero sententia Ruperti omni caret fundamento. Nam in primis, quod supponit intra Paradisum non fuisse animantia, falsum esse patet quia intra Paradisum eis Adam nomina imposuit vt Gen. 2. narratur, vt supra explicuimus. Deinde tentatio Euæ non longe à situ arboris scientiæ facta est, nam in progressu tentationis *vidit mulier lignum, quod esset bonum ad vescendum, & pulchrum oculis*, &c. Gen. 3. Lignum autem scientiæ boni, & mali erat in medio Paradisi, vel propè arborem vitæ, vt ex 2. Gen. colligitur: ergo verisimile non est serpentem fuisse extra Paradisum, quando Euam tentauit, quia distantia à medio Paradisi vsque ad terminos eius non erat tam parua, vt in illa posset colloquium inter serpentem, & mulierem misceri: erat enim distantia plurium milliarium, vt in superioribus diximus. Vnde non est etiam credibile Euam in breui tempore tam longam deambulationem fecisse. Denique illa inordinatio quam Rupertus Euæ tribuit, nullum habet fundamentum in Scriptura, nec rationem, cur præsumenda sit. Nam si tanta erat inordinatio, vt esset peccatum mortale, nulla materia, nullumve indicium tam grauis culpæ ibi reperimus: si autem venialis tantum culpa iudicetur, hæc in illo statu ante mortalem casum inueniri non poterat, vt diximus. Neque absque temerario iudicio illam sine vlla probatione præsumere possumus, nam sine vlla veniali culpa potuit Eua aliquando sola, & separata à marito in Paradiso, & non longe ab arbore scientiæ boni, & mali deambulare. Atque ita serpens ante omne peccatum Euæ, occasionem tendandi illam arripere potuit.

Altera vero sententia multo magis falsa est. Primo quia sine vllo fundamento iudicat superbiæ peccatum in Eua ante omnem tentationem externam. Secundo, quia si vera esset illa sententia, non fuisset dæmon initium, & quasi prima radix lapsus humanæ naturæ, cuius contrarium ex Scriptura supra ostendimus. Et idem supponunt iidem sancti qui differentiam constituunt inter Angelum, & hominem, quod ille ex se, & nullo exterius suggerente lapsus est: homo vero non nisi per suggestionem dæmonis. Et ideo omnes Theologi conueniunt, Euam ante tentationem nihil peccasse, vt videre licet in D. Thom. 2. 2. q. 161. a. 1. & alijs in 2. d. 21. Neque est verum tentationem habere rationem pœnæ, maximè quando sine perturbatione animi fieri, & vinci poterat: fuit ergo ad probationem virtutis, & augmentum meriti, vt dixit August. lib. 11. in Gen. cap. 4. Nec in cap. 5. aliud docet, vt infra videbimus, simulque locum Prosperi exponemus.

Est ergo alia sententia dicens Euã peccasse statim post illam interrogationem serpentis: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradisi?* Nam statim (vt auctores huius sententiæ interpretantur) Eua per superbiam peccauit, quia verbis serpentis inducta ægrè tulit, illo Dei præcepto esse astrictam, & appetijt potestatem, liberè, & sine tali subiectione viuendi. Ita opinatur Perer. lib. 6. in Gen. disp. de Peccat. Euæ, q. 1. & citat Caietanum in eundem locum. Veruntamen Caietanus licet probabiliter coniectet, Moysem non retulisse omnia verba serpentis, sed paucis verbis multa comprehendisse, quibus (vt ipse latè discurrit) persuadere voluit, præceptum illud esse nimis graue, & contrarium libertati & commodis hominum, non tamen dicit, Euam statim fuisse in superbiam elatam. Id tamen insinuat, explicando verba Euæ respondentis ad serpentem, ait enim quod *diabolicum venenum in affectum mulieris serpsit per displicentiam præcepti.* Fundamentum huius sententiæ est, quia Eua respondendo serpenti multa peccata exterius commisit: ergo iam peccauerat interius per peccatum superbiæ. Consequentia supponitur ex doctrina Augustini 14. de Ciuitat. cap. 13. ex illo Eccles. 10. *Initium omnis peccati est superbia.* Et specialius Tob. 4. *Ipsa initium sumpsit omnis perditio.* Antecedens autem probatur. Primum ex Chrys. homil. 16. in Genes. dicente: *Oportebat initio colloquium illius non ferre*, &c. *Quia autem nescio quomodo allecta colloquium serpentis tulit, per quem vt instrumentum pernitiosa diaboli verba suscepit, congruum erat statim*, &c. *vt ipsa auersaretur, & fugeret illius consuetudinem*, &c. *Verum quia præmagna negligentia non attendebat, non solum non est illum auersata, sed omne mandatum illi detexit, & margaritas porcis obiecit.* In quibus verbis negligentiam, & culpam Euæ tribuere videtur in toto illo colloquio, & præsertim exaggerare videtur malum detegendi diuina mysteria sine delectu, & colloquēdi cum dæmone cum tanto discrimine. Vnde hoc est primum peccatum quod aliqui in illa responsione accusant, scilicet, quod Eua periculo deceptionis, & transgressionis præcepti diuini se exposuit. Quia tenebatur aduertere illum esse superiorem aliquem spiritum, & se esse insufficientem ad rationem illi reddendam, vel ad disputandum cum illo, ideoque maritum potius adire debuisse, eique serpentis interrogationem notam facere, vt curam illius negotij assumeret. Et præterea alij in verbis Euæ triplex peccatum inueniunt. Primum mendacij in verbo illo, *ne tangeremus illud.* Secundum infidelitatis in verbo illo, *ne forte moriamur.* Ostendit enim se dubitare de re à Deo simpliciter reuelata. Tertium esse potest aliud mendacium, quod ex eisdem verbis colligi videtur, quia Deus non dixerat, si comederis, fortè morieris, sed, *In quocunq; die comederis, morte morieris.* Vbi non solum non addidit particulam *forte*, sed potius addendo, *in quocunque die*, ostendit comminationem esse absolutam, & infallibiliter exequendam.

1. *Eua peccatum iuxta quosdam.*

Triplex aliud peccatū iuxta alios.

Nihilominus respondeo, Euam nec ante, quam serpenti responderet, nec in verbis per quæ serpenti respondit, aliquid peccasse. Hæc est aperta sententia D. Tho. in d. q. 165. a. 2. & aliorum Theologorum in 2. d. 22. nam docent primum peccatū superbiæ in Eua fuisse appetitum similitudinis ad Deum, quem appetitum non concepit, donec serpens replicauit, & dixit, *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dij*, &c. Ergo antequam serpens illa verba proferret, non præcesit aliud superbiæ peccatum: ergo antea nullum peccatum Eua commiserat. Consequentia hæc nititur in illo principio supra ex Aug. posito, *initium peccandi in Euæ fuisse superbiam.* Altera illatio cum antecedente probatur, quia Eua non est in superbiam elata à se, (vt ita dicam) sed excitata per suggestionem extrinsecam dæmonis, sed ante illa verba nullum habuit motiuum extrinsecum superbiæ, vt ex prioribus verbis serpentis manifestum est. Nam esto concedamus, serpentem non dixisse illa sola præcisa verba, quæ Moyses refert nihilominus non possumus nos pro libito confingere alia verba, quæ in illis non insinuentur, vel virtute contineantur. In serpentis autem interrogatione nullum est verbum formale aut virtuale ad superbiam excitans, sed ad summum tacite indicans, vel præcepti onus, vel periculosam curiositatem inquirendi rationem eius. Imo in hoc etiã calliditas serpentis ostẽsa est quod non statim aperte transgressionem aut elationem persuasit, sed remote interrogando aggressus est, vt occasionem haberet proponendi postea falsam rationem præcepti, quę ad superbiam excitaret.

5 *Prima assertio D. Thomæ & Theologorū Probatur 1.*

Deinde probatur assertio, quia ex responsione Euæ, vel aliquo verbo eius nullum peccatum cum fundamento colligi potest. Nam in primis, quod Chrysostom. negligentiæ, audaciæ, aut imprudentiæ illam arguere videtur, magis mysticè & ad mores, quam secundum rigorem, & proprietatem intelligen-

6 *Probatur 2. ostendendo verba Chrysostomi in 4. procedere mystice, non literaliter.*

telligendum videtur. Vel etiam negatiuè, (vt sic dicam) & non priuatiuè accipi debet. Facilè namque concedemus, Euam non fuisse vsam optimo consilio, nec summa prudentia, quasi disputando cum serpente: quia multo melius fuisset illius cõsortium fugere, & cum marito rem totam communicare. Veruntamen, hoc medium licèt consultius fuisset, non fuit absolutè ex præcepto necessarium: nulla enim sufficiens ratio talis præcepti apparet. Neque etiam potest Eua accusari eo quòd detexerit supernaturale mysterium: tum quia non erat illi sub secreto datum. Tum etiam quia spiritus, qui per serpẽtem ei loquebatur, iam se ostenderat illius mysterij consciũm, & Eua potius verba illius correxit, vel ambiguitatem declarauit. Nam serpens non dixit, vt non comederetis de tali ligno, scil. scientiæ: sed vt *non comederetis de omni ligno Paradisi*, quod verbum ambiguum erat, nam significare poterat, mandatum illis fuisse, vt de nullo ligno comederent, vel vt non de omni, id est, vt de aliquo, vel de aliquibus comederent. Et in priori sensu verba erant falsa: in secundo autẽ confusa, & incerta, & ita simpliciter erant ambigua, & captiosa. Et ideo Eua responsione sua veritatem declarauit, & cõfessa est, tum diuinum beneficium agnoscendo, dicens, *de fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso vescimur*, tum determinatam exceptionem per præceptum factam explicando, *de ligno*, inquit, *quod est in medio Paradisi*. In hoc ergo nõ videtur reprehensione digna, nec dici potest proiecisse margaritas ante porcos, vel quia nondum cognoscebat illum esse spiritum malum, sed simpliciter spiritum intelligentem, & capacem illius declarationis, vel quia nõ semper est malum, tentanti dæmoni respondere, veritatem illi obijciendo, quam ignorare se simulat, sicut Christum Dominum fecisse scimus.

7. *Probatur vlterius respõdendo ad fũdamentum Caiet. in n. 4*

Nec etiam video, quomodo ex verbis illis, aut ex illa exaggeratione, *ne comederemus, & ne tangeremus illud*, colligat rectè Caietanus, Euam iam concepisse displicentiam præcepti, vel, vt alij volunt, accidiam spiritualem, seu tædium de prohibitione sibi facta. Nihil enim horum in verbis illis significari video, nam priora verba, vt dixi, potiùs ostendunt tam beneficij, quàm præcepti memoriã: posteriora verò, scil. illius exaggerationis, *ne tangeremus*, vt iam suprà dixi, nõ continent falsitatem, tum quia fieri potuit, vt etiam verbũ illud fuerit à Deo in præcepto expressum, vel quòd Adam illo modo præceptum promulgauerit Euæ, quamuis à Moyse in præcepti enarratione illud verbũ fuerit omissum. Tum etiam quia cùm dicitur, *ne tangeremus*, intelligendum est de tactu ad esum ordinato, & ita impliciter cõtinetur in prohibitione comedendi, & sine vllo mendacio potuit ab Eua explicitè declarari. Nec in hoc ostendit displicentiam præcepti, sed potiùs æstimationẽ, & rigorem circa

Cõfirmatur responsio ex Greg.

modum, quo erat perfectè obseruandum. Confirmatur, & declaratur hæc responsio ex D. Greg. lib. 35. Moral. c. 10. alias 13. vbi hoc præceptum his verbis refert, *Sed notandum, quod illi dicitur, ex omni ligno Paradisi comedite, de ligno autem scientiæ boni, & mali, ne tetigeritis*, vbi præceptum ipsum refert per verbum non tangendi: ergo intellexit, illud esse comprehensum sub verbo non comedendi.

8. *Item respondendo ad id quod de triplici Euæ peccato afferebatur in fine num. 4.*

Denique particula *fortè*, addita ab Eua dicente, *ne fortè moriamini*, non continet mendacium, nec mentis dubitationem circa rem à Deo dictam indicat. Primum, quia, vt in superioribus diximus, interdum ita loquimur, non propter dubitationem, sed propter contingentiam effectus per se spectati, seu ad eius periculum indicandum. Ita respondit Bonauent. in 2. d. 22. art. 1. q. 1. ad argum. Vbi etiam addit, potuisse Euam sine peccato dubitare non de veritate Dei, sed de sensu verborum eius, an, scilicet, intelligenda essent de morte corporali, vel spirituali, aut an esset pœna simpliciter statuta, & infallibiliter exequenda, vel tantum quàm Deus comminatus esset remissibiliter. Et idem in virtute respondet D. Thom. in 2. d. 22. q. 1. art. 1. ad 1. Vnde addere possumus, potuisse Euam dubitare, an verba illa, *In quacunque die comederitis, morte moriemini*, dicta fuerint tanquam commihatoria pœnæ, vel solùm tanquam significantia effectum ex manducatione illius cibi consequẽdum, qualis esse posset mors, si fructus illius arboris ex natura sua esset nociuus, & humano corpori contrarius. Quia ergo serpens interrogauerat Euam ratione præcepti, dicens, *cur præcepit*, &c. videtur illa in verbis suis pro ratione reddidisse periculũ mortis, quod ex tali cibo imminebat, quia verò non erat certa, an esset hæc ratio præcepti, addidit particulam *fortè*, tum vt suam dubitationem ostẽderet, non de veritate, sed de sensu verborũ Dei, & de ratione præcepti: tum etiam ne falsum diceret, sed suam ignorantiam, seu nescientiam ostenderet, quæ illi statui non repugnabat. Et ita facilè excusatur alterius mendacij, quod illi obijciebatur. Nam particula *in quocunq; die*, dictam sensuum ambiguitatem non excludit.

Ex quibus tandem concludimus, peccatum Euæ incepisse statim ac verba illa serpentis audiuit; *nequaquam moriemini sed eritis sicut dij*, &c. Hæc est sententia D. Augustin. lib. 11. Gen. ad lit. c. 30. & lib. 8. Quæst. ad Orosium, q. 4. quam sequitur D. Th. 2. 2. q. 163. art. 1. & 2. & alij Theologi in 2. d. 22. & Peter. lib. 2. in Gen. in expositione verborum serpentis, & mulieris, & in disp. de Peccato Euæ. Et probatur, quia post illa verba serpentis, *nequaquam* &c. statim additur: *Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum*, &c. Sed per hæc verba indicantur peccata exteriora Euæ: ergo signum est interius peccasse statim ac serpens secundo locutus est. Consequentia probatur: tum quia inordinatio in motu corporis inordinationem interiorem supponit, nam ab illa procedit. Tum etiam, quia in illo statu erat hoc peculiari ratione necessarium, quia in eo ita erant ordinata omnia per originalem iustitiam, vt non posset in inferioribus partibus esse defectus, nisi in superioribus præcederet, & ideo non potuit in corpore sanctitas amitti, nisi violata prius animæ sanctitate, vt in simili dixit Aug. lib. 1. de Ciuit. c. 8. Antecedens verò probatur ex ipsis verbis Gen. nam postquam mulier promissionem serpentis audiuit, statim curiosè aspexit lignum scientiæ, *& vidit, quod esset bonum ad vescendum*. In quibus verbis satis significatur inordinatè, & non simplici, ac puro animo aspexisse. Nam prius (vt per se credibile est) iam sæpius lignum illud aspexerat, & tamen non viderat, quod bonum esset ad vescendum: aliter ergo tunc aspexit.

9. *Aduersus Aug. D. Th. & alios.*

Vnde Albin. q. 66. in Gen. interrogat, *cur mulier consideauit lignum post serpentis persuasionem*: Et respõdet, *Vt explicaret si quid in eo mortiferum esset, dum autem nihil in eo tale reperiret, confidentius gustauit ex eo*. Id-eo autem intentionem id explorandi habuit, quia iam appetere inceperat esum eius, à quo propter mortis timorem retardabatur: ergo modus ille aspiciendi inordinatum animũ supponebat. Vnde Rupert. lib. 3. in Gen. cap. 9. *Re vera* (inquit) *nondum eo modo viderat, quia cum ea præsumptione, qua nunc intuita est, nondum considerauerat*. Et infra: *Vidit igitur, id est, considerauit, diligenter intuita est, curiosiùs attendit, & iudex eorum quæ audierat ipsa esse voluit*. Confirmat hoc Bernard. tract. de Gradib. humilit. gradu 1. §. 2. *Quid tuam* (inquit ad Euam) *mortem tam intente tuetus? quid illo tam crebro vagant. alumina facis: quid speculare libet, quod manducare non licet?* Et infrà, *Et si culpa nõ est, culpæ tamen occasio est & indicium cõmisse, & causa est, omittendæ*. Quãuis ergo ille aspectus oculorũ per se

10 *Item ibi-dem Rupert. & Bernard.*

malus

malus non appareat, & ex leuitate, curiositate, aut sensibili voluptate factus, leuis culpa esse possit, tamen in ea nec fuit sine culpa, vt verba ipsa indicant, vt cum Patribus ponderauimus, & effectus monstrauit, nec potuit esse in eo statu excusabilis culpa, aut præueniente motu indeliberato: ergo fuit ex aliquo paruo appetitu iam concepto. Vnde Gregor. 21. Moral. cap. 2. ait, *Eua prius incaute conspexit lignum, quam ipsum contingeret*: ideo autem incautè aspexit, quia mens eius iam interius corrupta fuerat. Et inde etiam prouenit vt idem lignum, pulchrum oculis, aspectuque delectabile, multo aliter quam antea, ei visum fuerit: nam quæ non rectis oculis aspiciuntur, vehementius mouent, & iuxta affectum videntis pulchriora apparẽt. Vnde Gaudent. in tract. 15. qui est de Machabæis, ita exponit illa verba, *Fructus ille ita visus est speciosus, ac dulcis, vt concupiscentiam præstaret oculis, & gulæ conciliaret illecebram.* Iam ergo interius peccauerat Eua, quando illo modo arborem aspexit: ergo signum est, lapsum eius incepisse statim, ac serpentis promissionem audiuit.

11 Iam vero explicandum sequitur quonam illud primum peccatum Euæ fuerit. Duo enim ibi interuenire potuerunt, scilicet, infidelitatis, & superbiæ, & vtrumq; videtur in Eua præcessisse. Nam in primis de Eua dicit Apost. 1. ad Tim. 2. *Mulier seducta inprauaricatione fuit*, cum tamen de Adam dicat, nõ fuisse seductum. Illa autem seductio Euæ in rebus ad fidem pertinentibus fuisse videtur, nimirum in hoc, quod serpenti dicenti, *nequaquam moriemini*, plus credidit, quam Deo dicenti, *morte moriemini*: ergo per hanc deceptionem & infidelitatem incidit. Item credidit promissioni serpentis, *eritis sicut dij*, quæ errorem in fide continebat. Deniq; credidit, Deum prohibuisse esum ligni, quasi ex inuidia ne fierent sicut dij, scientes bonum, & malum, quod etiam errorem intolerabilem continet. De peccato vero superbiæ id affirmat Augustinus in locis superius citatis, & præsertim libr. 11. Gen. ad lit. ca. 30. quem D. Thomas sequitur, & videtur communiori sententia Theologorum receptum. Et maximè probari solet ex sententia Sapientis Ecclesiast. 10. & Tobiæ cap. 4. dicentium, initium peccandi fuisse superbiam. Deniq; ex fide, quam Eua serpentis promissioni, & verbis dedit, satis probabiliter colligitur, Euam appetijsse excellentiam à serpente promissam inordinato modo, & vltra suæ naturæ proportionem, quod ad superbiam pertinet.

12 Inter hæc autem duo peccata dubitari potest, quodnam illorum prius fuerit. Nam quod præcesserit infidelitas probari potest, quia prius Eua credidit vera esse verba serpentis, quam excellentiam scientiæ & similitudinis ad Deum inordinatè appeteret, sed infidelitas consummata est in illa credulitate, superbia vero in hoc appetitu: ergo præcessit infidelitas superbiam. Maior probatur, primum ex Augustino 14. de Ciuit. cap. 17. vbi de primis hominibus ait, *Hoc itaque cognouerunt, quod felicius ignorarent si Deo credentes, & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri infidelitas, & inobedientia, quid nocerent*: vbi infidelitatem ponit tanquam radicẽ, & initium totius lapsus primorum hominum. Deinde ratione, quia iudicium intellectus præcedit actum appetendi, nam est causa illius, & in hoc particulari facto non appetisset Eua similitudinẽ Dei, nisi credidisset serpenti dicenti, sibi esse possibilem, quia sola apprehensio sine iudicio non sufficit ad inducendum affectum. Et quamuis fortasse posset aliquis simplici affectu ferri ad impossibile, & à fortiori ad bonum apprehensum nondum iudicatum possibile: nihilominus efficaci affectu, nemo potest appetere, nisi quod iudicat sibi esse possibile. At vero appetitus Euæ fuit efficax cuius signum est, quia ex vi illius statim applicauit media, aspiciendo attentè pulchritudinem cibi, & applicando manum ad tollendum illum de arbore, & comedendum: ergo talis appetitus ex præcedenti deceptione & errore processit.

Dices, non potuisse fœminam decipi antequam peccaret, quia in statu innocentiæ nulla poterat esse deceptio, vt supra dictum est. Respondetur deceptionem intellectus non potuisse præcedere omne peccatum voluntatis, quod suprà dictum est, potuisse autem præcedere speciale peccatum superbiæ, vt argumentum probare videtur. Quia illamet deceptio voluntaria fuit, per voluntatem scilicet, credendi serpenti, quæ voluntas ex obiecto non fuit actus superbiæ, sed hæresis, quatenus in voluntate esse potest, seu impiæ affectionis ad res fidei contrarias, vel temeraria deliberatio cõtra studiositatem. Vnde ante hanc voluntatẽ credendi non præcessit alia deceptio, sed inconsideratio, & leuitas, ac negligentia circa examen rei credendæ. Hoc ergo peccatum ante superbiam præcessisse videtur. Et hanc sententiam secuti sunt Lutherus, & Caluin. vt Bellarm. refert dicto lib. 3. de Amissione gratiæ, cap. 4.

13 *Obiectioni contra proximum argumentum occurritur.*

Nihilominus contrariam sententiam, nimirũ primum peccatum Euæ fuisse superbiam, docet expresè Augustinus dicto c. 30. dicens: *Quando his verbis crederet mulier à bonâ atque vtili re se fuisse prohibitos, nisi iam inesset menti amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio, quæ per illam sententiam fuerat conuincenda & humilianda?* Et hanc sententiam sequitur Magister in 2. d. 22. vbi Doctores communiter eam approbant, & D. Thom. 2. 2. q. 163. a. 1. præsertim ad 4. vbi post relata verba Augustini, subdit, quod nõ est sic intelligendum, quasi superbia præcesserit suasionem serpentis, sed quia statim post suasionem serpentis, inuasit mentem eius elatio, ex qua consecutum est, vt crederet esse verum, quod serpens dicebat. Quæ expositio adhibenda etiam est ad verba eiusdem Augustini libr. 11. Gen. ad lit. c. 5. scilicet, *Nec arbitrandum est, quod esset hominem deiecturus iste tentator, nisi præcessisset in anima hominis quædam elatio comprimenda*, &c. Nam videtur in his verbis supponere Augustinum elationem non fuisse ex tentatione dæmonis, quod falsum est: nam suprà probaui, primum peccatum Euæ quodcunque illud fuerit, ex suggestione dæmonis fuisse. Loquitur ergo Aug. de deiectione hominis quoad peccatum comedendi de ligno vetito, significans non potuisse, nisi inchoando à superbia, ad illud peruenire. Et in eadem sententia est Prosp. libr. 2. de Vita contempl. c. 19. qui eodem modo exponendus est, & ex his, quæ infra de Adamo dicemus, hæc pars magis confirmabitur, & auctoritate illam latè probat Bellarm. dict. cap. 4.

14 *Varior sententia præcessisse superbiam.*

Exponitur Augustinus.

Item Prosper.

Ratione confirmat eam D. Thomas, quia non potuit Eua primo peccare ex affectu alicuius obiecti sensibilis, in quod concupiscentia solet inordinate tendere, quia hæc inordinatio non habebat locum in statu innocentiæ: ergo primum Euæ peccatum fuit ex appetitu alicuius spiritualis boni supra suam mensuram, quod ad superbiam pertinet. Hęc autem ratio non videtur omnino cogere: tum quia in statu innocentiæ possent peccare homines primo, ac immediatè circa bona sensibilia, non præuenti, aut præmoti à concupiscentia sensibili, sed tantum ex sua mera voluntate, amando illa bona contra regulam rationis. Tum etiam, quia potuit Eua peccare circa spiritualem actum, qualis est actus credendi, in quo non fuisset appetitus excellentiæ, vel superbiæ. Vnde non rectè etiam sequitur, si Eua peccauit primo circa obiectum spirituale, contempto diuinæ regulæ ordine: peccasse primo per superbiam, quia potuit peccare, facile credendo serpenti, non per superbiam, sed per negligentiam, nec per formalem contem-

15 *Probat D. Thomas prædictam sententiam.*

Eius tamen ratio non satis urget.

ptum Dei, qui ad superbiam spectat, sed per concemptum materialem, & inconsiderationem diuinæ regulæ.

16 *Pro exponitur probatio D. Thomæ.*

Igitur cum D. Thomas in sua ratione vtitur illo verbo *non potuit*, non est cum tanto rigore accipiendum, vt absolutam impotentiam significet, sed moralem impossibilitatem: sic enim in eo statu, & cum tanta rectitudine animi, & potentiarum, vix fieri poterat, vt contra diuinum præceptum, propter solam sensibilem delectationem, voluntas nulla præuia concupiscentia mota, liberè determinaretur.

17 *Quæ vtcunque etiam valet ad suadendum superbiam præiisse ante infidelitatem.*

Atque in hoc sensu coniectura est satis probabilis. Quæ cum eadem efficacitate procedit superbiam ad infidelitatem comparando. Primo quidem, quia nullum motiuum ibi præcesserat, quod intellectum Euæ fide, & doctrina illuminatum posset mouere ad credendum serpenti plus, quam Deo, nisi aliqua perturbatio in animo eius præcessisset, seu affectus, qui intellectui tenebras immitteret. Hic autem affectus, cum nō fuerit de re materiali, & sensibili, non nisi appetitus excellentiæ esse potuit: præcesit ergo hic appetitus infidelitatem. Quam rationem insinuauit Augustin. 14. de Ciuit. cap. 13. dicens: *Ad malum opus non peruenitur, nisi præcesserit mala voluntas. Porro malæ voluntatis initium, quod esse potuit, nisi superbia?* Et infra. *Si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum auerteretur & in hoc intenebresceret, vt illa verum crederet, & diceret serpentem.* Et declaratur amplius hæc ratio, quia hæresis dupliciter in aliquo inuenitur, scilicet, vel tanquam in auctore, vel tanquam in discipulo, seu persuaso ab alio, & priori modo non oritur, nisi vel ex superbia, vel ex nimio affectu ad res terrenas, & sensibiles, vt sentit August. libr. de Pastorib. cap. 8. & lib. de vtilit. credendi, in princ. At vero qui ab alio trahitur in hæresim, vel in superbia, & affectu temporalium illum imitatur, vel ignoranter, & ex quadam simplicitate decipitur, Eua autem infidelis fuit isto secundo modo tanquam ab alio decepta, non possumus autem dicere ex simplicitate, & ignorantia fuisse deceptam: tum quia serpens nulla ratione sophistica ad illam persuadendam, sed simplici attestatione vsus est: *Nequaquam moriemini*, &c. Tum etiam, quia Eua erat sufficienter in fide instructa, & alioqui nulla ratio boni per se apparebat in credendo serpenti, nisi ex affectu ad aliud bonum aliqua ratio vtilitatis, vel commoditatis redundaret: ergo necessario debuit præcedere affectus aliquis, ex quo voluntas illa credendi serpenti, originem duceret: cum ergo ille affectus non fuerit ad alias res terrenas, profecto esse non potuit nisi superbia.

Declaratur amplius adducta ratio.

18 *Ad August. allatum num. 12.*

Neque contra hoc obstat ratio superius facta, negamus enim, iudicium aliquod erroneum præcessisse in Eua ante inordinatum appetitum excellentiæ. Et ad Augustin. respondemus in eo loco per inobedientiam intelligere peccatum manducandi de ligno vetito, vt est per se notum, etiam ex communi vsu loquendi de illo peccato: & illam inobedientiam dicit ex infidelitate processisse. Et ita exponit Augustinum D. Thom. 1. 2. q. 89. a. 3. ad 2. non declarat autem eo loco Augustin. quomodo Eua fuerit ad infidelitatem inducta, quia iam cap. 13. dixerat ex superbia inductam fuisse. Vt autem ad rationem respondeamus, prius obiectum illius superbiæ explicare necesse est. Quod optimè tractat D. Thomas dict. quæstion. 163. artic. 2. & in summa dicit, fuisse similitudinem Dei non secundum æqualitatem, sed secundum quandam imitationem in excellentia scientiæ, & potentiæ vltra regulam debitam, & supra suam mēsuram. Et ita interpretatur Augustinum in id Psal. 68. *Quæ non rapui tunc exoluebam*, Concione 1. dicen-

Explicatur peccatum superbiæ Euæ vt satisfiat rationi eodem n. 12 allatæ.

tem de primis hominibus, *Raptre voluerunt diuinitatem*, vt intelligatur de diuinitate non per essentiam, sed per quandam excellentem participationem, quia prior est impossibilis, posterior vero facile potest vt possibilis apprehendi.

Et hoc ipsum satis colligitur ex verbis serpentis. Quia, vt supra dixi, Eua non est excitata ad superbiam, nisi ex suggestione serpentis: ergo illud fuit obiectum superbiæ mulieris, quod illi fuit à serpente propositum, vt Chrysost. ho. 16. in Genes. & August. lib. 8. de Gen. cap. 13. rectè ponderarunt. Serpens autem similitudinem Dei illi proposuit, dicens, *Eritis sicut Dii*, & statim declarauit, qualis esset illa similitudo, dicens, *Scientes bonum, & malum*. Ergo superbia Euæ fuit appetitus excellentiæ in cognoscendo quid sibi esset bonum, quidve malum. Qualis autem fuerit hic excessus in scientia boni, & mali, non satis constat. Nam velle scire bonum, & malum, & in hoc assimilari Deo, non est per se malum: malitia ergo est in excessu, vt si quis velit scire plus, quam oportet, & assimilari Deo plus, quam debet. Hunc ergo excessum explicat D. Thom. dicens, in hoc peccasse Euam, quod voluit tantam scientiam boni, & mali habere, vt per virtutem propriæ naturæ determinaret sibi, quod esset bonum, & quid malum ad agendum, vel etiam vt per se cognosceret, quid sibi boni, & mali esset futurum. Vnde probabile est, Euam tunc non cogitasse in particulari de modo illius excellentiæ, sed, auditis verbis serpentis, statim concepisse quandam scientiam sibi sufficientem ad beatam vitam, & ad regendum seipsam, & statim illam appetijsse fine ordine, vel subiectione ad Deum, sed absolute, vt illi fuit proposita etiam contra ordinem, & præceptum Dei, & ita per superbiam in illo appetitu excessisse. Additque consequenter D. Thomas, etiam excessisse Euam, appetendo potestatem operandi virtute propriæ naturæ ad beatitudinem consequendam, quod significauit August. 11. Gen. ad lit. cap. 30. Et intelligendum videtur de appetitu quasi in actu exercito, vt sic dicam, magis quam in actu signato, id est, magis ex modo volendi, quā ex parte obiecti, expresè sibi propositi. Nam excellentia illa potestatis non fuit à serpente distincte proposita, tamen quia obtulit, & promisit similitudinem Dei obtinendam præter ordinem ab ipso statutum, imo contra præceptum eius, ideo virtute illam perfectionem proposuit, vt obtinendam propria industria, & facultate. Eodem ergo modo Eua illam appetijt, non quidem directe cogitando de tali potestate, nec de modo acquirendi dictam excellentiam, sed nimio quodam amore sui absolute appetendo illam excellentiam, nihil pro tunc considerans, vel de qualitate illius, vel de modo illam obtinendi.

19 *Propositio explicans.*

20 *Satisfit rationi n. 10.*

Hoc ergo posito, respondemus ad huiusmodi elationem non fuisse necessarium, vt infidelitas præcederet, imo neque aliquod iudicium erroneum, seu simpliciter falsum etiam contra rationem naturalem. Quia apprehenso illo obiecto sub illa confusione proposito, satis erat apprehendere, & iudicare illam scientiam vt possibilem sibi simpliciter, & consequenter vt sibi maximè conuenientem, si obtineretur. In hoc autem iudicio nulla falsitas in rigore inuoluitur, qa scientia ipsa absolute possibilis est, & conueniens si obtineatur: id autem, quod ibi adiungebatur, vel ordinatum, vel impossibile, non proponebatur formaliter in obiecto, sed virtute, quatenus illa excellentia scientiæ sine modo, aut mensura proponebatur, & ideo potuit etiā esse excessus in modo appetendi sine præuio iudicio falso in intellectu. Atque hinc etiam facile intelligitur, non fuisse necessarium, vt in Eua infidelitas superbiā antecederet,

cederet, quia ad appetendam inordinate excellentiam propriam nullum iudicium speculatiuum fidei contrarium necessarium fuit: sufficiens enim fuit practicum iudicium, quo vel excellentia scientiæ boni, & mali, vel maior potestas, & libertas in operando bonum, vel malum dicto modo, proposita fuerit, vt appetibilis, & propriæ naturæ aliquo modo conueniens.

Et ita in hac sententia ferè hoc modo explicata conueniunt cum D. Thoma Scholastici in 2. d. 22. & specialiter declarat Bonauent. art. 1. q. 1. & latius Ægid. q. 1. art. 1. litterali. Et quanuis Scotus, & sequaces de Adamo aliter sentiant, non tamen de Eua, vt notauit Herer. in 2. d. 22. q. 2. concluſ. 1. vbi etiam addit, omnes Theologos in hac sententia conuenire. Quam erudite confirmat, & declarat Bellarm. lib. 3. de Amiſſ. grat. cap. 4. & 5. At verò Perrius dicto lib. 6. in Gen. q. 1. & 2. de peccato Euæ ex parte dissentit. Fatetur enim, aliquam superbiam præcessisse infidelitatem. Distinguit tamen duo peccata superbiæ in Eua. Primum cõmissum statim ac serpens interrogauit, *Cur præcepit vobis Deus*: & antequam aliquid promitteret, & hoc, dicit, præcessisse infidelitatem. Aliud peccatum superbiæ ponit in Eua post promissionem serpentis, & hoc dicit, fuisse posterius infidelitate, imo fuisse quintum Euę peccatum. Verùntamen fundamentum de illo primo peccato superbię explosum iam est, & ita ruit tota illa pars, superfluaque est illa multiplicatio peccatorum, quæ ante appetitum superbiæ ex promissione serpentis conceptum in Eua excogitantur.

Ex dictis verò noua difficultas oritur circa infidelitatis peccatum, nam si ante superbiam non præcesit, post illam non videtur necessarium, nec sufficiẽter probari posse. Nam in primis nec Moyses illud narrat, nec ex dictis eius colligitur. Quia post completa verba serpentis, tantùm subdit: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* Ex quibus verbis collegimus suprà præcessisse in Eua superbiam. Statim verò solùm additur, *Et tulit de fructu illius, & comedit, dedit que viro suo*, &c. In quo solùm narrantur exteriora peccata contra speciale præceptum diuinum: sed ista omnia supposita dicta superbia, potuerunt sine infidelitate committi, sicut nunc fidelis peccat comedendo carnem in die prohibito: ergo non est, vnde tale peccatum infidelitatis colligamus. Secundò augetur difficultas, quia si ex aliquo loco colligeretur hæc infidelitas, maximè ex illo 1. ad Tim. 2. Mulier seducta est, ex illis enim verbis colligunt omnes Patres, Euam credidisse, vera esse, quæ serpens dicebat. Ita tradit D. Thom. 1. p. q. 24. art. 4. ad 1. & 2. 2. q. 163. art. 1. ad 4. & art. 4. in corpore, & ad 1. ex August. 11. Gen. ad litt. cap. 30. & 42. & idem habet lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 15. & 14. de Ciuit. cap. 17. & in Enchirid. cap. 45. Et idem sentit Chrysost. homil. 16. in Gen. & consentiunt ibi Rupert. & alios infrà referemus. Sed hoc non satis est, vt dicamus, Euam propriam infidelitatem commisisse, ergo. Probatur minor, quia potuit Eua credere serpenti, non credendo, Deum dixisse falsum, sed credendo, vel non prohibuisse esum ligni scientiæ eo modo quo ipsa cogitauerat, vel saltem non fuisse mortem comminatum, vt irremissibilem pœnam. Sic enim August. d. lib. 11. Gen. ad litt. cap. 30. dixit de Eua: *Non credens, posse inde se mori, arbitror, quod putauerit, Deum alicuius significationis causa dixisse, si manducauerit is, morte moriemini.* Ergo licèt falsam existimationem habuerit circa intelligentiam verborum Dei, & in hoc decepta fuerit, non tamen necesse est, vt infidelis fuerit. Tertiò maximum Euæ peccatum fuit superbia, vt sentit D. Thom. 2. 2. q. 163. art. 3. At si fuisset infidelis, magis peccatum fuisset hæresis: ergo non commisit tale peccatum.

Nihilominus dicendum est, absolute Euam post superbiam in infidelitatem incidisse, id est, credidisse aliquid dictis Dei, & veræ fidei contrarium. Ita docet Augustinus *loco citato*, & sequitur Diuus Thomas, & sumitur ex alijs Patribus, qui absolutè tribuunt infidelitatem primis hominibus, vt allegatum est, & alios referemus cap. quarto à num. 4. Et hoc sufficienter probatur ex loco Pauli, quia *seduct* non est aliud, quàm induci in errorem, seu falsum iudicium: loquitur autem Paulus non tantum de errore practico, sed etiam de speculatiuo, ait enim, Adam non fuisse deceptum, sed Euam. At verò Adam practicè etiam errauit: ergo loquitur Paulus de deceptione per iudicium falsum speculatiuum: ergo si mulier seducta fuit, in errorem est inducta: ille autem error fuit circa materiam fidei, vt manifestum est, quia per illum errorem credit Eua aliquid contrarium dictis Dei, vel aliter, quàm à Deo dictum fuerat: in vtroque autem est error contra fidem. Vt, v. g. non solùm est hæreticus, qui credit, Christum falsum dixisse, cùm dixit: *Hoc est corpus meum*, sed etiam, qui credit, CHRISTVM quidem verum dixisse, tamen non fuisse loquutum in proprio sensu, sed sub aliquo ænigmate: ergo similiter quomodocunque fuerit decepta Eua circa verba Dei, vel circa sensum, quo propriè ab ipso prolata sunt, in materia fidei erravit.

23 *Vera sententia de infidelitate Euæ sustinetur & roboratur.* 1. *Ex Aug. D. Thom. & aliis.* 2. *Ex Paulo.*

Duobus autem modis intelligi potest, Euam in eam infidelitatem incidisse, vno modo formaliter, & cum pertinacia, ac propria hæresi, alio modo solùm materialiter, id est, sine pertinacia ac propria hæresi. Priorem modum indicant multi Patres, dicentes, credidisse Euam, Deum ex inuidia vbi prohibuisse esum fructus ligni vitæ, ac subinde mentitum esse, cùm dixit, morituros eos fuisse, si de ligno comederent: nam si hoc credidit Eua, nulla certè formaliter hæresis cogitari potest: hoc autem modo fuisse Euam deceptam, significat August. dicto lib. 11. Gen. ad litt. cap. vlt. & lib. 2. de Genesi contra Manich. cap. 15. & Chrysost. homil. 16. in Gen. & alij ibidem, & Cyrill. Alexandrinus lib. 3. contra Iulian. 5. vbi autem. vbi sic inquit de dæmone: *Vide quod pessimarum doctrinarum fuerit inuentor, non enim dixisse, inquit, illis veritatem vniuersorum Deum, sed mentitum potius, & per inuidiam prohibuisse, ne comederent, vt pote Deos fore sientes, si comederent. Igitur & ipsam summam, & ineffabilem naturam calumniatus est, & pestilentem doctrinam primis parentibus immisit.* Et hinc Patres interdum indicant, amisisse Euam fidem, peccando, cùm tamen fides non nisi per formalem infidelitatem amittatur. Atque ita significat Ambros. Epist. 33. ad Marcellinam sororem, & Tertull. lib. 2. contra Marcionem, cap. 2. quæ sententia probabilis est.

24 *Infidelitatẽ Euæ fuisse hæresim, probabile.*

Veruntamen fortasse probabiliùs dici potest, illam infidelitatem non fuisse cum pertinacia, & formali hæresi. Nam difficile creditu est, Euam statim ad simplicem assertionem serpentis credidisse, Deum mentitum fuisse, & ex inuidia præceptum posuisse, quia hæc non solùm sunt contra propriam fidem, sed etiam cõtra rationem naturalem. Vnde D. Thom. in 2. d. 22. q. 1. art. 1. ad 1. de primis hominibus dicit, quòd non crediderunt falsum dixisse, hoc enim simpliciter infidelitatis fuisset, sed crediderunt fortè alio modo intelligendum fore metaphoricè, vel ad aliquid significandum, dictum. In quibus verbis alludit ad sententiam Augustini suprà citatam ex lib. 11. Gen. ad litt. cap. 30. Et augetur difficultas, quia nec ipse dæmon expressè dixit, Deum fuisse mentitum, aut ex inuidia prohibitionem fecisse: ergo

25. *Probabilius non attigisse ad hæresim.* *Probatur* 1.

nullum est sufficiens argumentum ad iudicandum, id statim Euam credidisse? Vnde Epiphan. hæres.38. cum dixisset, diabolum per mendacium decepisse Euam alia pro alijs dicendo, statim adiungit, *Et amicitiam cum creatore ostendens*, dixit, *Eritis sicut dii, scientes bonum & malum.* Quomodo autem amicitias cum Deo fingeret, si mendacij, & inuidiæ Deum accusaret: significat ergo Epiphanius (vt recte Bellarminus expendit) dæmonem se finxisse pium expositorem verborum Dei, persuadēdo non fuisse intentionem illius prohibere esum boni fructus, & vtilis ad vescendum, sciendumq; bonum, & malum, sed in alio sensu, & ob aliam causam illa verba protulisse, & alia multa in fauorem huius sententiæ probabiliter Bellarminus coniectat. Quæ tamen non ita est accipienda, vt credamus, Euam excusari posse ab omni culpa cōtra præceptum fidei, quia iudicium illud falsum, in quo decepta fuit, contra fidei doctrinam fuit, & leuiter atque imprudenter illud tulit: ergo saltem ex ignorantia culpabili in ea credulitate peccauit: ergo aliquam culpam contra obligationem fidei commisit. Nihilominus tamen probabiliter excusatur à propria infidelitate, seu hæresi, quia non cum pertinacia errauit, quoniam non animaduertit, fucum illum verborum dæmonis fuisse contrarium verbo Dei, & testimonio eius. Atque hoc modo conciliantur dicta Patrum, & soluuntur rationes dubitandi in principio positæ, vt facilè consideranti patebit.

Qua Bellarminus scribit, contra hæresim Galent, non contra simplicem infidelitatem Euæ.

26.

3. Euæ peccatum commissio veriti.

Post hæc verò duo præcipua peccata, quæ interiùs in mente Euæ consummata fuit, secutum est tertium per internum etiam desiderium inchoatum, opere verò consummatum, comedendo de ligno veriti. Et hoc significant illa verba, *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* De quo peccato nihil ferè noui dicendum superest. Nam suprà explicando præceptum à Deo impositū primis hominibus, explicatum est, quā grauis culpa fuerit eius transgressio, tam ex genere suo, quàm ex individuo. Declarauimus etiam varias malitias, quæ in illo exteriori actu inuentæ sunt, quarum præcipua fuit inobedientia, quæ licèt alioqui generalis, & quasi materialis esse soleat, in illo tamen actu propter modum prohibitionis, & præcipuam intentionem prohibentis, formalis, & præcipua fuit. Illi autem coniuncta fuit malitia gulæ propter materiæ qualitatem, & conditionem. Et ita has duas malitias agnoscit in illo actu D. Thomas 2.2.q.163. art.1.ad 1. & 2. Augustinus verò plures alias malitias in illo peccato cōsiderat, vt rapinæ, homicidij sui ipsius, & alias similes, quæ fortasse non secundum proprias species, sed virtute, vel materialiter in eo actu inuentæ sunt, de quibus etiam nonnulla in superioribus diximus. Post hæc vero peccata secutum est grauissimum peccatum scandali contentum in illis verbis, *dedit viro suo.* Quibus tandem addi potest excusatio peccati, quam adhibuit cùm à Deo fuit reprehensa. Sed forte in ea excusatione non fuit mortalis malitia, vt inferiùs agentes de peccatis Adæ notabimus.

Habuit propriam inobedientiæ malitiam.

Item gulæ.

Alias malitias notat Aug. qui tamè explicatur.

4. Euæ peccatum scandalum.

5. Excusatio quæ venialis videtur

CAPVT III.

Vtrum initium peccandi in Adamo, fuerit superbia.

1.

Negat Scotus putans id peccatum fuisse inordinatū affectum erga vxorem, nam plus, quàm Deum, illam dilexisse videtur, quando quidem ne illi displiceret Dei mandatum transgressus est. Quæ sententia suaderi potest primò ex verbis ipsius Adæ, nam cùm à Deo de peccato suo argueretur, respondit: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Per quæ verba se tacitè excusauit, quod amore suæ sociæ ductus petitioni eius cōsenserit, per quam excusationem, velit, nolit, inordinatum amorem vxoris confitetur, & se excusando accusat, vt dixit Augustinus. 14. de Ciuit. cap. 14. in ea verò excusatione solùm affectum vxoris, vt primam originem, seu malitiam sui lapsus cognoscit. Quin etiam Deus hoc admittere videtur respondens Adæ, *Quia audisti vocem vxoris tuæ & comedisti*, &c. Per quæ verba nullam aliam priorem culpam in Adamo declarat, aut punit.

Primum argumentum.

Secundum.

Secundò fauet huic sententiæ Augustinus lib. 11. Gen. ad litt. cap. 42. vbi ait, Adamum non carnis victum concupiscentia, sed amicabili quadam beneuolentia erga vxorem, Deum offendisse. *Noluit enim* (inquit) *eam contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere si ab eius alienaretur animo, & omnino illa interne discordia.* Et adiungit exemplum de Salomone, qui amore mulierum idola colebat, quamuis non crederet illis esse seruiendum. Quo exemplo vtitur etiam lib. 14. de Ciuit. cap. 11. dicens, *Adam non tanquam verum loquenti credidisse Euæ, sed sociali necessitudine paruisse.* Et inferiùs addit, quòd *Adam sciens ac prudens peccauit, ne vxori displiceret. Sed inexpertus diuinæ seueritatis*, inquit, *in eo fallitur, vt veniale crederet esse commissum.*

Tertium.

Tertiò argumētor ratione Scoti, quia primum peccatum Adæ non fuit ex amore sui: ergo non fuit peccatum superbiæ, nam, vt supponit Scotus, appetitus superbiæ est nimius amor sui. Antecedens probat ex differentia inter Angelum, & hominem, nam Angelus primò intelligit se, & ideo primò potuit peccare per superbiam, nimium amando se: homo autem prius alia obiecta sensibilia intelligit, quàm se, & ideo non potuit primò peccare ex nimio amore sui. Vnde vlteriùs concludit, peccasse primò ex nimio amore vxoris, quia non habuit aliud obiectum sensibile quod ad peccandum eum excitaret. Præsertim, quia primum peccatum non poterat esse ex amore proprij commodi, vt præcedens ratio probat: ergo esse debuit ex amore beneuolentiæ alterius personæ, quę etiam esset obiectum sensibile, tunc autem non erat alia, nisi propria vxor: ergo peccauit primò Adam per nimiam beneuolentiam Euæ.

Confirmatur.

4. Affirmatio pars contraria.

Contraria sententia est D. Thomæ dicta q. 163. art. 2. & communis Theologorum cum Magistro in. 2. d. 22. vbi specialiter Ægid. q. 2. & Durand. q. 1. Qui omnes affirmant primum Adæ peccatum superbiam fuisse. Et hæc sententia nobis probanda est, quia est conformior Scripturis & sanctis Patribus. Quia verò eius intelligentia, & probatio pendet ex obiecto, quod potuerit Adam primo appetere per superbiam, ideo prius explicandum est, vtrum Adam tale obiectum habuerit, aut habere potuerit. Et quia obiectum huiusmodi per externam tentationem, & suggestionem proponi debuit, ideo sicut in lapsu Euæ fecimus, ita in Adamo explicandus est modus tentationis, & progressus eius, ita enim & de obiecto superbiæ, & de initio, & progressu, quem Adam in peccando habuit, constabit.

Notanda Adam.

5. Suppositio

Primò ergo suppono, Adam prius quàm Eua tentaretur, nihil peccasse. Hoc per se satis verisimile est, & ex dictis de initio peccandi ipsius Euæ à fortiori ostendi potest. Existimat autem Caietanus Gen. 3. circa illa verba, *dedit que viro suo*, Adam peccasse, antequam mulier illi cibum offerret. Putat enim Euam in præsentia Adæ de cibo comedisse.

Contra illa fuit Caiet.

disse. Quod colligit ex eisdem verbis, quæ in Hebræo sic habent, *dedit q; viro suo secum*. Quæ particula *secum* superflua esset, inquit, nisi per eam indicaretur, quòd cùm Eua comedit, vir ei præsens aderat, & in hoc ait, *Primum peccatum Adæ insinuatur negligentia scilic. cohibendi vxorem à comestione vetiti fructus.*

Atque ita fit, vt Adam prius peccauerit, quàm ab Eua tentaretur. Sed fundamentum Caietani mihi non videtur probabile. Quia si Adam eo tempore adfuisset, verba etiam serpentis audiuisset, quod est contra narrationem Scripturæ dicentis de serpente: *dixit ad mulierem*, ibi enim tacitè excluditur vir, & simul insinuat calliditatem serpẽtis, nam solus cum sola loqui voluit, vt illam facilius deciperet. Neq; etiam verisimile est, Adamum audiuisse verba serpentis, & nec credidisse illa, nec illis contradixisse. Quòd si Adam non interfuit colloquio serpentis, profectò nec comestioni Euæ adesse potuit, quia serpens non reliquit Euam, nec persuadere cessauit, donec illa comedit. Neque obstat illa particula *secum*; tum quia in vulgata non habetur, quod saltem est signum, non esse necessariam ad verum sensum à Spiritu sancto intẽtum. Tum etiam, quia in Hebræo nõ coniungitur cum verbo, *dedit viro suo*, sed cum verbo, *& comedit*, vnde Chaldaica habet, *& comedit cum ea*. Destructo ergo illo fundamento, manifestum est, non potuisse peccare Adamum per illam negligentiam, ac proinde Adamum ante, quàm tentaretur ab Eua, nihil peccasse.

Secundò suppono, Adamum non fuisse immediatè tentatum à serpente, seu dæmone antequam peccaret. Hoc etiam est certum, quia talis tentatio Adæ in Scriptura non refertur, neque per probabilem coniecturam præsumi potest. Quia talis tentatio non potuit esse merè interna, vt de Eua probatum est, eadem enim ratio, vel maior est de Adamo, neque etiam fuit externa, quia dæmon in sola specie serpentis ad primos homines in Paradiso locutus est, & immediatè cum sola Eua est locutus, vt per illam virum deijceret. Nam, vt rectè notauit August. 14. de Ciuit. cap. 11. *Dæmon serpente tanquam instrumento abutens fallacia sermocinatus est fœmina, à parte scilicet inferiore illius humanæ copulæ incipiens, vt gradatim perueniret ad totum, non existimans, vtrum facilè credulum, nec errando posse decipi, sed dum alieno cedit errori.*

Tertio igitur est certum, Euam tentasse Adam seu dæmonem per illam ipsum ad comedendum de arbore vetita, inducendo. Hoc significauit scriptura illa breuissimis verbis, *dedit viro suo*, quæ ita omnes Patres intellexerunt, & est communis sensus Ecclesiæ, & res per se satis clara. Non explicat autem Scriptura, quomodo, aut quibus verbis Eua maritum ad comedendum induxerit: non videtur autem dubium, quin præter actionem offerendi fructum arboris, verbis, & precibus induxerit virum ad comedendum, vt omnes notant. Quia mulier efficaciter desiderabat, habere virum socium in manducatione cibi, sola autem oblatio fructus, vel etiam simplex inuitatio ad comedendum non erat sufficiens inductio, & ideo verisimile est, adhibuisse preces, vel aliquid huiusmodi. Et præsertim credibile est, quod omnes etiam auctores declarant, narrasse mulierẽ viro suo, quod de fructu illo comedisset, nihilq; mali sensisset, imò visum esse optimum, ac delectabile. Atq; hoc bene etiam colligitur ex illa particula *secum*, quæ in Hebræo additur, vel cum *ea*, vt dicit Chaldæus, nam cum ipsa se iam comedisse narrasset, inuitauit virum, vt idem ipsa faceret, & hoc est comedere *secum*, vel cum ea. Nam in hac societate, seu communicatione in participatione cibi maximè potuit Eua fundare rationes, & preces, quibus animum Adami ad comedendum inclinaret.

In his autem omnibus nondum apparet obiectum, quod Adam ad appetitum immoderatum excellentiæ excitare posset, & ideo inquirendum vlteriùs est, an Eua narrauerit Adamo promissiones serpentis, vt illis auditis potuerit animus Adæ in superbiam eleuari. In quo puncto Pererius lib. 7. in Gen. circa illa verba, *deditque viro suo*, dicit, non esse verisimile, Euam narrasse Adamo dicta, & promissa serpentis, nam si ea aperuisset, facilè Adam animaduertisset fraudes dæmonis, sibiq; cauisset. Vnde ipsemet dæmon quia propter hanc causam nõ est ausus Adamũ primò aggredi, aut tales promissiones illi facere, etiã Euam instruxit, & instigauit, vt nihil de promissionibus sibi factis cũ illo communicaret nec de effectibus futuris, quos sperabat, sed tantùm ea proponeret, quę experta iam erat, & efficaciora erant ad permouendum Adamum, adiunctis precibus, & blanditijs, quibus significaret, non posse perfectam societatem, & pacem haberi, nisi etiam in participatione illius fructus communem vitam agerent. 8 *Quæ fuerit Adamo occasio primo peccandi.* *Opinio Pererij.* *Eam fuisse.*

Contrarium nihilominus pro comperto habet Bellarm. dicto lib. 3. de Amiss. gratiæ, c. 5. §. vlt. vbi ait, illa eadem verba, *Eritis sicut dii, scientes bonum, & malum*, fuisse occasionem superbiæ tam viro, quã fœminæ, nam sicut præceptum non comedendi solus vir à Deo audiuerat, & per illum explicitè, & distinctè fœminæ promulgatum est, ita è contrario, tentationis verba promissoria sola mulier à serpente audiuit, & per illam in notitiam Adæ pernenerunt. Atque hic modus dicendi videtur insinuari ab August. l. 11. Gen. ad litt. c. 30. dum ait de Eua, *Sumpsit de fructu eius, & manducauit, & dedit etiam viro suo secum*. Fortassis etiam cũ verbo suasorio, q; Scriptura tacens intelligendum reliquit. Deinde videtur hæc opinio per se satis verisimilis, quia cùm mulier fuisset illis verbis mota, & inducta, & maximè cuperet virum imitatorem sui habere, credibile est, ei proposuisse motiuũ, & rationem, quæ illius existimatione fortissima erat. Neque ipsa cogitare potuit Adamum ex verbis illis potuisse sumere occasionem, fraudem aliquã suspicãdi, cùm ipsa nihil tale suspicata fuisset, & nihil iam de veritate promissionis dubitaret. Et præsertim cùm iam esset experta ex esu fructus vetiti mortem non fuisse secutam, neque aliquod aliud malum in se animaduertisset. Et præterea nulla est ratio ad credendum, consulto, voluisse mulierem illud secretum marito celare, cùm non celaret factum, & aliquam rationem redditura esset, ob quã ausa fuisset de ligno vetito comedere. Vnde nulla est causa existimandi, dæmonem consuluisse mulieri, eamve instigasse, vt promissiones illas viro non reuelaret: nam per hoc potiùs se exponeret periculo turbandi ipsam Euam, & incidendi in suspicionem fraudis, ac deceptionis. Eo vel maximè, quòd etiam dæmon sperare potuit illa verba per fœminam dicta animum viri ad appetitum tantæ excellẽtiæ mouere, & inducere potuisse. Ergo verosimilius est etiam dæmonem cooperatum fuisse ad illũ modum tentandi Adam. Quia quocunq; modo illum tẽtasset, semper timere potuit, ne resisteret, & cõstans esset, & ideo hæc generalis ratio non erat sufficiens, vt modum illum tentandi per dictas promissiones impediret. Et alioqui vero similius est in ipsa prima tentatione aliquid miscere voluisse, quod superbiam, & excellentiæ appetitum excitaret, quia optimè sciebat, nullum fuisse medium, quo facilius posset homo in illo statu ad peccandum induci. 9 *Opinio Bellarmini Verior.* *Insinuatur etiam ab August.* *Suadetur ratione & simul diluditur fundamentum Pererij.*

Deinde à posteriori hoc sumitur ex Scriptura, & Patribus, quatenus sentiunt, etiam Adamum peccasse per superbiam, appetendo similitudinem Dei. Hoc probatur primo ex verbis Dei ad Adam Gen. 3. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, scions* 10 *Suadetur præterea ex Scriptura.*

sciens bonum, & malum. Quę verba ironicè dicta fuere, vt omnes Patres affirmant. Augustin. 11. Gen. ad litt. cap. 39. ait, illa verba fuisse De insultantis Adamo, quia non solùm non fuerit factus, qualis fieri voluit, sed neque illud quòd factus fuerat conseruauit. Idem ferè habet lib. 2. de Gen. contra Manich cap. 22. & lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum, cap. 15. Et Chrysost. homil. 18. in Gen. latè idem docet, & inter alia ait, *Vult Deus per hæc verba in memoriam referre, quomodo decepti fuerint a diabolo per serpentem, & quod spe potentiæ diuinitatis cibum hunc sumere ausi sunt.* Vbi de vtroque loquitur, & postea specialiter applicat verba Dei ad Adamum hoc modo: *Propter hoc contempsisti mandatum meum: Ecce quod expectasti factus es: imò non quod expectasti, sed qualem te fieri dignum erat.* Et homil. 31. in Matth. ironicè etiam verba illa exponit, & in homil. 6. in varios Matthæi locos, priùs ait, *Et his primus homo expectationibus à diabolo inflatus, præcipitatus q; est, sperans enim esse Deus etiam, quod habebat amisit.* Et deinde hoc probat ex citatis verbis Dei. Quæ eodem modo intellexit Theodor. q. 40. in Gen. & Gregor. Nissen. in Fragmentis, seu in lib. de Cognit. Dei, parum à principio in tom. 3. Bibilioth. & Albin. q. 80. in Gen.

11. *Deinde ex Patribus.*

Præterea in alijs locis docent Patres, eandem superbiam, quæ prostrauit Euam, Adamum etiam deiecisse, ita repetit Aug. 14. de Ciuit. cap. 13. Vbi de vtroque ait, *In occulto mali esse cœperunt, vt in apertam inobedientiam laberentur.* Et statim declarat, illud initium fuisse superbiam, ex qua factum esse dicit, *vt vel illa* (scilicet mulier) *verum crederet, dixisse serpentem, vel ille* (scilicet vir) *Dei mandato vxoris præponeret voluntatem*, &c. & in Dialogo 65. quæstionum ad Oros. q. 4. de primo homine dicit, *Elatus superbia, suasioni serpentis obediens, præceptum contempsit.* Quod non potest de fœmina explicari, quia statim subdit, *Et ab illo vno homine omnis humana natura vitiosa, atque peccato obnoxia facta est.* Et allegat testimonia Pauli, quæ de Adamo manifestè intelliguntur. Verum est illud opus inter incerta Augustini opera recenseri. Idem verò Augustin. in id Psalm. 68. *Quæ non rapui tunc exoluebam* inquit, *sed quid rapui? Adam.* Et infrà *rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt felicitatem.* Et concione 2. in Psalm. 70. circa illa verba, *Deus quis similis tibi*: dicit, Adam, quia peruersè voluit esse similis Deo, miserum factum esse. Idem docent Prosper lib. 2. de vita contemplat. cap. 19. & Fulgent. lib. de Incarnat. & gratia, cap. 22. Et Gregor. lib. 4. Moral. cap. 9. apertè ait, dæmonem promissione sua lucem obtulisse, & tenebras peccati induxisse, & videtur tam de Adamo, quàm de fœmina loqui. Et idem sentit Bernard. in serm. 1. Aduentus, & in 2. serm. in octauam Paschæ. Leo Papa serm. 5. de Natiuit. & Basil. in Orat. *Quod Deus non sit auctor malorum.*

12. *Concluditur ex dictis, peccatum Adami eiusque obiectum quale fuerit.*

Ex his ergo satis probatum manet, Adamum superbiendo peccasse, & consequenter Euam, cùm illum ad peccandum induxit, aliquod obiectum ei proposuisse, quòd illum ad superbiam excitaret. Nullum autem aliud obiectum probabiliter cogitari potest ab Eua propositum, nisi illudmet, quod sibi fuerat à serpente promissum: ergo probabilissima est coniectura, quòd Eua non solùm petendo, & rogando, sed etiam promissionem serpentis referendo, virum ad peccandum induxerit. Ex quo vlteriùs concluditur assertio intenta, iuxta D. Thomæ sententiam, nimirum primum internum peccatum Adæ, sicut etiam Euæ, fuisse superbiam. Hoc satis iam est authoritate probatum. Et quòd de primo peccato Euæ suprà adduximus, idem confirmat. Nam suppositio dicto fundamento, quòd idem obiectum superbiæ mulieri à serpente immediatè propositum, per illam viro etiam patefactum fuerit, facilè credi potest, idem fuisse initium peccandi in Adamo, quod fuerat in Eua. Et hoc etiam confirmat ratio suprà adducta ex D. Thoma, quòd in eo statu prima deordinatio voluntatis, moraliter loquendo, esse non poterat circa obiecta sensibilia, & ideo credibile est fuisse circa spiritualia, nimirum per inordinatum appetitum excellentiæ in scientia, seu similitudine Dei.

Eruitur assertio præcipue intenta.

Vnde stabiliatur.

Atque hoc magis confirmabitur respondendo ad motiua Scoti. Primum sumebatur ex verbis excusationis Adæ: *Mulier, quam dedisti mihi sociam*, &c. Gen. 3. Ad quod in primis dicimus, non esse verisimile, voluisse Adamum, vnum peccatũ alio peccato excusare: hoc enim modo magis seipsum accusaret. Non ergo ex nimio amore, sed ex naturali societate occasionem excusationis sumpsit. Vnde Gregor. lib. 22. Moral. cap. 13. alias 9. in hoc reprehendit specialiter Adam, quòd in ipsum Deum videtur voluisse refundere causam suæ ruinæ. *Quia fœminam sibi in sociam dederat*, simulque amorem quasi naturalem erga illam indiderat, quæ fuit occasio audiendi verba eius cum simili affectu, ex quo prouenit, vt faciliùs per ea ad cõsentiendum sociæ induceretur, Deus autem, respondendo Adæ, *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti*, in primis tacitè reiicit excusationem, quia etiamsi esset vxor, seu persona aliàs diligibilis, seu amica, postulans aliquid diuino præcepto contrarium, audienda non esset, vt notauit Aug. 14. de Ciuit. cap. 14. Deinde significauit Deus, Adamum non solùm peccasse comedendo, sed etiam audiẽdo vxorem, vtrunque enim distincte reprehendit. In quo autem constiterit illud peccatum audiendi vxorem, infrà magis explicabitur: certum autem est, non fuisse in substantia actus, sed in modo, quia nimis remissè, & indulgenter, & sine vlla reprehensione illam audiuit. Quod quidem peccatum siue commissionis, siue omissionis externum fuit, & consequenter (iuxta ea, quæ de Eua diximus) illud fuit indicium animi iam interiùs deordinati, vtique per excellentiæ appetitum, ac superbiam.

13 *Ad 3. obiect.*

Ad secundum sumptum ex Augustino, respondetur, ex illis verbis Augustini ad summum colligi priusquam Adam consentiret in esum cibi prohibiti, iam peccasse per inordinatum amorem vxoris, quod verum est, vt in puncto proximo præcedente declaraui. Quoties ergo Augustinus ait, Adam peccasse, *Ne vxori displiceret, & sciens, ac prudens*, & similia, non loquitur de primo peccato Adæ, sed de peccato comedendi de ligno vetito, ante quod iam præcesserat peccatum superbiæ. Quod ex eisdem locis colligi potest: nam in lib. 11. Gen. ad litt. cap. 39. dicit, illa verba, *Ecce Adam factus est, sicut vnus ex nobis*, &c. fuisse, *Dei deterrentis cæteros ne ita superbirent.* Et in cap. 42. circa finem ait, *Virum propter aliquam mentis elationem, quæ Deum internarum scrutatorem latere non poterat, aliqua experiendi cupiditas solicitauit, cum mulierem videret, accepta illa esca non esse mortuam.* Et lib. 14. de Ciuit. post verba citata ex cap. 11. in cap. 13. adiungit, in vtroque præcessisse superbiam tanquam initium omnis malæ operationis. Et sic etiam locum habet, quod in eodem cap. Augustinus dixit potuisse Adam falli, reputando venialem transgressionem ex vxoris affectu commissam. Quia iam præcesserat superbia, per quam iam amiserat homo priuilegiũ ne posset decipi: sicut de Eua diximus, & in capite sequenti magis de Adamo explicabimus.

14 *Epiphan. Augustin.*

15 *Ad vltim. Augustin.*

Neque obstat, quod in cap. 42. lib. 11. Genesis dicit Augustinus de Adamo, *non carnis vitium concupiscentia, quam nondum senserat, sed amicabilis benevolentia deliquisse.* Nam responderi potest, vel illam amicabilem benevolentiam prout præcesserit inobedientiam non fuisse culpabilem, sed fuisse ipsummet amorem naturalem, à quo interdum aliqua occasio

occasio peccandi accipi solet, sicut respondet Caietan. 2.2. quæst. 163. art. 4. Vel certè dicendum est (vt iam indicauimus) quando ille amor cœpit esse peccaminosus, iam præcessisse superbiam, & consequenter Adamum priùs amisisse iustitiam originalem, quamuis nondum sensisset legem fomitis in membris suis, de qua loquitur Augustinus. Sicut etiã suprà de Eua diximus illam prius amisisse originalem iustitiam, quàm concupiscentiæ motus sentiret exteriùs. Et vtrunque pro aliquo tempore verum inuenietur, si ordo tentationis, & ruinæ Adami consideretur. Nam cùm primũ mulier accessit ad tentandum virum, illam ex naturali amore benignè suscepit, & sine resistentia audiuit, & facere potuit sine culpabili excessu in amore, quia nondum aduerterat periculum, aut occasionem peccandi, nec etiam obligationem resistẽdi, aut reprehendendi vxorem. Imò priusquam Adam inciperet ita obligari, potuit inculpabiliter verba vxoris audire integrè, quia prius debuit factum Euæ plenè cognoscere, quã cogitare posset, illam esse reprehẽsione dignam, aut in verbis eius tentationem, & inductionem ad malum continere. Auditis ergo verbis vxoris cùm deberet contra illam insurgere, potiùs elatione animi, & appetitu excellentiæ per verba vxoris sibi repræsentatę deliquit. Et inde factum est, vt circa benuolentiam vxoris excedere inciperet, nimium illi indulgendo, vel, vt Aug. ait, *timendo eam contristare*. Qui excessus inchoari iam potuit ex inferiori appetitu sensitiuo, quia originalis iustitia iam erat amissa, quanuis ipse Adamus fortasse non animaduerteret nouitatem, vt sic dicam, illius inordinationis, nec vnde proueniret. Atque ita ex amore vxoris iam culpabili ad externam, & apertam inobedientiam progressus est.

Sed adhuc obscurum est, quod Augustinus ait Adamum consensisse petitioni Euæ, *Nolens illam contristare, & ne discordia, & dissensione animorum contabesceret*. Nam in statu innocentiæ non poterat esse tristitia, aut inordinata dissensio animorum: ergo non potuit Adam hæc mala timere si constanter resisteret, & suum statum conseruaret. Et declaratur, nam vel Adam quando timuit contristare Euam, cognouerat illam peccasse: vel nondum hoc intellexerat. Si hoc posterius dicatur, nõ potuit timere aliquod malum pœnæ, vbi nullam agnoscebat culpam: si autem Adam conscius iam erat peccati Euæ, simulque cognoscebat, quòd rectitudinẽ originalis iustitiæ iam amiserat, profecto multo magis periculum proprium, quã tristitiam vxoris veritus fuisset: imò ex damno alterius, illi in crimine sociari timuisset. Respondetur, ab hac vltima parte incipiendo, longè verisimilius esse, Adam non cognouisse, vel saltem actu nõ considerasse factum Euæ sub ratione culpæ, vel saltem grauitatem eius non ponderasse: itemque multo minus cognouisse mutationem factam in Eua per peccatum. Quod satis significat Scriptura, quia non nisi post vtriusque peccatum, dicit, *Aperti sunt oculi amborum*. Et August. dicit Adam per se fuisse inductum ad comedendum, quia videbat vxorem comedendo nõ fuisse mortuam. Sub quo tacite intelligit, non vidisse aliquid pœnale in ipsa, nec aliquam mutationem in eius statu esse factã, quia si aliquid huiusmodi expertus esset, multum profectò à simili manducatione deterreretur: non potuit ergo timor contristandi vxorem ex tali cognitione, seu experimento oriri. Vnde ad priorem partem duobus modis responderi potest. Prior est Augustinum supponere, fieri potuisse, vt Adã non cognosceret omnes prærogatiuas, & priuilegia status innocentiæ. Vnde cùm aliàs sciret hominem naturaliter contristari, quando voluntas eius non impletur, potuisse timere, ne fortè vxor contristaretur: ad hunc enim timorem illa nescientia sufficere poterat sine positiuo iudicio falso, quod in illo statu posset esse tristitia. Vel secundò dici potest, non loqui Augustinum cum tanto rigore de tristitia, aut simili animorum perturbatione, sed locutum fuisse modo nobis vsitato ad explicandam nimiam benuolentiam Adæ ad vxorem, propter quam voluit cauere, ne inter ipsos esset dissensio voluntatum, seu morum dissimilitudo, quæ iustitiam, & perturbationem, quantum est ex se, inducit, illam enim Adam in statu etiam innocentiæ fugere potuit. *Alterata responsio.*

Ad rationem Scoti concedimus, superbiam esse quendam nimium amorem benuolentiæ sui: nam idem appetitus excellentiæ simul est concupiscentia excellentiæ, & benuolentia sui, quia sibi amat superbus illam excellentiam. Negamus autem cõsequentiam, scilicet hunc amorem sui non posse esse primum peccatum, quia nihil est, quod impediat, quominus voluntas hominis primo feratur inordinatè ad excellentiam sibi appetendã, seu concupiscendam. Sicut in Eua ostendimus, & idem in superiori tractatu de Angelo diximus. Nec obstat differentia quam inter hominem, & Angelum Scotus medi tatus est: nam ad summum probat nõ ita posse hominem ex prima cognitione sui ad superbiam moueri. Sicut motus est fortasse Angelus ex prima cognitione suæ naturalis excellentiæ. Vel etiam probabiliter suadet illa differentia non ita facilè potuisse hominem sine suafore extrinseco ex se, ab intrinseco, ad superbiam eleuari, sicut potuit primus Angelus. Hoc tamen non obstat quominus primum obiectum extrinsecè propositum Adæ, & efficacius ad excitandum illum ad aliquem inordinatum affectum fuerit obiectum superbiæ. Atque ita comparando personam Euæ (vt sic dicam) ad verba eius efficaciora fuerunt verba ad prouocandum Adamum ad superbiam, quam ipsamet Eua sua præsentia fuerit potens ad inclinandum illum ad sensibilem, ac inordinatum sui amorem. Vnde ad cõfirmationem negatur antecedens: nam optimè potuit primum peccatum Adæ esse ex amore proprij commodi, vel potius in excessu talis amoris. Nam appetitus excellentiæ amor proprij commodi est: & in illo prima inordinatio esse potuit, vt ostẽsum est. Imò quando Adam magis seipsum amabat, quam vxorem, tanto facilius potuit prius peccare ex amore proprij commodi, quàm ex amore benuolentiæ, & commodi suæ vxoris. 17 *Ad 3. pro Scoto in n. 3.* *Ad cõfirm.*

CAPVT IV.

Vtrum Adam etiam per infidelitatem peccauerit, vel quæ peccata post superbiam commiserit.

TRia sunt in hoc capite explicanda. Primum, an primus homo post superbiã infidelis fuerit. Secundum, an tanta fuerit infidelitas vt etiam fidem amiserit. Tertium post superbiam quot peccata, & quo ordine cõmiserit. Ratio verò, & fundamentum totius dubitationis est illa sententia Pauli 1. ad Tim. 2. *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit*. Nam iuxta hoc Pauli testimonium necessarium videtur dicendum, Adam nullam infidelitatem commisisse, quia aliàs nullum esset discrimen, quod inter ipsum & Euam Paulus constituit. Probatur sequelã: nam vel consideratur Adam priusquam in superbiam eleuaretur, & sic verum est non fuisse antè seductum, & consequenter neque infidelitatem. In hoc autem æqualis est illi Eua: nam vt suprà probauimus, non per errorem, sed per inconsiderationem superbiendo deliquit. Vnde quoad hoc 1. *Triplex præsentis capitis punctum.* 1. *Punctum an peccauerit Adã per infidelitatẽ. Pars neg. suadetur 1. ex Paulo.*

hoc eodem modo, seu cum eadem proportione lapsus Adæ per superbiam explicandus est. Nam si nō de errore speculatiuo, sed de practica deceptione sermo sit: ita deceptus est Adam superbiendo, sicut Eua. At verò si Adam consideretur post peccatum superbiæ pro illo tempore, vel quasi statu, erit necessariò constituendum discrimen inter ipsum, & Euam, quod Paulus intendit. Diximus autem tunc fuisse seductam Euam, & in aliquam infidelitatem incidisse: ergo iuxta mentem Pauli etiam tunc non fuit seductus Adam, & cōsequenter per infidelitatem non peccauit.

2 *Suadetur 2. ex August.*

Accedit secundò, quòd D. Augustinus multis in locis ita hæc Apostoli verba interpretatur, præsertim lib. 11. Gen. ad litt. cap. 42. vbi quærit, *Si tam spiritualis erat Adam, quamuis mente, non corpore quomodo credere potuerit, quod per serpentem dictum est*, &c. Et infrà in virtute respondet, *Ideo Apostolum dixisse mulierem seductam esse, non virum.* Affirmat enim Apostolus virum per mulierem prævaricatum esse, non verò seductum: quia non credidit vera esse, quæ serpens mulieri narrauerat, scilicet, *quod eos Deus ab esca illius ligni mandendo vetuisset.* Et ideo idem August. 14. de Ciuit. cap. 11. dicit, diabolum ideo prius accessisse ad fœminam, *quia non existimauit virum facile credulum, nec errando potuisse decipi, sed tum alieno cedit errori.* Quod statim confirmat dictis verbis Apostoli. Et inde infert, quòd Adam sciens, prudensque peccauit. *Nam hos*, inquit, *seductos intelligi voluit, qui id, quod faciunt, non putant esse peccatum: ille autem sciuit, alioqui quomodo verum erit, Adam non est seductus.* Vnde in fine capitis concludit, *Quid ergo opus est pluribus? Et si credendo non sunt ambo decepti: peccando tamen ambo deceptisunt.*

3. *Tertio suadetur ex cōiectura.*

Tertiò addi potest coniectura sumpta ex verbis Adæ, & Euæ: nam cùm mulier interrogaretur à Deo, *Quare hoc fecisti*: respondet, *serpens decepit me*, Adam autem non est confessus deceptionem sicut Eua: sed tantùm dixit, *Mulier dedit mihi, & comedi*: ergo signum est Adam non fuisse deceptum, sed solam Euam. Dices ex illa collatione verborum solùm colligi deceptionem Euæ positiuè, vt sic dicam, ex verbis eius probari: deceptionem autem Adæ non ita probari, quanuis minimè etiam probetur inde, quòd infidelis nō fuerit, seu deceptus.

Euasio.

Contra eam instatur

Sed contra, quia ex eo, quòd non probatur deceptus, saltem colligimus, nos non posse affirmare illum fuisse deceptum, aut in errorem incidisse. Quia crimen, quod non probatur, non est alicui tribuendum: hoc autem crimen Adami in Scriptura non probatur, quia secluso illo loco nullus est, vnde probetur: & secluſa Scriptura, nulla relinquitur talis criminis probatio: imò nec etiam præsumptio. Nam si aliqua esset, maximè quia Adam peccauit per superbiam, appetendo, esse vt Deus: sed hunc appetitum habere potuit sine deceptione: aut positiuo errore, quasi speculatiuo, vt suprà ostensum est, etiam in Eua: ergo ex superbia non infertur, quòd præcesserit error. Multo verò minus potest inferri, quòd fuerit subsecutus, quia non ex omni superbia sequitur deceptio per hæresim, vel errorem, & Adam potuit postea comedere non ex incredulitate verborum Dei, sed ex affectu complacendi vxori, vel ad summum in hoc seduci potuit, quòd existimauit venialem fore culpam, quam propter beneuolentiam vxoris committeret: vel in hoc etiam, quòd cùm videret Euam non incurrisse mortem comedendo, existimare sine infidelitate potuit, Deum in aliquo sensu sibi occulto pœnam illam comminatum fuisse, posseque illam euitare, etiamsi comederet sine mendacio verborum Dei.

4 *Pars affirmās multorū patrum.*

Nihilominus contrariā sententiam multi antiqui Patres docuerunt, simpliciter docentes Adam fuisse seductum deceptione fidei contrariæ. Ita sentit Ignatius Epist. 5. ad Trallianos, dicens, *Excogitate artes serpentis illius, qui omnis mali primus author est, qui per mulierem decepit primum generis nostri parentem Adam.* Præmiserat autem, *fugite omnes hæreses.* Vnde videtur de huiusmodi deceptione loqui. Idem docuit Tertullianus lib. 2. contra Marcion. c. 2. vbi ausus est dicere *Quis dubitabit ipsum illud Adæ delictum hæresim pronunciare*: Et infrà, *Confessus est seductionem: non occultauit seductricem.* Similiter Irenæus lib. 3. cap. 37. dicit, *Adam fuisse seductum sub occasione immortalitatis.* Et inferiùs, quòd *Deus odiuit serpentem, quia seduxit hominem.* Et Cyrillus Alexandr. lib. 2. in Ioan. cap. 3. de Adam inquit, *Postea quam diabolica fraude eductus Dei præcepta contempsit*, &c. Deinde Cyprian. lib. de vnit. Ecclesiæ, dicit, quòd *dæmon ab initio statim mundi fefellit, & verbum mendacibus blandiens rudes animas incauta credulitate decepit.* Clariùs docuit hoc Prosper contra Collatorem cap. 19. vbi de Adam ait, *Perdidit primus suam, per aditum libertatem.* Et infrà, *Impiè altercando veritatis scientia, & pietatis obedientia deiectus est.* & cap. 21. *Perdidit boni scientiam, quia perdidit bonam conscientiam, humilitatem superbia destruxit, infidelitas rapuit fidem.* Similia ferè repetit lib. 2. de Vita Contemplat. cap. 19. vbi inter alia de primis hominibus dicit, *quod ie fieri posse, quod Deus est, credi derunt.* Et ad excerpta Genuens. dub. 3. sic contra obtrectatorem doctrinæ Augustini argumentatur. *Quid est, quod eidem naturæ solam fidem non vult esse præceptam, quam nisi primum amisisset cæteris bonis omnibus non careret. Credendo enim Adam diabolo, non credit Deo*, &c. Simili modo loquitur Fulgent. lib. de Incar. & Grat. cap. 22. dicens de primo homine, *Diabolica persuasione deiectus perdidit humilitatē, perdidit fidem, perdens, autem fidem perdidit diuinam protectionem.* Innuit etiam Hilar. can. 3. in Matth. dicens de dæmone, *Adam pellexerat, & in mortem fallendo traduxerat.* Et iterum infrà dicit, *Adam terto diuini nominis ambitione corruisse, diu futurum simile pollicendo.*

Præterea Ambr. lib. de Parad. cap. 4. *Mulier*, inquit, *prior decepta est, & virum ipsa decepit*, & similia repetit cap. 12. dicens, mulierem priùs erraſſe, *Vxor enim mulier, non mulieri vir author erroris est*: & statim citat verba Pauli. Idem lib. de Elia, & Ieiunio, cap. 4. expendens verba illa, *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis*, ait, *Irridens, vtique Deus, approbans dicit, hoc est putabas te similem fore nostri*, vbi dicendo, *putabas*, deceptum esse dicit, & lib. 5. Exaem. cap. 7. expresè dicit, *Adam per Euam deceptus est.* Et idem ferè habet lib. 3. de virg. versùs finem, & lib. 2. epistolar. ep. 13. ad Marcell. fororem, vbi non dicit, *decepium*, sed *supplantatum.* Addit verò statim, *Agnoscite esse te nudum, quia bona indumenta fidei perdidisti.* Et in Præfat. ad Psal. dicit, *Adam fuisse vxoria persuasione deceptum, & Deum præuidisse locum eum erroris daturum*, & super Psalm. 39. circa illa verba, *In capite libri*, &c. *Adam* (inquit) *vt caderet a serpente deceptus est.* Et iterum infrà, *Adam cum Christo non fuit, qua do deceptus est.* Et similia repetit Psalm. 72. in fine. Idem indicat Leo Papa ser. de Natiuit. dicens, quòd *gloriabatur diabolus hominem sua fraude deceptum*: & ser. 3. Illa, inquit, *quæ deceptor inuexit, & homo deceptus admisit, nullum habuerunt in Saluatore vestigium.* Et ser. 4. cap. 2. ait, *Intuido & deceptori temere atque infeliciter credidit, & superbia consilii aliquid scisceus repositum honoris augmentum occupare maluit, quam mereri.* Interdum etiam videtur Augustinus consentire. Nam Psalm. 68. circa illa verba, *Quæ non rapui tunc exoluebam*, ait, *Quia vidit puit primo: Ille qui seduxit Adam.* Et lib. 14. de Ciuit. cap. 17. Vtrique parenti tribuit *infidelitatem, & inobedientiam*, & alibi ait, vtrumque diuinitatem appetiuisse. 11. Gen. ad litt. cap. 34. & 39. Et similiter Epiphan. hæres 38. contra Caianos, *Diabolus*, inquit, *per mendacium decepit Euam, & Adam alio pro alio dicens.*

Hæc autem Patrum sententia non est contraria Paulo, & ideo Apostoli sententia varijs modis ab ipsis explicatur. Primo, quia putant verbis Pauli addendam esse hanc particulam *primo*, ita vt sensus sit, Adam non primo seductus fuit, sed Eua. Ita Oecumenius, Glossa, & nonnulli alij in Paulum, & allegatur Epiphan. hæres. 49. contra Quintilianos, seu Pepuzian. quia verba Pauli ita refert, *Adam non est deceptus, sed Eua prima decepta in transgressione fuit.* Apostolus enim non habet illam particulam *prima*, vnde videtur ab Epiph. addita ad illam interpretationem indicandam.

6 Expositio.

7 Expositio.

Secundo alij addendum putant in illis prioribus verbis, *Adam non est seductus*, hanc particulam, *per serpentem*. Ita habetur in commentario Ambrosio attributo in illum locum: & sequitur Haymo. Præterea citatur Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum, quia verba Pauli sic refert, *Adam non est seductus, mulier autem seducta facta est in præuaricationem*, ac si dicere voluerit, Adam non est ita seductus, vt fuerit vxori causa errandi: sicut Eua seducta marito fuit causa erroris, & præuaricationis. Sic etiam sentit Augustinus libr. 11. Genes. ad lit. cap. 42. exponit enim dici mulierem seductam in præuaricatione, quia per illam etiam vir præuaricatus est: statim vero declarat, Adam nihilominus per fœminam non fuisse seductum, & id probat, Paulumque ita exponit. Magis videtur indicare illam expositionem Ambrosius in dicto cap. 12. libri de Paradiso: nam post illa verba, *Viro mulier, non mulieri vir author erroris est.* subiungit, *Vnde & Paulus ait, Adam non est deceptus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* Et eodem modo legit Chrysostomus homilia nona in primã ad Timotheum, tamen paulo aliter exponit, Adam non tam grauiter fuisse seductum, quia, *Par*, inquit, *non est ab ea, quæ sibi generis societate iungeretur decipi, & à bestia, quæ seruiuti hominis fuisset addicta: illud igitur seductio potius ac verius dici potest. Ad comparationem ergo mulieris dicit illum non fuisse seductum.*

8 Expositio.

Tertio exponunt alij, Adam dici non fuisse seductum, quia in Scriptura non legitur seductio eius, sicut de Eua legitur: nam illa deceptionem suam confessa est: non autem vir. Sicut ad Hebr. 7. dicit Paulus, *Melchisedech fuisse sine patre, & sine matre*, non quia illis caruerit, sed quia in Scriptura non leguntur: ita indicat Theoph. ibi, & refert Oecumenius, & sequitur Hugo de Sancto Victore quæst. 16. Vltimo addunt aliqui sensum esse mulierem fuisse deceptam propriè, & formaliter à serpente, quia ex intentione fallendi, & decipiendi serpens illam seduxit: mulier vero non ita decepit virum, sed quasi materialiter credens, verum esse, quod illi suadebat. Hanc expositionem legi in Pererio, & in nullo antiquiore illam reperio: ipse vero dicit indicari ab Augustino in dicto cap. 42. Sed certe in alio sensu locutus est Augustinus, vt paulo post dicam. Alij citant Nazianzenum Orat. 41. quæ est prima de Resurrectione, quia dicit, *Victa est mulier dolo, & arte dæmonis, postea victus est vir per mulierem.* Sed hæc verba, & parum ad rem faciunt, quia non dicit virum fuisse deceptum, sed victum & in Nazianzeno formaliter non reperiuntur. Nam in illa Orat. 1. de Resurrectione nihil dicit: in Orat. autem 2. in Pascha, quæ est 42. & in orat. 38. de Natiuit. sic inquit, *Postquam diaboli inuidia, & mulieris insultu, quem vt molliorem passa est, accepti mandati obliti, ab acerbo illo gustu victus est*, ibi tamen non dicit deceptum, sed victum, & ideo ex illis verbis nihil ad rem præsentem colligi potest.

9 Expositio.

Hæ omnes expositiones probabiles quidem sunt propter Patrum authoritatem. Mihi tamen, vt verum fatear, non satis faciunt. Nam priores eo ipso, quod particulam aliquam addendam, vel subintelligendam censent, suspectæ sunt, quia, vt Iuristæ dicunt, expositio, quæ aut aliquid addit textui, quando ex illo non euidenter colligitur, aut omnino necessaria non est, misera est: at vero omnia, quæ ex illis expositionibus adduntur, neque necessaria sunt, nec ex textu colliguntur. Hoc in primis patet de illa particula, *primo*, quam aliqui ex textu colligunt, quia Paulus prius dixerat, *Adam primus formatus est.* Vnde inferunt etiam in altera sententia, *Adam non est seductus*, subintelligendam esse particulam, *prius*. Sed re vera potius esset contrarium inferendum: nam illæ duæ sententiæ non sunt connexæ, neque vna pendet ab alia in suo sensu, & veritate, & ideo non est, cur illa particula addita in priori sententia subintelligatur in secunda, vbi non est posita: imo potius inferendum esset consulto fuisse omissam in posteriori parte, quia ibi non erat necessaria. Vnde illa additio multum derogare videtur simplici locutioni, & veritati textus: alias etiam dicere Paulus potuisset, Adam non peccasse, sed Euam, quia non primus peccauit. Denique ad intentionem Pauli non multum conferebat, quod Adam non fuerit primo deceptus, si tandem deceptus fuit: nam propter solum ordinem non ostenditur vir prudentior, aut sapientior, quam fœmina.

ob authoritatē Patrū per se vero non satisfacit.

Id ostenditur de expositione primo.

Atque hæ coniecturæ æquè procedunt de altera additione *per serpentem*, quia multo minus habet hæc additio fundamentum in Paulo, qui non negat effectum ex tali causa processisse: sed simpliciter negat factum esse talem effectum, seu deceptionem. Non licet autem tam facile mutare sensum loquentis proprio arbitrio dictionem aliquam addendo. Et præterea etiam hæc additio parum iuuat intentionem Pauli, quia non minoris imprudentiæ, vel leuitatis fuisset decipi à fœmina, quam decipi à dæmone per serpentem, quia non potuit fœmina rem credibiliorem facere, cum tota eius suasio, quantum ad intellectum pertinet, in sola narratione verborum serpentis niteretur. Denique tertia particula, scilicet, *in præuaricationem*, non habetur in textu sacro, neque in vulgata Latina, neque in Græca, sed vtrobique legitur, *in præuaricatione*. Et ita etiam legunt Græci Patres, vt apud Chrysostom. Theophylact. & Theodoret. videre licet, & ita etiam legit Ambrosius, imo & Augustinus in citato loco, quamuis in margine alia lectio adiungatur. Hac vero lectione suppositа, nihil ex illa colligi potest ad Pauli sententiam limitandam, nam simplex sensus est, *in præuaricatione*, id est, in lapsu generis humani Adam non fuisse seductum, sed Euam. Deinde etiamsi legamus, *in præuaricationem*, violenter exponitur coniungendo illam particulam cum priori parte scientiæ, scilicet, Adam non fuisse ita seductum, vt fuerit mulieri causa præuaricandi: sicut è contrario mulier seducta fuit causa præuaricationis viri: nam hic sensus nec contextui verborum, nec intentioni Pauli consentaneus est. Nec Hieronymus, aut Chrysostomus, vel Augustinus ita expofuerunt. Simplex ergo sensus etiam illa electione retenta est, Euam per seductionem, & artem dæmonis in præuaricationem inductam esse, Adam autem non ita fuisse inductum in præuaricationem, quia seductus non est. Quæ est expositio Augustini in eodem loco libr. 11. Gen. ad lit. cap. vltimo.

10 *Ostenditur etiam in 2. expositione.*

Altera vero expositio, quod Paulus dixerit, Adam non fuisse seductum, quia in Scriptura non legitur: in primis est contra proprietatem verborum, & ideo est contra generalem regulam explicandi Scripturam absque necessitate, vel authoritate. Nec propter alium locum Pauli ad Hebræos septimo extendenda est expositio, quia ibi ex materia, & ex ipso contextu, & modo di-

11 *Ostenditur idem in tertia.*

cendi facile colligitur ille sensus quasi metaphoricus : nam erat ibi necessarius, & ita expositio illa communis est omnium. In præsenti vero loco, quem tractamus, talis proprietas locutionis necessaria non est, imo videtur contraria intentioni, & rationi Pauli, nam si in reipsa Adam seductus est, sicut Eua: quod illud non sit de vtroque scriptum, parum refert ad ostendendam in fœmina minorem doctrinæ capacitatem, quam in viro, quod Paulus intendebat. Loquitur ergo Paulus de reipsa. Et eadem fere ratione reiici potest vltima expositio fundata in rigore verbi, *seducendi*, seu *decipiendi*, scilicet quod propriè includat intentionem decipiendi. Nam hoc etiam nihil referebat ad institutum Pauli, quia intentio loquentis, vel decipientis, parum, vel nihil refert ad dijudicandum inter eos, qui facile sinunt se decipi, quis eorum leuior, aut incautior fuerit. Eo, vel maximè, quod licet in verbo *decipiendi*, actiuè sumpto, id est, ex parte eius, qui decipit, illa consideratio locum habeat : nihilominus passiuè, id est, ad eum, qui decipitur, non bene applicatur. Nam, qui facile credit falsa dicenti, non minus decipitur, id est, non minus errat, nec minus ostendit animi leuitatem, inconstantiam, vel imprudentiam, siue alter loquatur ex intentione fallendi, & sciens se dicere falsum, siue ex ignorantia credens, verum esse, quod suadet. Sicut si fidelis credat prædicanti errorem, non minus decipietur, & erit hæreticus, siue prædicator putet, esse verum, quod docet : siue consulto doceat falsum ex intentione fallendi: ergo illa differentia ad explicandum locum Pauli impertinens est.

Denique in 4. expositione ostenditur.

11 Igitur expositio Augustini cæteris præferenda videtur : nimirum Euam fuisse seductam credendo aliquid contrarium verbis Dei : vtique existimando non fuisse malum edere de ligno scientiæ boni, & mali. Adam autem non fuisse ita seductum, sed sciendo illud esse peccatum ductum amore fœminæ comedisse. Hæc est sententia Augustini in dicto libro vndecimo Geneseos ad litteram, cap. 42. & libr. 14. de Ciuitate, capite vndecimo, & sequentibus. Et probatur ex dictis, quia nulla alia expositio satisfacit sententiæ Pauli : & nulla est necessitas detorquendi verba eius ad aliquem improprium sensum, eo vel maxime, quod talis deceptio Adæ, neque alibi legitur in Scriptura sacra, vt quædam expositio assumebat, neque ipse Adam i lam confessus est : sicut fecit Eua, neque ex alijs factis eius, neque ex circunstantijs personæ eius probabiliter præsumi potest, vt recte Augustinus ponderauit. Neque denique in verbis Dei loquentis ad ipsum Adam talis deceptio indicatur. Non enim desunt, quia ex illa Dei irrisione, *Ecce Adam sicut vnus ex nobis factus est*, deducere nitantur deceptionem Adæ. Veruntamen licet inde colligatur Adam appetiuisse similitudinem Dei : non tamen colligi potest fuisse deceptum, neque comedisse, quia crederet, ex pomi esu excellentiam scientiæ boni, & mali se fuisse consecuturum. Nam prius quam omnino deciperetur per superbiam elatus Dei similitudinem appetijt, in quo etiam Eua illi similis fuit, nam prius fuit superbia, quam decepta, vt suprà cum Augustino, & D. Thoma diximus. Hoc autem satis esse potuit ad illam irrisionem, seu exprobrationem Dei. Quod autem postea comederit ex falsa existimatione consequendi scientiam per cibum, & per se est parum credibile, & nullo indicio in Adamo ostensum est, sicut in Eua. Nam ille, suppositа deordinatione facta per peccatum superbiæ, habuit peculiarem occasionem, & incentiuum comedendi, quod non habuit Eua, scilicet, eiusdem vxoris affectum, & importunitatem. Vnde non de illo, sicut de ipsa legitur, quod lignum aspexerit, & quod bonum ad vescendum, pulchrum oculis, aspectuque delectabile visum fuerit, & ideo de fructu eius tulerit : sed solum, quod fructum arboris à fœmina oblatum, & quasi intrusum acceperit. Non est ergo fundamentum ad asserendum Adam fuisse deceptum. Cur ergo àplano, simplici, & proprio sensu verborum Pauli recedemus?

Augustini tandem expositio proponitur & præfertur. Probatur excludendo cæteras expositiones & indicia deceptionis Adæ.

Illud etiam indicium irrisionis Dei dictam deceptionem non commincit.

Sed instari potest, quia Augustinus *in eisdem locis* docet Adamum in multis deceptum fuisse. Primò, quia veniale esse credidit contra præceptum Dei, comedere de ligno vitæ propter amorem mulieris, qui error non paruus, sed fidei contrarius est. Id autem docet Augustinus libro quarto de Ciuitat. cap. 11. & 13. Secundo, quia credidit, se non moriturum etiamsi comederet de ligno, quia viderat vxorem non esse mortuam. Ita habet Augustinus lib. 11. Gen. ad litter. cap. 30. Et indicat cap. vltimo. Tertiò, quia credidit, vel saltem dubitare cœpit, an futurus esset sicut Deus cibum illum comedendo. Nam hoc etiam significauit Augustinus dicto cap. vlt. lib. 11. Genes. ad litteram, dicens, *Virum propter aliquam mentis elationem solicitauit aliqua experiendi cupiditas.* Experiendi nimirum, qualis esset virtus illius cibi, & an posset scientiam conferre, sicut serpens promiserat. Ergo signum est cœpisse saltem dubitare, an vera essent verba serpentis, & consequenter existimasse falsum subesse potuisse verbis Dei, vel fieri potuisse, vt Deus ex inuidia esum illius cibi prohibuisset, aut possibile fuisse, se fieri similem DEO, & nulli subiectum. Quæ omnia grauissimos errores continent.

Respondeo, licet ista omnia concedantur eo modo, quo proposita sunt, nihilominus *simpliciter* verum esse, quod Apostolus ait, Adam non fuisse seductum. Nam seducere propriè est, alium in errorem inducere, & è contrario seduci est arte, & circumuentione alterius à veritate auerti, & decipi, quomodo decepta est Eua, non autem Adam. Nam si illis modis deceptus Adam fuit, non propter serpentis promissionem, nec propter fidem, quam verbis eius, aut vxoris adhiberet: sed propter propriam coniecturam, adiutam partim elatione superbiæ, partim inordinato affectu erga vxorem in eas falsas cogitationes inductus est. Quia ergo non circumuentus ab alio, nec per astutiam alterius errauit, si errauit, ideo negatur fuisse seductus. Deinde ad singula respondendum est. Et primum quidem Augustini dictum est probabile propter eius authoritatem, & coniecturam: nam maiorem certitudinem, nec ex Scriptura, nec aliunde habet. Existimo tamen non esse intelligendum de peccato veniali proprie, & in rigore sumpto, vt distinguitur à mortali, nam fuisset crassissimus error, qui non poterat tam facile cadere in mentem sapientis viri, vt erat Adam : neque nos fundamentum habemus, vt hoc de illo suspicemur. Vocauit ergo Augustinus veniale id, cuius venia de facili speratur. Et ita exposuit Augustinum D. Thomas 2. 2. quæstion. 163. articulo quarto ad 3. dicens, *Adam inexpertus diuinæ seueritatis credidit illud peccatum esse veniale, id est, de facili remissibile.* Hæc autem credulitas in hoc sensu non continet errorem contra fidem, neque deceptionem ex astutia alterius, sed ex nimia passione, & facilitate credendi ex illa redundante.

Et iuxta hoc facilis est responsio ad secundum: nam licet Adam crediderit se moriturum nó fuisse propter experimentum Euæ, quod videbat, vt Augusti-

Augustinus coniectat: nihilominus non est verisimile, id credidisse in sensu contrario verbis Dei, seu existimando, quod perinde est, Deum falsum dixisse. Nam in primis Adam tantum fuerat expertus Euam non statim fuisse mortuam: non vero quod non esset postea moritura, seu quod non facta fuisset mortalis: ergo ex vi illius experientiæ solum inducebatur, vt crederet se etiam non fuisse statim moriturum, hoc autem non erat contra verba Dei in vero sensu intellecta, vt constat. Deinde etiamsi sperauerit Adam, vel crediderit nunquam fuisse moriturum, quamuis comedere: nihilominus potuit id sperare, & possibile credere ex indulgentia, & remissione Dei, quæ etiam non erat contraria verbis, & comminationi DEI, vt per se constat. Ergo etiam hic lapsus mentis Adæ non fuit per circumuentionem erroris fidei contrarij, sed per nimiam, & imprudentem fiduciam ortam ex affectu ad vxorem inordinato.

16 Quod vero attinet ad tertiam deceptionem, ego apud Augustinum illam non inuenio, quin potius vbique negat Adam, *iam*, vt inquit, *spirituali mente præditum, vllo modo credere potuisse, quod Deus ab esca illius ligni inuidendo vetuisset*, id est, vt prius dixerat, *Quod ideo lignum illud tangere prohibuerit, quod sciret eos si comedissent, velut Deos futuros tamquam eis diuinitatem inuideret, qui eos homines fecerat.* Vbi cum ait, *nullo modo credere potuisse*, profecto insinuat non potuisse credere ita esse factum, neque esse possibile, nec in aliquam illius existimationem, vel suspicionem incidere potuisse: nam hoc totum probat illa ratio, *Si iam spirituali mente præditus erat.* Et confirmatur hoc ex his, quæ l. 14. de Ciuit. cap. 11. idem Aug. tradit, scilicet, quod Adam *sciens prudensq; peccauit*, & non potuisse ita seduci, vt crederet, comedendo potuisse à peccato excusari. At vero si aliquo modo credidisset in Deum potuisse cadere in inuidiã, & ex illa prohibitionem facere, & se posse Deo similem fieri, vel à subiectione Dei liberari per esum cibi, profecto facilius dici posset, credendo se non peccaturum, etiamsi de illo cibo comederet.

17 Tandem non minus excludit huiusmodi deceptionem, vel dubitationem illa ratio Augustini, quod Adam, *iam spirituali mente præditus erat*: quia tã crassi sunt huiusmodi errores, vt vir sapiens non magis potuerit de illis dubitare, quam illos credere. Et ideo existimo non solum non credidisse Adã Deum falsum dixisse, aut ex inuidia prohibuisse esum illius fructus, aut comedendo de illo cibo, & futurum omniscium, & ab omni subiectione liberum: verum etiam nec de his erroribus dubitasse, quia nec propter dictum serpentis, aut vxoris ad hoc inductus est, vt ex Pauli sententia colligitur: nec aliquam verisimilem causam talis dubitationis habuit. Augustinus autem cum dixit aliquam cupiditatem experiendi solicitasse Adami animũ ad comedendum non loquitur de appetitu experiendi, an essent vera verba Dei, vel serpentis, qui appetitus incredulitatem, & dubitationem fidei contrariam sine dubio supponeret. Sed loquitur Aug. de appetitu experiendi, quidnam lateret in eo fructu, quem Deus sibi prohibuerat: & quid ex illius esu consecuturum esset. Quam curiositatem sine dubitatione de veritate verborum Dei habere potuit. Solum videtur cupiditas illa inuoluere dubitationem de effectu mortis, quam Deus cõminatus fuerat. Tamen non oportuit hanc dubitationem fuisse de veritate verborum Dei, sed de sensu illorum, an immutabilem sentẽtiam ex absoluto decreto continerent, vel potius viam aliquam, & spem malum illud euadendi relinquerent, etiamsi ex cibo comederet. Et hanc fuisse mẽtem Augustini manifestum est: nam statim addit illam cupiditatem experiendi ex eo fuisse ortam, *quod viderat Euam sumpta esca, non fuisse mortuam.*

Ex his ergo concludimus secundum Adæ peccatum non fuisse infidelitatem, non solum propriam, quæ est cum pertinacia, & hæresi, verum etiam, nec minus propriam, quæ est per errorem absq; pertinacia, quamuis non sine culpa, per negligentiam, & ignorantiam culpabilem, vel temeritatem in iudicio ferendo de rebus ad fidem pertinentibus. Prior pars sufficienter probatur ex supra dictis de infidelitate Euę. Diximus n. probabilius esse illam non commisisse similem infidelitatẽ formalem: ergo idem est multo probabilius in Adamo, propter maiorem eius sapientiam, prudentiam, & alias animi dotes, quas indicauit Augustinus, dicens, quod iam erat spirituali mente præditus. Deniq; pars hæc prior ex posteriori à fortiori colligitur. Posteriorem autem mihi sufficienter probat testimonium Pauli, prout explicatum est, & authoritas August. quam satis etiam iam ponderauimus, & aliæ rationes, & coniecturæ, quas adduximus.

18 *Ex dictis euincitur conclusio bipartita qua dubius simul punctis n. 1. propositis satisfit. Prior pars unde probatur.* *Vnde probatur posterior.*

Ad Patres vero, qui seductionem, & infidelitatem videntur Adæ tribuere, in primis respondeo, fortasse non omnes in eo sensu locutos fuisse, sed plures eorum loqui de deceptione, seu errore practico, seu operis, quo omnis peccans dicitur errare vel sicut concupiscentia, vel superbia dicitur hominem seducere, iuxta illud ad Rom. 7. *Peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit.* Et illud ad Gal. 6. *Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, seipsum seducit.* Et illud Dan. 13. *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* Et hac ratione dixit Aug. d. l. 11. Gen. ad lit. *Adam postquam de ligno prohibito seducta mulier manducauerat, eiq; dedit, vt simul ederent, noluit eam contristare.* Et infra, *Ergo alio quodam modo etiam ipse deceptus est, non dolo illo serpentino.* &c. Nam alius modus non fuit, nisi practicę deceptionis. Vnde ibidem comparat Adamum Salomoni, qui practicè seductus est à mulieribus, & ad colendum idola inductus, quamuis per speculatiuum errorem deceptus non fuerit, credendo idolum esse Deum, vel cultu dignum. Et ita possunt facile exponi Hieron. & Ignat. Cyr. & Cypria. Leo Papa, Hilarius & Epiphanius, imo etiam Ambros. fere in omnibus locis ex eo citatis.

19 *Patres aliquot ex allatis n. 4. quomodo accipi possunt.*

Quod vero idem Ambrosius ait Adam amisisse bona indumenta fidei, de charitate, virtutibus, & donis intelligi potest: nam hæc sunt bona indumenta fidei: quod autem ipsam etiam fidem amiserit, non satis aperte affirmat Ambrosius. De Prospero vero, & Fulgentio id negare non possumus. quamuis autem eorum sententia probabilis sit, eam sequi non cogimur. Nec video cur de Adam dixerit Prosper quod, *nisi fidem amisisset, cæteris bonis omnib. non careret*: cum possint cæteræ gratiæ amitti non amittendo fidẽ. Vt in nobis certũ est: & in illo statu nõ est cur repugnaret, cum nec in angelis repugnauerit. Nec inde sequitur fidem esse naturalem, vt videbatur sentire ille, contra quem Prosper scribit, quia etiã habitus, vel actus aliquis infusus potest manere in peccatore. Tangit autem quæstionem Prosper quomodo filij Adæ sine fide concipiantur, si Adam sibi illam non perdidit. Sed hoc in materia de peccato originali tractandum est, & infra forte attingetur.

20 *Ad Ambros. suam citatã n. 5. Ad Prosper. & Fulg. in num. 4*

Ad Tertullianum prior responsio applicari potest. Cum vero dicit delictum Adæ fuisse hæresim: aliqui respondent sumpsisse vocem *hæresis* in primæua, & generali significatione, prout prauam electionem ex proprio arbitrio profectam significat. Qua expositione admissa, cum dicit, confessus est seductionem, de practica seductione facile potest exponi. Cui expositioni non parum fauent antecedentia, & subsequentia verba. Nam prius

21 *Ad Tertul. ibid.*

inquit, *Quod si à primordio homo animalis non percipiens, quæ sunt Spiritus, stultitiam existimauit Dei legem.* Quod profecto non potest intelligi de existimatione speculatiua, sed practica, & ideo subdit, *vt quam obseruare neglexit*: facto ergo legem Dei stultitiam reputauit, non iudicio. Et infra etiamsi Adam vocasset *rudem hæreticum*, subiungit, *Non obaudituit, non tamen blasphemauit creatorem, nec reprehendit authorem, quem à primordio sui bonum, & optimum inuenerat.* In quibus verbis non contemnendam coniecturam indicat, quia post peccatum, audita voce Dei, statim Adam fidelem se ostendit, & Deum, vt supremum Dominum, & legislatorem cognouit: ergo verisimile est Adam semper retinuisse fidem eius, & cum illa, quamuis sine charitate, de Paradiso exijsse.

22 *Ad August. in num. 5.* Alia vero loca Augustiui, quæ ibi citauimus, non solum non contradicunt: verum potius confirmant generalem expositionem datam. Nã Augustinus non est sibi contrarius, & vbi ex professo rem tractat declarat, Adam non per errorem infidelitatis, sed alio modo fuisse deceptum: ergo quando in Psalm. 68. dicit, quod Lucifer seduxit Adam, loquitur de alio modo practicæ seductionis. Cum vero 14. de Ciuit. c. 17. generatim, seu in plurali dicit, *primos parentes expertos esse, quid infidelitas & inobedientia nocerent*: non circo tribuit vtrũque defectum vtriq; parenti, sed hoc relinquit explicandũ iuxta doctrinã, quam prius tradiderat, vnde cum partitione accommoda intelligendum est. De appetitu autem similitudinis Dei iam dictum est potuisse sine infidelitate haberi. Vnde obiter constat falsum esse quod quidam dixerunt Adamum peccatum idololatriæ commisisse: nisi metaphoricè id dictum intelligatur. Illa enim sententia tribuitur Augustino in libro Quæst. noui, & veteris Testamenti, qui Augustini esse non creditur: sed quicunq; fuerit author illius operis videtur per quandam metaphoram sumpsisse illã sententiam ex Aug. Conc. 2. in Psal. 70. circa illa verba, *Deus quis similis tibi?* dicente, Adam voluisse sub nullius potestate esse: & ita fieri sicut Deus. Hoc enim non formaliter voluit, neq; pro Deo coli, aut adorari concupiuit: & ideo non commisit speciale peccatum idololatriæ: licet per metaphoram dici posit id commisisse eo modo, quo Paulus ad Philip. 3. dixit, *Quorum Deus venter est.*

Quæ Adamũ per idolatriam peccasse aiunt, exponuntur

23 *De tertio puncto in n. 1. post superbiam alterum Adæ peccatum fuit inordinatus amor vxoris.* Vltimo colligitur ex dictis quodnam fuerit secundum Adæ peccatum. Iam enim ostensum est, non fuisse infidelitatem, neque peccatum habens malitiam proprie contrariam fidei, aut præcepto eius: relinquitur ergo, vt secundum eius peccatum fuerit inordinatus amor ad vxorem. Ita sumitur ex Aug. in d. l. 14. de Ciuit. c. 11. & l. 11. Gen. ad lit. ca. 42. vbi ait, Adam comedisse de ligno vt complaceret vxori: ergo præcesserit nimia beneuolentia vxoris antequam de ligno comederet. Et hanc sententiam à fortiori amplexus est Scotus: nam quia in Adamo peccatum superbiæ non agnouit, ideo dixit primum peccatum Adami fuisse inordinatum amorem vxoris. Secundum est autem inordinationem talis amoris satis intelligi, aut explicari non posse, nisi per aliquem effectum alteri præcepto contrarium. Nam amor vxoris de se bonus est supponimus enim non fuisse ex aliquo prauo motiuo, sed ex naturali debito ad vxorem, vt sociam à Deo datam, & ex propria carne formatam, & multis naturalibus donis à Deo ornatam. Ille ergo amor de se non erat inordinatus. Nec etiã per solam intensionem inordinatus fuit, quia si actus est bonus, intensio eius non est mala, nec alicui præcepto diuino contraria.

Pradictus amor vxoris per se non est peccatum.

24 *Sed quæ-nus fuit oc-* Tunc ergo amor vxoris nimius, & inordinatus ostenditur, quando est causa, aut ratio transgrediendi voluntatem Dei, ne vxor contristetur, quia tunc iam diligitur vxor appretiatiuè magis quam Deus. Sic ergo Adam nimium dilexit vxorem, quando ex affectu vxoris aliquam naturalem, seu diuinam obligationem transgredi cœpit. Prima autem obligatio Adami postquam Eua illum ad comedendum inuitauit, fuit grauissimè illam reprehendere, eo quod ausa fuerit fructum arboris contingere, & quod verbis serpentis fidem adhibuisset, & quod se ad peccandum inuitare auderet. Tenebatur ergo, & ex officio tanquam caput eius, & ex charitate Dei, & ipsius vxoris illam corrigere, & ad pœnitentiam, ac emendationem delicti exhortari. Hoc autem facere omisit, in quo primum cœpit ostendere inordinationem amoris circa illam. Vnde dici potest secundum peccatum Adami quoad propriam, & formalem malitiam fuisse omissionis debiti officij erga vxorem, quia (vt dictum est) illam non correxit: imo ita blande & remisse cum illa se gessit, vt eius delictum approbasse videretur. In hoc ergo sensu dicimus inordinatum amorem vxoris fuisse secundum peccatum Adami, non solum internum, sed etiam externum, quod & à peccato superbiæ, & ab inobedientia comedendi de ligno vetito distinctam malitiam habuit.

Vnde tertium peccatum Adæ recenseri potest: quod de ligno vetito comedit. Et hoc quasi per antonomasiam lapsus Adæ vocatur, quia per illud totum genus humanum cecidit: & ita de illo specialiter loquitur Apostolus ad Rom. 5. cum dicit, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo oẽs peccauerunt.* Et similiter inferius nomine inobedientiæ illud peccatum intelligit, cum dicit, *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* In illo autem peccato plures malitiæ distingui solent, vt gulæ, furti, inobedientiæ, de quibus supra diximus. Et licet probabile sit illam inobedientiam non fuisse formalem, id est, ex directa intentione non obediendi Deo, nec ex proprio cõtemptu præcepti eius: nihilominus censeo illam fuisse specialem malitiam distinctam ab alijs, quia ex principali intentione Dei præcipientis illa prohibitio posita fuerat ad subiectionem profitendã, & quasi per modum tributi impositi in recognitionem diuini dominij. His addit S. Aug. in Ench. c. 45. malitiam homicidij, *quia homo semetipsum præcipitauit in mortem, & fornicationis spiritualis, quam integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est*, & auaritiæ, *quia plusquam illi sufficere debuit appetiuit.* Sed hæc sunt partim metaphoricè dicta, partim vero declarant circunstantias, quæ potuerunt peccatum illud notabiliter aggrauare intra eandem speciem, quia sint generales, quamuis probabile sit illam de homicidio fuisse specialem.

Præter hæc peccata solent alia Adamo tribui. Vnum est in eo quod illud peccatum existimauit esse veniale, vt ex Augustino diximus. Sed si per veniale nihil aliud intellexit nisi esse aliquo modo excusabile apud Deum, ac propterea aliquo modo venia dignum, seu facile remissibile, vt supra explicuimus: non fuit illa magna culpa, quamuis audacia peccandi sub illa specie peccatum fuerit aggrauare potuerit: si autem proprie, & rigorose de peccato veniali intelligatur, & talis error (de quo non constat) in Adamo admittatur, esse potuit error humanus sine lapsu in fide, existimando materiam esse leuem, & ex circunstantia complacendi vxori fieri leuiorem, ac proinde potuisse à mortali culpa excusari.

Aliud Adæ peccatum fuisse creditur dubitasse de sensu comminationis Dei, eo quod videret vxorem per esum ligni non fuisse mortuam. Et fortasse hoc vocauit sacrilegium August. in dicto

cap. 45.

cap.45.Enchirid.dum ait, *In illo peccato vno fuisse sacrilegium, quia Deo non credidit.* Non enim videtur in verbo *non credendi* propriam infidelitatem intellexisse, quia hoc non consonat doctrinæ ipsius in alijs locis, vt vidimus: ergo sacrilegium vocare videtur, quia noluit verba Dei simpliciter, sed in sensu suo accipere, vt licentiam peccandi assumeret. Veruntamen de hac circunstantia idem, quod de præcedenti sentio. Quia non oportet (vt suprà dixi,) vt Adam dubitauerit de veritate: imo nec de proprietate verborum Dei, sed de tempore, & modo executionis eorum, & an irreuocabilis, vel irremissibilis esset, vel si existimauit illud peccatum esse proprie veniale, potuit etiam sine errore contra fidem, credere non fuisse dignum morte, nec de illo fuisse Deum locutum, sed de tali manducatione, quæ, & grauior esset, & minus esset excusabilis. Atque ita in illo obiecto per se spectato, nec sacrilegium, nec alia malitia specialis apparet. Quamuis illa cogitatione, vel fiducia vti, ad licentiam peccandi sumendam, non parum augere potuerit peccandi modum, & inobedientiam intra speciem suam. Vnde fortasse Augustinus in generali, & quasi metaphorica significatione nomine *sacrilegij* vsus est. Vel certè (quod pro alijs locis etiam aliorum Patrum notari potest) ibi loquitur Augustinus simul de peccato Adæ, & Euæ, sub nomine, seu collectione vnius primi peccati: & ita illud qualecumque sacrilegium non credendi propter Euam, & non propter Adam adiungi potuit. Sicut ibidem Augustinus ait integritatem mentis humanæ serpentina suasione fuisse corruptam.

28 *Non aliud peccatum fuit quam esse fructu prohibito. Tamen speciale peccatum.*

Aliud peccatum Adami fuisse dicitur nimia cupiditas, & curiositas experiendi, quid lateret, in fructu prohibito. Tamen hoc etiam non apparet speciale peccatum. Nam si illa cupiditas consideretur, vt præueniens consensum liberum per motum aliquem prouenientem à fomite iam inordinato per peccatum superbiæ, sic non fuit nouum peccatum. Si autem illa curiositas spectetur, vt consummata per consensum, sic non fuit cõsummata, nisi per liberam voluntatem comedendi ex ligno prohibito: & consequenter non fuit distinctum peccatum, sed ad summum, addit peculiare motiuum eiusdem peccati, quod potuit quidem aliquantulum illud aggrauare, non tamen addere nouam speciem malitiæ saltem grauem. Tandem additur aliud peccatum ab Adamo commissum, quando peccatum suum excusauit. Quod aliqui ita exaggerant, vt sceleratam, & impiam excusationem vocent, eo quod Deo imputare voluerit quod ei dando sociam, occasionem peccandi præbuisset. Et Gregor. quidem libr. 4. Moral. c. 28. alias 25. & lib. 22. cap. 9. alias 13. indicat illam excusationem ex superbia fuisse, & per illam atrociorem fuisse factam priorem culpam. Et Aug. 14. de ciuitat. cap. 14. ostendisse, dicit, Adam superbiam, *quia voluit culpam suam in mulierem referre.* Vnde indicat excusationem illam fuisse indicium grauioris & adhuc permanentis superbiæ, ac subinde fuisse culpabilem, quatenus est ex superbia profecta. Et ita non videtur nouam speciem peccati addidisse, sed primum peccatum superbiæ auxisse, & quodammodo iterasse. Referri tandem solet ex Augustino hæc sententia, quod *Si Adam non se excusasset, sed potius se accusasset, à Paradiso non exulasset*, quæ habetur in quodam sermone, qui olim erat 19. de Sanctis, nũc autem reiectus est in appendicem, estque septuagesimus quintus, quia non creditur esse Augustini. Tribuitur etiam illa sententia Laurentio Iustin. in libr. de Triumph. Christi agone, cap. 21. sed immerito, & in rigore non est solida sententia illa, quia si Adam in Paradiso pœnitentiam egisset, & se accusasset, licet recuperet gratiam, non tamen originalem iustitiam, & consequenter nec intra Paradisum habitare permitteretur.

CAPVT V.

Quis grauius peccauerit, Adam, an Eua.

HÆc comparatio fieri potest primo inter singula peccata eiusdem speciei, quæ illi homines commiserunt, quis eorum in tali specie grauius peccauerit: secundo in peccatis specie diuersis, quis turpius deliquerit tertio in numero peccatorum, quis plura peccata commiserit: quarto denique absolute, & simpliciter, omnibus pensatis, quis eorum grauius peccauerit. Et in hoc posteriori sensu solet hæc quæstio tractari. In qua communior sententia est Euam grauius peccasse Adamo. Ita docet D. Thomas 2.2. quæ. 163. articulo quarto. Inclinat Scot. in 2. dist. 21. q. 2. artic. 3. licet distinctione vtatur. Plures vero adhibet Bonauent. in 2. dist. 22. a. 1. q. 3. At vero Richard. art. 1. quæst. 3. diserte dicit, quod omnib. pensatis, mulier grauius peccauit. Et idem habet Ægidius quæst. 1. artic. 3. consentit Perer. libr. 6. in Gen. disput. de Grauit. peccati primorum parentum, quæst. 2. Et principalis author huius sententiæ videtur fuisse Chrysostomus: nam hõmil. 7. ad pop. versus finem, ita ponderat verba illa Dei, *Adam vbies? Considera quia non Euam vocauit, non vocauit serpentem: sed qui omnium leuissime peccauerat, hunc ad iudicium primum acce sit, vt ab eo incipiens, qui aliquã potest venia potiri etiam in eam, quæ multum peccauerat mitiorem ferat sententiam*, &c. Similem sententiam habet Epist. 3. ad Olympiadem, ait enim, Euam maiori mœrori addictam fuisse, quia grauius peccauerat: *Et quidem*, inquit, *vsque eo grauius, vt Adæ peccatum cum huius peccato collatum, ne peccatum quidem existimetur.* Et rationem reddit *quia vir non est seductus, sed mulier, quæ in fraudem impulsa fuit, ac Dei legem violauit, & sibi; & marito venenatum poculum temperauit.* Idem fere repetit super Psalm. 6. non longe à principio.

1 *Quadruplex comparatio inter peccata eiusdem & Euæ proponitur.*

Quoad 4. comparationem communior resolutio.

Fundatur in variis locis Chrysostomi.

Nihilominus contrariam sententiam docuit Caietanus Gen. 3. circa illa verba *Tulit de fructu arboris, & comedit*, vbi plus iusto peccatum Euæ extenuat. Eademque sententia longe aliter, & melius explicata placuit Bellarmino lib. 3. de amissione Gratiæ, c. 9. Et mouetur in primis authoritate Ambrosij lib. de Institution. Virginis, c. 4. vbi multis titulis præfert, & exaggerat peccatum Adæ. Primo, quia vir erat fortior fœmina, & ideo minorem excusationem habet. Secundo, quia mulier ab altiore creatura seducta est, scilicet à dæmone per serpentem, vir autem ab inferiori, scilicet fœmina. Tertia, quia Adam grauius punitus est, nã ei dicitur, *Terra es, & in terram ibis*, vxori autem, *In dolore paries filios*, &c. Quarto, quia Adam immediatè à Deo ipso præceptum acceperat, vxor vero per virum: Et alia similia considerat, quæ mioraliter magis, quam rigorosè dicta sunt. Et huius sententiæ fuit etiam Anastas. Synaita lib. 19. Exaemeron circa medium, vbi plures alias coniecturas adducit non magni momenti. Veruntamen ad ferendum absolutum iudicium in hac causa oportet prius sigillatim discurrere in particulari per tres comparationes in principio propositas: nam ex varijs opinionibus circa illas, & ex iudicio illarum pendet totius negotij absoluta resolutio.

2 *Oppositum sentit Caiet. Et Bellar. qui tamen aliter, & rectius eam explicat. Fundatur in Ambros. ob varias considerationes. Prima considerat. Secunda. Tertia. Quarta.*

Consentit Anastas. Synaita. 4. Comparationis resolutio pendet à tribus prioribus.

Primum ergo peccatum vtriusque parentis in specie, & obiecto similitudinem habuit in circunstantijs vero potest excessus, & defectus vtrinque considerari: & ideo in hoc primo peccato præcisè, æqualitas fuisse videtur. Ita significauit Aug. l. 11. Gen. ad lit. cap. 35. dicens, *Euam peccasse impari sexu, pari facto*, id est, pari superbia, vtique quantum ad speciem peccati; & quoad similitudinem Dei, ac excellen-

3 *Fit comparatio quoad 1. peccatum.*

excellentiam ab vtroque concupitam, vt idem Aug. declarat ca 34. & indicat libr. 14. de Ciuit. c. 11. 13. & 14. Quoad circunstantias vero & modum appetendi illam excellentiam, mutuus excessus secundum diuersas rationes interuenisse videtur. Nam vtriusque parentis superbia considerari potest, vel præcise, vt in vtroque fuit primum peccatum, in primo signo per inconsiderationem commissum ante propriam deceptionem, & omnem aliam prauam affectionem. Atq; hoc modo culpabilior videtur fuisse superbia Adami. Tum quia maiore erat præditus cognitione, & virtute, & ideo facilius potuisset resistere, & attendere. Tum etiam, quia maiori obligatione tenebatur, cum esset caput, & ratione etiam sexus deberet esse constantior. Tum denique, quia quoad superbiæ motum vehementior fortasse fuit, quia maior etiam fuit persuasio, & inductio fœminæ per tentationem immediatè à dæmone visibiliter factam, quam Adami per mulierem. At vero si superbia illa consideretur, vt perseuerans in progressu peccandi, videtur tandem multo grauior in Eua fuisse, vt ex sequenti puncto patebit.

4 *Quoad 2. peccatum.*

Secundum peccatum in Eua fuit infidelitas, vt supra vidimus, quæ si fuit formalis per propriam hæresim, vt multi volunt, illa sufficit ad ostendendum simpliciter grauius peccasse Euam, quam Adamum, de quo multo probabilius est in talem errorem non incidisse. Veruntamen etiamsi absque propria hæresi culpabiliter decepta fuerit Eua credendo verbis serpentis; illud peccatum per se est satis graue. Et ex illo vlterius colligitur auctã fuisse superbiam Euæ. Quia excellentiam, quam simplici affectu prius appetierat, post illam credulitatem cœpit efficaciter intendere: nam propter illam consequendam diuinum præceptum transgredi voluit. Atque ita D. Thomas in 2. dist. 22. q. 1. art. 3. inde colligit grauitatem peccati Euæ, *Quod ex sola elatione mentis ad peccandum mota fuit.* Sic ergo tam in primo, quam in secundo peccato grauius peccans inuenitur Eua, quam Adam. In primo quidem, quia ille excessus in modo superbiendi peior fuisse videtur, & maioris inordinationis in Eua, quam in Adamo: vnde etiam auxit inobedientiam eius, vt statim videbimus. In secundo item peccato plane excesit, quia in viro non fuit illa deceptio per quam verba serpentis vera esse crediderit, vt iam ostendimus. Vnde secundum peccatum Adæ, quod in nimio amore vxoris cum defectu corripiendi illam positum fuit, vt dixim⁹, comparatum ad falsam Euæ credulitatem multo leuius fuit. Tum ex specie sua, & obiecto; vt per se constat, tum etiam ex modo peccandi, quia maiori concupiscentia, & quasi connaturali inductus fuit Adam, Eua verò ex sola superbia cum negligentia valde culpabili seducta est. Et præterea etiam in ipsa Eua nimius amor viri considerari potest, ideo enim ipsum ad comedendum inuitauit, quia eum valde diligebat. Nam ob eam causam voluit fructum illum cum ipso communicare. Quia vero illa in hoc, ex errore procedebat ferè sine vllo excessu in amore viri, potuit illam ad comedendum inuitare, & ideo in hac parte multo maior excessus viri, quia sciens, & videns, vt Aug. ait, propter amorem vxoris Deum offendit.

5 *Quoad 3. peccatum.*

Tertium vtriusque peccatum fuit inobedientia comedendi ex fructu prohibito, vt supra declaratum est. In quo etiam inuenitur inæqualitas in obiecto, & specie peccati; tam in specie gulæ, quam in specie furti, seu rapinæ, si in illo actu secundum propriam, & specificam malitiam fuit. Et idem est de malitia inobedientiæ: nam præceptum sub eadem ratione, & æqualiter vtriq; impositum fuit. Et quod DEVS immediate illud promulgauerit soli Adæ, Euæ autem per Adamum, non refert ad augendum, vel minuendum peccatum, quia respectu vtriusque erat præceptum mere diuinum, & æquali certitudine tenendum. Nihilominus tamen illud peccatum ex generalibus circunstantijs dictis, in Adamo grauius fuit, quia ob virilem conditionem, & maiorem sapientiam poterat, & debebat esse constantior, & quia caput, & gubernator erat, maiori obligatione ad id tenebatur. Nam licet idem præceptum ex parte Dei, vel Ecclesiæ, v. g. Prælato, & subditis æquè proponatur: nihilominus ex conditione, seu ex capacitate personæ potest vnam magis obligare, quam aliam.

Aliunde vero hoc ipsum peccatum ex motiuo peccandi grauius fuit in Eua, quam in Adamo: nam Eua comedit ex motiuo consequendi excellentiam, quam appetebat: Adam vero non ex intentione superbiæ, sed solum ex passione, & fragilitate animi, vt vxori condescenderet, comedit. Vnde colligit D. Thomas supra, etiam hoc peccatum fuisse simpliciter grauius in Eua, quia peccatum magis aggrauatur ex motiuo, quam ex alijs circunstantijs: quia finis potissima circunstantia est moralium actuum. Coniectari etiam potest, Euam cum maiori libertate, & voluntate comedisse, quia non ita ferebatur ex passione sensibili, sicut Adam. Nam iste fere coactus timore displicendi fœminæ: illa vero valde voluntariè ex solo affectu superbiæ, & ex cæcitate mentis, quam inde contraxerat, præceptum transgressa est. Dicere autem potest aliquis, Euam etiam fuisse ductam ex sensibili concupiscentia gustandi fructum, qui iam pulcher oculis apparuerat. Veruntamen hoc per comparationem ad Adamum parum potuit diminuere culpam, cum potuerit eadem concupiscentia in Adam inueniri. Sicut etiam è contrario aliqui ponderant in peccato Adami maiorem grauitatem ex motiuo curiositatis, quam habuit experiendi, quid in illo fructu lateret. Sed non est, cur credamus, Euam in similem curiositatem non incidisse: imo fortasse illam habuit deteriorem: nam illa cupiebat experiri, quod non credebat: Adam vero quod ignorabat, vel ad summum de quo dubitabat, seu dubitare potuit sine infidelitate, aut errore, vt iam dictum est.

6 *Propriæ comparationis.* 7 *Infirmitas animi.*

Vltra hæc vero considerari potest in hoc peccato, quædam circunstantia personæ Adami, quæ in Eua inuenta non est. Nam Adam comedendo peccauit, non tantum vt priuata persona: sed etiam vt caput generis humani: Eua vero solum vt priuata persona comedendo deliquit. Et ideo peccatum Adæ totum genus humanum infecit, & gratia Dei, iustitia originali, immortalitate corporis, alijsq; bonis priuauit. Eua autem sibi soli nocuit: nam licet ipsa peccasset, si Adam non peccasset, posteri eorum bona illa non amitterent, nec peccatum originale incurrerent, vt in propria materia latius dicetur. Ex hac ergo parte videtur peccatum Adæ fuisse multo grauius, quam Euæ, quia ex nocumento proximi peccatum aggrauatur, illud autem nocumentum grauissimum fuit, & quodammodo infinitum: vnde videri potest peccatum Adæ ratione illius circunstantiæ non solum illud vnum peccatum Euæ, sed etiam omnia eius peccata simul sumpta excessisse.

8 *Alienæ personæ.*

In hoc vero duo consideranda sunt: vnum est nocumentum non aggrauare peccatum, nisi fuit præuisum. Incertum autem est vtrum Adam præsciuerit nocumentum illud, quod toti posteritati imminebat, si ipse peccaret, quia non est certum, an præsciuerit pactum, seu conditionẽ in illis verbis, *In quacunque die comederis, morte morieris*, inclusam, non solum ipsius personam, sed etiam in ipso omnes eius posteros comprehendisse. Et ideo incertum etiam est an ex illa circunstantia peccatum

9 *Expositum.*

rum Adæ grauius fuisset. Nos autem in superioribus diximus probabilius esse habuisse Adam notitiam diuini pacti, & status, ac conditionis personæ suæ, ideoque non dubitamus, quin ex eo capite peccatum Adæ multum fuerit aggrauatum. Et ita loquuntur communiter Doctores, tam circunstantiam numerates, inter eas, quæ peccatum Adæ grauius reddiderunt, quod indicauit Diuus Thomas 2. 2.q.163.art.3.ad 2. & 3.p. q. 2. art.2.ad 2. & Bellarminus lib.3.de Amission.Gratiæ,cap.9. & Perer.dicto lib.6. quæst. 1. de hac re. Nihilominus tamen ex hoc inferri non potest, Euam minus peccasse, quia non fuit ipsa ab eadem grauitate immunis. Nam licèt ipsa sua propria transgressione, & comedendo de ligno vetito posteritati non nouerit: nihilominus inducendo Adamum, vt comederet, fuit causa eiusdem nocumenti, quia fuit causa peccati Adæ, & fortasse non minus, vel paulo minus, quàm Adam malitiam illam participauit. Nam licèt Adam efficacius, & propinquius nocumentum illud nobis intulerit, nihilominus ipsa prior causa, & sub ea ratione principalior illius nocumenti fuit. Propter quod dicitur Ecclesiastici 25. *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* Sicut Augustinus in Psalm. 63. dixit Iudæos non minus peccasse occidendo Christum lingua, petendo à Pilato, vt crucifigeret eum, quàm ipsum Pilatum, vel alios præcepto, & opere crucifigentes ipsum: igitur in hac ipsa grauitate parua est, vel nulla differentia.

Quarto loco inter peccata Euæ suprà posuimus peccatum scandali, quod inuitando, & inducendo virum ad comedendum commisit: in quo non est dubium, quin grauissimè peccauerit: & in hac grauitate videtur simpliciter excedere ipsum Adamum, quia ille nec aliud illi simile, nec etiam dissimile, & æquiualens commisisse videtur, quo posset illa grauitas compensari, vt ex numeratione peccatorum vtriusque parentis suprà facta, facilè intelligi potest. Sed forte quis dicet, huic peccato Euæ comparari posse peccatum Adæ, quod commisisse diximus: non corripiendo, neque instruendo Euam, prout ex charitate, & officio tenebatur: nam eiusdem ferè malitiæ est, nõ corripere proximum, cùm quis tenetur, & illum ad peccandum inducere. Eò vel maximè quòd Adam etiam suo exemplo scandalum Euæ intulit, eamque in suo peccato, & malo proposito confirmauit. Respondemus, probabiliter quidem hoc dictum esse: nihilominus tamen, & longè grauius fuisse scandalum Euæ, quia causa fuit omnium peccatorum Adæ, & ita totam illorum grauitatem participauit, & quodammodo suam fecit. Et præterea facta illa comparatione inter illa duo peccata, relinquitur infidelitas Euæ, in qua tota superauit Adamum: nam si quæ fuit in Adamo deceptio, vel non fuit peccatum à reliquis distinctum, vel fuit leuissimum comparatione deceptionis Euæ, vt præcedenti capite satis declarauimus. Denique se excusando vterque aliquo modo deliquit, & in hoc nõ solùm similes, sed etiam æquales fuisse videntur. Nam inæqualitas, quæ consideratur ex parte Euæ, quia planiùs confessa est suum peccatum, dicens, *Serpens decepit me*, parui momenti mihi esse videtur: quia per illa verba noluit ipsa confiteri speciale peccatum, sed aliud excusare: nam deceptionem tunc non credebat esse accusandam, sed potiùs esse excusatione dignam. In illo ergo peccato vel nulla, vel parua fuit diuersitas.

Quapropter pensatis omnibus, Euam grauiùs peccasse inuenimus. Quia in numero peccatorum plura peccata principalia, vt sic dicam, & omnino distincta commisit Eua, quàm Adam: nam Eua quatuor, vel quinq; commisit, scilicet superbiam infidelitatem, inobedientiam, scandalum, quibus etiam addi potest excusatio: nam si quæ alia numerantur, vel non sunt peccata, vt illa omnia, quę superbiam antecessisse putãtur, vt suprà declarauimus: vel in prædictis continentur, vt gula, & similia. In Adamo verò iuxta ea, quæ circa testimonium Pauli diximus, tantùm possunt quatuor numerari peccata, scilicet, superbia, nimius amor vxoris, inobedientia, & excusatio peccati: nam licèt aliqua plura ei imponant, aliqua immeritò ei tribuunt, vt infidelitatem, vel idololatriam: alia à prædictis non sunt distincta, vt curiositas, læsio proximi, aut siquid est simile, vt satis iam expeditum est. Igitur casus Euæ quoad numerum peccatorum maior fuit, quàm lapsus Adæ. Et hinc vlteriùs concluditur, omnibus pensatis, grauiùs deliquisse. Nam in peccatis similibus in specie, vt fuerunt superbiæ, inobedientiæ, & excusationis quoad circunstãtias inuenitur, vel æqualitas, vel parua differentia, in qua plura sunt, quæ aggrauent peccata Euæ saltem quoad superbiam, vt declaratum est. Inter peccata verò specie differentia, vt sunt infidelitas, vel excessus in amore vxoris, multo grauior fuit Euæ culpa: & vltra hæc addit Eua inductionem mariti, quæ proprium, & grauissimum peccatum eius fuit: ergo simpliciter illa grauiùs peccauit. Atque ita sententia Chrysostomi, & D. Thomæ simpliciter præferenda est. Sententia verò Ambrosij tantùm secundùm quid, seu iuxta aliquas circunstantias, & peculiarem considerationem interpretanda est.

currẽdo per comparationes inutio capitis notatas.

Quid de tẽtentia in nu. 2. relata.

CAPVT VI.

Vtrum peccatum primorum hominum fuerit omnibus grauius.

HAnc comparationem proponit D. Thomas 2.2. q. 163. art. 3. & in summa respondet, peccatum primorum parentum simpliciter non fuisse grauissimum: quia in alijs hominibus fuerunt peccata in speciebus suis grauiora. Maiora enim peccata sunt odium Dei, hæresis, desperatio, formalis contemptus Dei, vel superbia (ait D. Thomas) qua quis Deum negat, vel blasphemat, quàm superbia, vel inobedientia primorum parentum. Secundùm quid autem, seu ex circunstantijs ait Diuus Thomas, peccatum primorum parentum habuit maximam grauitatem propter perfectionem status ipsorum. Quæ resolutio communiter recepta est ab interpretibus D. Thomæ, & ab Scholasticis in 2. disp. 21. vbi specialiter Richard. art. 3. q. 2. illud comparat cum peccato Luciferi, & cum peccato Iudæ, & vtrumque horum putat fuisse grauius simpliciter, licèt secundùm quid peccatum Adæ excesserit. Et idem ferè habent Bonauent. art. 3. q. 3. & Ægid. q. 2. art. 2. Scotus, & Durandus, alijque, & Alens. 2. p. q. 103. memb. 3.

1. Responsio D. Thomæ bipartita.

1. Pars.

2. Pars.

Veruntamen circa vtramque partem aliqua notãda sunt: circa primam de grauitate specifica, seu essentiali, non est dubium quin peccata primorum parentum non attigerint supremam speciem malitiæ, quæ in actibus humanis esse potest; imò plura alia peccata esse in speciebus suis grauiora, vt euidenter probant exempla suprà posita, suppositа doctrina, quam de peccatis primorum parentum tradidimus. Potest tamen hic moueri dubium, quomodo hinc concludat Diuus Thomas, quòd licèt peccatum Adæ fuerit secundùm quid grauissimum, non tamen simpliciter. Nam ad iudicandum de grauitate simpliciter alicuius peccati non est tantùm species eius consideranda, sed adiunctis, & põderatis simul omnibus circunstantijs. Vnde fieri potest, vt peccatum leui⁹ in malitia specifica simpliciter sit grauius secun-

2. Contra 1. partem responsionis obiicitur:

dum moralem æstimationem, quàm peccatum grauioris speciei, propter varias circunstantias, vt adulterium contra personam regis maius peccatum est, quàm homicidium vulgaris hominis. Ergo quamuis peccatum Adæ in specie nō fuerit grauissimum, potuit nihilominus ex circunstantijs ita crescere, vt nō tantùm secundum quid, sed etiam simpliciter excesserit omnia alia peccata, etiam in suis speciebus grauiora.

3. *Occurritur obiectioni, iuxta quādam doctrinam.*

Hęc obiectio pendet ex alia quæstione, quæ tractatur 1. 2. q. 73. & aliquo modo Philosophiam attingit, scilicet, an indiuiduum inferioris speciei, propter differentiam indiuidualem, & accidentia possit esse melius, vel grauius quàm indiuiduum perfectioris speciei: vel etiam vtrum possit species contenta sub inferiori genere, & in eo magnam perfectionem habens esse perfectior quàm infima species supremi generis. Partem enim negantem aliqui probabiliter defendunt, iuxta quorum sententiam obiectio expedienda est, negando assumptum, & consequenter dici potest D. Thomam *in loco citato* prædictæ fauere sententiæ, & secundum illam fuisse locutum. Quia verò nunc nolumus de ilia opinione ferre iudicium, nec illam quæstionem definire, sed in materiam de peccatis remittere, ideo respondemus aliter D. Thomam interpretando. Nam particula illa, *simpliciter*, duos potest habere sensus: vnus est, vt significet omnibus pensatis, omne peccatum esse, vel non esse simpliciter grauius. Alius est, vt solùm significet tale peccatum in potissima malitia sua, eique maxime propria, & essentiali, quæ veluti per anonomasiam dicitur malitia eius simpliciter in ea esse, vel non esse grauissimum. Diuus Thomas ergo in hoc posteriori sensū dixit peccatum primi hominis non fuisse grauissimum simpliciter, id est, in potissima, & essentiali malitia sua, respectu cuius accidentalis malitia ex circunstantijs sumpta secundum quid dicitur. An verò illud peccatū pensatis omnibus fuerit grauissimum, nec ne, vtique in ordine ad demeritum, seu meritum pœnæ, non videtur D. Thomas tractasse, aut definisse, quia res valde occulta est, in qua vix potest etiam per coniecturam ferri iudicium, vt ex sequēti punctō ampliùs patebit.

Vide in tract. 5. qui est de peccatis disp. 1. q. 2. Occurritur aliter.

4 *Circa 2 partem responsionis D. Thomæ recēsentur, in primis sex circunstantiæ peccatorū in Adamo & Eua.*

Circa alteram verò partem de grauitate ex circunstantiis sumpta, non est dubium, quin multæ conditiones aggrauantes peccatum in persona Adæ, (& idem est cum proportione de Eua) concurrerint, quas sub perfectione status Diuus Thomas comprehendit. Distinctiùs autem magisque in particulari eas considerat Augustinus varijs in locis. Primò ex parte intellectus Adæ, quia erat sapientissimus, & decipi ante peccatum non poterat, cùm tamen considerare, quidquid ad nō peccandum necessarium erat, vel vtile, facillime posset. Secundò ex parte voluntatis, quia magna libertate, & sine passionum perturbatione consensit. Tertiò ex parte materiæ, quia præceptum Dei erat de re facili, & quæ absque vllo incommodo custodiri posset, vt latè expendit Augustinus 14. de Ciuit. cap. 12. & sequentib. Quartò ex diuinis beneficijs, quibus homo in eo statu fruebatur. *Quanto enim homo magis fruebatur Deo, tanto maiori impietate dereliquit Deum*, vt dicit Augustin. 21. de Ciuit. cap. 12. Quintò hinc accessit illi peccato magna ingratitudo, quam ponderat idem Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 15. Sextò ponderat ibidem temeritatem quandam, & nimiam audaciam in peccādo, vbi magna erat inobedientiæ pœna proposita. *Nam quis*, inquit, *explicet quantum malum sit non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio, & tanto terrendi supplicio.* Quibus omnibus addi solet circunstantia magni nocumenti vniuersō generi humano illati, de qua in superiori capite satis dictum est.

Non est ergo dubium, quin hæc omnia adiuncta essentiali malitiæ peccati Adæ illud longè grauius reddiderint. Sed considerandum est in Adamo plura fuisse peccata specie diuersa, præcipuè tria, quæ suprà declarauimus, circunstantias autem dictas, non omnibus æqualiter accommodari: nam priores, in quibus perfectio intellectus & immunitas ab omni passione præcipuè ponderātur, in primo peccato superbiæ considerari debēt: nam post illud statim rectitudo iustitiæ amissa fuit, & inordinata concupiscentia cœpit obscurare intellectum, & inclinare voluntatem, & inde potuerunt aliquantulum diminui sequentia peccata: è contrario verò tertia, & sexta circunstantia maximè ad transgressionem præcepti non comedendi de ligno prohibito accommodantur, & maximè propria grauitas illius est, quæ vltimo loco ex magnitudine nocumenti proponitur. Quarta verò, & quinta quæ ferè in vnam ingratitudinem coincidunt, in omnibus peccatis inuenta est, & quo plura multiplicabantur peccata, eo magis in posterioribus peccatis ipsa ingratitudo crescebat.

5. *Distinctio circunstantiarū actus ad quas pertinet.*

6. *Expenditur ratio eius quod dictum est.*

Vnde intelligi potest difficillimum esse in prædicta comparatione absolutum iudicium ferre: quia non potest certò sciri, an in omnibus dictis circunstantijs, primi parentes omnes alios superauerint, neque etiam nobis constat quantum ex alijs circunstantijs lapsus ille primorum parētum diminui potuerit, vt, v. g. quanta fuerit illorum inconsideratio, quæ consensum in primum peccatum antecesserit, vel quantus fuerit conatus in ipso affectu peccandi, potuit enim esse remissus, quod multum peccatum diminuit, vel denique quantum ex paruitate materiæ intra latitudinem peccati mortalis potuerit illud peccatum alleuari.

7. *Authoris sententia de peccatis mortalibus non omnibus inuentum fuisse in primis hominibus.*

Nihilominus tamen coniectura vtendo dicere possumus si comparatio illa fiat inter peccatum hominum, & Angelorum, simpliciter fuisse grauius Angelorum peccatum quam hominum, quia in specie superbiæ conuenerunt, & in eo circunstantiæ ferè omnes fuerunt in angelo grauiores, scilicet, materia ex parte excellentiæ concupitæ, sapientia, & libertas ex parte personæ: præsertim in primo Angelo, qui multo extrinseco suadente peccauit. Item ingratitudo post recepta maiora beneficia. Maior conatus in peccando, locus dignior, & quodammodo etiam tempus, quia angelus citius peccauit, ac denique damnum magis irreparabile. Accessit etiam peccatum inuidiæ, quod ex suo genere grauissimum est, & in Angelis, non verò in primis hominibus inuentum fuit. Denique etiam in Angelis peculiaris inobedientia non defuit, & contra præceptum longè grauius. Quæ omnia ex suprādictis de peccato Angelorum clara sunt. Vnde siue singula peccata cum singulis similibus, vel æqualibus siue vna peccatorum collectio in multitudine, & grauitate cum alia conferatur, semper lapsus angelorum inuenietur simpliciter maior. At verò conferēdo peccatum cum peccatis aliorum hominum, solùm dicere possumus, illud peccatum parentum fuisse adeò graue, vt regulariter ordinaria peccata hominum superet. Nihilominus tamen addendum est primò multos alios fuisse maiores peccatores saltē propter multitudinem peccatorum. Secundò in aliquibus hominibus aliqua peccata simpliciter grauiora fuisse, vt præcipue credi potest de Iuda, & de peccato principum Iudæorum in Christum crucifigentium, vt ex Bernardo notauimus ad 3 p. D. Th. q. 47. art. 6. in Comment. Et idem aliqui credunt de obstinatissimis hæreticis, vt Arrio, Luthero, & similibus, quod mihi valde verisimile est.

Item fortè inuentum in aliquibus peccata peculiaria.

(?) CAPVT

CAPVT VII.

An conuenienter primi homines fuerint à Deo puniti propter suum peccatum.

EXplicata culpa primorum parentum, dicendum breuiter est de ipsorum pœnis, quæ Gen. 3. per diffinitiuam sententiam Dei, eiusque propriis verbis impositæ sunt. Cùm enim in capite secundo vnicam tantùm pœnam Deus Adæ comminatus fuisset, scilicet pœnam mortis, dicens, *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Postea in cap. 3. post transgressionem plures pœnas ei imposuisse videtur. Et quod magis mirandum est, non solum homines, sed etiam serpentem visus est Deus punire. Et ipsis hominibus prius sigillatim imposuit distinctas pœnas, & postea vnam communem vtrique prædixit, scilicet mortem, & aliâ intulit, & executus est: nimirum perpetuam è Paradiso relegationem. Quæ omnia breuiter explicanda à nobis sunt, quod non potest commodius fieri, quàm singulas Dei sententias percurrendo, & explicando.

Primò ergo dixit Deus ad serpentem, *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animalia, & bestias terræ, super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Circa quæ verba in primis explicandum est, vtrum ad ipsum animal visibile dicta sint, ita vt de ipso sint ad literam intelligenda, vel potiùs de diabolo, ad quem ex intentione Dei loquentis dirigebantur. Prima sententia est verba illa pertinere ad verum animal serpentem, & illum fuisse à Deo maledictum in detestationem, & abominationem peccati, cuius instrumentum suo modo fuerat, licèt ipse non peccasset. Sicut etiam Deus maledixit terram propter peccatum Adæ. Ita indicat Didymus apud Lypomanum in Caten. Gen. 3. & Moyses Barceph. lib. de paradiso p. 1. cap. 27. refert Ephrem idem docuisse, qui consequenter asseruit serpentem illum fuisse intelligentia præditum, & addit non fuisse animal reptile, sed pedes habuisse, & quadrupedem fuisse, sed propter peccatum illis fuisse priuatum, & in reptile commutatum, virtute illorum verborum, *Super pectus tuum gradieris.*

Sed hæc sententia in hoc sensu intellecta, quòd Deus verba illa ad ipsum serpentem tanquam intelligentè dixerit, improbabilis est, quia brutum animal nō erat capax intellectus, vt supra dictum est. Præterea improbabile est, Deum per illam maledictionem mutasse naturam illius animalis, aut mancum, & monstrosum illum effecisse: ita vt nūc non sit naturale serpenti carere pedibus, & super pectus reptare, sed esse effectum contra naturam eius ex hominis peccato prouenientem. Hoc enim, & à rectâ ratione, & à sincera fide alienum est. Quod verò dixit Didymus serpentem licèt haberet pedes, virtute dæmonis erectum ad loquendum cum muliere accessisse, & ideo iussum esse, vt in pectus, & ventrem caderet: quoad priorem partem accidere quidem potuit, sed incertum est: veruntamen, illo etiam dato, probabile non est propter illam causam Deum dixisse, *super pectus tuum gradieris.* Quia si verba illa dirigerentur ad serpentem, nullum effectum, vel pœnam in eo habere potuissent, quia serpens tam ante, quàm post peccatum habuit hanc naturalem conditionem super pectus gradiendi, & similiter virtute dæmonis non minus post peccatum, quam antea potest ad malefaciendum erigi, si à Deo permittatur. Nec enim per illa verba Deus priuauit dæmonem naturali potestate, quam habet ad mouendum loealiter hæc animalia præter eorum naturam.

Est ergo secunda sententia docens Deum per illa verba directè, & ex intentione locutum esse ad dæmonem, quanuis per quandam metaphoram, seu accommodationem ad naturales proprietates veri serpentis miserum dæmonis statum explicauerit. Hæc est sententia D. Thomæ 2. 2. q. 165. art. 2. ad 4. quam ex Augustino sumpsit, quem refert ex lib. 2. in Gen. contra Manich. c. 17. & 18. & l. 12. Gen. ad lit. cap. 36. Eamq; sequuntur Beda in Exaem. & Rupert. lib. 3. in Gen. cap. 18. & Hugo de S. Vict. in Annot. in Gen. suo c. 3. vbi inter alia ait, *Non serpens, sed qui in serpente latebat diabolus maledicitur: vocatur tamen nomine eius, quia cum quasi tunicam induxerat.* Et infrà, *Et vocando eum attribuit ei illa, quæ sunt serpentis, & est historia metaphorica.* Et eandem sententiam cōmuniter sequuntur expositores in Genesim. Sotus Pererius lib. 6. in Gen. disp. de serpente. q. 4. in fine, aliqua ex parte contradicit. Ait enim maledictionem illam secundum historicum sensum ad verum serpentem pertinuisse: in sensu autem mystico, & à Deo principaliter intento ad diabolum esse referendam. Sed fortasse non re, sed in modo loquendi differt: opinor enim sensum illum de dæmone non esse dicendum mysticum, sed propriè litteralem, seu historicum, quanuis (vt dixit Hugo) sub metaphorica significatione fundata magna ex parte in proprietatibus veri serpentis, quas verba illa secundum corticem literæ (vt sic dicam) propriè significant. Quod non obstat, quominus alter sensus à Spiritu sancto intentus litteralis sit, vt est vulgare in materia de sensibus Scripturæ.

4. *2. Sententia.*

Hùic sententiæ ex parte contradicit Pererius.

Fortasse tātum in modo loquendi.

Et in primis declaratur hoc ex initio eiusdem tertij capitis Geneseos, *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Nam illa verba in sensu proprio, & literali de diabolo intelliguntur, vt suprà diximus cum Aug. lib. 11. Gen. ad lit. cap. 29. Quanuis secundùm primam significationem verborum serpens propriè significet verū animal, quòd propriam etiam calliditatem naturalem habet, quæ potuit etiam significare astutiam diaboli, qui, vt ait Augustinus, *In illo, & de illo agebat dolum.* & ideo propter diaboli astutiam serpens astutissimus dictus est, tanquam organum malignissimi dæmonis: sicut lingua dicitur prudēs, quam vix prudens mouet. Et simili modo, quòd ibi additur, *qui dixit ad mulierem* in eodem sensu ad dæmonem referendum est, ille enim erat, qui principaliter loquebatur, serpens autem tanquam lingua eius: & similiter cùm adiungitur, *cui respondit mulier*, relatiuum cui dæmonem principaliter refert, nec enim serpens verba intelligere poterat: nec credibile est Euam hoc existimasse, vt suprà docui. Loquitur ergo Scriptura de dæmone, quasi vestito serpente: seu de serpente quasi informato prauo spiritu tāquam de vno suppositō: sicut loquitur in alijs locis de viris, qui apparuerunt Abrahæ, Loth, & similibus. Igitur omnia, quæ de illo serpente, vel ad illum tanquam ad intelligentem dicuntur, in sensu proprio primario, & historico intelliguntur dicta ad dæmonem sub illo latentem, quanuis allusionem aliquam, seu metaphoram contineant secundum materialem, vt ita dicam, significationē verborum, quæ in verum serpentem conuenire potest.

5. *In gratiam prædictæ sententiæ explicantur verba, maledictionis ad serpentē.*

Sic ergo illa maledictio ad dæmonem facilè refertur. Nam proximè ante illam præcessit responsio Euæ, dicentis ad Deum, *Serpens decepit me*: quæ certè nō intellexit verum animal serpentis ipsam decepisse, sed dæmonem. Ergo cùm subdit, *Et ait Dominus Deus ad serpentem, quia fecisti hoc, maledictus es*, &c. in eadem significatione ad serpentem locutus est. Non enim verus serpens: sed dæmon sub illo fecit illud, quod fuit maledictionis causa: ergo ad illum relata est principaliter, vel etiam omnino

6 *Deinde explicantur dæmoni.*

omnino maledictio. Nec obstat, quod solùm fit comparatio ad cætera animantia irrationalia: sic enim dixit Deus, *Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ.* Nam hoc pertinuit ad dæmonis cõfusionem, quia seruata proportione miserabilior, & infirmior est quàm bestiæ terræ, non in dignitate, seu potestate naturæ suæ, sed, vt *in dicto libro secundo contra Manich.* dixit August. cap. 17. in conseruatione naturæ suæ, vt D. Thomas legit, vel vt habetur in Plantini editione, *In conuersationem naturæ suæ. Quia pecora nõ amiserunt beatitudinem aliquam cælestem, quam nunquam habuerunt, sed in sua natura, quæ acceperunt, peragunt vitam.* Vnde colligit per illam maledictionem, nullam nouam pœnam dæmoni fuisse impositam, sed miserum eius statum in reprehensionem, & confusionem eius ei fuisse obiectum, & commemoratum. Nam cùm ei dicitur, *Quia fecisti rem hanc*, non significatur, causam damnationis, vel, vt ita dicam, essentialis maledictionis dæmonis fuisse, quòd Euam deceperit; nam ille actus in statu damnationis commissus non erat meritorius nouæ essentialis pœnæ, fuit tamen dignus diuinæ obiurgationis, & ostensionis perpetuæ inimicitiæ cum hominibus, quæ pœnam accidentalem non parum augere potuit. Addit verò Augustinus eam pœnam dæmonis esse in dictam illis verbis, *Qua nobis cauendus est. Pœna enim* (inquit) *eius est, vt in potestate habeat eos, qui Dei præcepta contemnunt.* Hanc enim potestatem datam ei tunc esse Augustinus sentit, dum subdit, *Hoc enim explicatur his verbis, quibus in eum profertur sententia, & inde maior pœna est, quia de hac tam infelici potestate lætatur.* Quomodo autem per illa verba hoc explicetur, Augustinus non declarat. Possumus autem dicere, dæmonem desiderando imperium, & potestatem supra homines, eos ad peccandũ induxisse, Deum autem ei maledicendo illi indicasse illam potestatem, & peccantium hominum societatem ad maiorem eius pœnam, & ignominiam fuisse futurã, quia etiam hominibus abnominabilis, & horribilis factus est, plusquam omnes feræ, & bestiæ terræ. Denique sic etiam verba illa secundum corticem literæ accommodata serpenti, optime per metaphoram literaliter ad dæmonem transferũtur. Nam serpẽs reuera nihil fecerat propter quod propria maledictione dignus esset: tamen quia dæmon illo, tanquam instrumento vsus fuerat per metaphoram dicitur maledictus inter bestias terræ, id est, horribilis, & maximè fugiendus inter illas, quibus miser status dæmonis, & malitia eius, ac potestas ad notandum significantur, vt explicatum est.

7. *Reliqua maledictionis verba dæmoni similiter accõmodantur*

Atque ad eundem modum cætera subsequentia verba interpretanda sunt. Addit enim Deus, *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Quæ verba materialiter ad verum serpentem applicata, satis per se clara sunt: nam, vt ait ibi Theodor. quæst. 34. *Serpens nullum inde damnum accepit, cum hanc motus speciem à natura habeat.* Idemque cum proportione est de alimento terræ: neutrum ergo serpenti accessit ex peccato hominis vt propterea quasi in pœnam ipsius serpentis id dictum fuerit. Dictum est ergo ad significandum per illam metaphoram obiectam conditionem, & miserum dæmonis statum: dicitur enim, *Super pectus tuum gradieris. Quod in colubro animaduertitur* (ait Augustinus.) *Et ex illo animante visibili ad nostrum inuisibilem inimicum locutio figuratur.* Nomine *pectoris*, dicit, significari superbiam, *quia ibi dominatur impetus animi.* Hieronymus verò in quæst. Hebraic. dicit nomine *pectoris*, significari calliditatem, & versutias dæmonis. Nam in pectore veluti seruantur fraudes, & doli. Vnde significatum est omnes gressus dæmonis esse nequitias, & fraudes. Quod verò additur, *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*, facilem, & quasi patentem habet metaphoram, vel quia dæmon vitiosis, & terrenis cogitationibus, & prauis actibus, ac peccatis hominum pascitur, vel etiam quia homines peccatores, quasi cibus, & alimentum sunt ipsius dæmonis: nam & Petrus dixit, *Quia aduersarius vester diabolus circuiuit quærens, quem deuoret*, 2. Petri 5. Homines autem peccando terra, & cinis quodammodo facti sunt. Sic exponit Gregor. in Psalm. 4. Pœnitenti. Et consequenter de tempore huius vitæ, vsque ad consummationem sæculi exponit sequentia verba, *Omnibus diebus vitæ tuæ.* Quod etiam Augustinus dicto cap. 18. ita declarat, *id est, Omnibus diebus, quibus agis hanc potestatem ante vltimam iudicij pœnam.* Hoc enim tempore dæmon quodammodo viuit, quia in hoc aere caliginoso liberè quodammodo agere, & quasi officium serpentis facere permittitur tentando, & spiritualiter occidendo homines, & ita aliqua ex parte nondum consummatam mortem secundam obtinuit, donec post diem iudicij in infernum detrudatur.

Altera verò pars illorum verborum, *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, varias habet expositiones. Et in primis secundùm corticem literæ de serpente accepta significant, illum esse infestum, & pernicioſum hominibus, & *insidiantem calcaneo*, quia cùm in altiores partes nõ se erigat, in inferioribus, & terræ propinquioribus mordet: homo autem potens est caput eius pede conterere, aut baculo si animaduertit. Qui sensus potuit quidem quasi obiter intẽdi, vel potiùs supponi. Tum ad indicandum hoc etiam genus belli, seu inimicitiarum inter hominem, & nociua animalia ex peccato esse ortum: nam antea omnia fuissent homini mansueta, & subiecta. Tum etiam ad fundandam figuratam, seu metaphoricam locutionem. Nihilominus tamen, vt dixi, alius sensus altior fuit ad literam, & principaliter intentus. Potest autem esse multiplex, vnus est, vt nomine, *mulieris*, ipsa Eua intelligatur. Hunc indicat Hugo in adnotationibus eiusdem loci, dicens ibi insinuari, *quod Eua respiciens pœnitentiam egerit.* Nam Eua per gratiam Dei pœnitentiam agendo, sicut in Dei amicitiam rediit, ita nouas inimicitias cum dæmone contraxit, caputque eius contriuit, id est, superbiam, vel prauas suggestiones, & deceptiones eius, licèt dæmon calcaneo eius, id est, omnibus vestigijs, vel finibus actionum illius insidietur.

1. Potest. 2. Explic.

Et hic quidem sensus est probabilis, si ad solam Euam non limitetur, sed cum proportione ad quancumque sanctam animam extendatur. Nam hoc exigunt illa verba, *Et inter semen tuum, & semen illius*: nam semen diaboli, id est, Luciferi dici possunt reliqui dæmones, quot inductione sua, quasi in peccato genuit, vel intelligi possunt homines mali, vel prauæ conceptus, quos in hominem immittit, cùm illum tentat: semen autem mulieris dicuntur omnes filij Euæ, ex quibus multi sancti caput dæmonis conterunt, & licèt ipse semper insidietur illis ab inferiori animæ parte, id est, appetitu sensitiuo inchoando, tandem cõtra illum victoriam reportant. Et ita ipso Lucifero, ac sociis eius inuitis homines sedes gloriæ, quas ipsi amiserunt, obtinebunt. Vnde nomine *mulieris* recte etiam potest humana natura, seu gens intelligi. Nam ex quo homo peccauit, inimicitiæ, & bellum immane inter dæmonem, & hominẽ orta sunt, in quo bello nobilior pars hominum de potestate dæmonis triumphat, eiusque caput conterit, cùm ipse semper insidietur calcaneo eius. Nomine autem mulieris, potius quàm viri humana natura significata est: *quia homines non tentantur à dæmone, nisi per illam animalem partem, quæ quasi mulieris imaginem in homine ostendit*, vt Augusti-

2. Proxima explicatio confirmatur.

gustinus dixit, quem Diuus Thomas secutus est.

Alia illorum verborum expositio mystica fortasse, sed valde pia, & probabilis est, vt per mulierem beatissima Virgo prædicta fuerit, quæ inter puros homines perpetuas, ac maximas inimicitias cum dæmone habuit, illiusque caput ipsa cõtriuit. Quia licèt dæmon calcaneo Virginis, id est, omnibus vestigijs eius ab initio cõceptionis ipsi⁹ insidiatus fuerit, semper victus, & prostratus ab illa discesit. Quem sensum optimè prosequitur. Rupertus l.3. in Gen. c.19. & l.2. de Victor. Verb. & illũ ex Patribus tractaui in 2. tom. 3. p. disp. 3. sect. 5. & Ystella in Gen. hunc sensum literalẽ esse censet, & Leonem Papam, & Serapionẽ in illius cõfirmationem allegat. Pereira etiã notat cõmunem Patrum sententiam esse, Christi (qui solius mulieris, & non viri semẽ, seu fructus fuit) victoriã contra dæmonem in his verbis Geneseos fuisse ab initio mundi prædictam, imò & ab Adamo sub illis verbis fuisse intellectam.

Ex dictis circa serpentis maledictionem constat, nec ipsi serpenti, nec dæmoni nouam pœnam fuisse à Deo impositam per verba prædicta, nec etiam hominibus. Non quidem serpenti, quia neque propriè capax illius erat, neque fundamentum pœnæ, quod est culpa in eo locum habebat. Nec etiam dæmon, nisi fortè quoad aliquam obiurgationem, & accidentalem pœnam, quia iam non erat in statu merendi augmentum substantialis pœnæ, vt dixi. Neque denique ipsis hominibus, quia Deus nec illis maledixit, nec verba illa ad ipsos direxit. Imò si attente aliqua ex illis verbis considerentur, licèt aliqua ex parte miserum statum, in quo homines incidernnt, indicẽt, quãtenus vel rebellionem animantium bestiarum contra homines, vel inimicitiam, & pugnam perpetuam cum dæmone multo acriorem quam in Paradiso futura esset, aliquo modo significauit, nihilominus magis propriè consolationem aliquam eisdem hominibus præbuerunt, & fiduciam consequendi victoriam contra dæmonem, si legitimè pugnauerint, per semen alterius mulieris, quod est Christus, præcipuè obtinendam.

Quia verò Dei opera sunt misericordia, & veritas, ideo post hanc promissionem, sententiam cõtra ipsos homines protulit: circa quam in primis obseruandum est, Deum nullam fecisse mentionem spiritualium pœnarum, sed earum tantùm, quæ ad corpus aliquo modo pertinent, fortasse quia homines per peccatum deordinati, & animalibus brutis similes effecti, illis pœnis magis commoueri poterant, easque euidentiùs experiri. Præcipua verò pœna, & cæteras omnes virtute cõplectens, fuit priuatio iustitiæ originalis, quatenus corpus animæ, & appetitum inferiorem superiori, & superiorem Deo perfectè subijciebat. Quam pœnam ipso facto (vt sic dicam) & ante omnem declaratoriam sententiam incurrerunt, vt prius significatum fuit illis verbis, *Et apertisunt oculi amborum*, &c. vt suprà explicata sunt: & ideo fortè hac pœna prætermissa, quæ iam inerat, & per effectum sentiri poterat, Deus alias calamitates commemorat. Ex quibus, quædam fœminarum, aliæ virorum propriæ sunt: aliæ verò sunt vtrisque communes, quæ suo ordine pronunciantur, initio à fœmina sumpto, cuius tres pœnæ declarantur.

Primã continetur illis verbis, *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos.* Circa quam statim occurrit obiectio, quia fœcũditas fœminæ magis ad Dei beneficium, quàm ad pœnas pertinet: cur ergo tãquam specialis pœna à Deo pronunciatur. Item quia etiam in statu innocentiæ fœminarum conceptus multiplicarentur: ergo non est pœna peccati. Item quia pœnæ illæ prout communes sunt alijs fœminis in omnibus inueniri debẽt, sed non oẽs fœminæ sæpius concipiunt: imò aliquę nũquã patiũtur ęrumnas fœtus, quia nunq; concipiũt. Ad principalẽ obiectionem respondet D. Th. dicta q. 164. a. 2. ad 2. non conceptionẽ ipsam secundũ substantiam suam: neq; quoad fructum eius inter pœnas cõputari, sed quoad modũ, quia est cũ ærumnis, id est, cum angustia, tædio, & alijs incõmodis, quib⁹ fœmina dum fœtũ in vtero portat affligitur. Ita vt duæ illæ particulæ, *ærumnas & conceptus*, coniunctim exponantur: scilicet, *multiplicabo ærumnas, etiam in conceptibus tuis*: & ita ærũnas patiuntur etiã virgines, quia licèt actu nõ concipiant ex propria conditione sexus, & ex materia ad conceptionẽ à natura ordinata, multa incõmoda, & interdum tædia, & dolores, ac ægritudines patiuntur. Quæ omnia in nõ virginibus maiora sunt: nã licèt steriles esse contingat ærumnis, & tædiis non carent: præterquam q; ipsa sterilitas pœna est, & tædium auget, vt indicauit D. Th. supra ad 3. Multum verò augentur huiusmodi ærumnæ in his, quæ cõcipiunt, & eo amplius, quo sæpiùs concipiunt. Et ita multiplicatio cõceptuũ ratione talis modi specialis fœminę pœna esse dicitur. Addit deniq; Rupert. l.3. in Gen. c.22. multiplicationẽ cõceptuũ in natura lapsa, quaten⁹ per illos multi reprobi generãtur, vel quaten⁹ plures ex eis, suis vitus, & flagitiis parentes affligũt, vel quia sæpe mõstroſi nascuntur, & interdum menstrui exeunt: sæpissime verò sunt immaturi, aut post natiuitatẽ breui extinguũtur: vel denig; aliquando plures sunt, quàm vt à parẽtibus sustentari possint, sicq; ad pœnã ex peccato manantem primorum parentum pertinere: in sterilibus ipsa sterilitate compensatur.

Et ita patet responsio ad secundum: nam in statu innocentiæ esset quidem humana cõceptio, & filius portaretur in ventre à matre tẽpore à natura præscripto: quanuis cõtrarium sine fundamento Oleaster dixerit, (de quo infrà redibit sermo) sed tamen diuina prouidẽtia fieret, vt fœminę sine vlla afflictione, vel tædio omnia sustinerent: & ideo nunc modus ille cõceptionis pœna est peccati. Ad tertium etiam iam declaratum est, quomodo illa pœnã omnibus fœminis cõmunis sit, maior autẽ, aut minor iuxta cõditionem status, vel etiam cõplexionum diuersitatem. Nam, vt rectè notat D. Thomas in dicta q. 164. a. 1. ad 4. hæ pœnalitates non sunt pœnæ per se, ac directè impositæ tanquã à iudice taxatæ, in quibus semper æqualitas cum proportione ad legem, & ad delictum seruatur: sed sunt pœnalitates consequentes ex illa primaria pœna priuationis iustitiæ originalis, quæ est veluti radix cæterarum: vnde per accidens contingere potest, vt in diuersis fœminis inæquales sint, etiãsi peccatum originale in eis idem, seu æquale sit.

14 *Ad 2.*

Secunda pœna fœminæ illis verbis declaratur, *In dolore paries filios*, quæ noua explicatione non indiget, idem enim iudicium est de hac pœna, quod de morte: nam per se spectata pura natura humana, conditio naturalis fœminæ est cum dolore parere: tamen quia in statu originalis iustitiæ mulieres ab huiusmodi malo diuina virtute præseruarentur: ideo in hoc statu pœna est peccati, quam Deus illis verbis declarauit. Quomodo autem in statu innocentiæ esset partus sine dolore, infrà declaraturi sumus. Vbi etiam exponemus talis doloris causam: & quomodo in statu illo impediretur.

15 *2. Pœna mulieris.*

Atque eodem ferè modo tertia pœna explicanda est: *sub viri potestate eris.* Vt enim notauit Augustinus lib. 11. Gen. ad lit. cap. 37. subiectio vxoris ad virum bona, & naturalis, ac necessaria est, vnde in statu innocentiæ fuisset: imò verò iam fuit. Nam ante peccatum Eua subiecta fuit Adæ, quia in illius adiutorium creata est, & sine subordinatione, ac debito

16 *3 Pœna:*

debito ordine non poterat inter eos pax, & perfecta societas subsistere. Nihilominus tamen ex priuatione iustitiæ originalis per peccatum inductæ, prouenit, vt in hoc statu illa subiectio habeat rationem pœnæ, quam antea non habuit. Quia in priori statu vis tantùm directiua in viro erat necessaria, quia fœmina in vi iustitiæ promptissima esset ad parendum, nihilque inordinatè concupiscere posset directioni viri contrarium: & similiter vir propter eandem rectitudinem, honestè, ac suauiter, & sine vlla perturbatione sua potestate vteretur. Nunc autem subiectio fœminæ pœnalis est, aliquando quidem ex parte ipsius, quia immoderatè aliquid concupiscit, propter quod, vel non sine tristitia viro obedit, vel correctione indiget, in qua subest marito quoad vim coerciuam: aliquando verò ex parte ipsius viri, qui vel inconsideratè, aut etiam inique imperat, aut iniustè vel immoderatè punit. Et hoc per illam particulam, *sub potestate*, presè intellectam indicatu est. Et per alteram particulam, *& ipse dominabitur tui*, magis declaratur, vt notauit Rupertus lib. 3. in Gen. cap. 21. Quia verbum dominandi, vel maiorem potestatem, vel vsum eius liberiorem, vel vehementiorem indicat. Diuus Thomas autem dicta quæst. 164. art. 2. ad 1. vnico verbo respondet, nunc subiectionem fœminæ esse pœnalem, quia sæpe necessarium illi est cõtra propriam voluntatem, viri voluntati parere.

17. *Pœna viri tripartita.*

Tandem contra virum pronuntiat Deus sententiam, dicens, *Quia audisti vocem vxoris tuæ*, &c. Et tres etiam pœnas, vel tres eiusdem pœnæ partes exprimere videtur: vna est, *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ.* Alia est, *Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ.* Tertia est, *In sudore vultus tui vescêris pane tuo donec reuertaris in terram de qua sumptus es*, &c. Circa primam statim occurrit interrogatio, qualis illa maledictio terræ esse potuerit. Quia sicut diuina cuiuscunque rei benedictio, nihil aliud significare potest, nisi fœcunditatem eius, vt suprà dictum est, de benedictione data viuentibus ad crescendum, & multiplicandum. Ita è contrario maledictio terræ non nisi sterilitatem indicare potest. Deus autem non reddit sterilem terram propter hominis peccatum, quia nõ immutauit naturam eius, nec aliquas qualitates, seu dispositiones prauas in illam immisit: quid ergo contulit terræ illa maledictio, aut quo bono illam priuauit? Respõdeo sicut de doloribus, & ærumnis diximus, secũdum se quidem esse naturales: nunc verò esse peccati pœnam: ita de sterilitate terræ dicendum esse, per se spectatam naturalem esse, seu ex cursu naturalium causarum consequi: nunc autem esse pœnam peccati. Quia si status innocentiæ duraret, homines non sentirent defectum sterilitatis terræ, quia vel ad suam sustentationem peculiari terræ cultura non indigerent, sed ex spontaneis arborum fructibus sufficienter alerentur: vel si aliquid operis in cultu terræ ponerent, & illud sine labore, aut defatigatione perficerent, & ex illo abundantes fructus sine vllo sterilitatis incommodo perciperent. Quia vel intra Paradisum habitarent, cuius tota terra fœcundissima erat, vel si aliqui extra Paradisum viuerent, ita per diuinam prouidentiam gubernarentur, vt nullibi sterilitatem terræ sentirent.

Dei, parte qua est, maledicta terra in opere tuo, &c. dubium:

Responsio:

18. *Progreditur responsio.*

At verò post peccatum eiectus est homo de Paradiso, & extra illum priuatus est illo peculiari beneficio specialis prouidentiæ Dei, & ideo dicitur terra maledicta, quia propter peccatum suæ naturali conditioni, & sterilitati relicta est, vt licèt homo impensè laboret, vix reddat illi necessarium fructum. Vnde quod addit, *in opere tuo*, duobus modis potest intelligi: primo, *in opere tuo*, id est, in peccato tuo, seu propter peccatum. Et ita exponit Hieron. *in quæst. Hebraicis super Genesim*, cum Aquila, & Theodosio: & fauet Paraphrasis Chaldaica, quæ vertit, *Maledicta terra propter te*: estque probabilis sensus, quem multi sequuntur. Alter verò sensus est, *In opere tuo*, non præterito, sed futuro, id est, in cultura, & defatigatione tua. Qui sensus est satis consentaneus literæ iuxta vulgatam editionem, & magis iuxta Septuaginta: qui vertunt, *in operibus tuis*. Item quadrat contextui, quia Deus iam dixerat, *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti*, &c. *maledicta terra*, &c. Iam ergo satis declarauerat maledictionem illam propter peccatũ indici. Ergo satis verisimile est, addendo, *in opere tuo*, voluisse sterilitatẽ declarare, & exaggerare: quia licet homines multum laborent colendo terram, illam maledictioni, & sterilitati subiectam experiuntur. Quod amplius Deus explicat, dum addit, *In laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ.* Quia vt victui necessaria tribuat, magno labore, & sudore opus est: quæ necessitas (vt dixi) in statu innocentiæ minime fuisset.

Alius sensus.

Verbũ in opere tuo, vnus sensus.

Altera pars huius pœnæ illis verbis explicatur, *Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Circa quæ verba occurrebat quæstio, vtrum non interueniente peccato, terra spinas, & alias herbas inutiles, vel noxias produceret. Sed hanc in superiori libro capite septimo tractauimus. Diximusque futuras fuisse spinas, & tribulos in terra, etiamsi homo non peccasset. Sed tunc non essent pœnales homini, quia neque illum pungerent, aut dolorẽ inferrent, neq; terræ fœcunditatem homini conuenientem impedirent. Nunc autem inter pœnas primi peccati ponuntur, quia & mortale corpus pungunt, & affligunt, & magna ex parte sterilitatem terræ & laborem in cultura illius augent, vt notum est. Et ideo addit Dominus, *Et comedes herbam terræ*, ac si diceret, vt herbas vtiles habere possis ad vescendum, spinas, & tribulos euellere, non sine labore, & dolore tibi necessarium erit.

19. *Pœna viri tripartita.*

Tertia pars eiusdem pœnæ illis verbis explicatur, *In sudore vultus tui vescêris pane, donec reuertaris in terram de qua sumptus es*, vbi nomine *panis*, omnis cibus ad vescendum aptus comprehenditur, vt est frequens vsus Scripturæ. Et fortasse per antonomasiam (vt sic dicam) id specialiter in pane declaratum est: tum quia inter omnes cibos panis est maximè ad vitæ sustentationem necessarius: tum etiam quia plures operationes laboriosæ ad illius præparationem obire necesse est, quam in cæteris cibis, aut fructibus: nimirum, arando, seminando, metendo, triturando, & plures alias exercendo, quæ ad panem tandem conficiendum, necessariæ sunt. Nihilominus tamen ibi, etiam tacitè indicatur omnes labores, & sudores, quibus homines in hoc statu mortalis vitæ in illa sustẽdanda, defatigantur. Quòd si quis obijciat, nõ omnes homines hanc pœnam sentire, quia sine vllo labore suo panem in delicijs comedunt, de quibus illud accipi potest, *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur*, Psalm. 72. Respondet Diuus Thomas dicta q. 164. art. 2. ad 3. in primis satis esse ad huius pœnæ veritatem, quòd homines in hoc statu sine labore, & sudore sustentari non possint, etiamsi hic labor non ab omnib. indifferenter, & ab omnibus specialiter sentiatur, sed ab ijs, qui agriculturam, & alia similia opera exercent. Deinde ait Diuus Thomas etiam alios nõ comedere panem sine labore, quia vt laboribus aliorum fruantur, alios labores pro republica sustinent, regendo, militando &c.

Infirmi.

Ecclesiast. 34. Psal. 72.

Diuus Thomas.

Præterea in illis vltimis, *donec reuertaris*, &c. declarauit Deus, hanc pœnam vsque ad mortem esse duraturam, quia toto tempore vitæ indiget homo alimentis, quibus sine labore non vescitur. Et huius

Eccles. 40. Omnia animalia diligunt similia sibi.

huius occasione iterum renouat, seu prædicit pœnam mortis per peccatum contractam, dicens, *Quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* In qua causali locutione notari potest, indicasse Deum ex ipsa hominis natura, & ex materia, ex qua est formatus, quasi intrinseca necessitate consequi, vt homo in puluerem per mortem, & corruptionem reuertatur: nihilominus tamen simul declarat mortem subsecutam esse ex peccato, quia sine illo non fuisset, ac proinde esse pœnam peccati, vt supra in capite 14. libri 3. latè declaratum est. Et ex hac pœna consequens etiam fuit, vt homines extra Paradisum eijcerentur, de qua eiectione, & modo, quo facta est, dicendum superest, nonnulla vero attigimus in c. proximè allegato, & prius in capit. sexto, qui est de Paradiso.

CAPVT VIII.

Quando fuerit Adam è Paradiso eiectus, quantoque tempore in illo permanserit.

1 QVæstionem hanc vsque in hunc locum distuli, vt simul tempus, in quo primi homines peccarunt, & in quo puniti sunt, quantoque tempore Paradisum incoluerint, explicarem. Nam hæc tria valde inter se connexa sunt vt est per se manifestū. Ante omnia vero supponendū est, Adamum fuisse in sexto die extra Paradisum creatum, & postea in Paradisum translatum. Ita dictum est supr. l. 3. c. 5. Et colligitur ex narratione Gen. c. 1. & 2. ibi tamen non explicatur hora creationis eius, vnde certò sciri non potest. Dixerunt vero aliqui, fuisse creatum prima hora illius diei post Solis ortum in nostro horizonte, seu in Paradiso: quę hora dici potest prima diei artificialis, quæ fuit septima inchoata, seu decurrens diei naturalis in tempore æquinoctij, in quo mundus creatus est. Sed licet hoc probabiliter dictum sit, non potest esse certū, quia in Scriptura non dicitur, nec alia via est reuelatum, neque sufficienti coniectura ostendi potest. Præsertim, quia eodem die sexto creauit Deus animalia bruta, priusquam hominem: vnde fit verisimile, in prima illa hora ea creasse: nihilominus tamen, vt l. 3. c. 4. dixi, inter hominis creationem, cæterorumq; animalium, non oportuit multum temporis intercedere: & ideo potuit creari Adam in prima hora, vel parū post illam, quia bruta prope Solis ortū fieri potuerunt, & homo orte iā sole. Denique satis est, quod homo in principio illius diei creatus fuerit, siue in prima, siue in secunda hora, in hoc enim non est scrupulosè immorandum, neque ad id, de quo nunc agimus, est necessarium.

Similiter incertum est, quantū temporis inter creationem Adæ, eiusq; translationem in Paradisum, intercesserit: quia hoc etiam non est reuelatum. Vnde non defuerunt, qui dixerint, quadragesima die post creationem fuisse Adam ingressum in Paradisum, vt refert Anast. Synait. l. 9. Hexaëm. versus finem. Sed longe probabilius est, eodem die sexto translatum esse. Nam ostendimus in dict. ca. 4. Euam fuisse creatam in illo die: & in c. 5. probauimus creatam esse in Paradiso: ergo necessarium fuit, vt Adam in illum iam translatus fuisset: cum Eua ex eius costa formata, & statim, ac producta est, ipsi Adæ præsentata, & matrimonio coniuncta fuerit. Vnde tandem supponimus, omnia, quę Genes. 2. circa plasmationem Adæ, & Euæ, eorumq; in Paradiso conuersationem, facta narrantur, in sexto die creationis mundi perfecta fuisse. Ita n. ex contextu illius capitis manifestè colligitur. Difficultas igitur in præsenti superest, an tentatio serpentis, & hominum lapsus in eodem die sexto contigerit.

3 Multorum opinio fuit, satisq; antiqua, affirmās Adamum in eodem die, in quo creatus est, peccasse. Ita docet Ir. l. 5. cont. hæres. c. 23. dicens: *Factum est vespere, & mane dies vnus. In hac ipsa die manducauerunt, in ipsa autem, & mortui sunt.* Et infra dicit, propterea Christum in eadem die, id est, feria sexta mortuū esse. Quam sententiam, & eius allegoricam rationem latè prosequitur Anast. Synait. Anagog. contemplationum in Hexaem. l. 7. in princ. Et, quod mirandum est, prius dicit: *Vespere sexti diei in horto, & Paradiso factus est Adam*, &c. & nihilominus postea subdit: *Has vesperas sextæ horæ fecit Christus propter illum hominem qui in Paradiso euersus fuerat in illa vespera.* In quibus verbis in primis subsistere non potest, quod ait Adam factum esse in Paradiso. Nam contrarium docet Scriptura, & ipsemet dixerat in lib. 4. post medium. Deinde parum verisimile est, in eiusdem diei sexti vespere factum, & lapsum fuisse. Pro illa vero sententia, quod eodem die, quo factus est Adam, peccauerit, refertur in catena Lypomani in Genes. circa id, *De omni ligno Paradisi vescimur.* Diodor. Tarsen. citantur etiam Cyr. & Epiph. quorum loca non inueni. Denique Perer. libr. 6. in Gen. disp. de hac re, pro eadem refert Moysen Barcepha lib. de Paradiso. allegantem etiam pro illa Philor. in orat. de Arbore vitæ: & Iacobum quendam in orat. de Passion. Domini. At ego apud Mosen Barcepha solum inueni hanc opinionem cum alijs relatam in 1. p. de Parad. c 28. satis à medio: ipse verò subdit, *Sed nos hac ipse ius, Deo volente explicabimus dilucidius.* In reliquis verò partibus eius operis nihil amplius inuenio. Atq; hanc sententiam secutus est Abul. Gen. 3. q. 14.

Opinio affirmans Adamum ipso sexto die peccasse.

4 Congruentiæ pro hac sententia sunt, in primis allegorica tacta ab Irenæo, quod Adam in sexta feria creatus est, & in eadem, vel simili die, seu feria mortuus, vel spiritualiter secundum animam, vel quoad corpus inchoatiuè (vt sic dicam) quia ex illo die cœpit mori: sed non est sic mortuus in alia sexta feria: ergo in eadem prima, in qua conditus est. Maior solum suadetur, quia ob hanc causam voluit Christus in sexta feria mori. Minor autem probatur: tum quia non est verisimile fuisse Adamum in Paradiso per dies octo, vt statim ostendetur: tum etiam, quia non haberemus fundamentum historicum, vt sic dicam ad asserendum in feria sexta peccasse. Vnde formari potest secūda coniectura ex historia Gen. nam in c. 2. narrantur trāslatio Adæ in Paradisum, & nominū animaliū impositio, & Euæ formatio cum verbis, quæ Adam ad vxorē locutus est. Et statim in c. 3. incipit Moses tentationem serpētis enarrare. Ergo signū est, breuissimum tēpus interpositū, ac subinde eodē die post paucas horas dæmonē ad tentandā Euam accessisse. Fitq; hoc verisimile, quia dæmon ardebat inuidia, & desiderio priuandi homines felicitate illius status: & ideo credibile est, quā primū potuit ad tentandū homines accessisse. Præsertim, quia timere potuit, ne homo per temporis moras, vel meditationem diuinarum rerum vel diuinis illustrationibus cautior factus, difficilē vinci posset.

1. Congruentia pro hac opinione.

2. Congruentia.

Tertia ratio fit, quia homines ante lapsum de fructibus Paradisi nihil gustarunt, nec comederūt quicquam, ergo non fuerūt per integrum diem in Paradiso, neque in illo moram aliquam fecerunt. Quia non est verisimile per integrum diem, & noctem nihil comedisse. Antecedens colligi potest ex verbis illis serpentis, *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradisi?* id est, ex nullo ligno, quod non fuisset ausus dæmon dicere, si ex aliquo fructus illos comedentes vidisset. Vnde Moses Barc. in d. c. 28. ex quodam Theodoro, & alijs refert, dæmonem non audiuisse præceptum à Deo impositum, quia non voce sensibili, sed interna reuelatione fuerat factum: & quia cętera animan-

3. Coniectura.

tia videbat pabulum ex terra sumere, Adamum a. & Euam, licet corpore constarent, nondum vesci, in suspicionem venisse, datam eis fuisse legē, qua certus aliquis modus vescendi illis esset præscriptus. Aug. etiam ser. 65. de temp. de Adam ait, *Quandiu ieiunauit, in Paradiso fuit.* significans ante peccatum non comedisse. Accedit, quod si de aliqua arbore gustassent, maximè de arbore vitæ, quia eius virtutem non ignorabant. At de illa non gustasse constanter tradit Perer. l. 3. in Gen. disp. de arb. vit. q. 5. & lib. 4. circa illa verba, *In quacunq; die*: ergo.

6 *Predicta opinio non repugnat Scripturæ, est tamen incerta & parum verisimilis.*

Et hæc quidem sententia nihil continet vel in se impossibile, vel narrationi Moysis repugnans. Quia, vt ex dictis supra l. 3. c. 4. & 5. intelligitur, omnia illa, quæ de creatione primorum hominum in c. 1. & 2. Gen. narrantur, potuerunt in sexto die ante meridianum tēpus perfici, & sub meridiē per duas, vel tres horas potuit tentatio serpētis, & lapsus hominis consummari, & sub vesperam hora nona, paulo ante Solis occasum, potuerunt fieri cætera, quę vsque ad eiectionem hominum de paradiso Moyses narrat. Omnia n. colloquia quæ ibi describuntur, breuissimis morulis fieri potuerūt, & actus interni sufficientes ad cōsummandū peccatum, fere in momento fiūt: Deus etiam summa velocitate perficere potuit opus suum, tam inquirendo de delicto ab hominibus commisso, & quasi de illo iuridice interrogando, veritatemq; examinando, quam etiam sententiam proferendo ac denique illam exequendo in fine eiusdem sexti diei, homines vtiq; extra Paradisum ejiciendo. Quod autem hoc totum, quod possibile iudicamus, ita factum sit, valde incertum est, & per ea, quæ dicemus, fit saltem parum verisimile.

7 *2. Opinio ciparsita primos parentes vltra diē naturalem in paradiso fuisse, incertum tamen quamdiu fuerit ita tēpus.*

Vnde alij doctores tempus habitationis Adę, & Euæ intra Paradisum, vnius diei durationem excessisse opinantur, quanuis in temporis determinatione nec inter se conueniant, nec aliquid certū definiri posse arbitrentur. Et in primis licet illa omnia, quæ de primis hominib. narrantur Gen. 1. & 2. fuerint in sexto die facta. Nihilominus, quod cętera omnia, quę in c. 3. adduntur, eodem die contigerint, nec in Scriptura habet fundamentum, nec illi est multum cōsentaneum. Nam, quod post narrationem earum rerum, quæ in formatione Euæ contigerunt, statim fiat transitus ad tentationem serpentis describendam, nullum argumentū est, quod illa tēptatio eodē die facta sit, quo Euæ est formata. Quia nec Scriptura narrat omnia, quæ facta sunt: nec ex ordine narrationis colligi potest, eodem die fuisse facta cætera, quæ consequenter narrantur. Aliunde vero Gen. 3. dicitur, Deum deambulasse in Paradiso. *Ad auram post meridiem*, quādo Adamum interrogauit, *vbi es*, &c. Vnde probabiliter colligi potest, Adam peccasse ante meridiē, ac subinde non fuisse Euam tentatam in eodem 6. die, in quo fuit creata. Quia cōsideratis rebus, quæ in antemeridiano tempore illius diei sexti præcesserunt, vix fit credibile, potuisse statim Euā ante meridiē eiusdem diei solam, & à marito separatā in Paradiso ambulare vsq; ad locum, in quo erat arbor scientiæ boni, & mali, & ibi cū serpente miscere colloquium cōsentire, ac comedere de fructu arboris: & postea maritū quęrere, & illum inuitare, & ad peccandum trahere: ergo credibilius videtur, altero die ante meridiē illū casum accidisse.

Obiectio ex Hieronymo & Aug. contra dictum dicitur exclusitur.

Scio Hieron. in q. Hebr. in Gen. sic interpretari verba illa: *Ad auram post meridiē*. id est, vt *meridiano transacto refrigerium auræ spirantis ostenderet.* Vnde etiam Aug. l. 11. Gen. ad lit. c. 33. legit, *Ad vesperam*. Et libr. 1. Genes. ad litter. cap. 10. addit, id est, *cum tam ab eis sol occideret.* Vnde potuit in eodem postmeridiano tempore, ante vesperam, seu ante auram, durante adhuc meridiano calore lapsus hominum accidere. Sed non est, cur res tantas, & tam graues ad huiusmodi tēporis angustias redigam?

Præterea coniectura ex nimio affectu dæmonis ad eijciendum hominem sumpta, per se spectata, nihil suadet, nam licet ex parte dæmonis non defuerit voluntas, nihilominus non cōstat, occasionem ex quendi illam voluntatem fuisse tam cito dęmoni oblatam. Vnde potest facile coniectura in contrarium retorqueri. Nam, quo dæmon ardentius cupiebat hominem vincere, eo astutius opportunitatem expectabat, in qua posset cum certiori spe victoriæ hominem aggredi. Ergo non est verisimile subito post formationem Euæ, nullis alijs circunstantijs obseruatis, illam aggressum fuisse. Vnde aliqui Patres considerarunt, obseruasse dæmonem priusquam in specie serpentis cum Eua loqueretur, q; inter cætera animantia, serpens frequentius inter primos homines versaretur: indeq; sumpsisse occasionem accedendi sub eius specie ad tentandum Euam. Ita insinuat Ioseph. l. 1. ant. c. 2. alias 3. dicens, *Cum per id temporis nullum esset inter animalia dissidium, & serpens familiariter cum Adamo, & vxore degeret, inuidebat eis*, &c. Expressius id tradit Dam. l. 2. de fid. c. 10. illam familiaritatem, & consuetudinem inter homines, & serpentem describens: eamq; astruit, ante peccatum Euæ præcessisse: & inde accepisse dæmonem occasionem tendandi Euam per serpentem, in quo manifeste supponit, per aliquod tempus Euam in Paradiso habitasse, priusquam à dæmone tentaretur.

Tertia itē coniectura inde sumpta, quod primi parentes de cibis paradisi ante lapsum nō gustarūt rem incertam assumit, & fortasse falsam. Nam cōtrarium docet Aug. l. 11. Gen. ad lit. c. 31. dicens, primos parentes credidisse, fructum arboris scientiæ boni, & mali fuisse innoxium, quia tale pomū existimarunt fuisse in illa arbore, *cuius generis poma iam in aliis arboribus innoxia sentiebant*, nō qdem solo visu. tū qa per solum hunc sensum non percipitur, an fructus noxius, vel innoxius sit: tum etiā, quia p visū æquè fructus omnium arborum cognoscebāt, nec magis vnum, q; alium innoxium esse iudicabant. Senserant ergo (ex sententia Aug) alios fructus esse innoxios ex illis edēdo: & nihil mali, sed potiꝰ boni ab illis percipiendo. Vnde in alio loco non dicit Augustin. Adam abstinuisse ab alijs cibis, quandiu in Paradiso fuit, sed *ieiunasse, seruans mandatum*, abstinendo vtiq; à cibo vetito, nā hoc ad præceptum ieiunij pertinet. Nec etiam coniectura sumpta ex verbis serpentis quicquam iuuat: quia non dixit serpens. *Cur præcepit vobis Deus, vt de nullo ligno Paradisi comederetis?* hoc n. tam apertum erat mendacium, vt non sit verisimile ausum fuisse dæmonem malitiam suam tam aperte prodere. Dixit ergo, *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradisi?* Quæ propositio iuxta dialecticorum regulas particularis est, non vniuersalis: vnde potius ex illa indicium sumi potest, solitos fuisse primos homines edere de alijs arboribus, & à ligno scientiæ abstinuisse: & inde sumpsisse dæmonem occasionē interrogandi, cur non de omnib. comederent. Et hoc confirmant verba Euæ respondentis, *De omni ligno Paradisi vescimur*, &c. Quod non solum propter ius, sed etiam propter vsum, quem habebant, dixisse videtur. Et verbum, *vescimur ex omni ligno*, non vnum actum, sed consuetudinem significat: ergo per plures dies ibi extitisse, & comedisse, verisimilius est. An vero de ligno vitę comederint, magis incertum est, quia non est de illo eadem ratio, eo quod non videtur fuisse in commune, & ordinarium alimentum destinatum: sed pro certis temporibus opportunis, quanquam licet id affirmetur, nullum inde absurdum colligi posit, quia licet semel, aut iterum de illo fructu comederent: non statim immortales fierent, vt supra dictū est.

Accedit tandē alia coniectura: quia conueniens fuit

fuit primos homines ante peccatū expertos fuisse amœnitatem, & delicias Paradisi, quod in breui parte vnius diei facere non poterant: ergo verisimile est, non permisisse Deum, eos tentari, & cadere, antequam dictum experimentum caperent, quo magis postea de tanto bono amisso dolere possēt. Erat a. duplex illius loci amœnitas: vna spiritualis alia vero corporalis. De priori ait Aug. libr. 14. de Ciuit. c. 10. *Amor erat imperturbatus in Deum: atq; inter se coniugum fida, & sincera societate viuentium, & ex hoc amore grande gaudium*, &c. Quæ verba diuturnitatem aliquam durationis in illo felici statu indicant. Quod latius prosequitur c. 26. dicens: *Viuebat sine egestate fruens Deo.* Et clarius l. 20. c. 26. commemorando tempus, in quo primi homines in Paradiso fuerant, adiungit, *Tunc puri, atq; integri, absque labe peccati, seipsos Deo mundissimas hostias offerebant.* Et infra de illo tempore, quo vixerunt homines in Paradiso, exponit verba Isaiæ 65. *Secundum dies ligni vitæ, erunt dies populi mei*, indicans fuisse tempus plurium dierum. Vnde Gregor. lib. 4. dialog. cap. 1. dixit, *In Paradiso assueuerat homo verbis Dei perfrui beatorum Angelorum spiritibus, cordis munditia, & celsitudine visionis interesse.* De posteriori vero vtu Paradisi ad corporis voluptatem, & commoditatem pertinente, etiam idem fit verisimile: tum quia sequitur ex priori, non enim poterat aliquo tempore in delicijs spiritualibus versari, quin corpore etiam aleretur, & optima illius loci temperie recrearetur, & ad exercenda spiritualia disponeretur, ac iuuaretur. Tum etiam, vt in ipso sensibili experimento Paradisi, ac felicitatis eius vel diligentius illum sibi custodiret, vel si negligenter illum amitteret, postea vehementius de tanto bono perdito doleret.

11 *Concluditur primos homines ante eiectionem eodem die peccasse.*

His ergo, & similibus coniecturis fit probabilis prior pars proposita, nimirum non eodem die peccasse Euam, quo formata, seu producta est: nec Adam in eodem die peccasse, in quo vel creatus, vel in Paradisum translatus est. Vnde consequenter sequitur, non fuisse primos homines de Paradiso eiectos in eodem die, in quo eum incolere cœperunt. Ratio est, quia Adam, & Eua in eodem die, in quo peccarunt, de Paradiso eiecti sunt: ergo sicut non peccarunt eodem die, quo fuerunt in Paradisum introducti, sed post aliquod tempus, ita nec fuerunt in eodem die inde eiecti, in quo illuc intrauerant. Consequentia euidens: & antecedens valde probabiliter colligitur ex contextu Gen. 3. Nam post narrationem lapsus vtriusque parentis, additur: *Et aperti sunt oculi amborum, & fecerunt sibi perizomata, & cum audissent vocem Domini Dei ambulantis in Paradiso ad auram post meridiem*, &c. Ex quā verborum serie videtur colligi, omnia illa eodem die contigisse. tum quia ipse contextus, & modus loquendi hoc indicant: tum etiam quia sunt illa omnia moraliter valde coniuncta, & facile poterant, quasi continuè fieri. Tum præterea, quia vox illa, *post meridiem*, tacite refertur ad eundem diem, in quo Adam, & Eua peccauerant, & videre suam nuditatem, & erubescere, illamque operire cœperant. Tum etiam, quia hęc celeritas diuinę admonitionis, & castigationis opus fuit magnæ misericordiæ, iustitiæ, ac prouidentiæ. Misericordiæ, vt illi homines à Deo ipso moniti, ac correcti citius ad gratiam redirent. Iustitiæ, quia Deus comminatus fuerat eis, quod in quacunq; die comederent, essent morituri, id est, mortales efficiendi: ac proinde indigni, ac incapaces illius loci: ideoque ratio iustitiæ postulabat, vt ab esu ligni vitæ statim elongarentur. Fuit etiam opus conuenientis prouidentiæ, ne fortè, si in Paradiso post peccatum pernoctarent, ibi coirent cum voluptate, & fortasse cum noua culpa saltem veniali, quod in loco illo non decebat.

12 *Concluditur tandem prior pars 2. opinionis in num 7.*

Vnde tandem concluditur, primos parentes, non tantum per sex, vel septem horas, vt aliqui dixerunt: vel nouem; aut decem, vt alij voluerunt, Referturque in addit. ad Petr. Com. in hist. sui cap. 24. in Gen. de quo plures opiniones refert Abulens. Gen. 13. q. 106. & sequent. sed plusquam per vnum naturalem diem in Paradiso habitasse. Probatur prius de Adam, quia creatus creditur in initio sexti diei circa ortum Solis, & paulo post translatus in Paradisum, vt supra ostensum est: & illo die non peccauit, vt diximus, nec in sequenti est eiectus de Paradiso, nisi prope Solis occasum, vt etiam vidimus. Ergo licet demus, peccasse, & eiectum fuisse altero die post creationem, necessario dicēdum est, fuisse in Paradiso, saltem per diem naturalem cum dimidio, vel circiter. Et hæc ratio cum proportione de Eua procedit, excepta illa mora, quæ inter Adami translationem, & Euæ productionē interposita est, nam tanto tempore fuit diutius in Paradiso Adam, quam Eua. Sed, vt supra dixi breuis fuit illa mora: & sic etiam concluditur, Euam plusquam per diem naturalem in Paradiso fuisse. Et in his concordant Abulens. in c. 13. Gen. q. 107. & 108. & Perer. l. 6. in Gen. disp. de hac re q. 2.

13 *Suadetur etiā 2. pars prædictæ opinionis de incertitudine temporis. Verius suspicatur fuisse nihilominus dies 8.*

An vero inhabitatio illa Paradisi per plures integros dies duraverit, incertum est, prout in altera parte nostrę resolutionis proposui. Quia non possumus cum fundamento affirmare, an secundo, vel tertio, aut quarto die à creationis suæ die primi homines peccauerint. Perer. vero eadem quæst. post quintam propositionem diuinat (vt ipse ait) primos homines peccasse prima feria sexta sequēte post illam, in qua creati sunt, id est, post octo dies, quos ferè totos in Paradiso feliciter vixerunt: & ducitur duplici coniectura. Vna est, quia verisimile est, Christum fuisse incarnatum, & mortuum in illo die, in quo Adam peccauit, & eiectus est è Paradiso. Altera est, quia hoc modo saluatur sententia Patrum dicētium Adamum peccasse eodem die, quo fuit conditus: intelligi enim potest, de eodem non numero, sed quasi specie, seu simili in ordine feriarum hebdomadæ. Sed neutra coniectura suadet. Quia satis est, quod ~~Christus~~ eodem die conceptus, & mortuus fuerit, propter recreandum hominem, quo die ipse fuit conditus. Et si qui sunt Patres, dicentes Adam peccasse eodem die, in quo creatus est, de eodem numero aperte loquuntur, vt patet ex verbis Irenæi supra citatis, & ex alijs. Aliunde vero obstat illi existimationi, quo Patres frequenter docent, Adam, & Euam in Paradiso virgines permansisse: & specialiter tradit Hieronymus epist. 22. de Custod. virg. ad Eustoch. & libr. 1. contra Iouinian. & August. d. serm. 65. de temp. & in quæstionib. ex veter. Test. illi attributis. q. 8. & lib. 9. Gen. ad lit. cap. 4. vbi rationem reddit; *Quia mox creata mulier, priusquam coirent facta est illa transgressio, cuius merito de loco voluptatis exierunt.* Quæ ratio non congruit, si octo dies integros in Paradiso innocentes extiterunt. Quod si dicatur, ideo non conuenisse, quia expectabant diuinam monitionem, vt ibidem objcit Augustinus. Respondemus in primis cum eodem August. lib. 11. c. 41. id fine ratione fictum esse. *Nam illud tunc legitimum esset, cum primum fieri potuisset.* Est ergo verisimilius quod Abulens. *supra*, coniectat, peccasse primos parentes altera die, post creationem, & eodem die fuisse eiectos. Neque obstat, quod illa fuerit dies sabbati, quia Deus in eo requieuit ab opere creationis, non gubernationis: & ideo merito potuit in eo iustum iudicium cum misericordia coniunctum exercere.

Vtraque reiicitur.

Adam & Eua semper in Paradiso virgines.

Verisimilis existimatio Abulensis de quantitate dicti temporis.

):(

CAPVT IX.

An primi parentes sui peccati veniam consequi potuerint, vel etiam consequuti fuerint & æternam salutem.

1 *Triplex præsentis capitis punctum.*

QVamuis hęc quæstio ad rerum productionem non pertineat, est tamen adeo connexa præcedentibus, vt illis electis, statim sui desiderium excitet: ideoque prætermitti non potuit, præsertim cum breuiter possit expediri. Tria igitur pũcta in titulo tanguntur: vnum de potestate obtinendi peccati commissi remissionem: aliud de facto, quoad gratiæ reparationem: & tertium etiam de facto quoad consequutionem gloriæ. Circa primum duo in peccato distinguenda sunt: culpa scilicet, & pœna: quæ duplex etiam est: vna præsentis vitæ, alia vitæ futuræ. Potestas etiam distingui potest, vel in potentiam Dei absolutam, vel in ordinatam. Non est ergo dubium de potentia absoluta. Sic enim non solum fide certum, sed etiam ratione euidens est, peccatum primorum parentũ fuisse remissibile quoad omnia, id est, quoad culpam, & omnes pœnas. Probatur: tum quia diuina bonitas, & potentia est infinita, & ex parte effect⁹ nulla repugnãtia ostendi potest. Tum etiam, quia Angelorum peccatum fuit hoc modo remissibile, considerata nuda extrinseca potestate Dei, vt supra ostensum est. Tum denique, quia *cor hominis, & Angeli in manu Dei est, & quocunque voluerit, vertet illud.* Et alioqui est supremus Dominus, qui omnem pœnam condonare, & omnem eius reatum auferre potest.

Pro 1 puncto notatio.

1. Assertio eiusque probationes, quoad potentiam absolutam.

2 *De ordinaria arguitur pro parte neg.*

De potentia vero ordinata potest nonnullam dubitationem facere exemplum Angelorum, quibus nullum peccatum remissum est: quod est iudicium, secundum ordinatam potentiam non fuisse illis remissibile, id est, non fuisse illis concessam viam ad remissionem peccati obtinendam, quia si concessa fuisset, in aliquo ex tanta multitudine factum esset, cum effectus esset contingens. Ergo idem iudicandum est de hominibus in statu innocentiæ peccantibus. Probatur consequentia, quia non sunt magis digni venia homines in tali statu peccantes, quam Angeli. Tum, quia tanta facilitate poterant cauere peccatum, sicut Angeli. Tum etiam, quia cum essent inferioris naturæ, per æqualem superbiam, appetendo similitudinem Dei peccauerunt. Tum denique, quia seruata proportione, maioribus donis, ac beneficijs Dei præuenti fuerant, ad innocentiam custodiendam, quam Angeli.

3 *Assertio 2 de fide quoad dictam potentiam ordin. probatur.*

Nihilominus de fide certum est, potuisse Adamum, & Euam secundum ordinariam potentiam & legem à Deo statutam, veniam sui peccati consequi, saltem quoad culpam. Hoc probatur ex pũcto sequenti. Nam ostendemus, hanc peccati veniam datam esse primis parentibus: ergo signum est, potuisse illam de lege consequi. Probatur consequentia, quia non est id factum per miraculum, nec per dispensationem in aliqua lege. Vbi enim talis lex ostendi potest? Quin potius leges illæ vniuersales, *In quacunque hora ingemuerit peccator*, &c. *Conuertimini, & conuertar*, &c. Non minus primos parentes, quam cæteros homines comprehendũt, cum vniuersales sint de omnibus hominibus peccatoribus. Imo Patres ad Angelos damnatos illas extendunt, quantum est ex parte Dei. De quo dixit Bernardus in tract. de gradib. humil. circa primum gradum superbiæ. §. hæc inquam. *Sic temperat in vindicta sententiam, vt si velis resipiscere* (loquitur ad Lucifer um) *non neget veniam, secundum autem duritiam tuam, & cor impœnitens, non possis velle, & ideo nec pœna carere.*

Et ita satisfit rationi dubitandi propositæ. Nã in hoc Angelus, & homo æquiparantur, quod si vterque pœnitentiam ageret, vterque veniam obtineret. Sed differunt, quod Angelo peccanti non est diuturna via concessa ad pœnitentiam agendam, vt vidimus suo loco: homini autem concessa est. Quæ differentia non est in grauitate peccati, nec ex diuersa facilitate vitandi illud: nec ex maiori, vel minori ingratitudine ob inæqualia beneficia recepta: quamuis in his omnibus Lucifer Adamum superauerit: sed oritur ex diuersa conditione, & capacitate naturæ. Nam Angelus propter proprium cognoscendi, & eligendi modum, breuissimam postulat moram ad beatitudinem promerendam, vel amittendam, vt supra visum est: homo autem diuturno tempore suum perficit iter, propter tardiorem modum intelligendi: & maiorem voluntatis, & electionis mutabilitatem, & ideo etiamsi status innocentiæ duraret, tempus viæ in hominibus longum, ac diuturnum fuisset, vt in fine libri sequentis, videbimus. Hinc ergo factum est, vt Adam post transgressionem in statu viæ, vsque ad mortem relictus fuerit: & inde consequens fuit vt ad agendam pœnitentiam fuerit adiutus: ac proinde secundum ordinariam legem peccati veniam consequi potuerit.

Hæc autem de remissione peccati quoad culpam dicta sunt, & consequenter de pœnis, quæ in futuram vitam reseruãtur, verum habet. Nam pœna æterna necessario cum culpa remittitur: temporalis autem pœna licet non ex necessitate simul cum culpa auferatur, remitti tamen potest: si peccator velit quantam potest, & debet agere pœnitentiam, vel cum primum de culpa vehementer dolet, vel postea satisfactionem addendo: si remissiue conuersus fuit. Hęc autem pœnitendi, vel satisfaciendi lex, & potestas non minus in primis hominibus, quam in suis posteris locum habuit: nec minus in prima transgressione, quam in cæteris, si quas postea forte commiserunt. At vero quoad pœnas temporales huius vitæ, fuit illud peccatum irremissibile secundum ordinationem diuinam. Illa enim lex Dei, *In quacunque die comederis, morte morieris*, omnino absoluta fuit, & ab omni conditione, *si pœnitentiam non egeris*, vel alia simili libera: ideoque non obstante quacunque pœnitentia Adæ, tam in illo, quam in posteris executioni mandata est. Idemque est de iustitiæ originalis amissione quoad dona propria illius iustitiæ vltra gratiam sanctificantem, & eius dona, & ita non solum transgressione ablata est Adamo iustitia, sed etiam propter nullam pœnitentiam illi amplius restituta est.

Idem cernere licet in pœna exilij à Paradiso, quia licet Adam in Paradiso sufficienter de peccato doluisset, vel fortasse ad vocem Dei interius doluerit, nihilominus à Paradiso perpetuo relegatus est, ita vt non posset amplius reditum ad illum promereri, quod satis experientia monstrauit. Quapropter per exaggerationem, & concionatorum morem existimo dictum ab Augustino ser. 19. de sanctis, qui est 3. de Annunciat. non fuisse Adamum à Paradiso excludendum, si tantam magna cum humilitate, & sine excusatione, veniam à Deo postulasset. Hoc enim rigore sumptum, non solum est incertum, quia de tali DEI promissione non constat, sed etiam contra alteram Dei legem, *In quacunque die*, &c. esse videtur. Quia si homo à Paradiso non exularet propter humilem conuersionem, per esum ligni vitæ perpetuo viuere potuisset: & sic pœnam mortis per pœnitentiam euaderet, quod (vt existimo) dici non potest. Eò vel maxime, quod sera pœnitentia si in re ipsa alteri æqualis sit, non est minus efficax

cax propter solam temporis dilationem : sed per nullam pœnitentiam potuit Adam postea mortem euadere : ergo nec in principio potuisset. Ratio verò omnium est, quia pœnæ huius vitæ non impediunt viã salutis, & potiùs deseruire possunt ad meritum, & ad maiorem de peccato commisso pœnitentiam agendam. Et ideo earum remissio non fuit primis hominibus per pœnitentiam promissa, sicut nec nobis promittitur, vt in proprio tractatu diximus.

Circa secundum punctum, hæretici, qui dixerunt Adamum damnatum esse, præcipuam causam damnationis eius in primum eius peccatum retulisse videntur, vt in puncto sequenti videbimus : & consequenter negarunt, peccatum illud fuisse remissum Adamo. Aliqui enim ex scriptoribus catholicis antiquis, qui librum Sapientiæ, vt canonicum, non admittebant, rem hanc dubiam & incertam esse dixerunt, quia extra illũ librum, nihil de hac re in Scriptura sacra inuenitur. Et ita opinatus est Rupert. lib. 1. in Gen. cap. 30. & 31. Iam verò certissimum est, Adam suæ primæ transgressionis veniam fuisse assecutum. Probatur, quia id de fide certum est, librum Sapientiæ esse canonicum, vt definit Concil. Trid. sess. 4. vt alia antiquiora omittam: sed in cap. 10. eius libri disertè dicitur. *Hæc* (id est, Sapientia) *illum, qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custoduit, & eduxit illum à delicto suo*, id est, à peccato suo illum liberauit, & in gratiam restituit. Non enim aliter homo à peccato educitur. Vnde licèt & hoc loco non euidenter colligatur Adam esse beatum, seu saluum (vt infrà ex Augustino, & Anselmo, referemus, & rationem reddemus) nihilominus planè conuincit, & apud me plenã fidem facit, quòd à primo peccato iustificatus fuerit. Omnino enim violentã, & improbabilis est expositio Cantacuzeni, quam ibi refert Lorinus, quòd educere Adamum de delicto suo fuerit illi dare præceptum, quo seruato, in peccatum non incideret. Itaque impositionem illius præcepti vocat eductionem à delicto. Sed contra proprietatem verborum, & per metaphoram inusitatam, & adeò impropriã, vt accommodari non possit. Nam præcepti impositio quodammodo est occasio delicti : propter quod Paulus legem veterem legem mortis appellat. Vnde (si ita loqui licèt) potiùs inductio, quàm eductio delicti dici poterat. Nam multo esset à tali delicto liberior homo, si præceptum ei non fuisset impositum. Denique eductio à delicto supponit delictum in persona, quæ ab illo educitur, & verbum *eduxit* refert opus eductionis, quod verè factum est. At verò impositio præcepti nec supponit delictum, à quo hominem educeret, nec cum effectu præseruauit hominẽ à delicto, vt illo modo illum à delicto eduxisse dici posset. Est ergo clarus literalis sensus, à quo recedere in tam aperta sententia, erroneum esset.

Accedit communis sententia Patrum: nam qui de salute æterna Adami testificãtur, à fortiori docent fuisse illi peccatum remissum, quia, qui semel peccauit, sine peccati remissione non potest saluari. Et hos Patres in puncto sequenti referemus. Specialitèr verò Adamum pœnitentiã illius peccati egisse, & veniam obtinuisse, affirmant Greg. lib. 6. Epist. 31. aliàs cap. 195. *Adam* (inquit) *postmodum per pœnitentiam ad vitam rediit*. Hilar. can. 8. in Matth. *In Adami* (inquit) *peccato vniuersis gentibus remittit*. August. serm. 104. de Tempore. *Adam, quia interroganti Domino confessus est peccatum, quod commisit, venia redditus est*. Et Irenæ. lib. 3. cap. 37. *Intellectus* (inquit) *transgressionis fecit pœnitentiam, pœnitentibus autem largitur benignitatem suam Deus*. Et hanc pœnitentiam, dicit ostendisse Adamum, *Faciendo sibi cinctorium ex foliis ficus, quæ carnem possent affligere*. Tertull. etiam lib. de Pœnit. in verbis vltimis. *Ipse quoque* (ait) *humanè, & offensa in Dominum princeps Adam, exomologesi restitutus in Paradisum suum, non tacet*. Et lib. 1. contr. Marci. cap. 25. latiùs expendens locum Gen. 3. dicit, vocasse Deum Adam, eum ad confessionem inuitans. *Vt ita nobis conderentur exempla confitendorum delictorum, & vt initiaretur euangelica doctrina. Ex ore tuo iustificaberis, & ex ore tuo damnaberis*. Et infrà dicit, Deum non maledixisse Adam, nec Euam, *vt restitutionis tanditatos, vt confessione releuatos*.

Veruntamen circa hæc dicta Patrum aduertere oportet, multo certius esse Adam fuisse consecutum sui delicti veniam, absolutè loquendo, & abstrahendo à tempore, sicut sapiens loquitur, quã quòd intra Paradisum iustificatus fuerit: nam hoc non satis colligitur ex Scriptura. Nam potiùs multi Patres ex Adami excusatione colligunt, illius pœnitentiam tunc non fuisse perfectam : quanuis enim vtilis ex parte fuerit, quatenus suum delictum confessus est : nihilominus non perfecta humilitate suum delictum recognouit: & ideo incertum relinquitur, an tunc veram contritionem conceperit. Non est tamen dubium, quin ex tunc pœnitentiam agere cœperit, in qua postea, & indies creuisse credendum est. Ac subinde, vel antequam de Paradiso exiret, vel non multo post, fuisse iustificatum. Rationes autem, vel indicia huius veritatis sunt in primis ex parte Dei, qui benignissimè tractauit Adamum, & magnam eius curam gessit : illum ad pœnitentiam prouocando, quando illum vocauit, correxit, ac leuiter puniuit : vt elegantèr expendit Chrysost. homil. 7. ad pop. sub finem. Secundò, ex parte Christi: cuius fidem iam Adam habebat, vt suprà vidimus. Et licèt prius non fuerit illi reuelatus, vt Redemptor: tamen ex fide, quam de illo habebat, facilè intelligere, ac credere potuit, esse sufficientem ad redimendum: quia illum recognouerat, vt fontem suæ gratiæ, & iustitiæ : & ideo potuit in illo confidere, quòd per ipsum posset in Dei gratiam, & iustitiam redire. Et præterea satis verisimile est, quod multi authores dicunt, Adamum post peccatum expressam fidem Christi Redemptoris habuisse, speràsseque ipsius gratiam, & efficaci virtute à suo delicto liberari potuisse. Tertiò sumi possunt coniecturæ ex circunstantiis personæ sapientis, & optimè institutæ: & ex mutatione magna, quam in se fuerat expertus Adam, & ex aliis, quæ ad pœnitentiam vehementer illum prouocare poterant, quæ vnusquisque facilè considerare potest : & in sequenti puncto aliqua attingentur.

9

Adam intrà Paradisum imperfectè saltem pœnitere cœpit, ac breui post obiectionem iustificatus est.

Id suadetur 1.

Secundo.

Tertio:

10

Circa 3. punctum hæresis Tatiani Adam & Euã non fuisse saluos:

Superest ergo tertium punctum de salute æterna Adæ, quod sine dubio distinctum est à præcedente. Potuit enim Adam primi sui peccati remissionem consequi, & nihilominus postea damnari: sicut nunc plurimi homines sæpius præcedentium peccatorum veniam obtinent, & tandem postea damnantur, quia cum finali impœnitentia aliquorum peccatorum, vel alicuius vltimi peccati mortalis, moriuntur. In hoc ergo puncto fuit antiqua sententia cuiusdam Tatiani, qui dixit, Adam & Euam damnatos esse. Ita referunt antiquissimi Patres. Irenæ. lib. 1. cap. 31. & lib. 3. cap. 39. à quo idem sumpserunt Tertull. lib. de Præscript. hæret. cap. vlt. & Epiph. hæres. 46. & August. hæres. 25. & Euseb. lib. 4. hist. cap. 25. & Philastr. in catalog. hæresum in 1. sub titulo, de hæresibus, quæ post Apostolos extiterunt. Qui omnes nõ solùm dicunt assertionem illam ab homine hæresiarcha, qualis fuit Tatianus, fuisse primum probatam, sed etiam ipsam, vt hæreticam damnarẽ videntur. Et ita illorum Patrum sententiam exponit, & sequitur Castro verbo Adam, hæresi 1. dicens, *hanc sententiam script. non esse hæreticam ob communem Patrum consensionem, licèt satis probari ex Scripturæ probari non possit clarè, sed per quasdam probabiles*

Castro putat rem esse de fide, sed ex

babiles deductiones. Quas ibi ex Irenæo adducit, & alias ipse addit, quæ certè ad conuincendam de hæresi sententiam illam in sensu dicto, parum efficaces videntur, vt ostendam.

11 *Ruperti sententia bipartiti fundamenti.*

Hinc ergo Rupertus lib. 3. in Gen. cap. 31. putat, nõ esse de fide Adam esse sanctum & beatum, tum quia ex nullo testimonio sacræ Scripturæ id colligitur: tum quia nec definitio Ecclesiæ de huiusmodi assertione lata est, hæc posterior pars ostendi potest. Nam quod Castro de communi consensu Patrum allegat, non cogit. Primò quidem, quia non omnes Patres referẽtes hæreses Tatiani, hanc inter illas numerant. Omiserunt enim illam Hieronymus in catal. script. ecclesiastic. in Tatian. Et Theodor. lib. 1. hæret. fabul. in eodem. & Damasc. lib. de hæres. Secundò, quia licet Augustinus, & alij referendo alias hæreses Tatiani, hanc assertionem addant, non dicunt in particulari esse hæreticam, sed Augustinus simpliciter dicit de Tatianis: *Salutis primi hominis contradixunt.* Tertiò, quia Irenæus, & Epiphan. qui maximè id significant, in alio sensu loqui videntur, vt statim exponendo eorum rationes, dicam in numero 13. Quia in illo efficaces esse non possunt. Ergo non est cur sententia illa Tatiani ex hac parte posit, vt hæretica, damnari. Et hanc etiam partem confirmat Augustinus in Epist. 99. ad Euodium, dicens, *Ecclesiam ferè totam consentire Christum, cùm ad inferos descendit, inde Adamum liberasse.* vbi addens particulam *ferè* apertè fatetur, non esse totius Ecclesiæ absolutum consensum. Vnde non concludit, esse de fide, sed tantùm ait, *quòd eam* (id est, Ecclesiam) *non inaniter credidisse, credendum est*: significans profectò, tantum esse rem non inaniter creditam: non tamen omnino certã.

2. Pars fundamenti iuadetur.

12 *Euadetur prior pars.*

Deinde priorem partem de Scriptura probat Rupertus. Quia si aliquis esset sacræ Scripturæ locus, maximè esset ille Sapient. 10. ille autem non conuincit. Ergo. Minorem probat ipse, quia liber ille canonicus non est, vnde illũ mendacij arguit: quia statim de Adamo dicit, *Deum dedisse illi virtutẽ continendi omnia*, quod de solo Christo verè dici poterat. Sed iam sententia Ruperti, quoad hanc partem, hæretica est. Nã (vt dixi) definitum est, illum librum esse canonicum. Imò etiam multo ante Ruperti tempora à multis Concilijs, & ab Augustino, alijsque Patribus liber ille inter canonicos habebatur, & numerabatur. Et verba illa, *Dedit illi virtutem continendi omnia*, verum, & facilem habent sensum, nimirum dedisse Deum Adamo potestatem gubernandi hæc inferiora omnia, & dominãdi cunctis animantibus terræ, maris, & cœli, vt habetur Gen. 1. Nam verbum *continendi* in Græco idem, quod dominandi significat. Dantur etiam alij sensus illorum verborum, sed necessarium nõ est in hoc immorari. Quocirca in hoc, quod Rupertus non solùm negat probari ex Scriptura salutem æternam Adæ: sed etiam negat, probari remissionem peccati, & illius pœnitentiam, multo grauius errat, vt in tertia assertione dixi. Sine errore tamen in fide posset dubitare, an salutem æternam fuerit consecutus: etiamsi fuerit eductus à delicto suo, quia non est certum, postea non peccasse, neque fuisse damnatum. Et videtur significasse August. in dicta Epist. 99. vbi ad confirmandum æternam salutem Adæ adducit testimonium illud, solum vt probabile, dicens: *Hoc, quod ibi scriptum est, magis pro hac sententia, quàm pro vlla alio intellectu facere videtur.* Quod ego intelligẽdum puto respectu salutis æternæ: nam respectu remissionis prioris peccati sensus est certus, & omnino necessarius. Ex illo autem colligere æternam salutem, solùm est per coniecturam verisimiliorem, vt infrà dicam.

Suasio hæc reijcitur, quòd ante Rupertum liber Sapientiæ canonicus habebatur.

13 *Quibus aliis Scripturæ locis*

At verò Irenæus suprà ex alijs Scripturæ locis veritatem dictam confirmare conatur. Dicit enim Paulus 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Vnde colligit: *Si filij Adæ per Christum liberantur, multo magis ipsum Adam fuisse liberatum.* Nam cùm Christus venerit ad expugnandum dæmonem, & quos tenebat captiuos, Adamum scilicet, & filios suos redimendos, iniustum videretur filios Adæ, & non parentem ipsum à captiuitate liberare. Deinde, quia si Adam adhuc serpenti subiectus est, res successisset iuxta serpentis nequitiam, & non iuxta voluntatẽ Dei: & sic Deus quodammodo esset à serpente victus. Quod videretur esse contra illud Pauli ad Rom. 5. *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Inducit etiam Irenæus in lib. 3. cap. 38. illud 1. Cor. 15. *Stimulus peccati, mors: vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?* Nam solum peccatum Adæ fuit stimulus mortis, & ideo non poterat id dici, si non ille liberatus fuit, cui primum dominata est mors, illius enim salus, euacuatio est mortis. *Domino igitur viuificante hominem, id est, Adam, euacuata est mors.* Hæc Irenæus. Quibus nõ nulla alia addit Castro supra. Semper tamen in hoc deficit, quòd nõ distinguit inter remissionem primi peccati, & consecutionem æternæ salutis: quæ valde diuersa sunt, vt declarabo.

Addo præterea distinctionem aliam esse hoc loco necessariam, vt rationes vim habeant ad confutandum proprium sensum illius erroris, & veritatem catholicam, vt omnino certam ostendendam. Duobus enim modis potest intelligi Adamũ fuisse saluatum per Christum, scilic. quoad sufficientiam, vel etiam quoad efficaciam, quorum terminorum significationem, tanquam notam, ex materia de Incarnatione suppono. Tatiani ergo sententia fuisse videtur, Adamum neutro modo fuisse à Christo redemptum, ac proinde non solùm saluum non esse, verùm etiam nec peccati veniam fuisse consequutum. Imò non tantùm de facto hoc beneficium nõ obtinuisse, verum etiam nec potuisse iustificari, aut saluari. Quod indicasse videtur Tertullian. d. lib. de Præscript. cap. 52. dicens, Tatiani errorem fuisse, *Adamum salutem consequi non potuisse.* Et Irenæus, dum ait: *Eos qui contradicunt saluti Adæ consequenter dicere, non inuenisse Christum quem perditam.* Hæc enim in alio, quàm in prædicto sensu vera esse non possunt. Quia optimè potuit Christus redimere genus humanum totum, & cõsequenter inuenire quem perditam: etiamsi Adam cum effectu nec saluatus esset, nec pœnitentiam egisset. In hoc etiam sensu bona est illatio, quam Epiphanius facit, *Si Adam non saluatur, quæ est massa subiecta, neque quicquam ipsius massa saluatur.* Quæ in alio sensu nullius esset momenti: quia licet Adã efficaciter non saluaretur, possent alij saluari, suppositâ vniuersali redemptione pro omnibus sufficiente. Vnde subdit inferius Epiphanius, *Quomodo non saluatur Adam, quem tamen pro desperato habes, quando ipse Dominus noster Iesus Christus, vbi venit in mundum, mortuos suscitat*, &c. Denique in hoc sensu meritò inter grauissimas hæreses illa Tatiani numeratur: & ex dictis locis Pauli conuincitur efficaciter, & alij omnes rationes ad hunc sensum optimè accommodantur.

14

15 *2. Pars ostenditur.*

At verò supponendo Adamum fuisse à Christo redemptum, & per meritum eius potuisse saluari: & tractando de solo effectu salutis æternæ, & effectum consequendum, sic fateor, nullum esse in Scriptura testimonium, quo posit conuinci hæc assertio, ita vt dicere possimus Adamum esse in sacra Scriptura canonizatum tanquam sanctum, & beatum. Nam loca Pauli Rom. 5. & 1. Corint. 15. & similia quæ sunt de vniuersali redemptione Christi, probant quidem salutem Adę quoad sufficientiam, & quantum ex parte Christi considerari potuit, non tamen quoad efficaciam, quatenus ab ipso

pso Adamo pendet. Locus autem Sap.10. qui meritò censetur vnicus in hac materia, licet efficaciter probet iustificationem Adæ à prima transgressione suâ; non tamen continet, mortuum fuisse in gratia, quia potuit postea peccare, & non resurgere, vt obiectum est.

Sed nihilominus etiam in hoc sensu assertio est certa, & contraria, si non est simpliciter hæretica, ad illam proximè accedit, & erronea censenda est. Ad hoc enim sufficit ferè communis consensus totius Ecclesiæ, de quo Augustt. testatur. Vnde idem Augustt. lib. 2. de peccat. mort. cap. 34. de primis hominibus ait: *Post peccatū iustè viuendo, meritò creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati*, vbi non ait tantum *à suo peccato*, sed *ab extremo supplicio*, & cùm dicit, *creduntur*, non de opinione, aut fide tantùm humana, sed de fide Christiana loqui videtur. Præterea Hilar. in Psal. 119. *Adam* (inquit) *venia reseruatus, & glorificatus in Christo est.* Et Hieron. ad Ephes. 1. in illa verba: *Recapitulare omnia in Christo*, dicit, quod *Adam, è Paradiso eiectus, per Saluatorem reuocandus erat.* Vnde Matth. 20. inter primos Patriarchas illum numerat. Et cap. 16. in fin. dicit, *Adam primum liberatum esse per Adam secundum.* Et Nazianz. orat. 31. circa cap. 19. Matth. de Adam, & Eua dicit, *Vtrumque serpens decepit: vtrumque Christus passione sua salute donauit.* Et idem ferè habet orat. 39. circa fin. Et indicat Tertull. lib. 2. contra Marcion. cap. 10.

Atque hinc Leo IX. in cap. hi duo. de consecrat. distin. 1. dixit, *In Christo resurgente, resurrexit laetus ille Eua & Protoplastus.* Et Anselm. lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 16. circa medium. *Adam* (inquit) *& Euam ad illam pertinuisse redemptionem, dubitandum non est.* Loquitur autem de redemptione non solùm quoad sufficientiam, sed etiam quoad efficaciam, quia subijcit: *Quamuis hoc authoritas diuina apertè non pronunciet.* Et enim redemptionem omnium, & consequenter etiam parentum primorum, per Christum sufficienter factam, apertissimè diuina authoritas pronunciat: efficacè ergo dicit Anselm. non apertè pronũciare: quia (vt dixi) licèt de remissione peccati Adæ apertè loquatur, non ita de perseuerantia in gratia. Subdit tamen Anselm. optimam congruentiam, dicens: *Incredibile quoque videtur, quando Deus illos fecit, & proposuit immutabiliter, facere de illo omnes homines quos ad caelestem ciuitatem assumpturus erat, quòd illes duos ab hoc excluserit proposito.*

Idem confirmat latè Athanas. serm. de Passione, & cruce Domini, ante medium, vbi referens antiquam traditionem, quòd Adam fuerit sepultus in Caluariæ loco, addit, *Quòd si ita se res habet, miror loci proprietatem, congruum enim erat Dominum, cùm vellet reuocare primum Adam, in eo loco pati.* Et infra: *Necesse enim est, resurgente Saluatore, resurgere etiam cum eo, & ipsum Adamum.* Vnde omnes Patres, qui dixerunt, Adamum fuisse sepultum in loco Caluariæ, sentiunt, non sine mysterio esse factum: quia Adam efficaciam sanguinis primus experturus erat, vt specialiter explicauit Epiphan. hæres. 46. & alios allegaui in 3. p. q. 46. ar. 10. in Comment. Et simile mysterium in sepulchris posteriorum Patriarcharum considerat Augustt. q. ibid. in Gen. Possunt etiam hìc addi Patres, qui scribentes de descensu Christi ad inferos, & reditu eius, primũ numerant Adam inter eos, qui cum Domino surrexerunt. Illa enim duo iungit Athanas. ibi: & idem habet Orig. tract. 85. in Matth. circa caput 27. aliquantulum ante fin. Et Cyprian. serm. de Resurrect. Domini. Et optimè Machar. hom. 11. & recentiores passim.

Ex quibus omnibus constat, nunc non solùm esse verum, quod Augustt. dixit, ferè vniuersam ecclesiam ita sentire de salute Adæ, verùm etiam, totam Ecclesiam absolutè in hanc sententiam iam cõspirasse. Addo etiam, dictos Patres tacitè interpretari verba illa Sapientis, *Eduxit illum a delicto suo*, vt non solùm de eductione ad statum gratiæ, sed etiam ad statum gloriæ intelligenda sint. Et reuera est valde consentaneum intentioni Sapientis: concluserat enim in cap. 9. *Per sapientiam sanatos esse quicunque placuerunt Domino à principio, & in omni paterno tempore.* Et statim in principio cap. 11. incipit numerare ab Adamo. Ex mortuis autem non dicuntur simpliciter placuisse Domino, qui ad tempus aliquod iustificati sunt, sed qui in gratia decesserunt: illi enim soli Deo simpliciter placuerũt. Inter hos ergo numerat Adamum: & quia maximè videri posset, eius saluti obstare posse primum eius delictum: ideo specialiter declarat per sapientiam ab illo liberatum esse. Additque, *Sapientia custodiuit illum*, vtique à damnationis malo: propter quod inter sapientes numerari meruit. Denique mihi probabiliter indicatur in illis verbis, Adam, postquam sui delicti pœnitentiam egit, iterum à gratia Dei non cecidisse. Nam loquens Sapiens in singulari, *de suo delicto*, indicat non habuisse aliud, quamuis potuerit etiam per antonomasiam de illo primo peccato singulariter loqui. Denique congruentiæ ad hanc veritatem confirmandam, plures à Patribus afferuntur, eosque referendo satis indicatæ sunt. Neque vlla ratio dubitandi in contrarium occurrit.

eodẽ 3. part. pondérando amplius citãtum locum Sapien. 10.

Solùm quæri potest, an idem, & cum eadem certitudine sit de Eua sentiendum? Respondeo, idem, & ferè cum eadem certitudine esse de Eua sentiendum. Probatur, quia multi ex dictis Patribus de vtroque parente expresè loquuntur. Præsertim Augustt. d. lib. 4. de Peccat. mor. cap. 34. & refertur in cap. sicut primi, de Pœnit. dist. 1. Tertull. lib. 2. contra Marci. cap. 25. Nazianz. orat. 31. & Anselm. lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 16. quorum verba suprà recitata sunt. Eisq; addi potest Ambros. lib. de Isaac, cap. 5. vbi specialiùs de Eua loquitur. Vnde quanuis Sapiens de solo Adam expresè loquatur, sub illo Euam comprehendit: quia vnum veluti ædæquatum principium generis humani extiterunt. Item ad hoc ponderat Hugo Victor. Gen. 3. verba illa Dei ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ipsa conteret caput tuum*: ex ijs colligens Euam redijsse in Dei amicitiam, & dæmonẽ tandem victisse. Estque probabilis illatio. Nam licet illa verba fortè non sint dicta principaliter de Eua in particulari, verisimile satis est, illam non fuisse ab illa spe, ac promissione exclusam. Deinde coniecturæ, quas Patres adducunt, de vocatione Dei, & confessione Adæ, & de signis pœnitentiæ in foliis fici, & de victoria Christi contra dæmonem, in Eua locum habent. Nam decuit Christum eripere de manu hostis illam singularem personam, quam dæmon decepit, & per quam virum etiam superauit. Est ergo hæc etiam veritas satis certa. Dixi autem *ferè*, & non simpliciter æquè certam, propter locum Sapientiæ: & quia Patres frequentius de Adamo specialiter loquuntur: & quia alia qualis maior ratio de Adamo vrget, eo quòd ille principium totius naturæ simpliciter fuerit, & quia ipsa Eua fuit illi peccandi occasio. Nihilominus tamen valde temerarium esset, salutem vel solius Euę in dubium reuocare, cùm nulla sit probabilis coniectura, vel dubitandi ratio. Et quæ adduximus ad moralem certitudinem sufficiant.

20 *Quod de Adamo in hoc 3. puncto resolutũ est cum eadem ferè certitudine accipiendum de Eua, probatur ex 3. 40 gust.*

Probatur istẽ ex cõiecturis adductis pro Adamo.

):?:(

ELENCHVS

CAPITVM LIBRI QVINTI.

Cap. I. *Quomodo propagarentur homines in statu innocentiæ, si Adam non peccasset.*
II. *An in statu innocentiæ virginitas perpetuò seruanda esset.*
III. *Nonnulla dubia circa filiorum procreationem in statu innocentiæ breuiter expediuntur.*
IV. *Quanta, & qualis hominum multiplicatio in statu innocentiæ fieret.*
V. *Vtrùm in statu innocentiæ homines generarentur perfecti quoad corpora, vel quomodo consummatam illorum perfectionem consequerentur.*
VI. *Quibus rebus ad vitam conseruandam homines in statu innocentiæ vterentur.*
VII. *Quod genus vitæ corporalis, seu politicæ homines in statu innocentiæ profiterentur.*
VIII. *An homines in statu innocentiæ nascerentur in gratia, iustitia, & scientia perfecti.*
IX. *Vtrùm in statu innocentiæ omnes homines in gratia confirmati nascerentur, & consequenter an omnes posteri Adami essent prædestinati, soliq; electi ex illo nascerentur.*
X. *Dubia quædam circa doctrinam superioris capitis expediuntur.*
XI. *An in statu innocentiæ, si perseueraret, excellentior esset hominum sanctificatio, quàm sit in statu lapsæ naturæ.*
XII. *An statu innocentiæ durante longo tempore homines in illo permanerent, & quomodo ad cælestem gloriam transferrentur.*

LIBER QVINTVS.

DE STATV QVEM HABVISSENT IN HOC MVNDO VIATORES, si primi parentes non peccarent.

Præsentis libri doctrina non solum curiosa, sed vtilis.

MAteria huius libri curiosa magis, quã necessaria videri potest, eo quòd sit de re incerta, quæ nunquã fuit, nec futura est, nec nobis est reuelata. Nihilominus tamen D. Thom. & alij Theologi non omnino illã prætermiserunt, quia licet in se reuelata non sit, in reuelatis magna ex parte continetur, ex illisque deduci potest. Vnde etiam fit, vt illius inquisitio magnam lucem ad cognoscendas pœnas, quas humanum genus, propter peccatum Adæ incurrit, afferre possit. Propter has igitur causas diligenter inquirendum est, quomodo status innocentiæ communicandus esset hominibus ab Adamo procedentibus, ipso non peccante: & quem statum, seu modum vitæ in hoc mundo habere possent, vel etiam habituri essent, quãtum ex his, quæ Deus in primis hominibus operatus est, & ex legibus, quas cum eis statuit, inuestigari potuerit. Ac denique quomodo ex illo statu, ad alium feliciorem transferrentur, explicabimus.

CAPVT I.

Quomodo multiplicarentur, seu propagarentur homines in statu innocentiæ, si Adam non peccasset.

Suppositio ad quæstionẽ expediendã. 1. SVpponit hæc quæstio, etiamsi Adam non peccasset, nihilominus genus humanum in plura individua multiplicandum fuisse. Quam suppositionem, tanquam rem certam, omnes Theologi admittunt, quia sufficienter ostenditur ex diuina benedictione. *Crescite, & multiplicamini*, Gen. 1. Quia illa benedictio data est hominibus, non occasione peccati, sed per se (vt sic dicam) propter bonum naturæ: ergo duraret, haberetque effectum non interueniente peccato. Item incredibile est creasse Deum duos homines, vt si non peccarent, illi soli saluarentur: si autem peccarent, multiplicarentur: ergo non est verisimile, perseuerantibus in innocentia duobus primis hominibus, illos tantùm fuisse futuros: essent ergo plures. Et in hoc sensu dicimus fuisse multiplicandos. Denique D. Th. 1. p. q. 98. ar. 1. addit optimam rationem, quia in humana natura propter perfectionem animæ rationalis, & immortalis, non tantùm species, sed etiam singula individua sunt per se intenta ab authore naturæ: ac proinde in statu innocentiæ plura individua multiplicantur.

Obiectio 1. ex Gen. 1.

2. eorum D. Thom.

Ex qua ratione soluitur tacita obiectio: quia multiplicatio individuorum solum esse solet in speciebus rerum corruptibilium, quia est necessaria ad speciei conseruationem: sed in statu innocentiæ homines essent immortales: ergo multiplicatio plurium individuorum non esset necessaria ad conseruationem speciei: ergo simpliciter non esset, quia eius necessitas cessaret. Respondetur autem primò, naturam humanam de se esse corruptibilem, & ita ex se postulare individuorum multiplicationem, ac proinde non fuisse priuandam hoc beneficio, etiamsi per donum iustitiæ singula individua perpetuitatem acciperent.

Obiectio 2.

Solutio.

Alio-

Alioqui nec duo individua, sed vnum tantũ procreandum esset. Deinde dicitur, licèt homo sit corruptibilis, animam eius esse immortalem, & ex hac parte singulas animas esse per se, as principaliter intentas, multo magis quam species singulas rerum, & formarum corruptibilium, & ita ratione animæ multiplicationem individuorum non tantùm propter conseruationem speciei, sed etiam per se, & propter singulorum individuorũ perfectionem, & varietatem esse intentam. Vnde dico vltimo illam rationem conseruationis speciei, non esse adæquatam causam multiplicationis individuorum. In quo est notanda differentia inter res irrationales, ac insenbiles, & res intellectu, aut ratione vtentes: quòd priores non sunt propter se, sed propter vsum & commoditatem hominum, & intellectualium rerum: ipsæ verò intellectuales res per se, & propter intrinsecam perfectionem intenduntur, & multiplicantur. Vnde fit, vt individua specierum aliquarum rerum homine inferiorum non tantùm multiplicentur in numero sufficienti ad conseruandam speciem, sed in multo etiam maiori, quia vel ad sustentationem hominum, vel ad pulchritudinem vniuersi, & delectationem hominum necessaria sunt. Ideoque quando vnum ad omnia sufficit, non multiplicantur per se loquendo, vt in elemento terræ, & alijs videre licèt. Et idem fortasse est in cœlis, quãuis in eis etiam probabile sit multiplicari individua, licèt sint incorruptibilia, si ad vsum, vel cõmodũ vniuersi illa varietas individuorũ, vel melior, vel etiam sufficiens est. At verò in gradu intellectuali singula individua sunt per se intenta, vt Deo fruantur: nam ad eius similitudinem sunt, ideoque multiplicantur, quantum iuxta diuinæ sapientiæ consilium sufficiens iudicatur. Vnde probabile valde est, (vt suprà dixi) etiam in speciebus Angelorum individua multiplicari. Magisque certum id est de specie humana etiam in statu immortalitatis, quia illa multiplicatio personarum ad quandam pulchritudinem, & decorem totius speciei confert, quatenus per diuersitatem plurũ individualium perfectionum, totius speciei amplitudo magis relucet. Præterquã quòd ad societatem politicam homini valde naturalem, necessaria est.

Hoc ergo supposito, quæstio est, de modo multiplicationis, an esset per viam naturalis generationis ex coniunctione maris cum fœmina; necne, ac subinde an esset immediatè à Deo, an ab ipsis hominibus. Ratio dubitandi est, quia modus generationis humanæ contra decentiam, & perfectionem status innocentiæ esse videtur. Tum quia commistio maris, & fœminæ sine delectatione nimia, quæ rationis vsum obtundat, esse non potest: tum quia conceptus prolis sine ruptione, & diuisione alicuius partis fœminei corporis, non potest perfici, quia non potest viri semen in vterum vxoris intrare: talis autem diuisio incorruptioni corporis fœminæ repugnabat. Tum etiam, quia partus fœminæ non poterat esse sine dolore propter nimiam partium dilationem, quæ ad fœtum emittendum necessaria est. Ergo non multiplicarentur homines in illo statu modo adeò imperfecto. Vnde videtur sequi non fuisse tunc homines ab hominibus propagandos, sed immediatè à Deo: quia non possunt homines, nisi dicto modo alios homines procreare: nec potest homo ab alio, quàm à Deo produci, si ab homine non generatur.

Propter has fortasse difficultates aliqui antiqui Patres docuerunt, multiplicationem hominum in statu innocentiæ non fuisse futuram per naturalem generationis viam, sed per creationem. Ita docuit Gregor. Nissen. lib. de Opific. hom. cap. 17. & Chrysost. homil. 18. in Gen. circa initium cap. 4. & lib. de Virgin. cap. 17. in fin. Damasc. lib. 2. cap. 30. & lib. 4. cap. 25. Fauet Augustinus lib. 1. Gen. contra Manich. cap. 19. Vbi tractans verba illa, *Crescite, & multiplicamini*, ait, *licet nobis ea ita spiritualiter accipere, vt incarnalem fœcunditatem post peccatum conuersæ esse credatur.* Idem sentit Euthymius in Psalm. 50. & Procop. Gen. 4. Atque denique Hieronymus epist. 22. ad Eustochium de Custodia Virginit. sæpe indicat vsum coniugij per peccatum fuisse introductum, & in lib. 1. contra Iouinian. parum post medium incertam rem esse existimans, in hãc partem magis inclinat. *Si obiecerit* (inquit) *antequam peccarent, sexum viri, & fœminæ fuisse diuisum, & absque peccato eos potuisse coniungi, quid futurum fuerit incertum est.* Infrà verò addit, *Quid nocebat si Paradisus nuptias recipit, & nulla est inter maritatam, & virginem diuersitas etiam in Paradiso eos faciat.* Ex quo videtur coniecturam facere non fuisse futurum vsum nuptiarum in Paradiso, cùm in illo non inceperit, *sed a principio conditionis humanæ virginitatem Paradisus, & terra nuptias dedicauerit.* *Arguitur 2. ex ipso Hieron.*

Hoc ergo sit aliud huius sententiæ fundamentum præter illud, quod in principio positum est. Tertium sit Gregorij Nisseni, quia in statu post resurrectionem non erunt nuptiæ, teste Christo Domino Matthæi 22. quia tunc, *homines erunt sicut Angeli Dei in cœlo*, vt idem Dominus ait, sed homines in Paradiso etiam futuri erunt, sicut Angeli: imò per resurrectionem recuperabunt statum, quem in Paradiso habituri erant, & peccando amiserunt: ergo etiam in Paradiso non esset futurus nuptiarum vsus. Eandemque rationem indicat Chrysostomus, dicens, *Post Paradisi amissionem tunc primum vsus rei venereæ incepit: ante inobedientiam enim, angelicam vitam imitabantur, & nullus de re venerea sermo erat.* Et addit, *Qui enim potuit, cùm neque necessitatibus corporalibus obnoxij fuerint*: In quo quartam rationem indicat. Nam ab illo statu alienum erat necessitatibus corporalibus inseruire: sed vna ex maioribus, & vilioribus necessitatibus est, quæ ad prolis generationem, & procreationem pertinet: ergo illum statum non decebat. Quinto argumentatur Damasc. d. cap. 25. Quia Adam non cognouit Euam, donec audiuit, *Terra es, & in terram reuerteris.* Ergo ne mors genus humanum obtereret, & absumeret, matrimonium assumptum est, vt per liberorum procreationem genus nostrum procrearetur. Ergo hac necessitate cessante per innocentiam, etiam vsus coniugij non fuisset. *Arguitur 3. ex Nisseno.* *Idem arg. indicat Chrysost.* *4. Quoque ex eodem Chrysost.* *5. Damasc. eam assert.*

Dicendum nihilominus est: quanuis primi homines non peccassent, & status innocentiæ perseuerasset, genus humanum per naturalem generationem, & maris, ac fœminæ coniunctionem propagandum fuisset. Ita docet Diuus Thomas 1. p. quæst. 98. & reliqui Scholastici cum Magistro in 2. dist. 20. Et oppositum tanquam hæresim Armenorum, & Almerici damnat Castro verb. Adam. hæres. 3. ex Guidone Carmelita, & Bernardo de Luzenburgo, & August. lib. 31. de hæres. in 3. & illam Adamianis tribuit. Probatur autem assertio primò ex verbis illis Gen. 2. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* De quo adiutorio per anticipationem in cap. 1. dictum fuerat, *Masculum, & fœminam creauit eos.* Ex qua distinctione sexum cum similitudine naturæ manifestum est illud adiutorium datum esse Adæ principaliter ad filios procreandos. Ergo futurum esset hoc naturæ officium in statu innocentiæ. Respondent Nissen. & Damasc. Deum præscium futuri peccati creasse homines diuersi sexus, vt post peccatum posset genus humanum conseruari, & propagari. Sed hoc verisimile non est: tum quia Deus dixit, *Non est bonum hominem esse solum*, locutusque est de homine in statu innocentiæ: ergo etiam *6. Vera assertio affirm.* *Castri contra.* *Probatur 1. assertio ex Script.* *Responsio Nisseni & Damasceni non admittitur.*

etiam in illo statu non erat bonum, hominem carere tali adiutorio : ergo per se, & non occasione peccati factum est. Tum etiam, quia sexuum diuersitas naturalis est homini, & per se illam exigit, & non ratione peccati : ergo per se fuisset in innocentiæ statu: ergo in eo etiam suum haberet vsum.

7 *Item probatur 2. ex Gen. 1.*

Secundò confirmatur hoc ex illa benedictione diuina, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, Gen. 1. in illa enim non respexit Deus ad mortalem statum, in quem homines per peccatum peruenturos esse præuiderat, sed per se, & in omni statu multiplicationem hominum per illam benedictionem intendit. Tum quia per se spectabat ad vniuersi complementum: tum etiam quia eodem modo benedixit Deus alijs animalibus, similia verba proferens, *Crescite, & multiplicamini.* Vnde Damasc. dicto capite 25. cùm negare non posset hanc benedictionem, perseuerante innocentia fuisse complendam, tacitè respondet per ea verba, *Damasceni suasio.* *Crescite, & multiplicamini, non significari illam propagationem, quæ per complexum venereum efficitur : nam Deus alio modo genus nostrum propagare poterat.* Sed hoc satis facere non potest: nam verba illa non solùm passiuè (vt sic dicam) continent prædictionem aut promissionem, quòd homines essent multiplicandi, sed actiuè intelligenda sunt, ita vt per illa Deus imperet hominibus actiuam productionem & multiplicationem sibi similium : sicut quando alijs animalibus imperauit, *Crescite, & multiplicamini*, actiuam productionem, & generationem illis indixit. Nec Deus de modo miraculoso, vel extraordinario, quo posset multiplicare individua, sed de modo naturali locutus est : hâc enim virtute viuentibus naturalem per illa verba significare voluit: illa autem virtus nō operatur nisi per ordinarium generationis modum : ergo de illa multiplicatione verba illa intelligenda sunt. *Non satisfacit.*

8 *Plurius probatur ex Gen. 2.*

Tertiò hoc maximè confirmatur ex verbis illis Adæ, quæ post formationem Euæ de costa sua dixit Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, &c. *Quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrē, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Illa enim vnitas inter virum, & fœminam per vinculum matrimonij, quasi inchoatur, & per copulam consummatur : quia donec coniuges matrimonium consummant, non fiunt vna caro, vt docet Alexand. III. in cap. secundo, de Conuersione coniugator. & specialiùs Bened. Papa in ca. lex diuina. 27. quæst. 2. & in Conc. Later. p. 6. cap. 27. Alexand. III. postquam verba Adami retulit, subiungit, *Quibus verbis innotuit, non aliter virum, & mulierem fieri posse vnam carnem, nisi carnali copula sibi cohærent.* Et sumitur ex Paulo 1. Corinth. 6. dicente, *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Erunt enim* (inquit) *duo in carne vna.* Ergo priusquam Adam de futura culpa cogitare posset, intellexit sibi fuisse datam mulierem in adiutorium, vt per maritalem copulam vna caro fieret. Ergo licèt Adam non peccasset, Euæ commisceretur, fierent vna caro, eademque lex sancti connubij in statu illo seruanda esset. Nā Adam de obligatione & vsu in illo statu seruando locutus est, & in verbo illo, *adhærebit vxori suæ*, præcipuè videtur locutus de adhæsione per copulam & cohabitationem, vt D. Thomas exposuit 2. 2. q. 26. a. 11. ad 1.

9. *Probatur etiam asser. ex Aug.*

Quartò principaliter probatur conclusio ex Augustino lib. 9. Gen. ad lit. cap. 3. & sequentib. vbi inter alia dicit, *Non video quod prohibere potuerit, vt essent hominibus etiam in Paradiso honorabiles nuptiæ, & torus immaculatus : hoc Deo præstante fideliter, iusteque viuentibus, & sine vllo inquieto ardore libidinis, sine vllo labore, doloreque pariendi fœtus ex eorum semine gigneretur.* Quod latè etiam prosequitur lib. 14. de Ciuit. à ca. 21. vsque ad 26. Et ita libro primo Retract. cap. 10. emendat, quod lib. 1. de Genesi cōtra Manichæum dixerat. Et eadem ratione cap. 13. corrigit, quod dixerat libro de ver. Relig. cap. 46. si natura nostra in sua integritate permansisset, non fuisse futuras has necessitudines consanguinitatum, affinitatum, & cognationum. Nam re vera essent futuræ, cùm futura essent coniugia, & filiorum generationes. Consentit Gregor. in Psalm. 5. Pœnitent. circa illa verba, *Scribantur hæc in generatione altera*, Rupertus, Beda, Abulensis in Genesim. *Aug. lib. 10. Genes. ad lit. cap. 3. Gregor. Rup. Abulen.*

Vltimò probatur ratione hæc sententia: primò à priori, quia naturale est hominibus, vt per generationem vnius ab alio multiplicentur : sed hic modus seruari potuit in statu innocentiæ, salua perfectione illius status. Ergo ita fieret. Consequentia est euidens, quia per peccatum nō est immutata natura, nisi in his, quæ pœnalia sunt: vel è contrario ante peccatum non est natura priuata suis naturalibus actionibus, sed adiuta, vt sine indecentia, vel morali defectu illas exercere posset. Maior etiam ex Philosophia nota est. Minorem autem probat Augustinus *supra* excludendo tres defectus in principio à nobis tactos. Primus erat de nimia delectatione. Respondet autem quòd virtute doni innocentiæ, seu originalis iustitiæ hæc imperfectio cohiberetur. Quia ante copulam non antecederet motus inuoluntarius, aut impudicus membrorum, sed ex motione voluntatis honestæ, & propter finem optimum, sine ardore libidinis, talis motus fieret. Et similiter in ipsomet actu coniugij Deus excessum libidinis temperaret, & solum delectationem conuenientem ad perfectionem actus permitteret: vnde talis, ac tanta esset, vt mentem nō perturbaret, nec rationis vsum perfectum impediret. *Tenetur probatum suum.* *Ad. nat. modum. 2. explicat Aug.*

Secundus defectus erat ruptio virginalis claustri in ipsa conceptione: de quo etiam ait Augustinus *dicto capite vigesimo sexto*, potuisse semen immitti intra vterum fœminæ, & conceptum fieri, salua integritate claustri virginalis. *Sicut* (inquit) *sanguis menstruus emittitur. Nam qua via sanguis egreditur, posset semen virile ingredi.* Et sequitur Diuus Thomas supra ad 4. Sed hæc responsio difficilis est. Primò, quia non est simile de exitu sanguinis menstrui, & de seminis ingressu : quia sanguis ille egreditur de corpore fœminæ per venas proprias ad illam purgationem à natura deputatas, quæ in superficie valis fœminei terminantur, habentque veluti propria orificia, quæ cùm ordinariè clausa sint, & quasi complicata, debitis temporibus reserantur, & quasi dilatantur, vt ille sanguis exeat, quod in virginibus absque vlla læsione, & sine dilatatione claustri virginalis optimè fieri potest. At verò longè diuersa ratio est de ingressu seminis. Nam in primis in corpore fœminæ, vt in sua integritate, & naturali compositione nascitur, non est aliqua via expedita, & aperta, per quam ingredi possit: quia partes fœminei corporis in illa via ita sunt compactæ, vel continuæ, vt nihil possit per illas penetrare, nisi inter illas aperiatur via, per quam semen ingredi possit. Accedit quòd semen non potest, quasi extrinsecus iniici, seu immitti in matricem, qui est locus conceptionis, sed necessaria est commistio membrorum in fœmineo vase, vt ipsa met naturalis membrorum forma, & compositio ostendit. At verò non potest illa commixtio, & penetratio fieri naturaliter, nisi virginale claustrum referetur, siue per diuisionem alicuius membranæ, quæ ante copulam erat continua, & viam illam claudebat: siue per separationem, & dissolutionem partium corporis fœminæ, quæ antea erant non solùm contiguæ, sed etiam veluti conglutinatæ, & inter se copulatæ : vt exponit Fernelius de Part. corp. descript. cap. 7. in fine. Quia sine huiusmodi veluti locali separatione, & distantia partium non pateret naturaliter via ad commi stionem *Ad. 1. Aug. sum D. Th. quitur. Opponit primum rationi mum sumum.*

stionem membrorum, quæ in copula coniugali fit, & per quam vir & vxor fiunt vna caro.

Secundò augetur vis huius rationis, quia in partu prolis conceptæ multo magis necessarium est claustrum virginale aperiri: nihil ergo obesse posset, quin in conceptione rumperetur. Probatur cõsequentia, quia si propter vitandum dolorem, vel conseruandam virginitatem (vt ita dicam) materialem in conceptione, seruaretur illa integritas, esset etiam seruanda in partu, quia nõ minus repugnabant illa incommoda perfectioni status innocentiæ in vno actu, vel tempore, quàm in alio, vel è contrario, si in partu esse poterat ruptio sine imperfectione contraria statui, etiam in conceptu. Imò si apertio claustri necessaria futura erat, vt proles exiret, perfectò suauiori modo, magisque naturali pararetur via in ipsa conceptione, vt faciliùs possent membra in partu laxari, vt sine dolore fieret. Quòd verò saltem in partu virginalis claustri apertio fuerit necessaria, probatur, quia exitus pueri ex virgine integra manente matre, sine grandi miraculo fieri non potest vtique aut per corporum penetrationem, aut per transitum corporis ab extremo ad extremum sine præsentia in medio. At verò tale miraculum perpetuum in statu innocentiæ fingere, nec fundamentum habet, neque videtur verisimile.

Dicunt verò aliqui, potuisse per solã partium, & pororum materni corporis dilatationem infantem de vtero matris exire sine integritatis eius diminutione. Quod tradit Durandus in 2. dist. 20. q. 2. ad 1. & clarius in 4. dist. 44. quæst. 6. ad 1. vbi de virginitate Mariæ in partu eodem modo sentit. Ibi autem ex falso fundamento mouetur, quia putat duo corpora non posse simul se in eodem loco penetrare, quod falsum est. Et ideo sententiam illam quantum ad beatissimæ Virginis partum improbauimus in 2. tom. 3. p. disp. 5. sect. 2. In præsenti verò alio vtitur fundamento: scilicet, quia diuisio claustri non posset fieri sine dolore, dolor autem in statu innocentiæ esse non potest. Sed hoc parũ vrget: nam etiam post amissam in cõceptione corporalem virginitatẽ, quoad carnis integritatem nõ potest partus fieri sine dolore naturaliter: & nihilominus in statu innocentiæ sine dolore fieret, vt mox dicemus: ergo etiam à tertio claustri sine dolore virtute diuina fieri poterat. Præterea si virginale claustrum per membranã continuam naturaliter clauditur, non posset intelligi exitus prolis per solam dilatationẽ sine diuisione partiũ, vel penetratione corporũ: quia pori nõ possent adeò dilatari, vt per eos posit corpus infantis exire sine penetratione partiũ, vel sui corporis inter se, vel cum partibus materni corporis. Si autem corporalis virginitas consistit in contiguitate, & copulatione partiũ, non minus est naturaliter necessaria separatio & distinctio illarum partiũ, quæ sine magno etiam dolore naturaliter non fit, nõ solum in primo partu, verũ etiam nec in cæteris. Ergo & repugnat dicere partum fuisse futurum per dilatationẽ partiũ, & sine apertione claustri virginalis. Et præterea eadem difficultas supereſt quomodo partus sine dolore futurus esset. Nullũ ergo est inconueniens diuisionẽ, vel separationem illã in statu innocentiæ admittere tam in cõceptione, quam in partu. Et ita tenuit D. Thomas in 2. dist. 20. vbi Bonauentura, Gabriel, & alij id sequũtur. Quomodo autẽ id fieret sine dolore, iam explico.

Tertium incõmodum erat, quia partus naturalis sine dolore non fit. Ad hoc autem respondet Augustinus dicto capite 26. in Paradiso dolorem partus non fuisse futurum. *Quia ad patendum maturitatis impulsus fœminea viscera relaxaret.* Et plicari autem potest in huuc modum, quia sola relaxatio maternorum viscerum, aut viarum corporis dilatatio non causat dolorem, nisi media aliqua alteratione, quæ in partibus illis per nimiã compressionem quarundam, & aliarum separationem, vel extensionem fit: hanc autem alterationem posset Deus facile impedire, & consequenter etiam dolorem præcauere. Imò etiam posset suaui modo partes fœminei corporis per cõuenientes qualitates ita disponere, vt facilè relaxarentur sine doloris sensu. Quod licèt esset præter debitum naturæ humanæ absolutè spectatæ, esset nihilominus illi statui quasi connaturale, ac debitum, sicut multa alia priuilegia, quæ in superioribus explicauimus. Et per hæc responsum est sufficienter rationibus dubitandi in principio positis, ac fundamentis contrariæ sententiæ. In eis verò peculiaris difficultas attingitur de virginitate, an esset in statu innocentiæ conseruanda, vel amittenda, quam ex parte, & obiter, ac cursim attingimus: quia verò grauis est, & scitu digna, illam integrè ac ex professo in capite sequenti tractabimus.

Quid dicendum ad reliqua adducta in n. 4. &c.

CAPVT II.

Vtrum in statu innocentiæ virginitas perpetuo seruanda esset.

1

RAtio dubitandi est: quia videtur absurdum, quòd durante innocentiæ statu virginitas in omnibus personis foret violanda, alioqui status naturæ lapsæ statum innocentiæ in castitatis perfectione superaret: quod esse videtur, & contra illius status excellentiam, & contra id, quod sancti ponderant, Adam non sine mysterio vxorem non cognouisse, donec è Paradiso eiectus est. In hoc igitur puncto D. Thomas in 2. dist. 20. q. 1. a. 2. ad 1. dicit in primo statu non fuisse amittendam simpliciter virginitatem per copulam coniugalem. Quia duplex integritas ad virginitatem necessaria est, carnis videlicet, & mentis. Ex quibus prior valde materialis, & accidentaria est, posterior autem est formalis, & præcipua. In statu autem innocentiæ solueretur quidem integritas carnis: non autem integritas mentis, & ideo absolutè, & simpliciter virginitas non amitteretur. Et hanc doctrinam defendit ibi Capreolus conclusione nona, & ad argumenta contra illam.

1. Sententia ex D. Thom. quam tuetur Capreol.

2

Alia sententia huic extremè cõtraria, sumi potest ex Abulensi secunda parte quæst. 85. art. 4. nimirum in statu innocentiæ virginitatem non fuisse dissoluendam quoad carnis integritatem, quo ad mentis autem integritatẽ necessario fuisse violendam. Quia non potuit generatio tunc fieri sine voluntate coeundi, & sine opere emittendi, cõmiscendi, ac recipiendi virile semen: sed hoc directè pugnat cum integritate mentis ad virginitatẽ necessaria, vt statim ampliùs confirmabitur. Ergo in statu innocentiæ necessariò fuisset amittenda virginitas quoad formale, licèt non amitteretur quoad corporale. Et potest hæc opinio declarari saltem in ordine ad potentiam Dei absolutã. Nam fœminam concipere, vel etiam parere ex viro, voluntario, & morali modo sine amissione integritatis carnis per Dei potentiam, seu speciale donũ, non repugnat, vt est per se clarum. At verò virginem volũtario, & morali, ac naturali modo coire cum viro retenta integritate formali eius quoad propositum mentis, inuoluit apertam repugnantiam. Quia integritas mentis consistit in absoluto proposito non coeundi, & perseuerãtia in illo, repugnat autem voluntariè coire, & habere firmũ propositum non coeundi. Nec refert quòd talis voluntas coeundi in statu innocentiæ esset licita, quia integritas mentis ad virginitatem necessaria non solùm illicitum, sed etiam licitum propositum coeundi excludit.

2. Sententia extremè cõtraria præcedenti ex Abulensi. Probatur.

Declaratur deinde.

Dico

3. *Duplex quæstionis sensus*

Duo possunt in hoc puncto inquiri. Vnum est an in statu innocentiæ in eisdem personis simul esse possit virginitas vera cum matrimonio consummato. Aliud est an saltem ex diuersis personis reperirentur in illo statu, quædam filiorum procreationi vacãtes: & aliæ statum virginitatis perpetuò seruantes. Prior sensus ad rem præsentem propriè pertinet. In quo sentio non fuisse futuram in illo statu virginitatem simul cum fœcunditate in eadem persona. Ita sentiunt in 2. dist. 20. q. 2. & 3. Bonauentura: expressiùs Duran. quæst. 2. & ibi Ægid. q. 1. ad fin in dub. liter. qui aliquid singulare addit, de quo statim dicam. Consentit Richar. ibi art. 1. quæst. 4. Altis. 2. p. summ. lib. 2. tract. 10. cap. 2. q. 4. Et Perer. lib. 4. in Gen. disp. de Propagat. &c. q. 4. Et Probatur explicando amplius doctrinam Diui Thomæ suprà relatam de duplici integritate, corporis scilicet, & mentis, quæ in virginibus conseruari, aut amitti potest. Quam doctrinam exactiùs declarans idem Diuus Thomas 2. 2. q. 151. art. 1. in virginibus fœminis tria distinguit, quæ sunt integritas signaculi virginalis, in experientia libidinis, id est, immunitas à voluntaria resolutione seminis cum delectatione venerea, & integritas mentis per propositum abstinendi à tali delectatione, & commixtione. Ex quibus ait Diuus Thom. primum esse per accidens ad moralem virginitatem: secundum verò esse per se, tamen materialiter se habere, quia passiones sunt materia virtutum moralium: tertium autem per se, ac formaliter complere virginitatẽ. Dicimus ergo, quoad hæc omnia violandam fuisse virginitatem per copulam carnalem etiam in statu innocentiæ.

Circa priorẽ sensum assertio negatiua

Probatur explicando tria requisita ad virginitatem fore vtelauda in statu innocentiæ.

4. *Id ostenditur de primo requisito.*

De primo id iam probatum est: nam ostendimus necessariò fuisse virginale signaculum reseandum, vt mulier posset ex viro concipere. Et quãuis de potentia absoluta Dei aliter fieri potuisset: non tamẽ sine magno miraculo penetrationis corporum. Quia sine illa, vel sine apertione signaculi virginalis nullo modo possent vir, & vxor fieri vna caro per mẽbrorum commistionem, & vnius intra alterum impressum, & seminationem: ostendimus autem hunc modum humanæ generationis tanquam maximè naturalem in statu innocentiæ fuisse futurum. Ergo in illo statu per coniugalem copulam fuisset læsa virginitas quoad corporis integritatem, quæ accidentaria est.

5. *Euasio Ægidij & Richardi.*

Dicit verò Ægidius, & probabile putat Richardus, licèt signaculum virginale aperiretur, vel in conceptione diuideretur, & partu: nõ tamen permanenter, sed solùm quasi in fieri, quandiu copula, vel natiuitas durarent: illis verò transactis statim partem illam ad suam integritatem fuisse redituram: & ideo simpliciter non fuisse amittendã virginitatem quoad hanc partem. Quia post copulam tam integra mansisset fœmina, quam priùs erat, idemque fuisset post partum. Quia partes illas aperiri ad officium naturæ, non esset imperfectio, dum modo statim clauderentur: sicut aperiri, & claudi os, vel pectus dilatari, & constringi. At verò ita seiungi, vel scindi partes illas, vt semper manerent disiunctæ, sicut nunc manent, quidam modus corruptionis fuisset illi statui minimè cõsentaneus.

6. *Non satisfacit.*

In hoc verò in primis assero, etiamsi totum illud concedatur, negari non posse, quin illa læsio corporalis esset virginitatis amissio quantum ad hanc partem. Nam si quis diceret in partu Christi, dum proles de vtero egrederetur virgineum claustrum fuisse diuisum, licèt adiungeret, statim post partum integritatem claustri plenissimè, ac perfectissimè fuisse restitutam, hæreticus esset: nam sanctissimæ Mariæ virginitatem negaret, & destrueret, saltem in ipso partu. Ergo signum est per illam diuisionem etiam transitoriam, simpliciter amissi virginitatem. Et ratio est, quia virginitas est, sicut innocentia: nam sicut hæc negat omnem culpam aliquando commissam: ita virginitas negat omnem claustri violationem. Ideoque licèt illa diuisio semel facta, diuina virtute repararetur quoad partium discontinuationem, vel separationem: nihilominus virginitatis integritas reparari nõ posset. Sicut Deus mundans peccatorem non facit innocentẽ. Addo præterea valde incertũ esse, quod dicitur, integritatem virginitatis per apertionem claustri in cõceptione, vel partu amissam statim diuina virtute fuisse restituendam: id enim naturale non est (vt constat) nec apparet necessitas, aut fundamentum, cur dicamus ex ordinaria lege illius status illud miraculum, seu opus supernaturale fuisse repetendum, quoties noua conceptio, vel partus fuisset futurus. Posset ergo Deus id facere si voluisset: an verò ita factum esset ignoramus.

Est etiam incerta.

7. *Ostenditur quod sit dandum medium.*

De secundo virginitatis requisito, nimirum inexperientia libidinis, clarius est, non potuisse cum carnali copula consistere in statu innocentiæ. Probatur, quia in illo statu necessaria in primis erat emissio seminis voluntaria, quæ dictæ inexperientiæ directè opponitur. Deinde illa seminis emissio, commixtio, & receptio sine delectatione naturaliter nõ fit. Dicetur fortasse de ratione virginitatis non esse omnis delectationis venereæ inexperientiam, sed illius, quæ nimia est, & quandam habet foeditatem, & deordinationem, eo quòd non ratione imperetur, ac temperetur, sed caloris alteratione nimium excitetur, ita vt rationem absorbeat, vel eius vsum impediat. Hoc autem non ita esset in statu innocentiæ, sed esset moderata delectatio iuxta rationis mensuram, & membra corporis etiam pudenda non mouerentur primò per caloris alterationem naturalẽ, & inuoluntariam: sed per rationem, ac voluntatem, teste Aug. d. l. 14. de Ciuit. c. 26. Atenim licèt verum sit carnalem copulam in statu innocentiæ futuram fuisse *sine turbido motu, & spontanea potestate*, vt Augustinus ait, nihilominus nõ fuisset sine resolutione seminis, nec sine delectatione, quæ & ex illa naturaliter oritur, & ad illius operis perfectionem data est à natura. Imò addunt aliqui, vt Bonauentura, & Richardus suprà referunt, & indicat D. Thomas, maiorem delectationem sensibilem fuisse futuram in statu innocentiæ propter meliorem corporis dispositionem: quanuis minus perturbaret rationem propter maiorem illius vigorem, & dominatum. Alij autem volunt ipsammet delectationem sensibilẽ fuisse minuendam, & moderandam per rationis imperium, q. magis Bonauentura probat. Vtroque autem modo voluntaria resolutio seminis, & talis delectationis experientia esset virginitati cõtraria, quia virginitas nõ solum excessum, vel inordinatum modum libidinis, aut resolutionis seminis: sed absolute substantiam (vt sic dicam) ipsius libidinosi actus excludit. Vt, v. g. fieri potuit, vt parentes Virginis, v. g. ex priuilegio receperint rationis vigorem ad virginem sine immoderata passione, vel mẽtis perturbatione procreandam: & nihilominus per illum actum virginitatẽ corporalem, & externam amitterent: idem ergo esset in statu innocentiæ.

Respõsio ad quæsitum.

Non satisfaciũt opinantes copulam carnalem, nullo modo rationem turbare.

8. *Ostenditur denique quod sit dandum.*

Vnde à fortiori constat, quid de tertio membro, scilicet virginitate mentis dicendum sit. Nam sine dubio in illo statu violanda fuisset. Quoniam integra animi virginitas simul cũ vsu matrimonij etiam in statu innocentiæ esse non potuisset simul. Probatur, quia ille vsus voluntarius esset futurus, vt per se notum est: ergo supponeret propositum coeundi, à quo talis vsus voluntarius denominatur: at verò huiusmodi propositũ formaliter violaret

violaret virginitatis integritatem quoad animũ. Ergo. Neque obstat si quis obijciat illud propositum semper fuisse futurum licitum, & honestum. Respondemus enim primò, esto ita sit nihilominus sicut copula honesta, & coniugalis repugnat virginitati quoad integritatem corporalem: ita propositum licitum copulæ honestæ, seu coniugalis repugnare virginitati quoad animi integritatem, cum hæc maximè in hoc proposito consistat. Vt sentit D. Thom. in d. q. 152. a. 1. & 3. p. q. 29. a. 1. ad 1. Deinde addimus incertum esse, an in statu innocentiæ, si durasset, possent homines in peccatum luxurię incidere, sicut in alia peccata: vnde etiam dubium est, an interdum amitterent virginitatem, vel animi per actus, vel desideria illicita copulæ carnalis.

Supereſt autem quartum membrum, seu alius quæstiouis sensus, nimirum: an in statu innocentię integra virginitas seruari posset, abstinendo minimum à copula etiam maritali, & ab ipso matrimonio. Loquimur autem de potestate morali (vt sic dicam) nam physice clarum est potuisse homines abstinere à matrimonio, eiusq; vsu. Nam hoc in libertate hominis positum fuisset: de morali ergo potestate, duplex quæstiuncula proponi potest. Vna est, an possent homines tunc licitè continentiam perpetuam seruare. D. Thom. enim 1. p. q. 98. a. 2. ad 3. partem negantem indicat, dum ait, quod *continentia in statu innocentiæ non fuisset laudabilis*: nam quod laudabile non est, profecto honestum non est, nam omne honestum est laudabile. Idem apertius tradit Altisi. l. 2. Summæ, tract. 10. ca. 2. q. 4. dicit enim matrimonium in illo statu futurum fuisse in præcepto, & non in remedium, ac proinde non fuisse futuram distinctionem statuum matrimonij & cælibatus.

Sed non video vnde constare possit, præceptũ matrimonij omnes, & singulos homines in statu innocentiæ fuisse obligaturum, & extra casum necessitatis. Nam ex natura rei, seu in pura natura non ita obligaret: nec est, cur dicamus, naturalem legem fuisse in hac parte augendam in statu innocentiæ, vel aliquam positiuam determinationem illius præcepti ei fuisse addendam. Nec etiam credibile est, Deum illis verbis, *Crescite, & multiplicamini*, aliquam peculiarem obligationem, præter naturalem legem singulis hominibus addidisse: nam illa verba eandem vim pro quocunque habent statu tam lapsæ naturæ, quam integræ, vnde ex se non obligant singulos, nisi iuxta præscriptum legis naturalis. Igitur neque in statu innocentiæ si duraret, obligaret singulos, saltem post sufficientem generis humani propagationem: ergo abstinere coniugio non esset malum in illo statu: quia neque esset per se, & intrinsece malum, nec etiam esset specialiter prohibitum, vt ostensum est. Quid autem in hac quæstione dicendum sit, ex puncto sequenti concludetur.

Altera ergo quæstiuncula est, an in statu innocentiæ, melius esset, respectu vniuscuiusque personæ matrimonium contrahere, quam virginitatem, seu continentiam seruare. In quo puncto satis clara est sententia D. Thomæ: nam cum ait in statu innocentiæ non fuisse futuram laudabilem perpetuam continentiam, vel significat illam non fuisse licitam, vt suprà argumentabamur, vel saltem non esse laudabilem comparatione vtique matrimonij, ac subinde fuisse minus bonam, & ad consilium non pertinuisse. Idem à fortiori senserunt Altisiodorensis, & Durandus, à quo in hoc Capreolus non dissentit dicta distinctione vigesima ad argumenta Durandi. Et probatur ratione Durandi: quia actus generationis humanæ per se bonus est, vnde abstinere ab illo per se non est bonum, sed solum in quantum potest copula carnalis impedire maius bonum, propter quod etiam maius bonum censeatur, ab actu generandi abstinere, quam illi incumbere. At vero in statu innocentiæ vsus matrimonij nullum maius bonum impediret, quia nec impediret contemplationem, nec induceret sæculares curas, vel cogitationes temporalium rerum: quæ nunc ad onera matrimonij sustinenda, & ad filios alendos necessariæ sunt. Ergo nulla ratio melioris boni, imo vix aliqua boni species posset illo statu in virginitate, seu continentia cogitari. Eandemq; rationem indicat D. Thomas in dicta solut. ad 3. dicens, *Nunc laudari*, id est, præferri, *continentiam non propter defectum fœcunditatis, sed propter remotionem inordinatæ libidinis. Tunc autem fuisset fœcunditas absq; libidine.* Atque hæc sententia communis est, satisque verisimile videtur.

Possumus autem contrarium suadere, quia etiam in illo statu possumus aliquam rationem melioris boni cogitare, & inuenire in abstinentia à coitu. Quia licet fœcunditas tunc esset sine libidine inordinata, & perturbate rationem: non tamẽ esset sine magna delectatione sensibili per rationẽ moderata, & ordinata, vt D. Thom in eadem solutione ad tertium fatetur: ergo necessarium erat, vt tempore coitus ratio vigilaret ad cohibendum ardorem libidinis, & corpus, & animum in tali occasione recte gubernandum. Ergo quamuis demus potuisse hominem tunc simul de Deo cogitare sine inquietudine, vel perturbatione: nihilominus non potuisset tunc ita vacare tota mente, & animo contemplationis diuinæ, sicut posset alio tempore, cum à tali actu vacaret. Ergo etiam in eo statu haberet locum intentio abstinendi perpetuo ab actu generandi, propter suum finem liberius, & attentius diuina contemplatione vacandi: ergo sub ea ratione haberet continentia gradum, & æstimationem maioris boni. Vnde quod Paul⁹ ait 1. Cor. 7. *Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta, & corpore, & spiritu: quæ autem nupta est cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Hoc (inquam) etiam in statu innocentiæ locum haberet, licet aliter, & in minori gradu, quam nunc. Nam tunc etiam necessarium fuisset, aliquãdo circa educationem filiorum occupari, & similiter oporteret peculiarem curam habere placẽdi marito, & peculiari amore illum prosequi, & consequẽter affectum cordis aliquo modo diuidere. Ergo posset tunc eligi virginitas, vt homo ab illis etiam curis humanis, quę in illo statu esse possent, magis abstractus, totus posset Deo, & vitæ spirituali magis consecrari: hæc autem hiderur esse sufficiens ratio melioris boni. Denique in eo statu non fuissent secundæ nuptiæ, etiamsi illarum occasio non deesset: ergo posset etiam esse continentia à primis nuptijs. Declaratur antecedens. Nam licet in illo statu non esset futura viduitas per mortem alterius coniugis, quia tunc mors non fuisset: nihilominus posset alter coniugum prius ad statum gloriæ trãsferri, quam alius. Quid n. obstaret, aut cur dicemus nunquam fuisse cõiuges separandos, sed certa Dei lege statuendum fuisset, vt vnus coniugum ante alium non transferretur? Illo ergo posito per illam translationem dissolueretur matrimonium non minus, quam si nunc per mortem dissoluatur, quia status gloriæ cum vinculo, & obligatione matrimonij subsistere non potest. Hoc igitur posito verisimile non est coniugem in terra sine consorte relictum, ad secundas nuptias fuisse transiturum: nam etiam in natura corrupta propter nimiæ concupiscentiæ indicium minus probantur, & quodammodo odiosæ sunt. ergo verisimile est non fuisse futuras secundas nuptias in statu innocentiæ. Ergo pari ferè ratione credibile est, potuisse aliquos & plures homines à primis abstinere;

12 *Contraria quoque resolutio ex sententia authoris probabilis n. 9. Suadetur 1.*

Confirm. ex Paulo.

Suadetur 2.

nere, etiam propter maius spirituale bonum. Probatur consequentia, quia hic finis maioris fructus spiritualis inueniri, ac intendi poterat in eo statu, in abstinentia à secundis nuptijs, alioqui nulla esset ratio, cur appeteretur: idem autem fructus in perpetua continentia, seruata proportione cogitari facile potest.

13 *Quo pacto Patres aliqui huic parti fauean.*

Ego quidem hanc posteriorem partem satis probabilem censeo: & in fauorem eius allegari possunt illi antiqui Patres, qui in vniuersum negarunt futuram fuisse in statu innocentię copulam carnalē: illi n. pro certo habuerunt virginitatis obseruantiam, illi felicissimo statui fuisse decentissimam: ergo licet excesserint excludendo ab illo statu immaculatum coniugij totum: in admittenda nihilominus virginitate, vt voluntaria, & eligibili nō videntur excesisse. Neque fundamentum contrariæ sententiæ cogit, quia iam ostensum est, matrimonium non fuisse tunc in præcepto pro singulis hominibus: vnde sub ea ratione, velle aut nolle indifferens erat, ad nolendum autem illud, seu eligendam perpetuam continentiam non deerat honestus finis sufficiēs, quicq; fœcunditati prolis præponderaret, vt explicatum est: ergo poterat à multis eligi virginitas. Et verisimile est, ita fuisse futurum, tum ex naturali hominum conditione, quib. veluti ingenitum est, ad varios viuēdi modos, & officia inclinari: tum ex diuersitate donorum gratiæ: nam etiam hæc varietas statuum etiam tunc ad pulchritudinem Ecclesiæ militantis, & triumphantis pertineret. Deniq; fit hoc maxime verisimile suppositā illa sententia, quod licet homo non peccaret, Verbum caro fieret. Nam tūc & Christus ipse virgo esset, & ex virgine nascereturq; (vt credi potest) plures ad virginitatem inuitarent, & post se adducerent. Est ergo hæc pars valde probabilis. Cui autem contraria placuerit, non erit difficile coniecturis nostris respondere: non enim cogentes rationes sunt, sed suasoriæ.

Ad rationem Durandi in num. 11.

14 *Durante statu innocentiæ virginitas seruata fuit quoad materiale per occasionem.*

Tandem possumus ex dictis inferre, cur & quādo de facto sit virginitas in statu innocētiæ seruata. Omnes enim Patres tanquam certum suppo nunt, Adam & Euam ante peccatum fuisse virgines, & hanc ponere solent inter laudes virginitatis, quod primum locum in Paradiso habuit. Vnde intulerunt aliqui, durante innocentia perpetuo fuisse seruādam. Veruntamen distinguendum est inter animi, corporisque virginitatem, seu inter mentalem, & realem, internam, & externam. In Paradiso n. virginitas realis, & externa, seu corporalis seruata est, quia ibi non fuit corporum cōmixtio, nec seminis resolutio, neque aliquid eiusmodi. Et de hac virginitate sancti loquuntur. Colligiturq; ex narratione Genesis. Nam dum in Paradiso fuerunt homines, nulla fit mentio copulæ in tribus primis capitibus Genesis. Postquam vero in fine capitis tertij dicitur eiecisse Deum homines de Paradiso, statim capite quarto dicitur, *Adam vero cognouit vxorem suam*, &c. At vero non seruarunt homines intra Paradisum virginitatem internam, seu mentalem secundum animi propositum. Nam intra Paradisum contraxerunt matrimonium, cum animo, & proposito consummādi illud: vt satis significant illa verba Adami, *Erunt duo in carne vna*. Vnde cum nihil tūc de statu peccati cogitarent, non solum intra Paradisum habuerūt propositum generandi filios, sed etiam proposuerunt generationis actum intra Paradisum exercere. Vnde nunquam cogitarunt virginitatis obseruātiam fuisse illi loco, vel statui necessariam, vel sibi conuenientem. An vero aliquando ab aliquib. seruanda esset, nec nouerunt, nec fortasse vnquam cogitarunt. Quod ergo intra Paradisum non coierint, non fuit necessitatis, sed per occasionem accidit, quia habitatio Paradisi morę breuissimæ fuit: nam paulo post quam Eua formata est peccauit, & virum induxit, ac statim fuerunt ex Paradiso eiecti: vt notauit Aug. l. 9. Gen. ad lit. c. 4. Qui etiam addit, quamuis primi homines in Paradiso habuerint potestatem, benedictionem, & fortasse etiam generandi præceptum: non tamen habuisse à Deo temporis determinationem pro quo essent copulandi, verisimileq; esse illam expectasse, Deum autem futurorum præscium illa distulisse.

Non tamen quoad formale.

CAPVT III.

Nonnulla dubia circa filiorum procreationem in statu innocentiæ breuiter expenduntur.

PRimum dubium est, an omnes viri, & fœminæ essent fœcundæ, ità vt semper quoties cōuenirent, toties filios procrearent. Ratio dubitandi esse potest: quia sterilitas est aliquib. indiuiduis con naturalis ex peculiari illorum cōplexione, sed in statu innocentię essent variæ complexiones indiuiduales: ergo etiā tunc aliqui futuri essent steriles qui & matrimonium contrahere, & consummare possent, quamuis fructum non haberent. Et confirmatur, quia non omnes homines essent æquales in corporis statura, aut viribus: ergo etiam in virtute generandi, & fœcunditate possent esse dispares.

1 *Dubij primum. Suadetur.*

Confirm.

Nihilominus dicendum est in statu innocentiæ non solum omnes viros, & fœminas futuros fuisse fœcundos: sed etiam per omnes, & singulos actus generandi fuisse filios habituros. Hanc sententiam insinuat D. Thom. 1. p. q. 99. art. 2. ad 3. dicens, fuisse conueniens, vt in eo statu omnes generarent: non tamen expresse declarat per omnes actus consecuturos fuisse generationis fructum. At vero in 2. 2. q. 164. a. 2. ad 3. sterilitatem aliquarum fœminarum nunc esse peccati pœnam asseuerat: sentit ergo in statu innocentię non fuisse futuram. Expressius, & latius hoc tradiderunt in 2. d. 20. D. Bonau. q. 5. Durand. q. 1. n. 7. Ægid. q. 1. a. 3. Rich. a. 1. q. 2. Ratio communis est, quia homines in illo statu non coirent, nisi ex recta intentione habendi prolem: ergo quoties copularentur, prolis fructum obtinerent. Antecedens probatur, quia copula carnalis etiam inter coniuges non caret culpa saltem veniali, nisi recta intentione fiat. Duplex autem est intentio, quæ illam honestat, scilicet, si fiat in remedium concupiscentiæ, vel propter generandam prolem, vt tradunt Theologi de matrimonio disputantes: nam licet alios fines honestos addāt: tamen vel ad hos reducuntur: vel in præsenti necessarium non est illos distinguere, vt patebit. At vero ex illis duobus finibus remedium concupiscentiæ non haberet locum in statu innocentiæ, in quo non esset concupiscentiæ fomes: ergo solum propter generandam prolem tunc esset sanctus & immaculatus conjugalis torus. Et sic dixit Aug. l. 9. Gen. ad lit. c. 7. potuisse sanis esse officium, quod nunc ægrotis est remedium.

2 *Pro Dubij decisio.*

Ratio communis.

Iam vero prior illatio, scilicet, quod talis copula non posset debito fructu priuari variis modis à dictis auctoribus probatur. Durandus hac ratione vtitur. Quia, *vbi agens non caret debita intentione, nec actus debet carere debito fine*. Quæ propositio valde generalis est, & solum videtur necessaria, de fine qui respondet actui, vt bonus moraliter est, & meritorius, id est, de præmio quod illi correspondet: sic n. etiam nunc actus nostri bona intentione facti, non carebunt debito fine vltimo, licet sæpe careant fine proximo, seu effectu intento, qui est voluti naturalis, aut physicus finis talis actionis. Bona n. intentio agentis non dat physicam efficientiam actui, vt infallibiliter proximum effectū obtineat. Addit igitur Bonau. in illo statu non solum voluntatem, & intentionē fuisse rectam, sed etiā virtutem

3 *Præditum primum illum principium quo pacto à Durand. probetur.*

Non conuincit.

Quo modo complectatur Bonauent.

virtutem generatiuam fuisse ex vtraq; parte perfectam. *Nam in viro erat potens, & sufficiens, nec habebat impedimentum, & similiter in muliere pro suo loco, & tempore.* Sed hoc etiam difficultate nō caret: tum quia non est necessarium, vt in omnibus individuis virtus generandi perfecta fuerit. Quia multi viri, & fœminę ex naturali sua complexione sunt steriles, quæ imperfectio non videtur repugnasse illi statui, quia respectu talis individui negatiua tantum est, & non habet indecentiam. Tum etiam, quia licet aliàs personæ sint fœcundæ, in tali loco, & tempore & sub tali influentia possunt habere impedimentum ad generādum cum effectu: quod impedimentum posset latere vtrumq; coniugem, & ita possent bona intentione conuenire ad generandam prolem, & nihilominus effectum non consequi.

Quapropter necessario recurrendum videtur ad peculiarem prouidentiam Dei conuenientem illi statui ex peculiari eius priuilegio, atque optimo ordine in eo constituto, vt quandiu in animo perfectus ordo seruaretur, in corpore non deficeret. Ad hunc enim ordinem seruandum (vt Bonauentura suprà in solutionibus argumentorum dicit) datum fuisse homini, vt potestatem suam ac sufficientiam nosset, & qualitatem alimenti, quo ita temperate vteretur, vt & ad corporis alimentum sufficeret, & superfluum eius posset optimè ad generationem disponi, & ideo semen viri ex se efficax semper fuisset. Aliunde vero simul cognouisset tempus, & horam, quando sine impedimento generare posset, tum ex parte fœminæ agnoscēdo quando esset in dispositione apta ad concipiēdum, vel effectus, & coniecturas, quas ipsa fœmina in se posset præsentire, vel ex peculiari instinctu, seu institutione Dei: tum etiam ex parte causarum vniuersalium, & influentiarum cœli, quas optime nosset, & consideraret, quia non inordinata concupiscentia, sed solum ex dictamine rationis ad generandum moueretur. Et sic peculiari ratione verum est illud principium Durandi in illo statu: nihil enim tunc homo per actiones suas ordinatè, & honeste intenderet, quod frustra tentaret, vel ageret. Sic etiam dixit Ægidius suprà; quod impetus diuini, & instinctus naturales, & dictamen rationis, quantum ad ea, quæ erant sibi agenda, multùm viguissent in primis parentibus vt nunquam sine effectu prolis generarent.

Ad rationem ergo dubitandi respondendum est, quod sicut sterilitas terræ ex naturalibus causis prouenit, & nihilominus nunc est pœna peccati, vt ex Gen. 3. colligitur, ita etiam sterilitas in homine lapso pœna est peccati. Duplex enim sterilitas distingui potest: vna permanens, & quasi in habitu, seu à natiuitate: alia transiens, & quasi à casu in aliquo actu generandi. Prior non haberet locum in statu innocentiæ, quia licet interdum ex causis naturalibus sequatur, nihilominus in statu innocentiæ ita essent omnia ordinata, vt in nullo individuo inueniretur. Quia reuera non prouenit nisi vel ex defectu aliquo in ipsa conceptione à parentibus contracto, vel postea per inordinatum vsum alimentorum, vel externam actionem, aut influentiam elementorum & cœlorum adquisito: quæ certe causæ in statu innocentiæ cessarent: quia & proles semper à principio generaretur perfecta, & natura in suo vigore & robore semper conseruaretur. Nam sicut virtus nutritiua semper restauraret perfectè vires individui, ita etiam virtus generatiua esset ad speciei conseruationem, & communicationem perfecta: & in eadem perfectione in quolibet individuo conseruaretur: ideoque in nullo individuo sterilitas potentialis, seu habitualis inueniretur. Actualis vero sterilitas etiam euitaretur per media suprà declarata, quæ sub dono iustitiæ originalis continentur, & ideo nullus sterilitatis modus in illo statu inueniretur. De confirmatione autem ibidem posita aliquid in sequenti dubio dicemus. *Quid de cōfirm. in eodem n. 2.*

6 *Secundum dubium cū ratione dubitandi.*

Secundum dubium est, quomodo possent fœminæ in statu innocentiæ generari. Et ratio dubitandi est, quia in generatione præcipua vis actiua est in viro: ergo quantum est ex se semper generat virum: ergo in re ipsa ex Adamo, & Eua semper viri nascerentur, & nunquam fœminæ, si in innocentia permansissent. Primum antecedens, vt notum in Philosophia supponitur. Prima vero consequentia probatur, quia omne agens intendit assimilare sibi perfecte effectum suum, seu prolem: ergo vir, quantum in se est, intendit, & conatur generare virum: ideoque illum generat, nisi impediatur. Et hoc confirmat Aristoteles libro secundo de Generat. animal. cap. 3. *fœminam marem læsum*, id est, defectuosum appellans, & quasi ex accidenti, & præter intentionem generatum. Quod latius ipsemet explicat libro quarto, capite secundo, & tertio. Secunda vero consequentia probatur, tum ex dictis, quia ad perfectionem agentis pertinet id, quod intendit consequi: in statu autem innocentiæ omnia essent perfecta, vt diximus. Tum etiam, quia in eo statu nullum esset vitium, aut impedimentum, quod virorum generationi obsistere posset. Vnde ergo, aut quomodo fœminę producerentur?

7 *Hæresis negantium in statu innocentia distinctionem sexuum. Expugnatur ex Testam. veteri.*

In hoc puncto fuit antiqua hæresis Almerici dicentis in statu innocentiæ non fuisse futuram sexuum differentiam. Ita refert Prateol. verb. Almericus, & Castro verbo Adam, hæres. 5. & Turrecr. libr. 4. Summæ, cap. 35. Vnde etiam sensisse videntur Euam ante peccatum, vel non fuisse creatam, vel non fuisse distincti sexus ab Adamo. Vtrunque autem stultissimum est, & hæreticum contra expressa verba Scripturæ, quæ narrat, Adā & Euam fuisse creatos ante peccatum, & Adam fuisse virum, & Euam fœminam, & ab hac incepisse peccatum in humano genere, & de illa dixisse Deum, *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*: vtiq; in natura, non in sexu. Alias in adiutorium viri esse non posset, quia illud adiutorium, vt sæpe Augustinus notat, propter propagationem humani generis præcipuè desiderabatur. Nam ad omnem aliam actionem, vel societatem, alterius viri adiutorium, & maius, & commodius fuisset, vt D. Thomas aduertit 1. p. q. 92. a. 1. & optimè exponit Augustinus libro nono Gen. ad lit. cap. 3. 5. & 7. Denique hoc satis declarauit Christus Dominus Matth. 19. dicens, *Qui fecit ab initio, masculum, & fœminam fecit eos*, &c. Et Marc. cap. 10. addit, *ab initio creaturæ* id factum esse, vt inter eos inseparabile vinculum matrimonij intercederet. Denique ex hoc principio in præcedenti capite ostendimus, in statu innocentiæ, si duraret, homines per naturalem modum generationis ex coniunctione maris, & fœminæ fuisse generandos. *Item ex ratione.*

8 *Concluditur ex dictis futuram diuersitatem sexuum in posteris Adami essetque non peccasset. Probatur ratione.*

Hinc ergo euidenter concluditur, in eodem statu, & ex eadem hypothesi certum, & euidens esse, non solum in duobus primis hominibus, sed etiam in eorum filijs sexuum diuersitatem, futuram & multiplicandam fuisse. Ita docent, & pro comperto habent omnes Theologi in 1. dist. 20. quos paulo post referemus. Nunc probatur, quia homines erant naturali modo procreandi in illo statu. vtique ex viro, & fœmina: at vero non omnes immediate generarentur ab Adamo, vt per se notum, tum quia multo diuturniori tempore duraret propagatio hominum, & multiplicatio humani generis, quam status personæ Adami in vita animali: nam si non peccaret, intra breue tempus transferretur ad gloriam, sicut & cæteri homines. Ergo multo

multo minus sufficiens fuisset sola Eua ad totius humani generis multiplicationem: ergo necessaria fuisset fœminarum multiplicatio, vt hominum generationes vsque ad tempus à Deo præfinitum ad complementum numeri prædestinatorum durare potuissent.

9 *Deducitur vlterius sexus fœminei productionē per accidens, aut monstruosam non esse. Probatur.*

Vnde vlterius colligi potest fœminę productionem non esse per accidens, aut quasi monstrosam in humana natura, sicut posset aliquis ex citatis Aristotelis testimonijs colligere. Probatur, quia id quod ad conseruationem speciei humanæ, & debitam multiplicationem indiuiduorum eius ex natura rei, simpliciter necessarium, non est per accidens, nec casu in humana natura: sed est maximè per se, & ex intentione eius: sed productio fœminarum est maximè necessaria ad prædictum finem, vt ostensum est, & docuit Aristotel. dict. l. 4. ergo non est per accidens, sed per se in humana natura. Consequentia cum minori euidētes sunt. Maior probatur, quia dato oppositō, nimirum, quod est necessarium ad multiplicationem generis humani, casu, & per accidens in illo inueniri: sequeretur consequenter conseruationem humanæ speciei, & multiplicationem indiuiduorum esse casu, & per accidens in humana natura, quod absurdissimum est. Vnde è contrario si finis est per se primo intentus, etiam media per se secundo, vt sic dicam, eliguntur, seu intenduntur: sicut è conuerso, qui per se primo dat formam, per se etiam, licet secundario dat consequentia ad formam. Et hoc videmus seruasse Deum in prima hominum creatione. Prius enim virum creauit tanquam primario illum volens: deinde vero fœminam produxit quasi per se secundo illam intendens, vt aliquomodo ad complementum humanæ naturæ necessariam. Quia (vt ipse Deus dixit) *non erat bonum homini esse solum*, vtique quia non erat ad humanam naturam conseruandam, & multiplicandam secundum exigentiam naturæ tuæ sufficiens.

10 *Imo non solum naturā vniuersalem siue Deum, sed etiam ipsos particulares generantes inuenturos fuisse in statu innocentiæ productionem fœminæ. Id vero quomodo assequerentur ostenditur primo.*

His autem addo verisimillimum esse in statu innocentiæ propter illius perfectionem fœminę generationem non solum fuisse futuram ex intentione ipsius naturæ specificæ, seu authoris naturæ, sed etiam ex intentione directa personarum ad generationem conuenientium. Ita docet, & sapiēter explicat Bonau. in 2. d. 20. q. 6. vbi ait, *Quod in statu naturæ institutæ, generatio viri, vel fœminæ subesset voluntati rationali.* Quia tunc facultas ipsa generandi, & vsus eius, & motus membrorum illi deseruientium essent imperio rationis, & voluntatis subiecti, & ideo etiam ex intentione generantiū, & præsertim viri, ad maris, vel fœminę productionem ordinarentur: hoc enim ad magnam illius status perfectionem spectat. Vnde consequenter dicendum est, quoties homo intenderet producere virum, vel fœminam, id fuisse consecuturum, quod intenderet, quia semper intentio illa fuisset iusta, & rationi consentanea: ideoque in illo statu suo effectu non frustraretur. Modus autem efficaciter consequendi illius intentionis effectum talis esse potuisset. Quia Adam, & cæteri homines in eo statu antequam officium generandi assumerent, optimè nossent causas omnes: vnde prouenire solet, vt mas vel fœmina generetur, & ita possent illa obseruare, & præparare, seu applicare iuxta intentionem generandi, quam haberent.

11 *Deinde declaratur amplius.*

Declaratur breuiter, quia proximæ causæ generandi marem, in primis ex parte viri, & seminis eius considerari debent. Vt enim naturales Philosophi, & Medici docent, caliditas virilis seminis masculis generandis potissima causa est: vnde quo semen fuerit calidius intra debitam proportionem, prout opus est ad debitam virtutem genitalis spiritus: eo causa illa efficacior erit: augebiturque quo fuerit semen copiosius. Ac denique dispositio etiam melior, & aptior constitutio organi fabricantis, & transfundentis virile semen in matricem fœminæ, multum etiam ad prædictum effectum confert. Ex parte vero fœminæ iuuare potest tum dispositio sanguinis menstrui ex quo fœtus formatur: tum locus matricis: nam latus eius dextrum (vt dicunt medici) propter calorem hepatis ad formationem masculorum aptius est: tum etiam cum iuxta sententiam Galeni, mater etiam concurrat actiuè ad generationem prolis, quo semen eius fuerit calidius, eo ad maris generationem magis iuuabit. Præterea possunt iuuare extrinsecæ causæ, primo quidem, & præcipuæ influentiæ cælorum, & constellationes ad hanc vel illam corporis formam efficiendam aptiores. Deinde medium ipsum, & venti considerari solent: nam Aquilo dicitur esse ad marium procreationem aptior: Auster vero ad fœminarum generationem magis iuuat, teste Arist. l. 4. de Gener. animal. c. 2. vbi alias causas recenset ex diuersitate elementorum, vel ætatum, vel temporum. Et similia repetit l. 6. de hist. anim. c. 19. Denique etiam imaginatio vehemens generantis ad hoc conferre potest, vt ex Gen. 30. notat Bonau. supra, & Perer. l. 4. in Gen. disp. de hac re q. 3. Has ergo causas omnes perspectas haberent homines in statu innocentiæ. Ideoque cum vellent marem, vel fœminam generare, non esset eis difficile, illas ita obseruare, vt infallibiliter, quod intenderent, assequerentur. Tum ante coitum illis alimentis frequentius, & diutius vterentur, quæ ad talis sexus generationem essent aptiora, tum in ipso coitu obseruando circunstantias omnes, & causas effectui intento magis accōmodatas: tum deniq; post coitum posset etiam fœmina vti alimentis, & locis, ac rebus alijs eidem fini magis inseruientibus. Quod si præter hæc omnia specialis etiam instinctus, vel iuuamen diuinæ prouidentiæ necessarium fuisset, in illo certè statu non deesset.

12 *Ad rationem dubitandi.*

Ad rationē ergo dubitādi in principio dubij positam respondetur negando primā cōsequentiam. Quia in viro non solū est principalis vis generādi mares, sed etiā fœminas. Nam absolutè præcipua vis generandi actiua in viris est, & de se est veluti generalis, seu indifferens, determinatur a. in executione ex alijs concausis, seu circunstantijs. Sicut è contrario etiam in fœmina est potestas indifferens ad prolem in vtroq; sexu procreandam: vel materialiter, vel etiam actiuè: determinatur autem ex coniunctione cum alijs causis. Verisimile autem est, determinationem physicam ad sexum virilem magis, & frequentius à viro: ad sexum autem fœmineum à matre defumi. Cum autem dicitur, marem quantum in se est intendere marem producere, quia intendit sibi assimilare effectum quantum potest: respondendum est, si sit sermo de intentione quasi naturali illam per se tendere ad similitudinem in natura, nō in sexu, quia in vtroque parente est vis de se communis ad vtrumq; sexum generandum, & ideo debet determinari ad hunc, vel illum ex adiunctis causis: si vero sit sermo de intentione elicita, & rationali, sic constat falsum esse assumptum. Nam & fœminæ maxime cupiunt masculos parere: & viri fœminas generare. Nec Aristoteles locis in argumentatione citatis aliquid docet doctrinæ traditę contrarium, sed potius illam confirmat, præsertim l. 4. de Gener. animal. ca. 3. Cum autem fœminam vocat animal læsum, non intelligit mancum, vel monstrosum: sed in suo ordine minus perfectum. *Ad diction. ibid.*

13 *Dubium primum.*

Tertium vero dubium hinc nascitur, an filij in statu innocentiæ procreandi essent vtriusque sexus in numero æquali, aut inæquali, vel in qua proportione. Quod dubium de re adeo incerta, & contingente esse videtur, vt vix possit in illo definitum

definitum iudicium ab homine proferri. Potestq; coniectura ex alijs animantibus fieri. Quis enim definire audeat, an in specie leonum, equorum, vel similium animalium, quæ in vtroque sexu multiplicantur, futuri essent plures masculini, quam fœminini sexus: vel è contrario, vel æquales? Certè de his, quæ nunc procreantur, incertissimum id est: multo ergo magis de his, quæ futura essent in statu innocentiæ. Hôc autem argumentum æquè in hominibus fieri potest.

14 Nihilominus Theologi communiter docent mares, & fœminas futuros fuisse in specie humana in multitudine æquali, si status innocentiæ perseuerasset. Ita docet D. Thomas 1.p.q.99.art.2. ad 3. & quodlib.3.art.25. & in 2.dist.20.q.2.art.1.ad 1. vbi latiùs Bonauent.in d.quæst. 6. sequitur Richard.ibid.art.2.q.1.Aureol.ar.2.Ægid.quæst.2.ar. 1.Fundamentum huius assertionis multa complectitur principia. Vnum est quòd in illo statu non fuisset in vsu polygamia simul viuentium vxorũ. Ita supponunt docti Theologi, & tradit etiam Diuus Thom. quodlib.5.ar.8. estque per se valde credibile: quamuis omni dubitatione non careat. Quia pluralitas vxorum simul viuentium non est ita intrinsecè mala, quin posset esse licita, vt in principio humani generis, vel vsque ad Euangelium fortasse fuit: cur ergo non fuisset licita etiam in statu innocentiæ? Vel si licita fuisset, cur non fuisset in vsu saltem apud multos cum ex libertate sola penderet.

15 Dices huiusmodi polygamiam nunquam fuisse per se licitam: sed ex dispensatione diuina, iuxta cap.gaudemus, de diuor. Hanc autem dispensationem non fuisse in statu innocentiæ necessariam, aut conuenientem: quia summa rectitudine, & integritate naturalis lex seruanda fuisset. Sed contra: nam in primis illa ratio multiplicationis humani generis, etiam in illo statu locum haberet, præsertim in principio generis humani. Et deinde ratio ob quam pluralitas vxorũ iure naturæ prohibita est, in statu innocentiæ vniuersaliter cessaret: ergo & prohibitio: iuxta vulgatum principium, quod cessante fine legis in vniuersali, cessat etiam obligatio legis. Antecedens declaratur, quia bigamia simul viuentium vxorum non est contra primum finem matrimonij qui est filiorum generatio, imò potiùs ad illum iuuat, & ideo ex hoc capite mala non est, nec prohibita. Nunc autem censetur contraria secundario fini matrimonij, qui est tranquilla cohabitatio, & pax, ac conueniens familiæ gubernatio, & ideo est prohibita. Hæc autem ratio habet locum in natura corrupta, vbi propter immoderatam cõcupiscentiam facilè inuidiæ, & rixæ, & appetitus excellentiæ oriuntur. At in statu innocentiæ, in quo huiusmodi passiones non essent, illa etiam ratio cessaret: ergo, & omnis malitia.

Nihilominus principium illud solidum censeo: Primò, quia quicquid sit de absoluta prohibitione, vel naturali malitia secundarum nuptiarum, in illo statu sine dubio non essent necessariæ propter humani generis multiplicationem. Nam si omnes viri singulas vxores acciperent, breui tempore posset sufficientissimè homines multiplicari. Quia omnes essent fœcundi, & quoties conuenirent, fructum filiorum acciperent, vt supra diximus, nullusque meretur, nec ante adultam ætatẽ, vt credibile est, ex hac vita transferretur. Et pueri infra breue tempus ætatis, vim haberent generandi propter naturæ vigorem, & fortasse per plures annorum centurias in hac vita cõseruarentur ante translationem, quo toto tempore possent filios per singulos annos, & fortasse ampliùs multiplicare: ergo propter multiplicationem hominum non erat tunc multitudo vxorum necessaria. At nec erat per se conueniens, sed ad perfectionem temperantiæ, castitatis, & ad omnia alia virtutis opera, & præsertim vitæ contemplatiuæ multo erat aptior vnitas vxoris: ergo hæc sine dubio in illo statu seruaretur.

Addo insuper probabilius videri hanc polygamiam vitiosam, & prohibitam fuisse in illo statu. 17 *Sustinetur 2.* Primò, quia hoc præceptum prohibens secundas nuptias naturale est, lex autẽ naturalis de se tunc integrè obligaret. Et quamuis ob perfectionem iustitiæ originalis cessarent fortasse impedimenta, in quibus lex illa fundata est, illud est extrinsecum, & accidentarium; & ideo obligatio talis legis non cessaret. Eo vel maximè quòd illa lex per se primò fundatur in naturali iustitia, & æqualitate inter virum, & vxorem: nam per matrimonium, sicut dominium corporis vxoris transit in potestatem viri, ita & corporis viri dominium in potestatem vxoris transfertur: & ideo naturaliter non potest vir se alteri vxori tradere: hoc ergo vnusquisque vir in statu innocentiæ seruaret. Et fortasse hoc voluit DEVS in ipsamet creatione, quasi exemplo monstrare: facile enim potuisset plures fœminas Adamo in adiutorium dare, dedit autem vnam tantùm, quasi docens, quid seruari etiam illo statu oporteret. Quod satis intellexit, ac significauit Adam cùm dixit, *Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Vbi de vna loquitur, quia vnica futura erat. Et ita etiam expediebat ad maioris amoris vinculum, & alia, quæ in secundario fine matrimonij considerantur, quæ aliqua etiam ex parte in illo statu locum haberent, etiamsi non cum tanta imperfectione, vel necessitate, quanta in natura corruptâ inuenitur. Hoc ergo fundamentum satis solidum est.

Additur verò vltertùs aliud principium, etiam bigamiam successiuam, vt sic dicam, non fuisse futuram in illo statu, quia mors coniugis non intercederet. Quæ ratio optimè quidem probat non fuisse futuras in illo statu secundas nuptias propter mortem alterius coniugis: non tamen videtur simpliciter probare, quia posset matrimonium per translationem alterius coniugis desolui (vt suprà tetigi.) Nam illa translatio morti æquipararetur quoad hunc effectum: nam esset translatio ad statum gloriæ, in quo, vt Christus dixit Matth. 22. *Nec nubent, nec nubentur*: eademque ratione nec sub prioris matrimonij vinculo perseuerabunt. Ergo nec tunc perseuerarent: & consequenter posset coniux in statu viæ relictus ad secundas nuptias transire. 18 *Alterũ principium pro illa communi responsione in nu. 14. Instatur cõtra id principium.*

Nec potest cum fundamento dici coniuges simul fuisse transferendos ad statum gloriæ: quia nec reuelatum est, nec verisimili ratione, aut coniectura suaderi potest. Quia in primis hoc pendet ex diuina prædestinatione, quæ ad certum gloriæ gradum in vnoquoque facta est, & donec merita proportionata compleantur, nemo ex statu vitæ vocatur siue nunc per mortem, siue tunc per translationem. Contingere autem posset vt merita vtriusque coniugis non simul complerentur, quia vel possent esse prædestinati ad inæqualem gloriam, vel licet essent ad æqualem præordinati, posset vnus feruentiùs mereri, & mensuram suam breuiori tempore implere. Vel certè si translationis temp⁹ pro definito ætatis tempore esset præscriptus, etiam hoc modo posset in vno coniuge prius quàm in alio impleri. Quia non esset necessarium omnes coniugatos esse eiusdem ætatis cùm inter se matrimonium contraherent, aut omnes in eadem ætate statum illum assumere, quia & complexiones, & vires corporum essent diuersæ, & res esset libera, ac proinde contingens. 19 *Progreditur instantia:*

20 *Defenditur tamen secundum illud principium.*

Veruntamen licet hæ coniecturæ probabiliter suadeant potuisse tunc coniugium per translationem dissolui: nihilominus longè probabilius est non fuisse futuras secundas nuptias in illo statu. Primò quidem, quia licèt sint licitæ, minus tamen decentes iudicantur etiam in hoc statu lapsæ naturæ: multo ergo minus in illo statu decerent: ideoque admissa translatione vnius coniugis ante alium verisimilius est alium acturum fuisse vitam cœlibem vsque ad suam translationem, quod vitæ genus non esset contra perfectionem illius status, vt suprà ostendi. Deinde non est certum homines fuisse tunc transferendos immediatè ad consummatum gloriæ statum: potuissent enim transferri ad statum medium, vt Augustinus lib. 9. Gen. ad litt. disputat, & nos infrà videbimus: illo autem posito fortasse non dissoluerentur matrimonia per primam illam translationem, & consequenter nec ad secundas nuptias transitus fieret. Denique non est improbabile, tunc non fuisse vnum coniugum absque alio transferendum, ne in illo statu quidam modus viduitatis inueniretur. Posset autem Deus facilè ita media prædestinationis in omnibus prædefinire, vt omnes coniuges simul merita proportionata suæ electionis eodem termino consummarent. Et ita siue vno, siue alio modo procedatur, firmum etiam manet hoc secundum fundamentum, quòd nullo modo etiam succesiuo secundæ nuptiæ in illo statu inuentæ fuissent.

21 *3. Principij pro eadem responsione & concluditur eius fundamentum.*

Tertium principium est, quòd in statu innocentiæ omnes tam viri, quàm fœminæ matrimonium contrahærent, & filios procrearent. De quo supra dictum est. Ex his ergo principijs sic concluditur in statu innocentiæ omnes homines esse deberent viri, vel vxores, & nec vnus vir habiturus esset plures vxores, nec vna mulier plures viros, vel simul, vel successiuè. Ergo necessarium erat tot esse viros, quot fœminas. *Confirm. 1.* Et confirmatur primò, quia verisimile est, si homo non peccasset, illum statum fuisse conseruandum in illo pondere, & mensura, in quibus fuit institutus, quia hoc maioris perfectionis est. Ergo sicut in principio institutum fuit genus humanum in numero æquali quoad personas vtriusque sexus, ita perpetuò conseruaretur, vt finis principio responderet. *Confirm. 2.* Tandem confirmatur, quia hoc pertinet ad quandam iustam, & æqualem distributionem: quia si in altero sexu pauciores producerentur personæ alteri quodammodo iniustitia fieret.

22 *Iudicium auctoris de cõmuni illa responsione atque fundamẽto hucusque tractato.*

At enim hæ rationes posteriores leuiores congruentiæ sunt: in principali fundamento tertium principium, licet à dictis authoribus ferè vt certũ supponatur, mihi videtur incertum, vt supra dixi. Et ita ex hoc capite resolutio hæc dubia relinquitur. Et præterea videtur in illa ratione, & illatione supponi, si homo non peccasset, homines non fuisse nisi ex legitimo matrimonio generandos. Quia si darentur vagi concubitus, vnus vir posset fieri vna caro cum multis fœminis, & consequenter possent etiam esse plures fœminæ, quàm viri. Idemque sequitur, si è conuerso vna fœmina pluribus viris coniungeretur. *Euasio pro ipsa cõmuni responsione.* Dices, esto ita sit, semper esse valde probabile fundamentum illud ex innocentia illius status sumptum, nam illi repugnat omnis fornicatio, & adulterium: ergo non inuenirentur in illo statu: ergo non esset filiorum procreatio, nisi ex legitimo matrimonio.

23 *Euertitur.*

Sed obijci potest, quia homines in illo statu nec impeccabiles essent, nec in gratia confirmati, vt idem Diuus Thomas docet, & infra trademus: ergo possent fornicationem committere, sicut alia peccata, vel post alia peccata: ergo possent etiam illo tempore homines nasci ex vago, seu iniquo concubitu. Nec oppositum sufficienter probari videtur ratione superiùs facta, quia licet reliqui homines tunc peccarent, respectu naturæ humanæ status innocentiæ perseueraret: & ita illo statu durante, possent homines ex iniquo concubitu geniti prodire, postquam parentes eorum innocentiam amitterent. Responderi potest, nihilominus intra statum innocentiæ æqualem numerum virorum, & fœminarum fuisse mansurum: quia non posset persona vnius sexus fornicando cadere, quin haberet socium criminis alterius sexus: ideoque eadem æqualitas in innocentibus permaneret. Sed hoc non satisfacit, quia si semel ponamus potuisse homines fornicando innocentiam amittere, consequenter sequitur potuisse plures ex vno sexu cadere, quàm ex alio: quia poterat vna fœmina cum multis viris fornicari: & è conuerso vnus vir cum multis fœminis: quo posito non manerent æquales numeri virorum, & mulierum in statu innocentiæ permanentium. Præterquam quòd etiam alijs modis præternaturalibus possent viri cadere, & non fœminæ: & è conuerso, sicut nunc fit. Quia posita in illo statu potestate peccandi, non est maior ratio de vno genere peccati, quàm de alio, semel autem admissa inæqualitate progressu temporum, & per varias generationes posset inæqualitas augeri, & variari.

Et augetur difficultas, quia tunc geniti ex peccatoribus innocentes nascerentur, & tamen non necessariò nascerentur in vtroq; sexu cum æqualitate, quia homines iam lapsi non haberent illam rectitudinem, & efficaciam in intentione, & modo generandi, quæ ratione originalis iustitiæ in cæteris inueniretur. Propter hæc difficilis mihi est illa communis assertio, quòd Adamo non peccante, æqualis futurus esset virorum, & fœminarum numerus. Vnde existimo rem futuram fuisse merè contingentem: ac subinde nobis esse omnino incertam. Vel certè ad summum procedere posse supponendo non solùm Adam, sed etiam cæteros homines innocentiam seruaturos fuisse: sic enim minor esset incertitudo, semper tamen relinqueretur aliqua ex alio capite, quod fortasse aliqui viri, vel fœminæ virginitatem seruarent.

CAPVT IV.

Quanta, & qualis hominum multiplicatio in statu innocentiæ fieret.

1 *Quæstio.*

IN hoc quæsito multa includuntur, vnum est an fuissent ijdem, qui in hoc statu producti sunt, & vsque ad diem iudicij generabuntur. Aliud est, esto non essent ijdem, an essent in æquali numero, vel maiori, aut minori. Et huic annexum est aliud, scilic. an soli prædestinati, vel etiam reprobi tunc nascerentur. Primò ergo dixerunt aliqui eosdem homines tunc fuisse multiplicãdos, qui nunc sunt, fuerunt, & erunt, ac proinde fuisse futuros in multitudine æquali. Fundantur in certitudine prædestinationis, quæ videtur esse æqualis in reprobatione. *Improbatur.* Quod quidem fundamentum non est firmum (vt dicam.) Tamen habet peculiarem difficultatem in reprobis, quia videtur incredibile Adamo non peccante tot homines fuisse damnandos, quot nunc damnantur. Et ideo addiderunt aliqui, eos quidem qui nunc sunt reprobi, tunc fuisse futuros prædestinatos, & saluandos. Et ita numerum hominum futurum fuisse æqualem, imò eundem: non tamen numerum prædestinatorum, & reproborum. Ita refert Basilius 2. dist. 20. q. 2. §. alij verò: & probabile iudicat. Supponunt tamen rem incertam sine vllo fundamento: scilic. Deum ante præuisum peccatum elegisse homines, qui nunc saluantur, quos primò prædestinatos vocant:

rant: post prævisum autem peccatum Adæ nunc reprobasse reliquos: prædestinaturum autem illos fuisse, si prænouisset Adamum non fuisse peccaturum. Vnde autem hoc sciant, vel quomodo id suadeant ignoramus, nec Bassolis aliquod fundamentum refert, & statim generaliter impugnabitur.

2. Addit ergo Scotus in secundo distinctione vigesima, quæstione secunda, omnes, & solos homines, qui nunc saluantur, fuisse generandos durante innocentia Adami, eos verò, qui nunc damnantur, non fuisse futuros: & ita minorem fuisse futurum numerum hominum in statu innocentiæ, quamuis non omnino distinctum in personis ab hominibus, qui post peccatum Adæ fuerunt. Hæ duæ posteriores partes euidenter ex prioribus sequuntur. Illas ergo probat in primis authoritate Gregorij in nono capite numero nono tractanda. Et deinde primam partem de prædestinatis suadet ex eo, quòd isti qui nunc sunt prædestinati ante præuisum originale peccatum fuerunt electi: ergo maneret firma electio, etiamsi peccatum Adæ non fuisset futurum. Alteram verò partem probat ex eo quòd in statu innocentiæ nulli essent reprobi: sed omnes prædestinati. Vnde non obstat contra Scotum, quod ibi Maior obijcit, quia non est minus certa reprobatio, quàm prædestinatio, seu electio, ac proinde si nunc electi nascerentur propter immutabilitatem electionis, etiam reprobi futuri essent propter certitudinem reprobationis. Responderet enim Scotus reprobationem esse æquè certam quoad præscientiam, non verò quoad præfinitionem, vt etiam Diuus Thomas dixit 1.part.quæst.23.articul.7. id est, numerum prædestinatorum esse certum ex decreto absoluto voluntatis antecedente præscientiam futurorum: numerum autem reproborum solum esse certum ex præscientia, & ideo licet res aliter essent futuræ secundum hanc præscientiam, decretum electionis prædestinatorum firmum manisset, non sic autem reprobatorum numerus: quia non præscito peccato, nec reprobi præscirentur.

3. Sed nihilominus Scoti discursus quoad vtramque partem parui momenti est, vt Mai. Molin. Valent. & alij notarunt. De priori manifestum id est, iuxta opinionem eorum, qui negant electionem prædestinatorum fuisse ante absolutam præscientiam peccati originalis. Sed quia oppositum docui lib. primo de Prædestinat. capite duodecimo, addo quòd licet Deus elegerit prædestinatos ante præscientiam absolutam peccati futuri Adæ in seipso, & vt iam sibi præsentis: nihilominus non habuit eandem electionem ante præscientiam cõditionatam peccati Adæ, quia, videlic. prænouit, quòd si crearet Adamum cum tali præcepto, & circunstantijs, esset peccaturus, & suam posteritatem, quantum in ipso erat, damnaturus, & stante hac sola præscientia, elegit, quos voluit. At verò data illa hypothesi, quòd Adam non esset peccaturus, Deus etiam illam præscientiam conditionatam non habuisset, quia tunc obiectum non fuisset verum. Vnde potuisset etiam Deus pro sua libertate non habere illud decretum, quo tales homines elegit, ac proinde possent ijdem homines non esse prædestinati. Ergo ex electione, quam nunc Deus habuit, non possumus colligere tales homines fuisse futuros, vel saltem consecuturos, etiamsi Adam non peccasset. Quia licet electio diuina in sensu compositio, id est, postquam suppositio est facta, infallibiliter impleatur: nihilominus absolutè talis electio potuit non fieri. Et ideo licet nunc supponatur facta post talem præscientiam conditionatam: nihilominus posita hypothesi, quòd talis præscientia non esset, sed contraria: non erat necessarium eandem electionem fieri. Atque ita res manet incerta, nec ex sola electione diuina potest certò inferri quòd ijdem homines, qui nunc sunt prædestinati, futuri essent prædestinati, imò nec quòd futuri essent, si Adam peccaturus non fuisset.

Altera verò pars de reprobis ostenditur, quia 4.
supponit quòd si Adam non peccaret, eius posteri vel peccare non possent, vel infallibiliter nunquam peccarent, vel saltem non perseuerarent finaliter in peccato. Primum autem ex his falsum est: secundum est gratis dictum: tertium verò etiam dicitur sine fundamento, & non consequenter. Quia si cum effectu aliquando peccare possent: cur non etiam in peccato perseuerare? Quæ omnia in cap. 9. latiùs tractanda sunt. Et præterea quanuis daremus Scoto, nullos homines fuisse damnandos, si cõmunis lapsus humanæ naturæ non interuenisset: nihilominus non sequitur nullos homines fuisse tunc futuros, ex his, qui nunc reprobi sunt. Nam esse potuissent, licet non essent damnandi, sed saluandi. Quia iuxta Scoti sententiam, non obstante reprobatione, prout nunc facta est, tunc noæ essent reprobi, quia non essent futuri: ergo etiam possent non esse reprobi, quanuis ad existendum ordinarentur: sicut prior opinio dicebat. Quæ profectò in hoc nihil dicit impossibile, sed incertum.

Alij ergo non rationem prædestinationis, sed 5.
ipsam rerum executionem cõsiderantes dixerunt *4. Sententia tripartita.*
Adam non peccante non fuisse eosdem homines ab illo generandos, qui nunc sunt, sed alios numero distinctos. Incertum autem esse, an fuissent plures, vel pauciores, & an aliqui eorum fuissent damnandi. Hæc videtur esse sententia Diui Thomæ dicto quodl. 5. art. 8. & in eam inclinant Maior, & Capreol. in 2. d. 20. & moderni nonnulli, præsertim Valẽtia supra. Et quoad duas posteriores partes de incertitudine numeri, & prædestinationis omnium, mihi videtur clara. Quia quoad numerum nõ habemus vllum principium ad iudicium ferendum de quantitate determinata vtriusque extremi: quomodo ergo de æqualitate, vel excessu alterius partis iudicare poterimus? Item nec de tempore, quo singuli homines in statu viatorum in innocentia, seu Paradiso terrestri manerent, nec de tempore pro quo generationes hominum durarent, notitiam, vel coniecturam habemus: ergo nec de tota illa comparatione illam assequi possumus. Incertitudo autem alterius partis, scilicet an in illo statu aliqui essent damnandi, necne, ex dictis contra Scotum constat, & ex infra dicendis de potestate peccandi in illo statu magis patebit. *Ostenditur quoad duas posteriores partes.*

Prima verò pars duobus modis accipi potest, 6.
scilicet, indefinitè, & vniuersaliter. Priori modo sensus eius est, non omnes homines, quia in hoc statu naturæ lapsæ generantur, in statu naturæ integræ, si perseuerasset, fuisse futuros: Et in hoc sensu videntur maximè loqui Diuus Thomas: putatque se id demonstrare, quia in statu innocentiæ non fuisset futura vxorum pluralitas, sicut nunc est: ergo nec omnes homines, qui nunc ab eodem patre ex diuersis fœminis generantur, essent tunc futuri. Probatur consequentia, quia tunc idem homo non generaret filios nisi ex vna fœmina: ergo qui nunc generantur ex alia tunc non nascerentur, quia non possunt nisi ex eadem matre procreari. Nam cùm filius (ait Diuus Thomas) à patre tanquam à primo efficiente, & à matre, vt à materiam ministrante generetur, impossibile est eundem filium nasci, siue pater, siue mater distincta persona sit, quia idem numero effectus nõ potest naturaliter nisi ab eodem numero agente, & ab eadem materia produci. Cõfirmat hanc rationẽ, quia multi nunc generãtur ex adul- *Prima pars duplex sensus in quorum primo suadetur à D. Tho*

terio, vel fornicatione, sed in statu innocētiæ non essent filij nati ex huiusmodi vagis, & illicitis copulis: ergo illi, qui nunc sic generantur, in statu innocentiæ non fuissent. Dices fieri potuisse, vt tales homines ex eisdem personis nascerentur, præcedente inter illas legitimo matrimonio, quod nunc non præcedit: quod nihil refert, vt proles eadem, vel distincta persona sit. Sed hoc dici non potest vniuersaliter, quia contingit eandem fœminam habere quosdam filios ex legitimo coniuge, & alios ex alijs viris: ergo non potuisset in statu innocentiæ ex omnibus illis viris concipere, quia non erat omnibus coniugio copulanda: ergo aliqui ex illis filijs non fuissent ab illa nati in statu innocentiæ, & consequenter simpliciter non fuissent, iuxta principium positum, quòd ex matre distincta semper filius distinctus nascitur. Et hinc etiam ostendi potest, aliquos homines fuisse futuros in statu innocentiæ, qui nunc non nascuntur. Nam qui nunc sunt steriles, si fuissent in statu innocentiæ, non fuissent steriles: ergo generarent aliquos homines, qui nunc non generantur: & similiter qui nunc præmaturè moriuntur, vel occiduntur, vt Abel qui filios non habuit, si in statu innocentiæ fuisset, filios generasset: ergo illi essent distincti homines ab omnibus, qui ex Adamo post lapsum oriuntur.

Euasio.

Præcluditur.

7 *Suadetur etiam in sensu posteriori.*

Hinc verò extendi potest hæc sententia ad posteriorem sensum vniuersalem, nimirum, si Adam, & Eua non peccassent, omnes filios, & nepotes eorum fuisse futuros numero distinctos ab eis, qui nunc nati sunt, vel nascentur. Probatur, quia vt filij sint ijdem numero, seu in indiuiduo, non satis est, quòd ab eisdem parentibus generentur, vt est per se notum: quia nunc ex eisdem parentibus distincti homines nascuntur: sicut etiam ex Adamo, & Eua, proximè nati sunt. Ergo tunc variantur fœtus ex diuersis circunstantijs conceptionis: maximè verò ex tali diuersitate temporis, & loci, quæ habeat coniunctam diuersam influentiam cælestem, & distinctam medij ambientis, & aliorum elementorum cooperationem. Itemque ex varietate paterni seminis, quod est veluti proximum efficiens, & materni sanguinis, qui est materia potissima, ex qua proles concipitur. Nam ex materia, seu subiecto his, vel illis circumstantijs applicato censentur agentia creata determinari ad hoc indiuiduum potius, quàm ad illud producendum. Sed Adam, & Eua si non peccassent in productione, & conceptione filiorum cum his omnibus circumstantijs longè diuersis coniungerentur: ergo generarent filios numero distinctos ab his, quos nunc post lapsum procrearunt: ergo tota eorum posteritas esset numero distincta à posteritate Cain, & aliorum filiorum Adæ. Maior ex Philosophia supponitur. Minor verò facilè declaratur, quia licet ex circumstantia temporis extrinseci, seu cælestis incertum sit, an eodem tempore, vel tardiùs, aut citiùs copularentur, si non peccassent, quàm nunc fuerunt post peccatum cōiuncti: nihilominus in cæteris omnibus fuisset magna diuersitas. Quia in primis distinctissimis cibis vsi fuissent intra Paradisum, quàm extra, & ita ex distincta illorum ciborum materia semen, & sanguinem distinctum efficerent: & longè etiam melius dispositum propter meliorē cibi qualitatem, & propter maiorem in comedendo moderationem, ac temperantiam, ac meliorem loci, ac medij dispositionem: simulque concurreret distincta, & melior influentia cælestis propter situs Paradisi terrestris commoditatem: ergo ex his omnibus circunstantijs determinaretur virtus generatiua ad effectum numero distinctum producendum. Et præsertim ex proxima materię diuersitate, quia illa intrinsecè manet in prole, & illam componit: vnde impossibile est prolem esse eandem numero, si materia ex qua componitur est distincta. Et hinc probata relinquitur prima consequentia principalis argumenti. Secunda verò datur in altero principio D. Thom. quòd si aliquis ex parētibus est persona distincta, & filium distinctum generare necesse sit. Nam filij Adæ essent parentes totius posteritatis futuræ: ergo si in statu innocentiæ filij Adæ fuissent distincti ab his, quos post lapsum habuit, etiam tota eorum posteritas distincta fuisset.

Hæc sententia vtroque modo explicata solùm nititur in principio philosophico de dependentia effectus singularis, & indiuidui ab indiuidua, & particulari causa efficiente, & materiali, cum aliis circunstantijs, & cooperātibus causis. Hoc autem principium præterquam quòd non est certum, solum habet locum in effectibus, qui per se, & immediatè fiunt ab agentibus creatis. Vnde non videtur conuenienter extendi ad homines, saltem quoad animarum productionem: quoniam anima non fit à parentibus, sed à solo Deo creatur. Hinc ergo orta est altera opinio limitans præcedentem. Ait enim Adamo non peccante, homines, qui ab eo descenderent, non fuisse futuros eosdem numero, qui nunc, quātum ad corpora: esse tamen potuisse eosdem quoad animas, & probabile esse tales fuisse futuros. Hanc opinionem docuit Adam, eumque est secutus Gregorius, vt refert Capreol. 2. dist. 20. art. 3. ad vlt. apud illos verò eam non legi: ipse autem Capreolus illos non sequitur. Docuit nihilominus illam opinionem Molina dicto tractatu de opere sex dierum, disp. vlt. quam per varias conclusiones aliter declarat, & probat. Mihi etiam videtur hæc sententia satis probabilis. Et prima quidem eius pars, quæ ad corpora pertinet, à D. Thom. a maximè intenditur, & rationibus factis in tota præcedenti sententia probabiliter persuadetur: estque principium illud philosophicum ad materiales effectus applicatum satis probabile, vt in disp. 5. Metaphysicæ tractatum est: nec plura de illa parte in præsenti dicere oportet, quia simpliciter loquendo, & præsertim theologicè vnitas numerica, seu identitas, aut diuersitas in homine secundum animam potissimum consideratur, vt ibidem dixi.

8. *Indicium illi. 4. sententiæ.*

Vnde prior etiam tuo 1. pro.

Altera ergo pars de identitate hominum quoad animas de possibili sumpta, intelligenda est de potestate naturali, quæ sine speciali miraculo in actum reduci potest. Et in hoc sensu dicimus potuisse connaturaliter fieri, vt Adamo non peccante ijdem numero homines quoad animas ab illo propagarentur, qui post peccatum generantur. Probatur, quia anima rationalis singularis, & indiuidua, sicut non pendet in esse à corpore, ita ex se nō limitatur ad informandam hanc materiam primam, vel ad hæc numero accidentia, illam disponentia: vt probaui in disp. 5. Metaph. sect. 6. n. 6. & sequent. Quapropter in instanti, in quo quilibet homo generatur, non ab vna tantum anima creabili informari posset, sed ab innumeris, & infinitis possibilibus à Deo. Vnde quòd talis anima potius quàm alia in tali corpore creetur, eique vniatur, non habet sufficientem causam ex parte corporis, & consequenter nec ex agente, & alijs materialibus circumstantijs, sed à libera Dei voluntate determinatur. Et inde consequenter fit, vt eadem anima, quæ nunc tali corpori infunditur, posset sine miraculo creari in alio corpore ex alia materia, alijsque accidentibus organizato, sicut è conuerso in hoc corpore posset alia anima infundi. Est enim eadem ratio, quia vtrobique talis determinatio pendet ex libera DEI voluntate, & hic est connaturalis modus productionis talis formæ propter capacitatem, quam habet ad informandum

9 *Probatur 2. part.*

dum corpus cum in dependentia in suo esse ab illo. Ex quibus tandem concluditur, quòd si contigisset Adam in Paradiso, & innocentia conseruata, primogentum suum generare, quanuis fortasse corpus illius prolis quoad materiam, & dispositiones non esset idem numero cum corpore Caini: nihilominus posset Deus eandem animam illi infundere, sine vllo miraculo, vel præternaturali prouidentia, quia determinatio illius, vel alterius animæ ex sola Dei libertate ex natura talis rei pendet. Quod autẽ in primogenito declaratũ est eandẽ in cæteris filijs, & filijs filiorũ rationem habet.

Denique vltima pars huius sententię, nimirum supposita hac naturali lege, ac potestate, verisimile esse Deum easdem animas humanas creaturum fuisse in corporibus innocentium filiorum, quas nunc in peccatoribus creat, suaderi potest. Primò cum creatio talium animarum in indiuiduo de se non pendeat ab istis numero corporibus, id est, ab hac numerica parte materiæ, vel his numero accidentibus, verisimile est, Deum ante absolutam præscientiam decreuisse absoluto decreto, has particulares animas creare, quanuis de modo, & qualitate corporum ante dictam præscientiam, absolutum decretum non habuerit: ergo illud prius decretum semper fuisset impletum, quanuis Adam non peccaret. Secundò, quia Adam iustitiam originalem sub ea conditione accepit, vt pro tota posteritate illam obediendo conseruaret, vel transgrediendo amitteret: ergo æquitati, & rationi valde consentaneum est, vt vtraque conditionis pars ad easdem personas filiorum pertinuerit, ac subinde, vt idem numero filij qui nunc in peccato originali nascuntur, nascituri essent in originali iustitia, si parentes non peccarent: ergo essent ijdem filij Adæ in vtroque statu, vt qui sentiunt damnum, ex parte Dei ordinati essent antecedenter ad recipiendum commodum.

Responderi potest, Deum solùm respexisse ad specificam naturam: seu ad posteritatem abstrahendo ab his, vel illis personis, & ideo nec esse iniustum, nec absurdum, quòd damnum, vel commodum in personas distinctas redundaret: nam id est quasi per accidens, & ad iustitiæ æquitatem non pertinet. Sed licèt fortè hoc possit in rigore iustitiæ sustineri: nihilominus negari non potest, quin maior æquitas, & perfectior prouidentia reluceat, si respectu earundem personarum talis cõditio quoad vtramque partem foret implenda: eo vel maximè, quòd diuina præscientia, & prædestinatio non est cõfusa, sed clara, & distincta. Ideoque quando decreuit Adamo, & in ipso toti eius posteritati iustitiam sub tali pacto conferre, non confusè tantùm posteritatem concepisse putandum est, sed distinctè in talibus personis: ergo eædem personæ, quæ nunc illa priuantur, eandem obtinuissent, si primus parens non peccasset, ac proinde ijdem essent homines, qui ab ipso propagarentur.

Sed instabis, quia hæc ratio vel efficax non est, vel nimium probat, concludet enim fuisse futuros eosdem numero homines non solùm quoad animas, sed etiam quoad corpora, quia iustitia originalis etiam corpora moderabatur, & perficiebat: & è contrario peccatum originale etiam in corporibus suos pœnales effectus habet. Ac denique pactum Dei posteros Adæ, vt corpore, & animo constantes respiciebat. Item cõcluderet illa ratio omnes omnino homines, qui nunc fuerunt, sunt, & erunt, futuros fuisse etiamsi Adam non peccasset, quia ratio æquè de omnibus procedit. Ac denique probaret ratio omnes, qui nunc damnantur, tunc etiam fuisse damnandos, quia discursus factus æquè ad omnes, & quoad hunc effectum applicari potest. Nos autem hæc omnia non admittimus, nec admittenda videntur.

Respondemus in primis non esse difficilè hæc omnia defendere, quia Deus sine dubio potuit illa omnia præordinare, potuisseteque res ita disponere, vt infallibiliter ita fierent. Nunc autem credimus non ita factum esse, quantum ex coniecturis colligere possumus. Et ideo ad primum negatur sequela, quia iustitia originalis, & gratia, ac beatitudo, ad quam illæ ordinabantur, ad animã principaliter pertinent, & consequenter in illa est originalis culpa quoad essentiam, & (vt ita dicam) formalitatem suam, corpus autem secundariò tantum, & materialiter ad hæc omnia se habet, & ideo non ita fuit identitas in corporibus, sicut in animabus necessaria. Accedit præterea, quòd anima à solo Deo fit, & ex sola eius voluntate eligitur, seu determinatur, vt in tali, vel tali corpore creetur: ipsum autem corpus fit ex præiacente materia, & cum dependentia à materialibus causis, & ideo Deus non ita ex se definiuit conditiones corporum: sed cursu naturalium corporum illas reliquit. 13 *Ad 1. instantiam.*

Ad secundum etiam negatur sequela: nam rationes factæ non persuadent, imò nec suadent omnes homines, qui nunc propagantur, ab Adamo fuisse etiam futuros, etiamsi Adam non peccasset: *Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit*: Rom. 11. Solùm enim coniectamus illos homines, qui in statu innocentiæ generãdi essent, constare debuisse ex animabus, quæ nunc etiam aliquando creantur. An verò numerus hominum in vtroque statu futurus esset æqualis, incertum esse putamus. Vnde ex dicto principio solùm colligi potest, quòd si numerus hominum in vtroque statu esset idem formaliter, seu æqualis, etiam idẽ esset materialis, seu in eisdem indiuiduis, saltem quoad animas: non quia hoc sit absolute necessarium, aut certum: sed quia cõuenientius apparet. Si autem essent numero inæquales, & in statu innocentiæ futuri essent homines numero pauciores, omnes illi etiam erunt nunc in lapsa natura: quia sic participaturi erant innocentiæ commodum, quod nunc per peccatum amiserunt. Si autem è cotrario maior futura fuisset tunc hominũ multitudo, in illa omnes homines, qui nunc producuntur, continerentur, & præter hos in multis alijs Dei liberalitas ostenderetur. Nihil ergo incõmodi in aliquo istorum modorum inuenitur, & in singulis aliqua congruitas cogitari potest, & ideo incertum nobis est, quem potissimum illorum Deus ordinasset. 14 *Ad secundam.*

In tertia replica petitur, quid dicendum sit, si inter numerum electorum & reproborum similis comparatio fiat, in quo licèt res incerta sit, in primis verisimilius credimus, nõ fuisse futurum minorem numerum electorum, & prædestinatorũ, quam nunc sit. In quo cum Scoto conuenimus nõ solùm propter illam rationem, quòd nũc electionem prædestinatorum ante præscientiam absolutam peccati Adæ factam esse credimus: sed etiam, quia nulla ratio, vel coniectura probabilis afferri potest, propter quam credibile sit pauciores homines fuisse Deum electurum, si sub conditione præsciret Adamum in tali rerum ordine, & occasione constitutum, non fuisse peccaturum. Et hinc etiam credibile fit: eosdem homines saltem quoad animas, qui nunc sunt electi, fuisse etiam saluandos, & eligendos, etiamsi Adam non peccasset. Non solùm, quia nunc electio antecesit præscientiam peccati Adæ: nam hæc ratio sola non persuadet, quia saltem præcesit sciẽtia conditionata futuri peccati, qua non existente potuisset Deus aliter electionem facere, vt supra dixi. Et ideo addẽdum putamus nullam afferri rationem ob quam credamus, Deum alios, quam hos ipsos fuisse electurum, 15 *Ad tertiam.* *Quousque placet Scotus n. 2. allatus.*

cturum, si sub conditione saltem præsciret Adamum in illa occasione, si in ea constitueretur, non fuisse peccaturum. An verò præter hos Deus plures elegisset, si hoc etiam modo præsciret Adam non fuisse peccaturum, omnino est nobis occultum. An autem durante dicto statu aliqui essent damnandi, & præsciti, infrà dicemus: nam pendet ex alia quæstione cap. 9. tractanda, an homines in eo statu possent peccare: supponendo autem aliquos fuisse damnandos, numerus eorum ignotus nobis est, & ideo omnis comparatio, vel ad numerum electorum, vel ad numerum eorum, qui nũc damnantur, incerta est: & propterea nihil amplius de illa dicere necesse est.

CAPVT V.

Vtrum in statu innocentiæ homines generarentur perfecti quoad corpora, vel quomodo consummatam illorum perfectionem consequerentur.

1. DIximus de propagatione generis humani quo modo, & quanta futura esset in statu innocentiæ, si duraret: nunc explicandum superest, qualis esset futura quoad prolis perfectionem, quam ex parte corporis priùs considerabimus: postea verò ex parte animę. Duplex autem perfectio in humano corpore consideratur. Vna dici potest simpliciter, & absolute necessaria ad veritatem, & integritatem corporis humani ex vi talis specificæ naturæ, numerum sensuum externorum, & internorum, & potentiarum omnium, ac facultatum naturalium, quæ ad individui, & speciei conservationem necessariæ sunt: alia est perfectio necessaria ad statum integrum, & consummatum corporis humani. De priori nulla est in præsenti dubitatio: nam certum est in statu innocentiæ fuisse prolem generandam cum corpore omnibus suis partibus, ac membris constante iuxta exigentiam sexus, in quo vnusquisque generaretur. Itemque cum omnibus facultatibus, ac sensibus internis, & externis, & cum debita membrorum proportione, dispositione, colore, figura, ac pulchritudine corporali, quæ inde consurgit. Ita docet D. Th. 1. p. q. 96. art. 3. & quæst. 99. art. 1. ad 1. & alij Theologi statim citandi.

Humani corporis perfectio duplex

De priori perfectione certa resolutio.

2. Et ad minimum hoc docuit August. lib. 1. de Peccat. merit. & remiss. cap. 37. & 38. vbi ait, nullam pœnalem imperfectionem fuisse futuram in hominibus, qui in statu innocentiæ generarentur. Carẽtia enim illius integritatis esset imperfectio, seu defectus pœnalis, qualis est agritudo, cæcitas, & membrorum corpori connaturalium diminutio, huiusmodi enim defectus cùm naturales non sint, pœnales sunt: nõ ergo essent in genere humano peccato non intercueniente. Et inde facilè cætera, quæ diximus, consequuntur. Quia non minus pertinet ad naturalem perfectionem corporis humani debitus ordo, proportio, & figura membrorum, quàm eorum integritas sine diminutione. Et similiter ad corporis sanitatem necessaria est bona dispositio, & proportio humorum. Et inde nascitur conueniens color, & consequenter pulchritudo, quæ inde resultat. Ergo ista omnia essent in hominibus durante innocentia, à principio natiuitatis eorum.

Idem resolvit August.

3. Potest autem circa hoc interrogari, an hæc omnia essent æqualia in hominibus illius status. Respondet autem negatiuè Diuus Thomas in d. art. 3. q. 96. Quia non omnes causæ concurrentes ad productionem hominum essent eædem, neque æqualis virtutis in generationibus singulorum. Nam in efficientibus causis esset varietas ex parte influentiæ cœlorum, & elementorum circunstantium, & ex parte causarum materialium, diuersitas ciborum, & humorum ipsorum parentum interueniret. Confirmatur, ac declaratur, quia hæc inæqualitas rarò est pœnalis de se: tum quia potest esse inter duo individua, etiamsi in neutro illorum sit aliquis defectus contra specificam, vel individualem perfectionem vnicuique debitam: tum etiam, quia talis varietas, & inæqualitas naturaliter sequitur ex compositione corporis organici. Quia cõueniens eius dispositio, & proportio non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem. Et inde est, vt naturaliter non omnes homines sint eiusdem figuræ, nec eiusdem staturæ. Idẽ ergo in statu innocentiæ inueniretur. Tandem declaratur, quia primi parentes non generarent filios sibi omnino similes in complexione, quia hæc ex parte materiæ & aliarum causarum variatur. Item quia ipsi parentes, vir, scilicet, & vxor non essent in complexione omnino similes. Et vterq; quantum in se est, prolem sibi similem efficere conaretur, vnde filius esset similior illi parenti, qui efficaciorem haberet virtutem in tali occasione, & tempore: vel qui magis à circunstante medio, & à materia, & ab alijs causis iuuaretur: ac proinde proles neutri esset omnino similis propter alterius resistentiam: ergo paulatim per varias generationes, dispositiones, & complexiones filiorum variari, & diminui possent. Et consequenter in alijs perfectionibus corporum posset esse inæqualitas: nimirum in statura, in colore, in pulchritudine, in efficacitate sensuum, & aliarum facultatum naturalium. Tota autem illa varietas esset intra latitudinem perfectionis naturalis ad conuenientem habitudinem humani corporis sufficientem.

Prima assertio predicta perfectio nõ fuisset æqualis intra eadem speciẽ. Probatur ex D. Th.

Confirm. & declaratio 1.

Declaratio 2.

4. Atque hinc dicimus secundò aliquam varietatem, & perfectionis inæqualitatem multo magis posse esse in eadem persona pro diuersis temporibus, seu ætatibus in illo statu inueniri potuisse, ac debuisse: quanuis in singulis ætatibus, ac temporibus omnes homines integram perfectionem vnicuique in tali tempore, vel ætate accommodatam haberent. Probatur prior pars, quia illa varietas est naturalis homini naturali modo genito, nutrito, & educato: sed homines tunc naturali modo generarentur, vt suprà ostensum est, & naturali etiam modo nutrirentur. nam indigerent cibo, & potu: ergo etiam haberent illam varietatem dispositionum, ac ætatum: quia hæc ex natura rei consequitur ad naturalem generationem, & nutritionem. Vnde carere illa, vel esset monstrosum contra rationem, & decentiam illius status, vel esset miraculosum, aut supernaturale: quod, & superfluum esset, & gratis assereretur, cùm reuelatum non sit, vel scriptum, aut traditum. Altera verò pars de perfectione accommodata singulis temporibus, ætatibus, quasi per se nota est ex priori assertione, & ex cõditione illius status, in quo omnia pertinentia ad perfectionem hominis naturalem futura erant integra, & ordinatissima. Nam cùm hæc perfectio naturalis, non sit vna, & eadem pro toto tempore vitæ, nec conueniat specificæ naturæ secundùm se, sed vt in tali, vel tali individuo existenti, necesse est, vt saltẽ ea perfectio, quæ singulis temporibus esset accommodata, in illo statu non deesset.

Assertio 2. priorem supponit

Prioris assertionis ostensio

Ostenditur posteriorem.

5. Ex quo inferimus primò cum D. Thoma dicta quæst. 99. art. 1. homines in statu innocentiæ non fuisse generandos cum integra statura, & quantitate corporis, ac membrorum eius, quã nunc per continuam nutritionem vsque ad statũ augmenti acquirunt, sed in ea paruitate corporis, & membrorum, quæ infantiæ eiusque initio accommodata est. Et quia in ea potest esse magis, & minus in vnoquoque individuo esset in quantitate, singulo-

1. Corollarium cum D. Thomã.

gulorum complexioni; & individuali perfectioni proportionata. Vtrumq; est facile, & receptum ab omnibus. Primum quidem, tum quia illud est homini naturale, tum etiam, quia non posset vterus maternus capere corpus magnæ quantitatis: nisi vel talis corporis membra inter se penetrarentur, vt in angusto ventre simul esse possent, vel totum corpus filij cum corpore materno coextenderetur & penetraretur. Itē alias non posset proles naturaliter nutriri in vētre matris, vt per se notū est. Fingere autem extraordinaria miracula, vel supernaturalia opera semper futura in illo statu sine fundamento authoritatis vbi ratio deest, improbabile est, ac temeritate non vocat. Secundum etiam de perfectione illius status notum est.

6 Secundò sequitur ex dictis infantes recēs conceptos, vel natos in illo statu non fuisse habituros robur, & vires membrorum, quas in virili ætate habere solent. Vnde nec statim ambulare possent, nec loqui, nec alios similes motus habere, sed tantum illos, qui illi ætati conueniunt, vt lac sugere, linguam, pedem, vel manum aliquo modo mouere. Ita docet D. Th. supra, & sequitur ex eodē fundamento. Quia sicut haberēt membra infantilia, & parua in quantitate: ita etiam haberent illa eis qualitatibus dispositā, quæ illi ætati responderēt, sunt que illi cōnaturales. Ex his autem dispositionibus sequitur membrorum debilitas, & defectus virium ad prædictas actiones: ergo non possent infantes illas habere sine supernaturali virtute, & miraculo, quod, vt sæpe dixi, sine sufficienti authoritate asserendum non est.

D. Th. & alij.

Contra hæc verò obijci potest Aug. l. 1. de peccator. mer. & rem. c. 37. vbi sic ait, *Quamquam etiam ipsa tanta carnis infirmitas* (vtiq; infantium) *nescio quid quantū arbitror pœnale demonstrat.* Quæ verba possent vtcumq; exponi de infirmitate carnis, non quoad corporum debilitatē, aut paruitatem, sed quoad dolores, ægritudines, gemitus, & alia incommoda, quæ paruuli etiam patiuntur. At verò huic expositioni obstāt verba, quæ statim idē Pater subiungit, *Mouet enim si primi illi homines non peccassent, vtrum tales essent filios habituri, qui nec lingua, nec manib. nec pedibus vterentur. Nam propter vteri capacitatē fortasse necesse fuerit, paruulos nasci, quantū cum exigua sit pars corporis costa, non tamen propter ea Deus paruulam viro coniugē fecit, quam ædificauit in mulierem, vnde & eius filios, poterat omnipotentia creatoris mox editos, grandes protinus facere.* Et in c. 38. id prosequitur, indicans, q; licèt filij in vteris maternis essent paruuli propter vteri capacitatē, statim ac nascerentur, essent vel corpore perfecti, vel saltē apti ad motū corporis exercēdos.

Nihilominus D. Th. sup. ad 1. respondet, Augustinum solùm loqui de illa infirmitate corporum, quæ nunc in pueris apparet, etiā quoad actus eorū pueritiæ conuenientes. Sed consideratis omnibus verbis, quę retulimus, negare non possumus, quin etiam de naturali debilitate, & paruitate infantilium corporū loquatur, vt etiam ex dicendis magis constabit. Veruntamen non loquitur Augustinus deffiniendo, sed inquirendo, & rem indecisam relinquit. Resolutio autem tradita sine dubio vera est. Nec exemplum de formatione Euę est simile. Tum quia Eua non ab homine, sed à Deo solo fuit formata: tum etiam, quia nō naturali modo, sed valde extraordinario, & singulari creata fuit: tum denique, quia non expediebat in parua, & infantili ætate illam creari: quia nec habebat matrē, à qua posset conuenienter ali, & educari: nec ad vsum generationis per multum temporis apta fuisset. De potentia item Dei non dubitamus, quin paruulis recenter natis potuerit integram corporum perfectionem, & quantitatem subito conferre: veruntamen eandem etiam potuisset Deus in momento conceptionis, & in vtero materno tribuere. Sicut autem tunc nō fecisset hoc posterius, ita nec prius, nam vnum est ad aliud consequens. Quia sicut conceptio esset naturalis, ita & natiuitas, & augmentatio. Item quia ex diuina reuelatione, aliàve authoritate, vel ratione non magis miraculum illud, seu supernaturale opus in natiuitate, quàm in conceptione probare possumus.

9 *Altera obiectio eius quę solutio.*

Sed obijci potest, quia in statu innocentiæ non haberet locum senectus: ergo nec; pueritia. Facilè autem respondetur, negando consequentiā, quia per senectutem tenditur ad mortē, imò est quoddam initium corruptionis: mors autem, & corruptio in illo statu locum non haberent. At pueritia est vitæ initium, & ab illa paulatim ad consummatam perfectionem tenditur modo naturali. Et ideo pueritia tanquam perfectionis initium illi statui non repugnabat: secus verò est de senectute, quæ initium est mortis.

10. *Vltima obiectio ex variis Augustini dictis.*

Tandem instari potest ex eodē Augustino: quia sequitur nascituros fuisse homines in statu innocentiæ & per plures annos fuisse victuros sine vsu rationis, sicut nunc pueri sunt. Cōsequens autem non videtur admittendum: ergo. Sequela probatur quia in statu innocentiæ homines intelligerēt, & vterentur ratione cum dependentia à phantasmatibus, hinc autem prouenit, vt careant homines in pueritia vsu rationis, quia tunc organa sensuum non sunt disposita, vt rationi deseruire possint: ergo idem impedimentum haberent in statu innocentiæ, si in pueritia similem dispositionem corporum haberent. Minor autem probatur ex Augustino d. 1. de pec. merit. & remiss. c. 36. vbi tenebras mentis rationalis, & ignorantiam Dei, quę in paruulis cernuntur, sentit esse quid pœnale, & ex peccato primi parentis originem ducere. *Nam vnde* (inquit) *anima hominis anima rationalis non solum indocta, sed etiam indocilis iacet, quare, aut quando, aut vnde intrusa est, si natura est hominis sic incipere, & non tam vitiosa est ista natura.* Et ad hoc confirmandum addit: *Cur non talis creatus est Adam: cur ille capax præcepti?* Et in fine capitis concludit. *Hoc tam magnum ignorantiæ, ac infirmitatis malum, si in hac vita tam nati paruuli contraxerunt, vbi, quando, quomodo sine magna aliqua impietate commissa repente tantis tenebris inuoluti sunt:* Et in c. 37. in principio supponere videtur, *hæc non esse puræ naturæ, sed vitiosæ primordia.* Et paulo post declarat, non agere de corporis quantitate, sed de *mentis quadam valentia, vsuque rationis*, id est, de illius carentia, & idem indicat li. 4. contra Iulian. c. vltimo.

11. *Responsio ad obiectionis propositionē maiorem.*

Nihilominus ad obiectionem respondeo, concedendo sequelam. nimirum, in statu innocentiæ carituros fuisse paruulos vsu rationis non tantū in vteris maternis, sed etiam post natiuitatem pro tempore infantiæ, vsque ad tēpus prouectæ ætatis, in qua phantasia posset conuenienter intellectui ad ratiocinandum deseruire. Hæc est sententia D. Thomæ 1. p. q. 101. a. 2. & Hugonis de S. Vict. lib. 1. de sacram. p. 6. c. 26. & in eam magis inclinat Magist. in 2. dist. 20. vbi etiam Bonau. in dub. 6. litterali. & Durand. q. 4. ad 1 & alij. Et ratio est, quia defectus vsus rationis in infantia non est pœnalis, sed naturalis, quia naturaliter sequitur ex dispositione connaturali organorum phantasiæ, quam status pueritiæ postulat, scilicet, ex nimia humiditate cerebri, vt D. Thomas dicit. Vsus autem rationis etiam in statu innocentiæ, à recto vsu phantasiæ penderet, vt in superioribus dictum est. Nec possumus cum fundamento, diuino miraculo, aut supernaturali operi aliud attribuere, quia nobis hoc reuelatum nō est: & alioqui ad perfectionem illius status non est necessarium. *Lib. 3. c. 9.*

12. *Responsio ad propositionē minorem.*

Ad Augustinum ergo communiter respondetur, ipsum loqui non de simplici carentia vsus rationis, sed vt habet adiunctas multas imperfectiones,

iuxta D. Thomam.

nes, quas in statu innocentiæ non haberet. Nunc enim non solum carent pueri vsu rationis, sed etiam patiuntur inordinatos motus phantasię, quibus interdum turbantur, & tristantur, vnde fletus, dolores, motusque iracundiæ, & alij similes oriuntur: quibus omnibus imperfectionibus in statu innocentiæ carerent. Et ideo dixit Diuus Thomas d.q. 101. art. 2. ad 1. quòd licèt paruuli in illo statu non haberent rationis vsum: nihilominus in ipsamet puerili cognitione maiorem perfectionem haberent, vtique per originalem iustitiam, vt c. *sequenti* explicabimus. Atque hæc quidem doctrina vera est: an verò illam in dictis locis Augustinus intenderit, valde dubito. Crediderim tamen illum non asserendo, sed disputando processisse, vt de perfectione corporum dixi.

Expeditur responsio.

13 *Respondetur tandem rationibus ab Augustino indicatis in fauorem prædictæ propositionis minoris.*

Necessarium tamen est rationibus dubitandi, quas Aug. indicat, satisfacere. Vna est, quia mentis tenebræ, & ignorantia sunt pœna peccati: nulla autem videtur esse maior ignorantia, vel mentis cæcitas, quàm carētia vsus rationis. Rectè autem respondet Magist. Diuus Thomas, & omnes, propriam ignorantiam esse peccati pœnam, non autem omnem carentiam cognitionis, vel quam appellant nescientiam, esse pœnam, sed esse posse conditionem naturæ, etiam benè institutæ. Propria enim ignorantia dicit carentiam scientiæ, quam quis posset, & deberet habere: hoc autem modo carentia vsus rationis in pueritia, non est ignorantia, sed pura nescientia: & ideo esse posset in statu innocentiæ sine peccato. Et ob eandem rationem non potest ille naturalis defectus, cæcitas mentis, aut tenebræ appellari: quia hæ voces etiã significant priuationem, & in malam partem ordinariè sumuntur pro carentia spiritualis, seu intellectualis luminis aliquo modo voluntaria, & ex peccato proueniente. Ad confirmationem autem, quam D. Augustinus ab exemplo Adami sumit, rectè etiam respondet Diuus Thomas non esse similem rationem. Quia Adam ab ipso Deo immediatè creatus est, cuius opera sunt perfecta, & creatus est in adulta ætate, in qua non solùm erat capax vsus rationis, sed etiam erat illi debitus, fuisserque proprijssima, imò monstrosa ignorantia, si tali vsu careret. Ac demique constitutus est in principem, & caput totius naturæ: & ideo non solùm cum vsu rationis, sed etiam cum perfecta sapientia creatus est, vt suprà vidimus. Hæ autem rationes omnes in filijs eius locum non habent, vt est per se notum.

CAPVT VI.

Quibus rebus ad vitam conseruandam homines in statu innocentiæ vterentur.

DIximus de perfectione corporali prolis in statu innocentiæ generandæ: & ideo priusquam de spirituali dicamus, opportunum videtur, reliqua, quæ ad corporalem vitam pertinent, expedire, quæ duo sunt præcipua: vnum est, conseruatio vitæ: aliud est status, seu modus tranfigendi vitã. Circa primum, præcipuum dubium est, an homines in statu innocentiæ carnibus vescerētur. Duobus enim, scilicet, victu, & vestitu, in hac mortali vita indigemus, iuxta illud Pauli 1. Tim. 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus*: in statu autem innocentiæ non indigerent homines vestimentis, quia iustitia originali sufficienter tegebãtur, vt in superioribus dictum est, indigerent autem alimentis, quia licèt haberent corpora suo modo immortalia per extrinseca adiumenta: nihilominus haberent corpora animalia, quæ naturali ordine, ac modo generari, nutriri, crescere, & conseruari deberent, quod sine alimentis non fit.

Vestibus non esset opus in statu innocentiæ.

Ideoque explicandum superest, qualibus cibis vsuri essent homines in illo statu. In quo vlteriùs distinguendum est inter infantes, & adultos.

1. *De infantum alimento.*

Et de infantibus statuendum est, vsque ad certum tempus ætatis, in qua solidiora corporis mẽbra haberent, alendos, ac sustentandos fuisse lacte matris, sicut nunc nutriuntur. Hic enim modus alimenti naturalis est infantibus paruulis, *quibus lacte opus est, non solido cibo.* Ergo idem modus in illo statu seruaretur. Ex regula sæpe repetita, quòd naturæ ordo seruandus in illo statu esset in his, quæ nec pœnalia sunt, nec priuatiuam imperfectionẽ in tali natura, & persona, ac tempore includunt: nec supernaturaliter immutanda fuisse reuelatum est: talis autem est, ille nutriendi modus.

2. *Adultorum cibus similis, & fructus arborum.*

De adultis etiam certum est, fructus arborum, & seminum terræ futurum fuisse communem cibum illius status. Hoc enim præcipuè nobis reuelatum est Gen. 1. in illis verbis, *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam.* Quæ verba dicta sunt hominibus ante peccatum, vnde maximè pro statu innocentiæ dicta sunt. Et cap. 2. dixit Deus Adæ, *De omni ligno Paradisi comede*: excepitque solùm lignum scientiæ boni, & mali. Ergo tantùm supererit dubium, an etiam carnibus tunc vterentur. Et consequenter potest inquiri, an vterentur pane, siue triticeo, siue alterius speciei, seu graui proprie sumpto, id est, artificiosè confecto, & cocto, sicut nunc illo vtimur. Et eadem ferè interrogatio est de vsu vini ex quacunque materia expressi. Sed hæc accessoria sunt, & obiter definientur: nam etiam ab authoribus non disputantur, sed per occasionem attingũtur, ac breuiter definiuntur.

4. *An fuerint esse carnis vsum innocentiæ status.*

Circa principalem ergo quæstionem de vsu carnium D. Thom. 1. p. q. 96. art. 1. ad 3. solùm docet, homines in statu innocentiæ non indiguisse animalibus ad cibum: quia fructibus lignorum Paradisi sufficienter alerentur. Inde verò omnes colligunt, non fuisse futurum carnium vsum in illo statu. Estque hæc sententia communis antiquorum Patrum, Basilij, Bedæ, & aliorum in Gen. Anast. Nicen. in quæst. fac. q. 24. ex Nemes. de natura hom. cap. 1. Abulen. in c. 13. Gen. q. 228. aliorumque Theologorum sine contradictione. Sumptaque est ex verbis Gen. cap. 1. & 2. suprà citatis: quibus Deus hominibus concessit herbas terræ, & fructus arborum in cibum. Nam tacendo de carnibus, illas excludere videtur. Accedit, quòd Gen. 9. specialiter concessit Deus hominibus carnes in cibum, dicens: *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum.* Vbi in speciali concessione significat, antea non fuisse id hominibus concessum. Et magis explicatur, cùm additur. *Quasi olera virentia dedi vobis omnia.* Ac si diceret Deus, hactenus sola olera virẽtia vobis concesseram, nunc animalia etiam vobis in cibum præbeo. Si ergo vsque ad illud tempus non est data facultas hominibus edendi carnes, multo minus concessa fuit Adæ & Euæ in innocentiæ statu: ergo nec eorum posteris licuisset in illo statu, si duraret.

Probatur ex citatis Gen.

Gen. 9.

5 *Obiectio contra conclusionem.*

Contra hanc verò communem sententiam tria obiici possunt. Primum est, quia ex concessione positiua facta hominibus in principio creationis, *Ecce dedi vobis omnem herbam*, &c. vel, *Ex omni ligno Paradisi comede*: non rectè infertur exclusiua, scilicet, *tantum ex herbis, vel fructibus arborum comede.* Tum quia illatio non est formalis, vt per se constat, nec ratione materiæ dici potest virtualis, quia potuit Deus ob aliquam rationem specialem illos cibos exprimere, etiamsi alios non prohiberet, nempe, vt indicaret, eas res, quæ & facillimè obtineri possent, & ad sustentandam naturam essent sufficientissimæ, etiamsi aliæ non deessent, neque essent pro-

Antecedens non tenet in materia necessaria.

Ratione materiæ non potest dici virtualis.

prohibitæ. Tum maximè, quia alias ex verbis illis colligeretur, non solum homines, verum etiam animalia bruta non potuisse carnibus vesci ante peccatum Adę; quod verisimile non est, vt D. Thomas dixit. Sequela probatur, quia cum dixit Deus, *Ecce dedi vobis omnem herbam*, &c. non dixit tantum, *vt sint vobis in escam*, sed addidit, *& cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & vniuersis, quæ mouentur in terra, in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum*. Igitur non pro solis hominibus, sed etiam pro omnibus brutis facta est illa positiua concessio: ergo si respectu hominum illa habet virtutem exclusiuæ, eandem habebit respectu brutorum, nam est eadem ratio, ac proinde etiam bruta animantia carnibus non vescerentur, quod verisimile non est.

Secũda difficultas est circa alterum locum Gen. 9. quia si firmũ esset argumentum ab illo desumptum, sequeretur, non solum in statu innocentiæ, sed etiam post peccatum non fuisse hominibus licitum vsum carnium vsq; ad diluuiũ. Consequẽs autem non admittitur à probatis Theologis: ergo inde non sumitur argumentum validum. Sequelã probo, quia si in concessione herbarum in cibum includitur prohibitio carnium: etiam in concessione carnium tali tempore facta includitur reuocatio prohibitionis priorib. temporibus factæ: vel certe, si in priori loco concessio ad vnum genus rerum limitata, est exclusio alterius, inde consequenter intelligitur, prohibitionem illam durasse quandiu prior concessio fructuum terræ ad carnes animalium extensa non est: sed illa extensio non est facta vsq; ad tempus post diluuium: ergo vel vsque ad illud tempus prohibitio durauit, vel certe nunquam fuit, etiam pro innocentiæ statu.

Tertio ratione obijcio, quia vt esus carnium esset licitus, non erat necessaria specialis Dei concessio, sed ex natura rei est licitus, nisi à Deo interdictus ostendatur, sed nõ inuenitur prohibitus etiã pro innocentiæ statu: ergo. Consequentia clara est. Et minor in prioribus obiectionibus est probata. Maior autem probatur, quia secluſa Dei prohibitione speciali, & positiua, nullũ apparet principiũ, ex quo vsus carnium fuerit aliquando malus, etiamsi non fuerit specialiter à Deo concessus. Hæc enim concessio ex duobus tantum principijs posset esse necessaria, scilicet, vel quia sine illa esset contra iustitiam occidere animalia ratione dominij Dei, sine cuius voluntate animalia occidere, esset alienam rem rapere, vel destruere, vel quia esset contra temperantiam, quia foret contra salutem, sicut esset comedere carnes crudas.

Neutrum autem horum dici potest. Non quidẽ primum, quia, vt suprà dictũ est l. 3. c. 16. homo ex natura rei, seu ex vi rationis naturalis, & sine speciali donatione Dei habet dominium omnium animalium, brutorum, nisi aliqua lege Dei prohibeatur: ergo non est contra iustitiam Deo debitam animalia bruta occidere. Antecedens probatur à priori à D. Thoma, quia bruta animalia sunt ex natura sua ordinata ad vsus hominum: & ideo illi etiam sunt naturaliter subiecta. Vnde dixit Aug. l. 1. de Ciuit. c. 20. *Iustissima ordinatione creatoris vita, & mors animalium irrationalium nostru vsibus subditur*. Vbi per *iustissimam ordinationem*, non legem aliquam Dei positiuam, aut specialem concessionem naturæ additam: sed ipsam legem naturalem intelligit, per quam hoc homini liceret, etiamsi nullam Dei reuelationem, aut concessionem haberet. Deinde confirmatur à posteriori, quia non solum est licitum homini occidere bruta animalia propter cibum, sed etiam recreationis causa. Et sic dixit Aristot. 1. Polit. c. 5. venationem ex natura rei esse licitam, vtique per se loquendo, secluſa prohibitione diuina, vel humana: vel damno tertij, vel scandalo, vel alia indecentia: ergo signum est, sine speciali concessione Dei facta propter cibum, vel aliam vtilitatem, ex natura rei vitam, & mortem brutorum animalium esse sub hominum dominio: ergo ex vi iustitiæ in ordine ad Deum nunquam fuit prohibita imperfectio animalium, vt in hominum cibum apta fierent.

9 *Nec etiam esset contrà temperantiam.*

Nec etiam propter temperantiam erat necessaria illa Dei concessio, quia carnes animalium de se sunt conueniens cibus hominis: imo maximè naturalis, & aptus ad sanitatem, & vires hominis conseruandas, imo & reparandas: vnde dari solet ægrotis, etiam quando illis antea non vescebantur. Et confirmatur, quia aliter etiam nunc esus carnium esset malus: quia quod ex natura rei est contra temperantiam, & ideo est malum, semper est malum. Consequens autem contra fidem est vt ostendit D. Tho. 1. 3. q. 102. a. 6. & 2. 2. q. 64. a. 1. cum Aug. sup. c. 1. & l. 6. cont. Faust. ca. 4. & seq. vsque ad 15. Superest ergo, vt secluſa speciali concessione Dei esus carnium à principio fuerit licitus: ergo, quod Deus res alias in cibum expressè concesserit, non obstat, quominus etiam licitus sit vsus rerum non expressè concessarum, quando alias sine tali concessione de se est licitus.

12 *Concluditur in 3. obiect.*

Probatur hæc vltima consequentia tum primis duabus obiectionibus: tũ etiam, quia illa concessio fructuum terræ in cibum facta Gen. 1. & 2. non ideo facta est, quia esset necessaria, vt liceret talis vsus, quia quod de animalibus diximus, multo magis de plantis procedit: nam herbæ, arbores, &c. non minus sunt sub naturali dominio hominis, quam animalia. Ergo illa declaratio solum propter instructionem, vel aliam similem causam facta est, non propter necessitatem: ergo inde colligi non potest alia ibi non expressa fuisse prohibita.

Confirm.

Et confirmatur, quia licet Deus nihil de facultate comedendi ex fructibus, hominib. declarasset, ipsi solo discursu rationis ducti, possent licite de illis comedere, & pari ratione possent carnibus vesci: ergo quamuis Deus fructus terræ, & arborum specialiter proposuerit, quia illi tunc hominibus sufficiebant, nihil de carnibus peculiariter prohibuit. Vnde D. Thomas supr. non dixit, non licuisse hominibus vsum carnium: aut eos non potuisse illis vesci, sed tantum dixit, *homines illis non indiguisse*, quod valde diuersum est. Neque ex eo, quod homines non indiguissent carnibus, sequitur, non fuisse vsuros illis, aut non potuisse sine peccato illis vesci: multis enim rebus vtimur, etiam sine peccato, quibus non indigemus.

11 *Communis illa resolutio per 4. pronuntiata enucleatur. Consule etiam Molin. de iustitia commutat. tra. 3 disp. 4: 1. Pronuntiatum non recte ex quorundam opinione ostenditur.*

Nihilominus à communi sententia recedendum non est, quamuis enim ex Scriptura euidenter non conuincatur, est valde conformis illi: & adiuncto discursu rationis, efficaciter potest ex illa colligi. Tria ergo vel quatuor de hoc vsu distinguenda sunt, scilicet, an fuerint aliquando de facto in Paradiso. An fuerit necessari? an fuerit speciali, ac positiua lege prohibitus: an vero ex natura rei fuerit illicitus supposito illo statu. Ac denique, an foret in illo statu, si homo non peccaret. De primo certum est, primos homines de facto non comediſſe carnes in Paradiso. Nam in primis, aliqui opinantur, homines ante cibum vetitum nihil comediſſe in Paradiso. Veruntamen hoc in fine præcedentis libri obiectum est. Probabilius enim indicauimus primos parentes in Paradiso ante lapsum comediſſe: quia non tam breuis habitatio eorum in Paradiso ante peccatum fuit, vt oportuerit ab omni cibo eos abstinere toto illo tempore. At vero ex verbis Euæ, *De omni ligno Paradisi vescimur*, non sine probabilitate colligitur, tunc solis illis fructibus vsos in cibum fuisse. Quod etiam comprobant verbi Dei, quibus de cibis ipsis in cibum concessis eos instruxit. Neque est verisimile,

Rectius colligitur ex verbis Euæ, & Dei.

mile, in tam breui tempore de esu carnium, vel cæde animalium cogitasse, siue licitum id fuerit, siue illicitum.

12 *2. Pronũtia.* De secundo etiam certum est, non indiguisse primos homines vsu carnium in Paradiso, etiamsi diutissime in illo viuerent, & in hoc sensu carnium vsum non fuisse in illo statu necessarium.

Probatur ex verbis Dei. Hoc maxime docet D. Thomas, & plane conuincitur verbis Dei, qui fructus arborum in cibum præparauit, & illos tantum, tanquam sufficientes illis obtulit, seu concessit. Et declaratur in hunc

Declaratur ratione. modum: quia cibus tantum est necessarius, vel ad vitam, & corporis vires conseruandas, vel ad reparandum quidquid per continuam nutritionem de primæua corporis constitutione imminutum fuerit. Sed primum sufficienter præstabant fructꝰ arborum Paradisi, in quo produxit Deus, vt Scriptura dicit: *Omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue*: ac proinde multo magis vtile, facile, ac salubre, nam opera Dei perfecta sunt. Secundum autẽ conferebat fructus ligni vitæ: vt in superioribus declaratum est. Ergo ad nullum effectum, vel naturæ commodum, vel rationi consentaneum erat esus carnium necessarius. Nam propter solas delitias, aut voluptatem illum appetere, non est rationi consonum: ac subinde non solum non necessarium, sed etiam ab illo innocentiæ statu alienum.

13 *3 Pronuntia tiũ trimebre* Tertio, hinc fit valde credibile, in statu innocentiæ non fuisse licitum, & honestum esum carnium: non quidem ex speciali prohibitione positiua Dei, sed ex ipsa lege naturæ, supposito tali statu eiusque sufficientia, & abundantia absque carnibus. Prima pars probanda est ex tertia. Secundam autem partem negantem positiuam prohibitionem Dei, mihi probat tertia obiectio suprà facta. Quia tale præceptum prohibens non inuenitur expressum: & ex sola concessione fructuum terræ in cibum non satis colligitur, vt in dicta obiectione declaratum est. & in responsione ad primam magis explicabitur.

Vnde probetur primum membrum.

Vnde probetur secundũ.

14 *Probatur 3. membrum multipliciter.* Nihilominus declaratur, & probatur pars tertia, quia licet esus carnium per se, & ex natura rei non sit malus respectu hominis in sua pura natura considerati: nihilominus in tali statu, vtiq; integritatis naturę cum originali iustitia, & omnibus priuilegijs, & circunstantijs eius, fuisset inordinatus carnium vsus. Ratio est, quia in illo statu habebat homo à Deo parata alimenta optima, & maxime proportionata, & conuenientia corpori perfectè temperato, quale tunc habebat, & constituto in loco amœnissimo, in quo purissimo aere, & optimis influentijs cælestibus fruebatur: ergo superuacaneum, & inordinatum esset carnes animalium in cibum quærere. Quia nulla ratio nisi

Primo. gulæ, vel superfluæ voluntatis ad id mouere poterat. Accedit, quod fructus arboris sine solicitudine, & sine impuritate haberi poterant, carnium

Secundo. vero vsus, nec sine labore, & cura obtineri, nec sine sordibus, & vilibus actionibus parari poterat: indecorum ergo fuisset talem vsum in illum statũ

Tertio. introducere. Præterea prudens, & rationabilis ciborum vsus non solum ad vitam conseruandam, sed etiam ad virtutem fouendam: & ad moderandas inclinationes, & motus appetitus ordinari debet: ad hunc autem finem multo erant aptiores cibi ex fructibus arborum, quam ex carnibus animalium: ergo secundum rectam rationem præferri debebãt in illo statu. Nam licet in illo appetitus esset perfecte subiectus rationi, & corpus animæ: nihilominus hæc ipsa subiectio, & rectus ordo per conuenientia media, prudentique obseruatione, ac studio ab ipso homine abhibito conseruanda erat. Vnde etiam ad immortalitatem, &

Quarto. impassibilitatem status, hoc erat conuenientissimum: quia vt suprà dixi, non sine hominis industria, & cooperatione illa impassibilitas conseruabatur. Denique finis illius status (vt infra dicam) præcipuus erat, vt homines contemplationi Dei, & operum eius, & acquisitioni meritorum, ac scientiarum vacarent: ergo alienum à recta ratione esset, in præparandis cibis carnium homines tunc occupari sine vlla corporis necessitate: quia sine magna distractione animi, & eius auocatione ab studio rerum cælestium fieri non poterat. Quamuis enim aliqui vti possent cibis ab alijs præparatis sine huiusmodi impedimento: nihilominus in illa communitate, vel in singulis familijs necessarium erat multos in his ministerijs occupari. Quod etiam alienum ab excellentia illius status per se statim apparet.

Atque hinc etiam probata relinquitur vltima 15 pars, quòd homines in eo statu carnibus non vescerentur: quia in eo statu nihil inordinatum fuisset. Nam, quæ hactenus diximus, ostendunt illum vsum non potuisse introduci, vel inchoari sine aliqua culpa: vel ergo illa fuisset mortalis, & consequenter per illam amitteretur iustitia, ac proinde iam non esset talis vsus in statu iustitiæ, sed in statu peccati, & lapsæ naturæ: vel talis vsus fieret tantum cum veniali peccato: quod magis videntur probare omnia, quæ considerauimus: & hoc satis est, vt talis vsus in illo statu esse non potuerit, in quo venialiter peccari non poterat, vt suprà ostensum est. Et præterea secluſa consideratione culpæ, est valde probabilis coniectura, quia homines tunc non mouerentur in actionibus suis ab inordinata concupiscentia: sed ex aliquo motiuo rationis, nullum autem occurrere poterat, quod ad carnium esum excitaret. Nam sciebant, ad sustentationem vitę, aut ad conseruandum vires, & robur corporis, sibi non fore necessarium: nec propter delectationem solam moueri poterant: tum quia non esset honestum: tum, quia cum non essent experti delectationem talium ciborum, non poterant multum ad illius desiderium sola intellectus cogitatione excitari: tum etiam, quia fructus arborum ad ordinatam voluptatem sufficiebant: quia fecerat Deus ligna Paradisi pulchra visu, & ad vescendum suauia vtique, vt credibile est, cum mira varietate, & abundantia: ergo non erat, cur propter solam sensibilem delectationem homines recte compositi, & concupiscentijs carẽtes carnes appeterent. Non fuisset ergo in illo statu talis vsus.

Vnde vlterius colligi potest, neque panis, neque 16 alterius cibi arte confecti, imo neque ouorum, aut lactis animalium brutorum, & aliarum rerum, quæ ex lacte fiunt vsum in dicto statu fuisse futurum. Hæc enim omnia sub illa ratione comprehenditur, quod nec necessaria fuissent, nec sine aliqua solicitudine, & superflua cura, & distractione pararentur, vel procurarentur. Idemque dicendum est de vini vsu, in quo parando, & conseruando maior labor, & occupatio necessaria fuisset, & in vsu eius maius periculum inueniretur, minorque necessitas. Quia Paradisi aquæ, quas optimas fuisse credendum est, ad subueniendum tali corporum indigentiæ essent sufficientissimæ: tum propter corporum sanitatem, ac temperantiam: tum etiam, quia saluberrimæ, ac suauissimæ fuissent.

Circa id vero, quod de vsu panis, & vini dixi- 17 mus, dubitare quis potest, quia videtur hinc destrui opinio dicentium, non peccante Adamo futurum fuisse sacramentum Eucharistiæ in statu innocentiæ. Quam nos in 3. tom. 3. part. disp. 3. sect. 3. maximè probabilem iudicauimus. Et eam secutus est Fonseca tom. 3. Metaphys. lib. 6. cap. 2. q. 6. sect. 3. Responderi verò potest, vel ad hunc sen-

crum

erum vsum potuisse tunc sine labore panem, & vinum confici: vel (quod magis placet) potuisse quidem tunc Sacramentum illud instituisse ex alia materia: solumque conueniente cum nostro Sacramento in reali præsentia Christi sub aliquibus speciebus, & in gratiæ effectibus: quorum ratione nomen Eucharistiæ optime in illud conueniret.

Ad primam ergo obiectionem iam ferè responsum est: fatemur enim, in verbis Dei allegatis, non contineri expressam prohibitionem esus carnium nihilominus ratione materiæ, supposita illius status maxima perfectione, inde colligi prohibitionem, non quidem ex lege positiua Dei prouenientem, sed ex ipsa rectitudine rationis, vt explicaui. Neque inde inferri potest, illam prohibitionem, nunc etiam manere, eo quod lex naturalis nunc duret, quia immutabilis est. Nam est hoc verum suppositâ identitate materiæ, non vero facta in rebus ipsis varietate. Nam ipsa naturalis ratio aliud dictat agendum in vna occasione, & aliud in alia: vt tempore necessitatis, vel abundantiæ, ægritudinis, vel sanitatis, vt est per se notum.

In secunda vero probatione in eadem obiectione addita, petitur incidens dubium, an homines non peccante alia bruta animalia carnibus vescerentur. Nam multi constanter id negant, quorum princeps videtur Basilius hom. 15. Exaem. & sequitur Beda, quem excusare voluit D. Thomas, quia super Genes. cap. 1. id non dicit; tamen id expresse habet in Exaem. circa finem. Et indicat Rupert. lib. 2. in Genes. cap. 10. dicens: *Contenta fuissent huiusmodi, nisi consuetudine gulæ tam in hominibus, quam etiam in bestiis soluta creuisset edacitas.* Latius id tradit Abulens. in 13. cap. Genes. q. 272. & latè pugnat pro hac sententia Torniellus in 1. tom. Annal. ætate 1. die 6. & sequitur Perer. lib. 4. in Gen. circa finem in disp. ad versus 29. & citat. Ioseph. 1. Antiquit. 1. Omnesque nituntur in verbis Genes. in obiectione inductis. Addicuntur etiam coniecturæ. Prima; quia incredibile est, prouidentissimum Deum cæteris animalibus omnibus cibos præparasse, & pro animalibus terrestribus nihil prouidisse. Secundo quia, si animalia tantum bina creata sunt in singulis speciebus, sequitur, lupum, v.g. vel multo tempore carituram fuisse cibo, vel consumpturum ouem, priusquam generare potuisset. Tertio, quia in arca Noe hæc animalia sustentabantur sine esu carnium: ergo verisimile est, antea assueuisse cibo, seu pastui herbarum. Et iuxta sententiam hanc, quę valde probabilis est, expedita relinquitur obiectio facta: conceditur enim sequela, nimirum, etiam bruta non comedisse carnes, quandiu Adam non peccauit: non quia illis proprium præceptum impositum fuerit, cum illius non essent capacia: sed quia Deus ita omnia ordinauit, vt etiam animalia terrestria pabulo herbarum essent contenta, & alios cibos non appeterent.

Nihilominus D. Thom. d. q. 96. artic. 1. ad 2. contrariam sententiam tam constanter affirmat, vt præcedentem irrationabilem vocet: quo loquendi modo rarissime vsus est. Et illam secutus fuerat Abulens. in cap. 1. Gen. q. 3. Et idem sentit Caiet. ibi & Ystella. Fundamentum huius sententiæ esse debet, quia prior sententia multum repugnat rationi naturali: & Scriptura non cogit ad illam asserendã: ergo sine causa, vel ratione asseritur. Et in hoc forte sensu D. Thomas illam vocauit irrationabilem. Maior probatur: quia proprij quidam instinctus ita sunt naturales quibusdam animalibus, vt sint veluti propriæ passiones inseparabiles ab eis, vel omnino, quantum ad actum primum, nisi prius detur naturalibus potentijs, vel sensibus internis, vel secundum potentiam ordinariam, quantum ad actum secundum: quo interdum per supernaturalem, vel extraordinariam Dei prouidentiam priuantur. Huiusmodi autem sunt in primis naturales (vt sic dicam) inimicitiæ, & dissidia inter quædam animalia, vt inter felem & canem, vel etiam felis ad murem, lupi ad ouem, accipitris ad columbam, aliasque minores aues, & sic de alijs. Deinde appetitus comedendi carnes est multis animalibus valde naturalis, vt videre licet in animalibus terrestribus, leone, lupo, & alijs ferocibus: imo etiam in cane, & aliquibus domesticis. Item in auibus, falcone, miluo & similibus. Imò inter volatilia inuenimus, quæ naturaliter aluntur solis piscibus, quos naturali industria capiunt, vt se, & filios suos sustentent. Alia vero morticinis vescuntur, vt corui, &c. Et inter pisces, minutiores esse solent naturalis cibus grandium. Non est autem verisimile, aut has multiplices inclinationes ortas esse in animalibus ex peccato hominis, aut fuisse perpetuo frænandas, veluti quadam originali iustitia, quandiu homo non peccaret.

21 *Probatio minoris.*

Iam ergo probatur altera pars, seu minor principalis fundamenti, in quo vis vtriusque sententiæ sita est. Nam si Scriptura non posset commode aliter intelligi, paruipendenda esset ratio: si autem Scriptura aliunde commodum sensum habet, præferenda est ratio facta: quia sine dubio vrgens est. Dici ergo in primis potest, non loqui Scripturam in vniuersum de omnibus animalibus brutis sed de his, quæ herbis, & fructibus pasci naturaliter solent. Et hoc responsum indicat D. Thomas dicens, Bedam non fuisse locutum de omnibus animalibus, sed de quibusdam, nam a fortiori hoc de Scriptura intelligit. Sed instatur, quia Scriptura non vnam tantum, sed plures distributiones multiplicat, dicens, *Vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ omnique volucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terram & in quibus est anima viuens.* Quis ergo audeat tot vniuersales locutiones ad quædã animalia limitare? Sed nihilominus sine vi; aut improprietate dici potest, illa omnia verba intelligi quidem vniuersaliter, vt proferuntur, sed cum distributione accommoda, iuxta materiæ capacitatem. Ita vt sensus sit illos terræ fructus datos esse ad sustentanda omnia animalia; quæ naturaliter talem cibum appetunt, & illo indigent.

Instatur contra hanc probationẽ. Occurritur proximæ instantiæ.

Cum vero contra hoc instatur, quia hoc modo prouidentia diuina animalibus carniuoris defuisset. In contrarium replicatur: quia etiam potest Deus argui quod improuidus erga pisces fuisset, nullibi enim legimus aliquid eis in cibum concessisse. Cum ergo prouidentia Dei non in verbis consistat, sed in factis, potuit optimè tam piscibus quam feris, vel rapacibus animalibus sufficientissime prouidere cibum, producendo varia rerum genera, & dando illis animalib. talem instinctum naturalem, & vires, *vt rapiant, & quærant a Deo escam sibi.* Cur autem in quibusdam declarauerit cibum, quem illis parauerat, potius, quam in alijs, pertinent, ad liberam Dei voluntatem, cuius rationem non semper reddere possumus. Posset autem fortasse non improbabiliter considerari, Deum in illis verbis, non ad ipsa animalia bruta, sed ad homines principaliter fuisse locutum. Ideoque in alimentorum sufficientia prouidentiam suam erga homines explicando, illa simul animalia commemorasse, quæ vel sub cura hominis futura erant, vt sunt domestica: vel ad vtilitatem, vsum, vel commoditatem hominis pertinent: quia peculiaris cura talium animalium ad integram prouidentiam erga ipsum hominem quodãmodo pertinet. Huiusmodi autem animalia esse videntur, quæ herbis, & fructibus terræ aluntur. Quæ cõsideratio mihi sanè non improbabilis apparet.

22 *Instantia alterius quæ est 1. coniectura ex allatum 19 expeditur.*

Expeditur secundo.

23 *Expeditur tertio ex Caietano.*

Non displicet autem, quod vlterius Caiet. addit, nullum esse animal, quod non possit herbis, aut fructibus vesci, & illis sufficienter sustentari. Quod suadet argumento facto de arca Noe, quia non est verisimile introduxisse Noe in arcam carnes, quibus animalia carniuora vescerentur: ergo tunc solis fructibus, vel seminibus terræ omnia animalia fuere nutrita: *quia vel necessitas temporis, vel specialis tunc diuinæ gubernationis efficacia efficit, vt etiam animalia carniuora vescerentur vegetabilibus*: vt idem Caiet. dixit Gen. 6. in fin. Verisimilius autem est, sine miraculo ibi sustentata fuisse animalia ex seminibus, vel fructibus, quos Noe in arcam introduxit.

Expeditur secunda & tertia.

Oportuit tamen, vt animalia, quæ naturale inter se disidium habent, vel in locis separatis conseruata fuerint: vel certe, vt diuina virtute mansueta, & pacifica inter se redderentur. Nam hoc consuetudine, & educatione comparari solet, vt experientia docet. Vnde facile potuit modo præternaturali, & in illa occasione necessaria fieri. Idemq; est dicendum ad difficultatem de principio creationis rerum. Nam potuerunt animalia inter se inimica in locis diuersis creari: ita vt debiliora non possent à fortioribus interfici, donec species rerum sufficienter multiplicarentur. Vel etiam pro aliquo tempore potuit diuinitus ille naturalis instinctus impediri, vel in ea dispositione illorum interiores sensus creare: in qua per consuetudinem componuntur, & mansueta inter se fiunt.

24 *Concluditur responsio D. Thomæ hactenus exposita.*

Hoc ergo modo facile defenditur, absolutè verum esse, Deum dedisse herbas, semina, & fructus pro cunctis animalibus, quamuis non limitauerit, vt solis illis vterentur: neque in hoc aliquorum naturam immutauerit, aut correxerit, seu frænauerit ne carnes appeterent: vel ne discordiam inter se haberent. Atque ita Deus ex parte sua omnibus etiam animantibus terræ sufficienter alimenta prouidit: quamuis aliqui ex peculiari sua naturali propensione alia appetere, & inquirere possint. Quod vero moderni authores suprà citati dicunt appetitum edendi carnes in his animalibus non ortum ex ipsa specifica natura, sed ex temperamento corporis, adiuncta consuetudine: habere quidem potest locum in ipso vsu, quia multum ex apprehensione imaginationis pendet, quæ propter consuetudinem multũ immutatur. Nam inde fit, vt animalia naturaliter inimica, vsu, & consuetudine inter se mansueta fiant, quando disciplinabilia sunt, & memoriam habent. Et similiter ex non vsu, seu inexperientia ciborum fieri potest, vt per imaginationem non apprehendantur, vt multum delectabiles: sicut è contrario experientia, & cõsuetudo in brutis auget appetitum.

Totalis vsus aliorum ciborum sufficit vt bruta carniuora siue carnib. alerentur.

25 *Non tamen sufficit ad illis denegãdam propẽsionem vorandi carnes.*

Nihilominus tamen negari non potest, quin huiusmodi instinctus in actu primo spectati ex ipsa natura specifica oriantur, vt naturalis quædã discretio inter herbam vtilem, & noxiam: & inter animal contrarium, vel pacificum, & propensum ad esum carnium, vel piscium, vel tantum herbarum: vt, v.g. iumenta, equi, boues, & similia animalia talis sunt naturæ, vt nulla consuetudine videantur fieri posse carniuora: alia vero non solum possunt, sed etiam naturaliter ad hoc sunt propẽsa. Has ergo naturales proprietates, & propensiones haberent animalia, etiamsi homines nunquã peccarent. Et ideo credibilius videtur, quod si status innocentiæ longo tempore duraret, animalia carnibus vescerentur iuxta vniuscuiusque naturalem propensionem: quia nulla est necessitas excogitandi peculiarem Dei prouidentiam, ad hoc impediendum perpetuò, licet forte in principio creationis pro aliquo tempore id fuerit conueniens. Neque est vlla ratio, quæ suadeat, huiusmodi animalia nunquam fuisse operatura iuxta naturalem propensionem, & per solum non vsum illum naturalem instinctum perpetuo futurum esse sopitum, & quasi extinctum, cum ipse sit principium sufficiens ad vsum illum inchoandum, sicut nunc experimur in his animalibus, quando ex solo instinctu naturæ ante omnem vsum operari incipiunt.

Dictam propensionem ad actum reducerent durante statu innocent.

In secunda vero obiectione petitur alia communis dubitatio, an homines post lapsum vsque ad diluuium carnibus vsi fuerint? Quæ ex alio loco Gen. cap. 9. à paritate rationis oritur, vt proposuimus. In illa ergo dubitatione consequenter multi dicunt, vsum carnium non fuisse omnino inter homines ante diluuium. Alij vero dicunt, non fuisse quidem licitum. ac proinde inter Deum timentes non fuisse vsurpatum, licet inter iniquos in vsu esse potuerit. Fundantur præcipue in verbis illis Dei Gen. 9. *Omne, quod mouetur, & vt sit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* vbi Chrysost. homil. 27. ait: *Hoc est instituendarum carnium.* Et infrà *Edendi facultatem concedit, & valde securos reddit.* Et Theod. q. 55. in Gen. *Prius* (ait) *concessit Deus hominibus fructus in cibum: post diluuium autem pretiosiorem cibum illis confert.* Beda vero dixit, *Hic primo caro manducari imperatur* id est, conceditur, nam Deus nunqnam dedit positiuum præceptum comedendi carnes, vt nunc contra hæreticos suppono. Ex dictis ergo verbis colligunt, antea fuisse prohibitum hominibus esum carnium, quia alias superuacanea fuisset hæc Dei concessio. Et huic sententiæ non parum fauet D. Thom. Rom. 14. lect. 1. in principio & 1. 2. quæst. 101. art. 6. ad 2. Eamque latè defendit Torniellus sup. Anno 1657. nu. 11. & 12. licet cum aliqua limitatione, vt infrà dicam. Alij vero addunt, non solum homines, verumetiam feras, vel multa bruta animalia non comedisse carnes ante diluuium: quia censent, illam concessionem Dei Genes. 9. licet ad homines directa fuerit, consequenter cætera animantia comprehendisse. Ita docet Basil. hom. 11. Exaemeron, & Beda in Exaemer. & Abulens. in cap. 13. Gen. q. 262. & sequentibus, & sequitur Pereri. d. disp. de hac re lib. 4. in Gen.

26 *Prima opinio affirmans quæstionem.*

27 *Secunda negans quæstionem.*

In hoc puncto duæ quæstiones videntur distinguendæ: vna est, de iure, alia de facto. De iure quæstio est, an fuerit licitus carnium vsus ante diluuium: & hæc quæstio habet locum in hominibus, non in brutis, vt per se notum est. Quæstio vero de facto est, an talis cibus fuerit in vsu in tali prima ætate, & hæc in brutis locum habet, atque etiam in hominibus, siue ille vsus fuerit prohibitus, siue non fuerit. In prima ergo quæstione, probabilius censeo, esum carnium non fuisse illicitum ante diluuium. Ita tenet Caietan. Genes. 9. & Soto libro quinto de iustitia, q. 1. art. 1. quos sequitur Ystella Gen. 9. & refert pro hac sententia Chrysost. Iustinum, & Diuũ Thomam: sed immerito. Nam licet isti Patres non dicant fuisse illo tempore illicitum, seu prohibitum vsum carnium, neque etiam dicunt, fuisse licitum: sed solum de facto aliquid dicunt, vt statim explicabimus. Probatur ergo nostra resolutio, applicando, & conuertendo discursum factum de statu innocentiæ. Quia esus carnium in illo tempore nec fuit malus, quia prohibitus, nec fuit prohibitus, quia malus: ergo nullo modo fuit illicitus. Prior pars antecedentis probatur optime argumento facto in secunda obiectione, quam tractamus, procedit que à fortiori, quia in statu innocentiæ non fuit hic vsus malus, quia prohibitus: ergo multo minus post peccatum. Item, quia hæc prohibitio nec colligitur ex verbis Dei Genes. 1. dictis, vt ibi probatum est, nec ex verbis Gen. 9. quibus Deus tradidit omnia potestati hominum, vt eis vterentur ad manducandum, si vellent. Nam ex eis colligi non potest,

rest, fuisse dicta ad tollendam priorem prohibitionem. Potuerunt enim dici, vel ad explicandum magnum beneficium, quod cùm ipsa natura hominibus concesserat, quod non obstantibus prioribus peccatis, firmum permanere declarabat, sicut ibidem etiam dixit, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, quod à principio etiam dixerat, nihilque nouum per illa verba concedebat: vel etiam potuit DEVS per illa verba instruere homines, quod in eo statu, peculiari, ac noua ratione esu carnium indigerent, tum quia ipsius naturæ corruptæ vires iam erant multum debilitatæ, tum etiam, quia ipsa terra per aquas diluuij deterior reddita erat: & consequenter fructus eius minoris virtutis ad nutriendum in futuris temporibus futuri erant. Hæc ergo fuit sufficiens causa, vt DEVS, tanquam prouidentissimus pater, carnes in ordinarium cibum hominibus designaret, etiamsi antea non esset prohibitus earum vsus.

28 Altera verò pars antecedentis probatur, quia neque ex vi obiecti esus carnium est malus: nec mera ratione naturali prohibitus, vt est per se notum, & supra num. 7. & 8. & in tertia ratione dubitandi, & in priori discursu probatum est. Neque etiam erat malus ratione status, sicut de statu innocentiæ diximus. Quia in hoc est apertissimum discrimen inter statum innocentiæ, & naturæ lapsæ. Tum quia in natura lapsa non habent homines illam rerum, & ciborum sufficiẽtiam, copiam, facilitatem, & bonitatem, quam in statu innocentiæ habuerunt, semper q; habuissent. Tum etiam, quia vires corporis sunt longè debiliores: & appetitus non est ita compositus, & frænatus, sicut prius: ideoque in hoc statu nunquam fuit per se malum hunc naturalem appetitum exequi. Quin potius est ex obiecto indifferens: & in tali statu facilè occurrere poterant occasiones, & rationes ordinandi talem actum ad bonum finem: vel ad reparandas vires ægritudine, aut labore debilitatas, vel ad illas conseruandas, vel augendas ad fortius laborandum: vel quia interdum possent faciliùs tales cibi haberi, aut præparari, & cæt. Explicaturque optimè per statum puræ naturæ, si in ipso crearetur homo, & in hoc negocio suo discursui relinqueretur: nam posset sine dubio licite vesci carnibus quouis tempore, etiam à principio suæ creationis: eadem autem ratio, quoad hanc partem, est de homine lapso.

29 In secunda verò quæstione idem censent probabilius Soto, & Ytella, & hic allegat dictos Patres. Sed Chrysost. in verbis, quæ allegaui ex ead. hom. 27. oppositum indicat. Et similiter D. Thom. dum ait, *quòd esus carnium videtur post diluuium introductus*, licet exponi possit de ordinario, & frequenti vsu, ne sibi contrarius sit. Iustinus verò quæst. 119. ad gent. dicit quidem Abel comedisse de lacte ouium, adducens illud Pauli 1. Corinth. 9. *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte eius non manducat?* Quod verò Abel carnes comederit, non declarat. Id tamen videtur apertè sentire Caietanus Genes. 4. vbi etiam adducit Berosum asserentem homines comedisse carnes ante diluuium. Idem affirmat Rupertus libro 4. in Genes. cap. 30. dicens: *Et si antehac absque vlla DEI præcipientis auctoritate hac homo in cibum præsumpsit* (vtique carnes) *iam ex hoc vtique ante legem, & deinde per legem potestate accepta iure sibi venditat eadem in esum.* Denique etiam Torniel. concedit homines ante diluuium comedisse carnes, non tamen probos, sed improbos, nec licitè, sed grauiter peccando. Et deinde etiam in iustis casum extremæ necessitatis excipit. Veruntamen in quibuscunque fuerit hic vsus, frustra fingitur peccatum,

Suarez de opere sex dierum.

præsertim graue, vbi nulla eius ratio, nec positiua, prohibitio inuenitur. Et sine causa limitat exceptionem ad casum extremæ necessitatis. Cur enim non grauis, vel mediocris necessitas sufficeret. Imò cur non maior commoditas satis superque esset? Illa enim sufficeret, vt actio ex obiecto indifferens propter honestum finem fieret, vt argumentati sumus.

Itaque probabilis est hæc sententia de esu carnium inter homines in illo tempore, licet sit incerta, quia non potest probari ratione sola: & historia de hac re nulla extat, quæ certitudinem faciat: quia Scriptura nihil dicit satis apertè, & aliæ non solùm incertæ, sed etiam obscuræ sunt. Si ergo vtendum est coniectura, verisimile est, carnes, aut pisces in illis temporibus non fuisse ordinarium cibum hominum, præsertim eorum: qui antiquam fidem, & traditionem ita retinebant, vt secundum rationem viuerent, & corporis voluptatibus dediti non essent. Hoc saltem videtur colligi ex facultate à Deo data Genes. 9. per quam explicuit, maiorem fuisse illius temporis necessitatem. Et ideo carnes iam tunc in ordinarium cibum assumi opportunum fuisse. Et ita possunt etiam exponi aliqui Patres, præsertim Chrysost. & D. Thomas, qui dicunt, carnium vsum fuisse post diluuium introductũ, vtiq; ordinarium, & communem. Nihilominus tamen credibile est etiam antea fuisse vsitatum, præsertim ab his, qui voluptatibus corporum magis seruiebant. Quia, vt D. Thomas ait: *Esus fructuum terræ nascentium magis pertinet ad quandam simplicitatem vitæ, esus autem carnium ad quasdam delicias, & curiositatem.* Vnde per hoc non tollitur, quin talis vsus in casibus necessitatis, magisque per modum medicinæ, vel remedij, quàm ordinarij alimentr, etiam inter honestiores viros tunc fuerit.

30 *Temperatur dicta responsio, quòd esus carnium ordinarius tunc non fuerit. Suaderur coniectura sumpta ex Gen. 9*

Faciunt etiã Patres vt Chrys. & D. Thom.

Fuisse tamẽ nonnullum esum, etiam inter probos homines.

Quod suadet etiam exemplum Abel iam eò tempore pascentis greges ouium, vt illud inducit, & ponderat Caietan. supra. Et certè, qui concedunt, homines tunc lac ouium comedisse, iam fatentur, non ex solis fructibus terræ nutritos fuisse, & aliquid in cibum introduxisse, quod in statu innocentiæ in vsu non fuisset: cur ergo non credemus carnibus vsos fuisse, etiam licitè, ac temperatè, saltem aliquando iuxta occurrentes occasiones, vel ratione necessitatis, aut maioris commoditatis. Id etiam suadet exemplum de venatione, quæ sine dubio recreationis causa fuisset tunc licita, & credibilius est, fuisse in vsu: ergo eadem ratione ob honestam recreationem credibile est interdum de cibis in venatione captis aliquid gustasse. Denique eadem ratione verisimilius est, multa fuisse introducta statim post peccatum in vsu ciborum, quæ in statu innocentiæ non fuissent, vt vsus alicuius panis, & vsus ignis ad coquendos cibos, & fructus duriores, vt glandes, castaneas, & similes. Ergo idem est verisimile de carnibus.

31 *Id suadetur 1.*

2.

3.

Et ita obiter responsum est ad argumenta, quæ in contrarium fieri solent, & secunda etiam obiectio ex dictis est sufficienter expedita. Et consequenter etiam responsum est ad obiectionem tertiam, probat enim optimè primam assertionem in hoc puncto positam in num. 27. & non procedit contra priorem resolutionem de statu innocentiæ propter rationem ibi factam, & propter diuersitatem inter vtrumque statum iam ponderatam. Denique ex dictis à fortiori concluditur, animalia carniuora multo magis fuisse vsa carnibus ante diluuium: præsertim postquam cœperunt esse sufficienter multiplicata. Quia non possent cohiberi sine speciali cura, & prouidentia Dei, quam fingere superuacaneum est.

32 *Colligitur tandem ex dictu responsio ad 2 & 3. obiectiones in n. 6. & 7.*

CAPVT VII.

Quod genus vitæ corporalis, seu politicæ, homines in statu innocentiæ profiterentur.

1 IN hoc capite cætera explicanda supersunt, quæ ad modum viuendi in statu innocentiæ quoad externas, & politicas, vel domesticas actiones, & occupationes spectat. In quo puncto nonnulla explicanda occurrunt, qnæ per breuia quædam dubia expediri possunt. Et primum, ac præcipuum est, an homines tunc in societate, vel communitate viuerent? In quo duplex communitas, seu societas humana distinguenda est. Vna dicitur domestica, seu familiæ: alia ciuilis, seu populi, aut ciuitatis: quarum prior imperfecta, posterior verò perfecta censetur. Quia illa non est sibi sufficiens ad vitam transigendam: hæc verò totius sufficientiæ complementum habet, vt dixit Arist. lib. 1. Polit. cap. 2.

1. Dubium an homines in statu innocentiæ viuerent in cõmunitate.

2 De priori ergo societate domestica non est dubium, quin in statu innocentiæ futura esset. Quia illa intrinsecè, ac naturaliter oritur ex coniunctione maris, & fœminæ, ac filiorum procreatione, vt Arist. d. lib. cap. 1. docuit. Sed in statu innocentiæ esset societas maris, & fœminæ cum speciali vinculo matrimonij, & consequenter cum cohabitatione necessaria ad filiorum generationem, & educationem: ergo in illo statu esset domestica societas, seu communitas. Addit verò Aristot. ibi, aliam veluti secundariam, quæ est domini, & serui. Sed hæc in illo statu non esset necessaria. Nunc enim necessaria, vel saltem vtilissima non est propter multas actiones, & ministeria, quæ ad sustentationem vitæ corruptibilis necessaria sunt: quæ necessitas in statu innocentiæ non esset: quia homines paucis indigerent ad sustentationem vitæ, & veluti præ manibus omnia in promptu haberent. Item nobilitas illius status conditionem seruilem in hominibus non permitteret: & ideo societas illa, quæ in altero extremo illam conditionem requirit, illi repugnaret, vt numer. 10. magis explicabimus. Addit præterea Arist. ibi, ex hac domestica societate naturaliter sequi aliam quidem in se maiorem, tamen in suo genere imperfectam, quam pagum vocat, quæ est parua communitas ex pluribus domib. constituta. Quam etiam dicit maximè videri secundum naturam: quia veluti naturaliter resultat ex generatione plurium filiorum, & ex successione natorum ex natis, seu nepotum ex filijs. Nam inde multiplicantur matrimonia, & familiæ, ac consequenter domus, ex quibus pagus consurgit. Vnde hæc etiam societas tanquam valde naturalis in statu innocentiæ fuisset.

2. Responsio de societate domestica & affirm. quoad liberorum procreationē.

Non tamen quoad seruorum ministeria.

Ex Arist. sententia pagus naturaliter consequitur ex domestica societate & procreatione

3 Sed considerare oportet, hanc multiplicationem domorum, seu familiarum, duobus modis potuisse consistere: vnus est per solam diuisionem vnius familiæ ab alia, sine aliqua peculiari coniunctione morali inter se: & sic non efficiunt propriè vnam communitatem politicam: sed vnum aggregatum per accidens plurium domesticarum communitatum. Nam in omni genere vnius physicè vel moraliter, sine aliqua vnione plurium distinctorum, non consurgit ex eis aliquid propriè vnum, seruata proportione. Nec sufficiet sola propinquitas secundum locum: nam inde consurgit vicinitas quædam, quæ ad summum inducere solet aliquam amicitiam, vel familiaritatem, non tamen moralem vnitatem, vel communitatem: vt vsu etiam comprobari potest in duabus, vel tribus familijs, vel monasterijs in deserto viuentibus in propinquis locis. Alius ergo modus multiplicationis familiarum, seu domorum, est cum distinctione domestica, & aliqua vnione politica, quæ non fit sine aliquo pacto expresso, vel tacito iuuandi se inuicem: nec sine aliqua subordinatione singularum familiarum, & personarum ad aliquem superiorem, vel rectorem communitatis, sine quo talis communitas constare non potest, vt latius dixi in Defensione Catholica lib. 3. cap. 1. & 2. Si ergo pagus solùm sumatur pro aceruo domorum, vt sic dicam, ille necessitate naturali sequitur ex multiplicatione filiorum, nepotum, &c. & ita sine dubio esset in statu innocentiæ. Si autem pagus dicatur aliqua communitas politica moraliter vna, vt explicaui, quæ parua sit, sic talis pagus quædam ciuitatis inchoatio esse videtur, & veluti pars eius, vel quasi accessorius ipsi esse solet: ideoque eadem ferè ratio de illo, & de ciuitate esse videtur.

Explicatur illa Arist. sententia per distinctionē

Alterum membrum.

4 In vniuersum ergo interrogari potest, an esset in statu innocentiæ propria communitas politica, siue pagi, siue ciuitatis, siue regni. Et ratio dubitandi est, quia in illo statu cessaret ratio constituendi tales communitates inter homines, quæ nunc in statu naturæ corruptæ inuenitur. Nunc enim congregantur familiæ hominum in vnam ciuitatem, quia vna familia non sufficit, vel ad se sustentandum, vel ad seruandam communem iustitiam inter diuersas familias, vel ad se tuendum ab omnibus incommodis: vel ad se, & suos defendendum ab hostibus, & alias similes vitæ corruptibilis necessitates. At verò in statu innocentiæ quælibet familia sufficeret sibi, quia propter innocentiam, & immortalitatem, non haberet hostes, à quibus defenderetur: nec essent infirmi, quibus subueniretur: nec essent iniuriæ inter personas diuersarum familiarum, propter quas vindicandas, aut cauendas esset necessaria regia potestas. Ergo tunc non esset necessaria politica societas.

Argumentum pro parte affirmatiua.

5 Dices, fuisse propter se conuenientem, quia homo est animal sociale, quæ proprietas naturalis est, & in statu innocentiæ permaneret. Vnde Arist. supra dixit, hominem natura esse ciuile animal, & sociale. Sed contra hoc est, quia hæc hominis proprietas sufficienter expleretur partim per societatem domesticam, partim per mutuam communicationem, & familiaritatem plurium familiarum, seu personarum diuersarum domorum inter se. Aliud enim maius vinculum morale inter diuersas familias eiusdem ciuitatis naturale non est, saltem in natura integra: licet in natura corrupta, vel pura esset naturaliter consequens ad indigentiam talis status. In quo sensu locutus est de homine Aristoteles. Qui nihilominus addidit, *Qui sine ciuitate est per naturam, & non per fortunam, aut nequam est, aut potior quàm homo.* In statu autem innocentiæ homo esset plusquam homo, vt sic dicam, & ideo ciuitate non indigeret.

Ens sociale.

Præcidit.

6 Nihilominus dicendum videtur, homines in statu innocentiæ, si duraret, habituros fuisse inter se politicam societatem, qualis in ciuitate perfecta, vel regno esse potest. Ita sentit D. Thom. 1. par. q. 96. art. 4. iuncto 3. vbi Caiet. idem sentit, & Lipoman. in Catena Gen. 9. & Perer. lib. 4. in Gen. disp. de imper. hom. Et fundamentum esse debet, quia coniunctio hominum in vnam ciuitatem, non per accidens tantùm ratione peccati, aut corruptionis naturæ, sed per se conuenit homini in quocunque statu, & ad perfectionem eius pertinet. Quod primò suadet D. Thomas exemplo Angelorum: nam eorum status, & naturalis conditio multo perfectior est, quàm in hominibus, & in statu innocentiæ fuisset, sed in Angelis est societas, & communitas cum ordine, & subordinatione eorum inter se: vt Dionysius tradidit, & in superioribus visum est: ergo cùm proportione non defuisset in hominibus in statu innocentiæ. Secundò,

1. p. q. 96. art. 4.

Eius finis.

Suadetur.

gundò, quia hæc communitas vitæ non tantùm propter indigentiam mutui auxilij, sed etiam propter se aptibilis est, ad maiorem vitæ iucunditatem, & honestam communicationem, quam homo naturaliter amat.

Tertiò, quia in illo statu non omnes homines essent æquales in scientia, & virtute, vt lib. 3. cap. 9. dictum est, & rectè D. Th. præmittit in d. ar. 3. ergo licet illa societas perfecta, non esset necessaria, propter corporum indigẽtiam, vel defensionem, posset esse vtilissima ad studium scientiarum, vt doctiores possent minus doctos instruere. Idemque est de rerum experientia, non enim possent singuli omnia per se experiri: oporteret ergo, vt mutuo se iuuarent, etiam per traditionem, & humanam fidem, quæ in illo statu esset longè certior propter innocentiam. Item ad virtutis auxilium esset illa communicatio vtilissima, & feruentiores verbo, & exemplo possent minus perfectos excitare. Et hæc ratio multum augetur considerando in illo statu non solum bonum naturæ ordinem, sed etiam gratiæ. Nam oporteret homines habere aliquam communem regulam fidei etiam externam, vt eandem fidem conseruare perpetuò possent, & secundum illam colere Deum, non solùm priuatim, sed etiam cultu publico totius communitatis, seu Ecclesiæ. Hæc autem ecclesiastica vnitas supponit communitatem ciuilem statui hominum accommodatam.

Denique, si homines tunc peccare possent, etiam ad malefactorum correctionem, & emendationem, ciuilis communitas esset vtilissima. Verisimilius ergo est, homines in eo statu politicam cõmunitatem habituros fuisse. Quanta verò illa futura esset magis incertum est: id est, an essent omnes homines in vna ciuitate victuri, vel potiùs essent ciuitates multiplicandæ: & si plures essent, an vnum, vel plura regna componerent: vel vnaquæque per se viueret: & similia, quæ vnusquisque coniectare potest. Vtendo alio principio supra tractato, scilicet, quanta futura esset in illo statu multiplicatio hominum simul viuentium in hoc mundo: & an omnes in Paradiso terrestri habituri essent, vel omnem mundi regionem incolerent. Nam si omnes intra Paradisum continerentur per modum vnius ciuitatis, vel saltem vnius regni coniungi possent. Si tamen extra Paradisum extenderentur, tunc maior etiam multiplicatio ciuitatum, vel etiam regnorum fortè fuisset. Sed de his hactenus.

Hinc verò expenditur secundum dubium de dominio hominis in homines, quod in numero 2. hucremisimus. Diximus enim supra habuisse homines in statu innocentiæ dominium in omnia bruta animalia. Vnde statim oriebatur dubium, an vnus homo in alium dominium habuisset. Et ratio dubitandi statim occurrit, quia hoc dominium non potuit haberi, nisi ex dono Dei, Deus autem solùm in bruta dedit homini dominium, non in alios homines, vt obseruauit August. lib. 19. de ciuit. cap. 15. Respondeo verò D. Thomæ supra, & communis est, duplex esse dominium: vnum oppositum seruituti: aliud, quod ad subditum refertur. Primum vocare possumus dominium proprietatis: aliud dominium iurisdictionis, seu gubernationis, latè iurisdictionem intelligendo, vt mox explicabo. Vnde primum dominium dat potestatem in personam serui, & omnes actiones ei⁹: id est, ad vtendum seruo in omnem conuenientem vsum propter vtilitatem domini. Aliud verò dominium solum confert potestatem ad gubernandum, & dirigendum subditum in suis actionibus: & principaliter propter vtilitatem ipsius subditi. Quæ omnia in tractatu de iustitia latiùs docentur, suntque clara, & certa.

Dicimus ergo in statu innocentię non fuisse futurum dominium proprietatis vnius hominis in alium. Ita docent D. Th. & omnes cum Aug. lib. 19. de ciuit. cap. 15. dicente: *Conditio seruitutis iure intelligitur imposita peccatori.* In illo ergo statu non esset seruitus: ergo nec dominium proprietatis: hæc enim duo correlatiua sunt, & vnum sine alio esse non potest. Vnde ponderat supra Aug. nunquam in Scriptura hominem appellatum fuisse seruum, *donec Noe iustus peccatum filij sua maledictione vindicauit.* Vnde infert, *Nomen itaque istud culpa meruit, non natura.* Idem sumitur ex Greg. 21. Moral. cap. 10. alias 11. Et ratio est manifesta, quia libertas est homini naturalis, & magna eius perfectio. Vnde illa priuari magna pœna, & miseria est. At status innocentiæ liber esset ab omni miseria, & pœna: ergo liber esset ab hac seruitute: ergo ibi non esset dominium tali seruituti oppositum. Et de hoc dominio locutus est Dominus, quando illud homini contulit in bruta animalia, & non in homines, vt Aug. supra, indicauit. Non verò abstulit Deus homini potestatem introducendi hoc dominium, interueniente peccato, vt in materia de Iust. latius traditur. Et ita dicta assertio, & ratio procedit optimè de omnibus hominibus in sua innocentia perseuerantibus. Si qui verò peccarent, mereri possent interdum in seruitutem redigi, sicut possent alijs pœnis puniri. Sed in huiusmodi euentu peccans extra statum innocentiæ fieret, &, vt supra dixi, incertum nobis est, qualis esset in illo statu modus gubernandi, & puniendi peccatores.

Secundò dicimus, dominium directiuum, seu gubernatiuum futurum fuisse inter homines in statu innocentiæ. At hoc enim dominium pertinet potestas imperandi alijs in eorũ commodum, & communis boni. Quæ potestas in rigore latius patet, quàm iurisdictio. Quia pater potestatem hanc dominatiuam habet in filium, & familiam suam, licet propriam iuris distinctionem non habeat, iuxta doctrinam D. Th. 2. 2. q. 65. a. 2. in Corp. & ad 2. Quanquam generaliùs loquendo, omnis potestas ad gubernandum alios possit iurisdictio appellari. Et sic probatur conclusio. Nam in statu innocentiæ vir haberet potestatem in vxorem, quia hoc naturale est, & per se ad bonum ordinẽ, & pacem inter ipsos coniuges necessaria est: licet in illo statu illa subiectio esset sine imperfectione, & coactione, sub qua imperfectione per peccatum est introducta, vt in fine libri præcedentis exposuimus. Simili modo pater haberet dominium in filios ad gubernandum illos: eandemque haberet super totam familiam suam. Nam hæc potestas adeo est necessaria in communitate domestica, vt de patre, vel matre familias non bene vtente tali potestate dixerit Paulus 1. Corint. 5. esse infideli deteriorem, vt notauit August. d. lib. de Ciuit. cap. 15. & 16.

Denique simili modo dicendum est, supposita in illo statu communitate perfecta ciuitatis necessarium fuisse in illo statu proprium dominium iurisdictionis: quale est in principe respectu subditorum. Quia non ex culpa, sed ex ipsa rei natura sequitur hæc potestas ad talem communitatem, tanquam necessaria ad conseruationem eius, vt optimè docet D. Thomas supra. Et latiùs diximus in d. lib. 3. Defensionis catholicæ, à princ. Nam illa doctrina in omni statu naturæ humanę, siue purę, siue integræ, siue lapsæ locum habet. Neque subiectio respondens huic dominio esset defectus, vel imperfectio repugnans perfectioni status innocentiæ: quia nec priuaret hominem libertate simpliciter, & dominio suarum actionum: nec subderet eum ad seruiẽdum alteri in eius commodum: sed ad obediẽdum in actib. honestis in proprium, vel cõmune bonum, & commodũ redundãtibus.

10 1. *Assertio in ordine. Probatur ex Aug. & Greg.*

Ratione.

Nota

11 2. *Assertio in ordine explicatur.*

Probatio

12 4. *Assertio*

Declaratur & probatur:

Nec potestas illa gubernatiua tunc esset coactiua, per quam subditi pœnis subijcerentur: sed esset directiua ad maius bonum, & pacem communitatis ordinata. Quod semper intelligo de subditis in sua innocentia perseuerantibus. Nam si fortè aliqui peccarent, de istis alia esset ratio, vt sæpe diximus.

13. *Discrimen inter potestatem œconomicam, & politicam.*

Est autem notanda differentia inter hanc potestatem politicam, & œconomicam: quod hæc posterior per modum propriæ passionis manat ex tali coniunctione, & tali personæ determinatæ conuenit, seu in ea quasi resultat per modum relationis, posito tali fundamento. Vt supposito contractu matrimonij ex natura rei statim vir habet potestatem in vxorem. Et similiter supposita generatione filij, naturalis est potestas parentum in illum. At verò potestas politica licet ex natura rei resultet in tota communitate, eo ipso, quod in vnum corpus politicum congregatur, non tamen conuenit determinatæ personæ, sed ad communitatem per se pertinet modum regiminis statuere, & determinatæ personæ potestatem illam applicare, vt in loco citato latè dixi. Vnde in rigore loquendo, idem quoad hanc partem fuisset in statu innocentiæ seruandum: nam est eadem ratio, quæ non in culpa, sed in ipsa æquitate naturali fundatur.

14. *Quæstiuncula incidens. Eius resolutio absolutè loquendo.*

Quæri autem potest, si Adam non peccaret, & ipso permanente in via, ita genus humanum multiplicaretur, vt ad constituendam ciuitatem sufficeret, an semper tanquam omnium parens principatum habuisset? Respondeo, solam rationem progenitoris non satis esse ad fundandum principatum cum perfecto dominio iurisdictionis, aut potestatis politicæ in perfectam communitatem, quæ ex multis familijs coalescit, etiamsi omnium illarum vnus sit primus parens. Et ratio est, quia eo ipso, quod filius per rationis vsum, & libertatem, ac ætatem perfectam emancipatur, liberatur à patria potestate, & fit sui iuris. Vnde si propriam familiam habeat, in illa habet suam œconomicam potestatem æqualem potestati, quam habet pater in sua familia: nec tenetur ex sola natura rei in vnum populum cum patre coniungi: nec inter eos altior potestas iurisdictionis ex natura rei intercedit. Vnde etiam post lapsum Adam non habuit talem potestatem in filios, vt bene notauit Salon. tom. 1. de Iustitia, q. 65. art. 2. dub. 1. etiamsi contrarium indicet Soto lib. 4. de iustitia, q. 3. ar. vnico. §. Quòd si quæras. sola illa ratione ductus, quòd Adam solus fuit primus humani generis parens. Sed (vt dixi) hæc ratio non sufficit, quia necessarium est, vt accedat consensus eorum, qui in vnam ciuitatem coalescunt, saltem quoad capita familiarũ. Non legimus autem Adam, & Cain, verbi gratia, cum suis familijs in vnam ciuitatem conuenisse, cuius politicus principatus Adæ fuerit collatus. Sed potiùs legimus Cainum primam ciuitatem condidisse. At verò in statu innocentiæ verisimile est, eo ipso, quod familiæ filiorum, & aliorum posterorum Adæ multiplicarentur, fuisse in vnum politicum corpus congregãdas, propter summam vnionem, & pacem, quæ inter homines tunc fuisset. Vnde credi etiam potest omnes posteros accepturos Adamum in suum Regem, & Principem, magis ipso vsu, & interpretatiua voluntate, quàm expresso pacto, aut electione. Quid autem postea fieret, multiplicatis, & dispersis per orbem familijs hominum, coniectari vix potest, nedum affirmari.

Salon. rectiùs quàm Soto

Vel loquendo de statu innocentiæ.

15. *Quæstiuncula altera de dominio herili.*

Non omittam autem hoc loco interrogare, an perseuerante statu innocentiæ esset in vno homine dominium particulare in alium tanquam in famulum, qui seruus non sit. Hæc enim potestas, & subiectio illi respondens est quasi media inter duas præcedentes. Nam subiectio famulatus non habet vilem conditionem seruitutis, quia non priuat libertate simpliciter, nec constituit famulum sub dominio proprietatis heri, & ideo non videtur ita repugnare statui innocentiæ, sicut seruitus. Item non est introducta in pœnam, sed in subsidium, & iuuamen, quod posset esse in statu innocentiæ necessarium.

16. *Propositio affirmatiua.*

Nihilominus non fuisse futurum in statu innocentiæ tale genus dominij, vel famulatus, probatur primo: quia licèt famulatus non sit tam vilis conditio sicut seruitus, nihilominus in hoc cum illa conuenit, quod potestas domini in famulum ad vtilitatem domini tota ordinatur: & ex hac parte famulatus multum participat cõditionem seruilem minus decoram, seu decentem innocentiæ statui. Deinde subiectio illa ex parte famuli introducta dici potest per peccatum Adæ, quia nullus homo alterius fit famulus, nisi propter indigentiam, & necessitatem huius vitæ mortalis, quæ indigentia nulla esset in statu innocentiæ, & ideo in illo nullus seruiret alteri ex obligatione iustitiæ, & propter stipendium per modum famuli, licet per charitatem omnes inuicem ministrarent. Denique etiam ex parte dominorum (si cogitentur) nulla ratio, aut necessitas talis potestatis, vel dominij reddi potest. Quia famulorum auxilium, vel propter corpora corruptibilia, quæ indumentis, alimentis, medicinis, & alijs similibus adiutorijs indigent, vel per vanitatem, & ambitionem introductus est: vtrumque autem in statu innocentiæ defuisset: quia sine vllo ferè labore, aut ministerio homines haberent paratissimos cibos, & vestibus non indigerent: nec haberent abundantiam diuitiarum particularium, quarum negotiationi incumberent: ergo nullo famulatu indigerent, & consequenter neque ex hac parte peculiare dominium in alios homines haberent.

Probatur.

17. *Dubium de diuisione bonorum in statu innocentiæ.*

Tertium verò dubium hac occasione excitatur, an in illo statu esset rerum diuisio, quoad dominia terrarum, fructuum, animalium, aliarumque temporalium rerum. Nam licet Deus dederit homini vniuersale dominium istarum rerum, vt supra diximus, non tamen hæc bona inter homines diuisit, sed singulis tradidit omnia, vt suo arbitrio possent omnibus vti, prout vellent: & hoc modo etiam post lapsum fuerunt omnia communia, donec diuisio, seu appropriatio dominiorum introducta est. Est ergo dubium, an similis diuisio introduceretur in statu innocentiæ, vel semper conseruaretur rerum communitas? In quo puncto communis sententia est, in statu innocentiæ non fuisse futuram rerum diuisionem, nec priuata dominia. Ita docent Soto, & alij plures authores, qui de dominio, & rerum diuisione in tractatibus de iustitia disputarunt, & priùs docuit Scotus in 4. dist. 15. q. 4. art. 1. putatque fuisse præceptum naturale, quod postea dicit fuisse reuocatum, meliusque dixisset, mutatis rebus, & statu hominum ex se cessasse. Itaque sentit, diuisionem rerum per se non esse licitam, sed solùm in casu necessitatis: in statu autem innocentiæ cessasset necessitas, quæ nunc est, & ideo tunc non esset. Declaratur minor, quia diuisio rerum nunc necessaria est, tum propter vitandas rixas inter homines, pacemque seruandam: tum propter sustentationem hominum, quia si bona essent communia, homines negligerent custodire, & operari illa: hæ autem duæ rationes in statu innocentiæ cessarent, vt est notum ex dictis: ergo tunc non esset licita talis diuisio, ac proinde non esset. Et fauent huic sententiæ Patres interdum dicentes, communem vsum rerum per se conuenire hominibus: diuisionem autem occasione peccati esse introductam. Ita Clemens I. Epist. 5. habetur in cap. 12. quæst. 1. & ideo Chrysostomus

Communis sententia.

stomus Orat. de Sancto Philogon. *meum, & tuum frigidum verbum, & malorum omnium incentiuum* appellat. Et similia ferè habet Ambros. lib. 7. in Lucam c. 12. §. nolite soliciti esse.

18 Et placet quidem hęc sententia quoad assertionem intentam: declaranda tamen conuenienter est. Nam in primis non videtur esse datum in illo statu præceptum prohibens hanc rerum diuisionem: quia nec positiuum inuenitur, nec naturale colligitur ex principijs rectæ rationis. Quia talis diuisio de se nec contra iustitiam esset, nec contra aliam virtutem, & posset esse vtilis, vt bene explicauit Leonard. Lessius lib. 2. de iustitia, cap. 2. dub. 2. Vnde vlteriùs distinguendum videtur inter bona mobilia, & immobilia. Nã mobilia magis sunt subiecta diuisioni, quia eo ipso, quòd occupantur, seu capiuntur, fiunt accipientis. Et hoc ius videtur fuisse necessarium etiam in statu innocentiæ. Nam qui colligeret fructus arboris ad comedendum, eo ipso acquireret peculiare ius in illos, vt posset illis libere vti, & non possent inuito possidente auferri sine iniustitia. At verò in bonis immobilibus non esset necessaria similis diuisio: & de illis principaliter loquuntur dicti auctores. Considerandum verò vlterius est, potuisse homines in eo statu operari terram, & fortasse aliquam eius partem seminare. Inde ergo necessario fieret consequens, vt postquã aliquis particulam terræ coleret, non posset iuste ab alio priuari vsu, & quasi possessione illius: quia ipsa naturalis ratio, & ordo conueniens hoc postulat. Potuisset etiam vsu introduci, vt qui semel illam particulam terræ occuparet, tanquam propriam illam possideret, quandiu illam non dimitteret: & idem dici potest de particula terræ ad habitationem, & quasi domicilium destinata. Hæc tamen quasi nihil reputantur: & ideo absolutè negatur diuisio bonorum in illo statu. Præterquam quòd etiam in illis rebus possent esse variæ consuetudines non repugnantes illi statui: quæ ex vario arbitrio hominum penderent. Et ideo nihil certum de illis dici potest.

19 Dubium. Quarum denique dubium ex dictis facilè expediri potest, nimirum, quibus in actionibus, seu exercitijs, aut operibus homines in illo statu occuparentur. Non enim futuri erant otiosi: quia hoc & rectæ rationi aduersatur, & tædium, ac molestiam parit, & tamen non facilè inuenitur negotium in quo tunc occuparentur. Quia tunc nec essent bella, nec lites, nec corporum curationes, aut vestes, aut artificiosi cibi: nec pro diuitijs acquirendis negotiationes, nec opera misericordię corporalis locum haberent: quia nulli essent infirmi, afflicti, &c. Nec etiam tunc esset vsus artium mechanicarum: quia omnes ordinantur ad subueniendum necessitatibus corporum, quæ tunc non essent. Ex actionibus ergo, quæ per corpus exercentur, nullę inueniuntur illi statui accommodatæ. Aliunde verò non potuissent tunc homines perpetuò contemplationi vacare: quia corpus animale non posset sine magno labore, vel speciali miraculo, animæ in illo exercitio mentis perpetuo cooperari: nec anima ipsa sine cooperatione corporis posset contemplari.

20 Resolutio tamen breuiter est, vitam hominis in illo statu maiori ex parte fuisse futuram contemplatiuam, cum aliqua tamen moderata actione illi statui conueniente mistam. Hoc generatim declaratur, quia hoc genus vitæ est magis de se accommodatum humanæ naturæ, præsertim in statu viæ, & quasi intrinsecæ mortalitatis: & consequenter est etiam perfectius, quia in eo habet anima meliorem partem, & corpus conuenienti exercitio non priuatur. Deinde priorem partem docuit Damasc. lib. 2. cap. 30. dicens: *Deus in Paradiso tam spirituali, quam corpore hominem collocarat, siquidem in corpore, qui in terra erat quantum ad corpus degens, spiritualiter versabatur cum Angelis, diuinas cogitationes excolens, ijsque sese alens, nudus ob simplicitatem, vitamque arte, ac fuco carentem, atque ita comparatus, vt ad solum creatorem per res ab ipso creatas assurgeret, ipsiusque contemplatione quam iucundissime frueretur.* Quæ quidem præcipuè dixit Damascenus de Adamo, quia à principio perfectus fuit: ad homines verò ab illo futuros debet cum proportione accommodari. Nam omnes illi (quantum credibile est) scientiarum naturalium studijs, & contemplationi vacarent: & ita magnam vitæ partem fortasse vsque ad consistentiam ætatis in addiscendis scientijs, postea verò in illis docendis occuparentur. Accedit, quod non solùm contemplationi naturali Dei & effectuum eius, sed maximè supernaturali, quæ per fidem, & charitatem exercetur, præcipue vacarent: quia in hac maxime beatitudo huius vitæ consistit, & ad futuram præcipuè conducit.

pars ex Damasc.

21 Altera item pars colligitur ex verbis Gen. 2. *Posuit Dominus hominem in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* quem locum suprà libro tertio, capite sexto, num. 17. de exteriori opere, & cultura terræ moderata, & delectabili exposui-mus. Addit Perer. libro quarto, in Gen. disp. de vsu carnium in statu innoc. quod homines in statu innocentiæ omnes artes liberales colerent. Quod quidem de Dialectica, & alijs pertinentibus ad Mathematicas, scilicet Arithmetica, Geometria, Astrologia, Perspectiua, Cosmographia, & similes, valde credibile est, quia hæ omnes intellectum perficiunt: & externam actionem, moderatam, ac facilem, & honestam habent delectationem. Aliæ verò, quæ circa sermonem versantur, minus essent in illo statu necessariæ, vt Grammatica, & Rhetorica: quia in eo statu tantùm esset vna lingua, quam vsu ipso omnes perfectissimè addiscerent. Fortasse tamen etiam per artem possent illam perpolire, præsertim in his, quæ ad poesim pertinent. Item ex seruilibus artibus aliquas nobiliores exercere possent, vt venatoriam, vel recreationis causa, & honesti exercitij: vel ad intimius naturas animaliũ interfectorum penetrandas. Idem de arte pingendi, agricultura, & similibus considerari potest. Præter hæc autem omnia possent etiam in sacris actionibus exerceri: vt inferiùs suo loco attingemus.

Probatur pars ex Gen. 2.

Addit Perer. ritu aliam probationem

CAPVT VIII.

An homines in statu innocentiæ nascerentur in gratia, iustitia, & scientia perfecti.

DIximus de perfectione ad corpus pertinente, nunc supereſt animæ perfectio explicanda. Et de naturali quidem nihil est, quod addamus: quia in anima rationali per se spectata non est alia perfectio naturalis præter substantiam eius, & potentias intellectus, & voluntatis: quæ totam suam naturalem perfectionem à principio necessariò habuerunt, quia illa indiuisibilis est: neque in se magis aut minus recipit. Vnde quælibet anima simul recipit ab initio creationis totam hanc perfectionem, quantum est capax. An verò hæc indiuidualis perfectio esset æqualis in omnibus animabus, vel si est inter eas inæqualitas, an illæ animæ humanæ essent in naturalibus perfectiores, quàm nunc sint, non oportet in præsenti disputare. Nam prior pars generalis est ad omnes status humanæ naturæ, & in materia de anima tractatur. Posterior autem pars iuxta superiùs dicta est definienda, quia si futuri essent iidem homines, qui nunc sunt, cessat quæstio, nam etiam animæ eandem essent perfectionem habituræ. Sin autem homines alij, & numero diuersi, tunc essent futuri, incertum

1. *Quid de perfectione naturali animarum.*

Consule Conimbricen. lib. 2. de anima c. 1. q. 5.

incertum est, quantæ perfectionis indiuidualis essent futuri, id enim ex Dei voluntate penderet, credibile autem est, saltem non fuisse futuras animas minus perfectas, quàm nunc sint: quoniam ad id præsumendum nulla ratio suppetit.

2 *1. Assertio certissima.*

Omissa igitur naturali perfectione, dicendum est de donis supernaturalibus, tam quoad substantiam, quàm quoad solum modum. Et quoniam gratia sanctificans est fundamẽtum omnium perfectionum status innocentiæ, vt suprà vidimus lib.3.cap.20. ideo de illa dicimus, primò, in statu innocentiæ omnes homines fuisse in statu gratiæ generandos à primò conceptionis instanti. Hæc assertio est D. Thomæ 1.p.q.100.art.1. & communis Theologorum in 2.dist.20. Existimo q; esse certissimam. Probatur primò ex Paul ad Rom.5. dicente: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Vnde tale conficimus argumentum. Nunc homines generantur in peccato, propter peccatum Adæ: ergo Adamo non peccante, homines non conciperentur in peccato: ergo conciperẽtur in gratia. Antecedens est sententia Pauli iuxta catholicum sensum, vt ex materia de peccato originali suppono.

Probatur 1. ex Rom. 5.

3 *Progreditur inchoata probatio.*

Prima verò consequentia per se euidens est: tum quia, si Adam non peccasset, nulla posset esse causa inducens culpam in homine, in eius conceptione: tum etiam, quia sine causa diceretur peccatum inductum in mundum per Adamum, si ipso etiam non peccante, futurum in paruulis fuisset. Secunda verò consequentia probatur primò, quia in creaturis rationalibus, prout à Deo creatæ sunt, eiusque ordinariæ prouidentiæ iubsunt, non datur status medius inter statum gratiæ, & peccati, vt in superioribus ostensum est. Secundò, & euidentiùs, quia non datur status peccati simpliciter, id est, constituentis hominem Deo inimicum, sine propria priuatione gratiæ, id est, quæ non sit mera negatio, sed sit carentia gratiæ debitæ in esse: nam licèt homo in puris naturalibus haberet gratiæ negationem, nihilominus in peccato non esset: ergo nunc concipiuntur homines cum hac gratiæ priuatione: imò iuxta veriorem sententiam in tali priuatione, vt voluntaria in capite, formalis ratio originalis peccati consistit: ergo fuit semper, & est nunc in natura humana debitum quoddam habendi gratiam diuinam à principio conceptionis: ergo si non interuenisset peccatum, impleretur hoc debitum in omnibus hominibus, ac proinde omnes in gratia conciperentur. Consequentia euidens est: tum, quia Deus ipse debitum imposuit, ideoque non poterat ex se negare implementum eius, si ex parte humanæ naturæ impedimentum non interuenisset: tum etiam, quia aliàs illa carentia gratiæ esset peccatum, quia esset carentia, quam infans habere deberet: & non esset peccatum, quia nullo modo esset voluntaria: tum denique, quia etiam nunc carentia gratiæ pro illo primo instanti conceptionis non esset peccatum: quia non fuisset per Adæ peccatum inducta, si absque tali peccato futura in filijs Adæ fuisset.

4 *Probatur 1. ex Concil. Arausic. & Trident.*

Secundò probatur assertio, & confirmatur testimonium Pauli, ac inductio facta ex Concil. Arausic. II. cap. 19. dicente, nos perdidisse in Adamo, & per Adamum stolam animæ, quæ in nobis per Christum reparatur. Apertiùs idem confirmat Conc. Trid. sess. 5. cap. 2. dicens, Adamum peccando non sibi tantùm, sed nobis etiam sanctitatem, quam acceperat, perdidisse: & ideo peccatũ, quod mors est animæ, in posteros transfudisse. Ergo ex sententia Concilij, si Adamus peccando, gratiam, quæ est vera sanctitas, nobis non perdidisset, illam in statu innocentiæ obtineremus. Ergo in primo conceptionis instanti esset infundenda. Probatur hæc vltima consequentia in primis ex eo, quòd nunc ab illo instanti trahimus peccatum: ergo in eodem gratiam habere debebamus: tum quia oppositorum eadem est ratio: & pronior est Deus ad gratiam dandam, quàm negandam: tum maximè, quia peccatum quod animæ mortem affert, includit carentiam gratiæ, vnde pro eodem instanti, pro quo peccatum inducitur, gratia futura esset. Deinde probatur, quia nulla ratio differendi gratiam cogitari potest: nec designari tempus, pro quo esset danda hominibus gratia, non peccante Adamo, si in primo instanti conferenda non fuisset.

5 *Euasio 1. argumenti.*

Nisi fortè quis dicat, non fuisse dandam vsque ad primum instans vsus rationis, in quo infallibiliter daretur omnibus auxilium, quo se ad gratiam recipiendam disponerent. Sed hoc nemo dicere potest, nisi ex proprio capite, & sine fundamento excogitatum. Et prærerea consequenter dicendum esset, vt argumentum factum probat, homines nunc non contrahere peccatum vsque ad primum instans vsus rationis, in quo non se ad gratiam disponunt: neque ad id auxilium recipiunt propter peccatum Adę: hoc autem hæreticum esset, cum sit de fide omnes à principio sui ortus incipere esse in peccato. Et prærerea etiam est falsum, omnes homines ex certa lege Dei carere nunc in primo instanti vsus rationis auxilium, quoad Deum cõuertantur, si velint. Quin potiùs ex parte Dei omnibus ex tunc offertur, & verisimilius est, multis actu dari non solùm sufficiens, sed etiam efficax. Id enim sine miraculo & priuilegio fieri potest ex peculiari fauore, & prædestinatione Dei. Vnde vlterius sequeretur ex illa sententia, multos homines non trahere peccatum ex Adamo, nimirum, illi, qui in illo instanti conuerterentur ad Deum, seque ad gratiam disponerent. Quia illi nec ante illud instans traxissent peccatum ex Adamo, vt illa responsio supponit: nec in eodem instanti illud contraherent, quia ponimus in illo iustificari: nec postea possent gratiam perdere propter peccatum Adæ, sed propter proprium, ac personale. Igitur ex dogmate fidei de originali peccato paruulorum euidenter concluditur, quòd si Adam non peccasset, homines in gratia crearentur.

6 *Probatur ex Patribus.*

Tertiò hoc potest probari testimonijs Patrum, quibus suprà lib.3.cap.17. probauimus Adam fuisse in gratia creatum. Et specialiter notari potest quod ait Irenæus lib.3.cap.20. *Nos recuperare per Christum quod in Adam perdidimus*: recuperamus autem gratiam: ergo hanc perdidimus in Adam. Item recuperamus illam ab infantia cùm primum in Christo regeneramur: ergo etiam pro infantia illa propter Adam caremus, cùm primùm ab illo generamur: ergo etiam è conuerso, si Adam non peccasset, ab instanti, in quo ab illo generaremur, illam reciperemus. Et in eundem modum citari potest Basil. lib. de Spiritu sancto, cap. 17. & Leo serm. 1. de ieiun. mensis 10. dicens: *Ergo in Adam secundo, quod cecidit in primo.* Denique Anselmus lib. de Concept. Virg. cap. 10. & 22. *Filios Adæ* (ait) *nascituros fuisse iustos, si Pater non peccaret.* Ratio verò à priori huius veritatis est diuina voluntas, cui placuit totam hominum naturam ad statum gratiæ ità prouehere, vt simul cum natura omnes homines illam reciperent, nisi Adam, quem veluti caput totius naturæ constituebat, tantæ gratiæ impedimentum, peccando, apponeret. Vnde non daretur tunc gratia filijs Adæ ex merito eius, quia non fuit in hoc genere caput totius naturæ constitutus: id enim fuit proprium solius Christi, quod etiam in statu innocentiæ exerceret, vt piè credimus: sed daretur ex pacto & promissione, vtique sub tali conditione facta, & ita nulla in hac assertione superest difficultas, magisque ex dicẽdis in sequenti

Assertionis ratio à priori

con-

confirmabitur. Solet autem circa illam quæri, an in illo statu filij Adæ nascerentur in gratia confirmati, vel saltem cum dono perseuerandi in illa. De qua re capite sequenti dicemus.

Secundo dicendum est, non peccante Adamo posteros eius fuisse in naturæ integritate, & cum originali iustitia procreandos. Hæ duæ partes ita sunt cõnexæ, vt prior ex posteriori sequatur: quia status originalis iustitiæ statum integritatis naturæ includit, & aliquas perfectiones ei superaddit, vt in superioribus visum est lib. 3. cap. 20. Secunda ergo pars traditur à D. Thoma d. q. 100. art. 1. & reliquis Theologis in 2. dist. 20. & videtur non minus certa, quam assertio præcedens. Potestque suaderi primò verbis Sapientis Ecclesiast. 7. *Deus fecit hominem rectum*: quod intelligitur non solùm de rectitudine innocentiæ per carentiam peccati: nec de sola rectitudine sanctificãtis gratiæ, sed etiam de rectitudine, quæ subiectionem perfectam inferioris partis ad superiorem, ac proinde carentiam fomitis, & inordinatæ concupiscentiæ includit, vt docet Hieron. libr. 1. contra Iouin. & in superioribus tractatum est. Dicitur autem homo creatus cum hac rectitudine: non vt erat tantùm singularis persona, sed vt in eo erat tota natura, pro qua talem rectitudinem accepit. Quod declarat Sapiens, cùm subdit, *Et ipse se immiscuit infinitis quæstionibus.* Quæ verba non tantùm personam Adæ, sed etiam totam naturam respiciunt: nam Adã peccando non se tantùm, sed suos etiam posteros illis quæstionibus, & miserijs immiscuit: ergo etiã priora verba ad totam naturam referenda sunt.

Præterea ex vno effectu mortis optimè hoc ostenditur. Dicitur enim Sap. 2. *Deum fecisse hominem inexterminabilem*, id est, immortalẽ, quod non tantùm de primis hominibus, quoad eorum personas, sed etiam quoad totam posteritatem intelligendum est: nam statim subditur, *Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Quia nimirum diabolus Adamum ad peccandum induxit, & ex peccato eius in cæteros homines mors intrauit. Propter quod dixit Paul. 1. Corinth. 15. quòd in Adam omnes moriuntur. & ad Rom 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc modum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit.* Vnde multi ex hæreticis negantes originale peccatum, non fuerunt ausi negare, mortem fuisse inductam in humanum genus per peccatum Adæ: quorum sententia licèt in priori parte damnetur, quoad posteriorem recipitur, ac definitur in Concil. Arausic. secundo, & in Trid sess. 5. cap. 2. Hinc ergo concluditur Argumentum. Nam si Adam nõ peccasset, homines nascerentur immortales; eo vtique modo, quo Adam immortalis creatus est: ergo nascerentur cum dono originalis iustitiæ. Probatur consequentia, quia donum immortalitatis supponit, vel includit perfectã subiectionem corporis ad animam, quam iustitia originalis conferebat.

Tertiò Concil. Trid. suprà definit, Adam peccando non solum sibi, sed etiam nobis sanctitatem, & iustitiam amisisse: vbi distinguendo iustitiam à sanctitate, iudicare videtur Concilium, non solam gratiam cum suis virtutibus, & donis, quæ solet iustitia formaliter iustificans appellari, estque vera sanctitas: sed etiam illud peculiare donum iustitiæ originalis Adam ante peccatum habuisse: nam illud cum sanctitate perdidit: ergo ex mente Concilij etiam illud nobis amisit. Ergo haberemus illud, si Adam non peccasset: ergo à principio cõceptionis illud reciperemus. Quæ illationes eodem modo probandæ sunt, quo in præcedenti assertione similes ostendimus. Et confirmatur ex Cælestin. Papa epist. 1. ad Episcopos Galliæ cap. 4. dicente, *In præuaricatione Adæ homines naturalem possibilitatem* (vtique bene operandi) *perdidisse.* Vnde similiter colligimus Adamo non peccante homines habituros fuisse illam naturalem possibilitatem. At verò illam maximè conferebat originalis iustitia, quæ concupiscentiam ita frænebat, vt contra rationem non rebellaret: vt ex materia de Gratia suppono. Ergo non peccante Adamo haberent homines, quasi connaturale donum originalis iustitiæ, quod illam possibilitatem naturalem conferret. Vnde hoc ipsum confirmat Arausic. Concil. cap. 8. & August. alijque Patres frequenter dicunt, in omnibus Adami posteris libertum arbitrium fuisse infirmatum per Adæ peccatum non solum, quia gratiam perdidit, sed etiam, quia ex illo pugna illa inter carnem, & spiritum orta est, quæ captiuum tenet liberum arbitrium, & veluti inuitum trahit in legem peccati, vt Apost. ad Rom 7. deplorat. ergo pugna fomitis, & concupiscentiæ orta est ex peccato: ergo isto nõ existente peccato, non esset in homine hæc pugna: ergo esset originalis iustitia.

Confirmatur 1. ex Cælestino Papa.

Lib. 1. de gratia, præsertim c. 25. Confirm. ex Arausic.

Vnde dixit optimè August. lib. 14 de Ciuit. cap. 10. *Quam felices erant primi homines, & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum turbabantur incommodis, tam felix vniuersa societas esset humana sine vlli malum etiam, quod in homines transiceret, nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret.* Et lib. 4 contr. Iulian. cap. 12. contra illum hæreticũ, qui Tullium allegauerat, eiusdem Tullij verba expendit, quibus dixit hominem, vt à nouerca editum in vitam corpore nudo, infirmo, &c. *animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines.* Subdit verò Augustinus: *Non vidit, causam nescisse, latebat enim cur esset grauis iugum super filios Adam.* &c. quia ignorabat originale peccatum. Cùm ergo iustitia originalis illos animi, & corporis defectus impediret, manifestum est secundum Augustinum, illos non fuisse futuros in hominibus, si Adam non peccasset, ac proinde omnes in originali iustitia creandos fuisse. Et in ca. 16. in fine declarat, non solùm grandiores, sed etiam paruulos pati nunc multa mala, vtique ob illius doni carentiam: ergo supponit, paruulos etiam habituros fuisse donum illud, si Adam non peccasset.

Item ex Augustino

Vltimò addit D. Thomas rationem, quia iustitia originalis non fuit data Adæ, tanquam personale, sed tanquam totius speciei generale beneficium, quod toti humano generi in suo veluti naturali capite donatum est: sub conditione tamen obseruationis præcepti Adæ imposiri de non comedendo de ligno scientiæ. Quæ conditio respectu personæ Adæ non fuit necessaria ad receptionem talis doni, quia illo præuentus est, sed fuit ad conseruationem, respectu verò filiorum eius ad collationem, ac receptionem ipsius doni præcedere debuit. Vnde, quia conditio impleta non fuit, nos illo dono priuamur, si autem seruata fuisset, cum ipsa natura, ad modum proprietatis naturalis datum fuisset. Non quidem tanquam fluens à natura, nec tanquam ei naturaliter debitum, nec etiam propter obedientiam Adæ, sed vt debitum ex lege, & promissione diuina, tali cõditione impleta: sicut de gratia ipsa dictum est. Solum superest probandum principium illud in hac ratione assumptum, donum, scilicet, iustitiæ, datum esse speciei humanæ, & Adamo, vt capiti eius, & non tantùm personaliter. Hoc autem principium non ratione, sed authoritate probandum est ex testimonijs Scripturæ, Cõciliorum, & Augustini allegatis. Maximumque argumentum sumitur à contrario eiusdem iuitiæ, q. est originale peccatum. Illud enim per modũ defectus naturalis generationem hominis cõsequentis, inoleuit. Vnde est illud Pauli ad Ephes. 2. *Eramus natura filii iræ*

Suadetur vltima ratione D. Thomæ.

Ergo

Ergo simili modo iustitia originalis data est à principio, vt per modum naturalis proprietatis in omnes homines redundaret non interueniente Adæ peccato. Nam oppositorum eadem est ratio: nec potest priuatio esse nunc quasi naturalis defectus, nisi contrarius habitus futurus esset quasi connaturalis, si lapsus totius naturæ non interueniret.

12 *Obiectio 1. contra prædictam assert. ex Hugone.*

Contra hanc autem veritatem maxime obijci solet sententia Hugonis de Sanct. Vict. lib. 1. de sacram. p. 6. cap. 24. vbi semel, atque iterum ait, quòd licèt Adam in sua obedientia permansisset, *non propterea filij eius nascendo originalis iustitiæ meritum acciperent, sed nascerentur* (ait inferiùs) *in natura ab omni vitio libera, sed non similiter paternæ iustitiæ hæredes.*

Obiectio 2. ex ratione.

Ratione præterea argumentari possumus, quia filijs Adæ non infunderentur à principio cõceptionis omnes virtutes, seu habitus boni, qui in voluntate, & appetitu possunt per actus naturaliter acquiri: ergo nec iustitia originalis à principio eis infunderetur. Consequentia probatur, quia suprà dictum est, originalem iustitiam, maxima ex parte in his habitibus consistere, quatenus intrinsecè passiones moderantur. Antecedens autem probatur: tum quia scientiæ naturales tunc non infunderentur per accidens: ergo nec virtutes acquisibiles per naturales actus. Tum etiam, quia pro illa ætate non essent necessariæ infantibus tales virtutes ad aliquos actus proprios iustitiæ originalis: quia paruuli ante vsum rationis non essent capaces talium actuum.

Difficultas noua ex hac 2. obiectione.

Vnde noua difficultas oritur, quia non apparet in quo posset iustitia originalis in paruulis consistere, quia non in aliquo habitu, vt ratio facta probat, quia non datur aliquis specialis habitus à virtutibus distinctus qui sit originalis iustitia, vt suprà ostensum est: ergo si habitus virtutum non infunderentur infantibus, nec iustitia illorum in habitu consistere posset: nec etiam in actibus, aut motibus paruulorum: tum quia non essent capaces illorum: tum etiam, quia iustitia originalis non dicit propriè actum secundum, sed primum per modum habitus: ergo nullo modo esset in paruulis.

13 *Ad 1. obiectionem responsio D. Thomæ.*

Ad Hugonem respondet Diuus Thomas d. art. 1. ad 1. loqui de iustitia actuali, non de habituali: quia filij ex Adamo procreati, licèt cum natura iustitiam habitualem acciperent: non tamen possent statim actus iustitiæ operari, sicut potuit Adam statim ac creatus est.

Aliorum responsio.

Alij dicunt, filios Adæ secundùm Hugonem non fuisse futuros paternæ iustitiæ hæredes: quia non oporteret omnes imitari iustitiam, & bona opera parentum.

Vtraque solutio minus commoda.

Vtraque verò expositio difficilè accommodatur sententiæ Hugonis. Constituit enim ibi discrimen inter obedientiam, & inobedientiam Adæ, quòd per inobedientiam statim omnes posteri facti sunt paternæ iniustitiæ, & inobedientiæ hæredes: secus verò esset de obedientia Adæ, quia licèt non peccasset, in prædictis sensibus nulla esset differentia, quia non statim efficerentur filij paternæ obedientiæ hæredes. At filii nunc geniti ex Adamo inobediente non hæreditant eius actualem iniustitiam, sed tantùm habitualem. Peccatum enim originale habituale est in paruulis: neque ipsi possunt statim actualem inobedientiam operari, sicut potuit Adam. Et similiter non est necesse, vt omnes, qui nunc nascuntur ex Adamo, illum in actuali peccato imitentur, sed tantùm, vt originale contrahant.

14 *Authoris solutio 1.*

Dici ergo potest, Hugonem non negasse filios Adæ habituros in sua conceptione iustitiam, sed negasse habituros illam ex merito parentum, & quasi hæreditario iure, sed ex promissione Dei sub tali conditione liberaliter facta. Quod secus est in culpa, quia illam ex merito parentis primi, tanquam ex originaria causa hæreditamus. Deindè videtur loqui Hugo non de iustitia quacunque, sed de perfecta, & inamissibili: solumque negare habituros fuisse filios Adæ, talem, tantamque iustitiam ex merito Adæ, si Dei præcepto obediret. Non tamẽ inficiatur, quin habituri essent à principio iustitiam, quam in ætate adulta possent per inobedientiam amittere, qualem Adam habuit. Hocque planè indicat illis verbis: *Obedientia* (vtique Adæ) *naturam ad incorruptionem non mutasset, donec tempore suo vsque in finem seruata fuisset perfecta: qui autem interim generarentur, neque nascendo originalis iustitiæ meritum acciperent, quoniam & ipsi, à quibus nascerentur, nondum adhuc perfectæ obedientiæ iustitiam haberent.* Vbi duplicem videtur iustitiam distinguere, vnam quasi inchoatam, quæ per inobedientiam amitti poterat, aliam consummatam, quam vocat *perfectæ obedientiæ* id est, quæ post completam, & perseuerantem obedientiam conferretur. Et hanc solam videtur negare filijs ex Adamo innocente genitis, non tamen priorem: vnde subiungit, *Non autem potuit natura nascentibus dare, quod in generantibus nondum adhuc possidebat.* Et tandẽ in fine capitis sentit, si Adam non peccasset, non ita fuisse filios generandos iustos, vt propter meritum Adæ in iustitia confirmati nascerentur, sed eorum obedientiam probandam fuisse, vt proprio merito vel illam amitterent, vel præmium eius obtinerent. Quòd autem iustitiam à principio obtinuissent, satis declarat, cùm concludit, *Primam tamen obedientiam obseruatam causam fore adiutricis gratiæ in omnes sequentes, & ipsam obedientiam obediendo imitantes.*

15 *Infirmatur tradita responsio.*

Hæc videtur fuisse sententia Hugonis, quam ipse obscurissimè proponit, & nunc vnum sensum, nunc alium indicat: semperque difficultatem facere videtur argumentum factum, quòd iuxta hunc etiam sensum nulla sit differentia, quam inter inobedientiam, & obedientiam Adæ assignat. Quia etiam culpa non ita deriuatur ad filios Adæ ex illius inobedientia, vt sit irremissibilis, seu inauferibilis, vt sic dicam: ita enim nascuntur homines in peccato ob lapsum Adæ, vt per liberum arbitrium gratia Dei adiutum possint ad melio- *Refutatur* rem statum reuocari. Responderi nihilominus potest, ex parte Adæ inueniri discrimen: quia suo peccato ita totam naturam infecit, ac deiecit, vt ex parte sua impotentem ad recuperandam iustitiam illam reddiderit: at verò seruando præceptũ nunquam posset auferre à posteris potestatem amittendi iustitiam. Quia sensus veram doctrinam cõtinet. An verò fuerit ab Hugone intentus, dubitari potest.

16 *Solutio ad eadem Hugonis obiecta.*

Aliter etiam potest illud discrimen explicari, nimirum vnius Adæ peccatum sufficiens fuisse, vt omnes eius posteri in peccato nascantur: obedientiam autem eius non satis fore, vt omnes eius posteri in statu iustitiæ nascerentur. Quia licet Adam semel obediuisset Deo, si postea transgrederetur præceptum, filij eius nascerentur peccatores. *In dubium reuocatur Hugonis sententia non probatur.* Quæ doctrina vera est, & illam maximè in principio capitis Hugo indicat. Quinetiam sentit, quòd filij Adæ vel non reciperent originalem iustitiam, donec Adam perseueraret obediendo vsque ad terminum illi præfixum pro tempore viæ: vel certè, quòd si antea daretur filijs iustitia, & postea peccaret Adam, etiam iustitiam acceptã filij amitterent. Vtrumque autem horum falsum censeo. *Vtrumque falsum.* Primum quidem, quia filij nati ex Adamo ante peccatum, non nascerentur in peccato, vt est per se notum: ergo nascerentur in gratia, quia non datur status medius de lege, vt sæpe dictum est. Ergo etiam nascerentur in iustitia, quia essent in statu innocentiæ, in quo sicut iustitia originalis non potuit esse, nisi in gratia fundata, ita neque gratia futura

futura erat, nisi originali iustitia ornata, & munita. Secundum quoque falsum est: quia dona DEI sunt sine pœnitentia, præsertim donum gratum faciens, & ideo semel accepta non amittuntur sine peccato proprio, de quo latius in tractatu de originali peccato. In altera vero obiectione petitur, an statu innocentiæ perseuerante nascerentur homines cum omnibus habitibus virtutum moralium per accidens infusis? Sed hoc expedietur melius in fine capitis post sequentem assertionem in num. 25.

Tertio dicendum est, homines in statu innocentiæ non fuisse recepturos à principio creationis scientias, vel alias perfectiones intellectus, præter habitum fidei infusæ. Hæc vltima pars, seu exceptio supponitur, vt consequēs ad primam assertionem, quia sine fide non infunditur gratia, vt est constās apud omnes: tum quia fides est omnis iustitiæ fundamentum: tum etiam, quia quod Paulus dixit: *sine fide impossibile est placere Deo*: in omni statu puri viatoris verum est: & cum proportione ad eum qui in actu, vel tantum in habitu Deo placet, seu illi est gratus, applicandum est. Ostensum est autem homines in illo statu fuisse creandos cum gratia habituali: ergo, & cum fide, saltem habituali. Reliqua vero pars assertionis intelligi potest, vel de scientia per se infusa: vel de acquisita naturæ sua, & per accidens infusa. In priori sensu est res notissima: quia nec ipse Adam ipse cum tali scientia creatus fuit, vt supra diximus: ergo multo minus filij. In posteriori autem sensu Rich. in 2. d. 20. ar. 1. q. 4. sentit, quod licet pueri in illo statu non haberent scientias, quantum ad vsum, haberent tamen illas, quoad habitus per accidens infusos. Nos vero in conclusione id negamus de scientia naturali quoad omnes eius habitus, & species intelligibiles, quæ ab obiectis acquiri possunt.

In hoc ergo sensu tradit hanc sententiam D. Thomas 1. p. q. 101. a. 1. & q. 18. de verit. artic. 7. quem sequuntur Ægid. & alij in 2. dist. 20. & fuit sententia Hugonis de S. Victor. lib. 1. de sacram. p. 6. ca. 26. Ratio D. Thomæ est, quia vbi nulla legitur authoritas, vel necessitas, aliquid supernaturale asserere non debemus: sed habere has scientias, & intellectuales perfectiones à Deo immediatè inditas, supernaturale quid est, saltem quoad modum: quia naturale est homini scientiam, & cognitionem intellectus per sensus acquirere: ergo non possumus sine aliquo ex dictis fundamentis asserere, infundendas fuisse hominibus omnibus in statu innocentiæ. Antecedens quoad vtramque partem satis notum est ex dictis. Consequentia vero probatur, quia in primis nulla authoritate id ostendi potest. Deinde nulla est necessitas, quia homines geniti in statu innocentiæ non haberent vsum rationis vsque ad ætatem adultam, & proportionatam: ergo pro illo tempore non indigebant habitibus scientiarum. Postquam autem ad rationis vsum peruenirent, possent sua industria, & diligentia illos acquirere: & hoc satis erat ad naturalem eorum perfectionem, essetque illis commodum, & honestum in istarum scientiarum studijs: & inuentione occupari: ergo necessarium eis non fuit illas à principio per infusionem recipere.

Solet autem obijci primo, quia supra diximus has scientias fuisse infusas à principio Adamo: ergo & filijs infundi deberent, vt essent parenti similiores. Secundo, quia alias nunquam possent homines in statu innocentiæ humanas scientias perfectè acquirere: & ita semper essent imperfecti, & aliqua ex parte ignorantes in his, quę humanæ naturę proportionata sunt: quod perfectioni status innocētiæ videtur repugnare. Sequela probatur, quia humanæ scientiæ quamplures sunt, & vnaquæque illarum latissimam habet materiam: & ex rebus sensibilibus difficillimè comparantur: & magna ex parte ad cuidēs, & certū veritatis iudicium non perueniunt. Vnde si sola inuentione, vel authoritate humana in eis procedatur, multa per solam opinionem, quæ falsitati exposita est, cognoscuntur. Et ita fieret, vt homines in statu innocentiæ in naturali cognitione decipi possent, & præsertim in pueritia, vel adolescentia ante comparatam rerum perfectam cognitionem. Tertio, *Tertia.* quia sine omnibus scientijs non potest esse perfecta prudentia: nec sine prudentia potest esse perfecta operatio virtutis, ac subinde nec perfecta originalis iustitia, quæ magnam facilitatem ad bonum operandum, & ad vitandum malum tribuebat.

Ad primum respondemus esse plures differentiæ rationes inter Adamum & posteros, ex quibus potius assertio confirmatur. Adam enim creatus est in ætate adulta, & perfecto rationis vsu, in qua ætate iam erat de se capax scientiarum naturaliū. Vnde si illis caruisset, propriæ ignorantiæ fuisset subiectus: in filijs autem paruulis carentia scientiarum non fuisset ignorantia, sed pura nescientia, vt supra declaratum est. Deinde Adam non solum creatus est, vt persona priuatā, sed vt caput & consequenter vt doctor, & instructor ipsius naturæ: & ideo ratione sui muneris scientias omnes postulabat: & iuxta conuenientem prouidentiæ ordinem illi erant debitę. Quę ratio in filijs locum non haberet, vt per se notum est. Denique de Adamo habemus plura Scripturæ & Patrum testimonia, quæ illius eximiam sapientiam prædicent: quod de filijs secus est. Vnde rectè dixit D. Thom. perfectionem scientiæ in Adamo non fuisse accidens quasi connaturale speciei secundum ordinariam legem, sed fuisse proprium talis indiuidui, propter eius peculiarem conditionem, & statum: ideoque non oportuisse filios similes parenti in illa perfectione à principio creari. 20 *Ad 1.*

Ad secundum respondet Perer. l. 5. in Gen. disp. de excell. stat. innoc. q. vlt. in fin. filios Adæ in statu innocentiæ habituros fuisse plures commoditates & auxilia; quibus breui tempore, & sine anxietate, vel labore ad scientiarum perfectionem peruenirent: numeratque decem acquirendarum rerum adiumenta præcipua. Potissima vero sunt in primis immortalitas, & impassibilitas corporis ex qua perpetua valetudo, sensuum internorum, & externorum integritas, & firmitas viriū corporis proueniret. His accederet summa corporis, & animi moderatio: nam in illo statu non esset necessarius corporum cultus, aut vestitus: nec esset appetitus immoderatus diuitiarum: nam pauca essent ad victum necessaria, & illa summa facilitate obtineri possent. Victus etiam, & consequenter etiam somnus esset moderatissimus. Vnde fieret, vt ferè totum vitæ tempus possent in primis in contemplatione rerum diuinarum, & deinde in naturalium rerum cognitione, & speculatione consumere. Imo studium illud, & occupatio esset illi statui accommodatissima. Præterea ex parte obiectorum haberent maximam opportunitatē ad rerum naturas inquirendas, quia & animalia illis ad nutum obedirent, & in Paradiso haberent omnia herbarum genera: vt facile possent earum virtutes experiri, vel rimari. Idemq; de cæteris naturalibus rebus facile intelligi potest. 21 *Ad 2. ex Pererio.*

His accederet, quod maximi esset momenti, quod non per solam inuentionem scientias addiscerent, sed maximè per doctrinam. Nam filij à parentibus docerentur: & ita filij Adæ doctissimū præceptorem habuissent, qui eos, quod fieri posset, sibi similes redderet: idemque eius posteri, ac successores obseruarent. Iuuarentur denique angelico ministerio, & singulari Dei prouidentia. 22 *Progreditur proxima responsio.*

Addit denique author, habituros fuisse tunc homines admirabilem ingenij, memoriæ, & iudicij excellentiam, & incredibilem sciendi cupiditatē, quibus maximè ad obtinēdam scientiam iuuarētur. Sed in perfectione ingenij, vel in appetitu sciendi quatenus ex parte animę naturalia sunt, non essent homines in statu innocentiæ ad scientias capiendas aptiores, quia in animabus ipsis non essent perfectiores, vt suprà tactum est. Solum ergo ex meliori corporum dispositione, & maiori animi moderatione, ac rectitudine, vel maiori percipiendi, & retinendi habilitate, maior sciendi appetitus elicitus prouenire posset: multumque sine dubio ad scientias acquirendas iuuaret. Hoc ergo modo possent omnes in vnaquaque ætate habere scientiam illi ætati conuenientem, & quasi debitam: ideoq; nunquam essent proprie ignorantes. Et quamuis multa non possent euidenter cognoscere, non esset illa imperfectio priuatiua, sed negatiua: quia non vt Angeli, sed vt homines in corpore animali viuentes in scientia perfecti esse debuissent. Et quamuis nossent, quæ per opinionem cognosci possunt, nunquam periculo deceptionis exponerentur, quia non opinando assentirent, sed quod ea opinabilia essent, certo iudicarent.

Exponitur Caietanus.

23 *Ad 3.*

In tertia obiectione petitur an in statu innocētiæ infunderentur per accidens omnibus hominibus omnes virtutes ex genere suo acquisitę? Quod dubium erat obiectio 2. in n. 12. quod non tractant distincte Theologi. Illud autem attigit Bassolius in 2. dist. 20. & problema esse putat: & Rich. qui de scientijs id affirmat, à fortiori id diceret de virtutibus. Imo D. Thom. d. q. 18. de verit. a. 7. ad 2. videtur in hoc differentiam inter scientiam constituere, quod scientiæ non requiruntur ad vnionem cum Deo, sicut virtutes: & ideo potuerunt, vel etiam debuerunt virtutes infundi, quamuis scientiæ non tribuerentur. Vnde in solut. ad 3. dicit, quod homines fuissent in statu innocentiæ perfecti in his, quæ pertinent ad prudentiam: etiamsi in speculatiuis scientijs perfecti non essent. Nihilominus tamen contrarium videtur probabilius: nam æqualitei sequitur ex illo fundamento, quod talis modus habendi naturales virtutes supernaturalis est: & ideo sine authoritate, vel cogente ratione affirmari nō debet, neutrum autem in præsenti inuenitur. Neq; est eadem ratio de virtutib. per se infusis, & acquisitis. Nam illę non habent modum alium naturalem productionis, & per se consequuntur vel debentur gratiæ, & ideo à principio inditæ fuissent infantibus cum ipsa gratia. At vero virtutes naturales alium modum productionis, seu acquisitionis ex natura sua postulant: & per se non comitantur gratiam, nec ab illa pendent: & ideo non oportuit à principio infūdi.

Quid sentiat Bassolius & Richard. imo & D. Thomas.

Authoris resolutio.

24 *Prouidit resolutio.*

Neq; propter originalem iustitiam necessaria erat in statu innocentiæ illarum virtutum infusio, quia in infantiæ statu non dantur motus appetitus contrarij rationi propriè loquendo: quia cum persona tunc ratione non vtatur, motus, qui in illa insurgere possunt, non sunt rationi contrarij. Vnde in illo statu non esset imperfectio quod motus appetitus præuenirent voluntatem, & illam excitarent, quia hoc esset omnino naturale in illo statu, in quo voluntas nondum esset domina sui, suarumque facultatum: nec ratio posset appetitū præuenire, quia nondum esset rationis vsus. Verisimile autem est, Deum sua prouidentia, & per angelorum custodiam fuisse effecturum, vt etiam infantibus non insurgerent motus indecentes, vel de se repugnantes rationi, sicut etiam in adultis dormientibus nulli tales motus inuenirentur: & ita etiam in infantibus non essent motus perturbantes animum, vel per nimiam iram, timorem, concupiscentiam, & similes, quos in paruulis experimur, & simili modo, ac ratione non essent in paruulis illusiones sensuum, ac phantasmatum: nec errores, aut deceptiones, & similes, quę propter defectum vsus rationis inueniri solent. Nam licet in eis culpa careant, & leuiores imperfectiones sint, nihilominus ab statu innocentiæ alienæ sunt, & aliquid pœnalitatis habent: & ideo verisimilius est, hos omnes fuisse effectus iustitiæ originalis in paruulis. Veruntamen propter illos non essent necessarij, imo parum, vel nihil deseruirent habitus virtutum acquisitarum per accidens infusi, cum illorum vsus non esset in libera habentium potestate. At illos ergo effectus daretur specialis prouidentia Dei remouentis obiecta, & causas, ex quibus possent tales cogitationes, vel imperfecti motus in illa ætate excitari. Sicut ex eadem prouidentia proueniebat, vt nullum extrinsecum agens posset dolorem, vel aliquam læsionē pueris inferre. In quo etiā bonorū angelorū custodia, & malorū remotio, & coërtio, & peculiaris etiam industria, & diligētia parentū iuuare possent.

Et ita simul responsum est ad obiectionem supra factam contra secundam assertionem cum sua noua difficultate. Concedimus enim non fuisse infundendos posteris Adæ in illo statu habitus virtutum, vel scientiarum acquisitarum, & consequenter nec habituros fuisse intrinseca facultate vitandi omnes motus, vel passiones contrarias originalis iustitiæ. Nihilominus tamen generandos fuisse cum iustitia originali, quam semper haberent, quasi in actu primo, quia haberent innocentiam, & gratiam, cui pro illo statu talis Dei prouidentia debebatur: semperque parata esset ad remouendam omnem passionem perfectioni, & tranquillitati illius status contrariam. Neq; puerilis ætas esset capax iustitiæ originalis cum maiori, magnaq; extrinseca perfectione. Postquam autem homines ad vsum rationis peruenirent, nunquam quidem sentirent motus fomitis, tamen in principio id proueniret ex adiutorio speciali Dei, vel remouentis contraria obiecta, vel excitantis rationem, vt vigilaret: & voluntatem, vt quātum posset appetitum contineret. In illo autem initio deesset illa peculiaris facilitas, & perfectio, quæ ex habitibus acquisitis prouenire solet. Vnde in illo etiam initio non haberent homines perfectā prudentiam habitualem acquisitam. Possent tamen ex optima educatione, & instructione habere veluti quandam inchoationem eius, ratione cuius cum peculiari adiutorio Dei in primo vsu rationis actualem (vt sic dicam) prudentiam exercerent, & deinceps facile acquirerent habitualem: & singulis ætatib. proportionatam semp haberent. Ideoq; si quis esset pro aliquo tēpore defectus perfectionis, ille esset negatiuus, non tamen priuatiuus: qa illi ætati non plus deberetur, & paulatim illa pfectio magna facilitate acquireretur. Vnde q; supra diximus, iustitiam originalem collectionē horū habituum includere: de iustitia in suo perfecto statu existente intelligendum est, queni statum habuit in Adamo à principio propter peculiares rationes in illo inuentas, vt iam explicatum est.

Collectio resolutio ad obiectionem.

CAPVT IX.

Vtrùm in statu innocentiæ omnes homines in gratia confirmati nascerentur, & consequenter an omnes posteri Adami essent prædestinati, solíq; electi ex illo nascerentur.

1 PRima sententia affirmat Adamum, si non peccaret, sed primam tentationem vinceret, fuisse in gratia confirmandum, non solū in persona sua, sed etiam in tota posteritate, ac subinde non nisi sanctos, & cum perfecta, & integra innocētia saluandos: ac denique solos prædestinatos, & electos ex illo fuisse nasciturōs. Ita videtur sensisse Anselm.

S. Anselm. de conc. virg. & orig. peccat. c. 3.

selm.lib.1. Cur Deus homo, cap.18.post medium. *Videt enim* (inquit) *quod si vicissent, ita confirmarentur cum tota propagine sua, quod vltra peccare non possent.* Quod suadet hac ratione. *Quia nemo ducet, plus valere iniustitiam ad alligandum in seruitutem hominē in prima persuasione sibi consentientem, quam valeat iustitia ad consummandum in libertate sibi in eadem tentatione adhærentem.* Sed per primam iniustitię persuasionem tota natura victa est: ergo per primam victoriam tota etiam natura vicisset, & in libertatem perfectam vindicaretur: eiusdemque sententiæ videtur fuisse Greg. l. 4. Moral. c. 36. alias 28. in fin. vbi ait, quod *si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, neque quam ex se filios gehennæ generaret, sed soli electi ab illo nascerentur.*

Ex Scholasticis Scot. 2. distinct. 20. sequitur sententiam Anselmi, limitando illam, nimirum, quod filij Adæ innocentis, non statim in principio nascerentur confirmati, sed vincendo postea primā tentationem, confirmarētur: sicut primus parens confirmatus esset, quia non fuissent filij melioris conditionis, quam pater. Vlterius vero in quęst. 2. in sententiam Gregorij inclinat, quoad eam partem: quod in statu innocentiæ, si Adam non peccaret, soli electi nascerentur. Additque illos fuisse futuros eosdem numero homines, qui nunc prædestinati sunt, & non plures, neq; pauciores. Nam hoc etiam Gregorij verba sonant. Addit etiam rationem: quia prædestinatio electorum facta est ante præuisum originale peccatum, & ante præuisas generationes omnium futurorum hominum: ergo rata permansisset, etiamsi Adam non peccasset: quia prædestinatio immutabilis est. Antecedens probat ex illo principio, quod *ordinate volens prius vult ea, quæ vltimo fini immediatius coniuncta sunt:* & ideo Deus volens primario vult seipsum, proximè prædestinatorum gloriam, & gratiam. Cum Scoto in omnibus consentit Gabr. ibi art. 1. solum dubitat, an perseuerante statu innocentiæ ijdem homines fuissent prædestinati, qui nunc sunt. Maior etiam ibi in dub. vlt. post principalem quęstionem, in eodem puncto à Scoto discrepat: in alijs vero sententiam Anselmi approbat Bassol. autem ibi artic. 3. & 4. Scotum omnino sequitur. Et consentit Perer. lib. 4. in Gen. quæst. de procre. mulieris. circa illa verba: *Non est bonum hominem esse solum*: quatenus ait, in eo statu tantum electos homines fuisse generandos.

Contrariam sententiam sicut communiorem, ita & probabiliorem censeo. Vt autem illam explicem, & confirmem, aduerto duas hic misceri quæstiones. Vna est, an omnes geniti ex Adamo innocente à principio reciperent donum perseuerantiæ in gratia, seu confirmationem in illa: nam in præsenti inter hæc non distinguimus. Alia est, an omnes saluarentur, seu essent electi, & prædestinati. Hæ namque quæstiones in rigore distinctæ sunt, quia illa duo inter se conuertibilia non sunt. Nam licet omnis confirmatus in gratia pro toto tempore vitæ sit prædestinatus: non tamen è conuerso omnis prædestinatus est etiam confirmatus vt per se constat. Nihilominus tamen in præsenti materia illa duo tanquam conuertibilia reputantur. Et qui putant omnes homines propagandos ab Adamo perseuerante in innocentia, futuros fuisse prædestinatos: consequenter asserunt, etiam fuisse futuros perpetuo innocentes. Quia si gratiā possent aliquādo amittere, nullum relinqueretur fundamentum ad dicendum, nō obstante peccato fuisse infallibiliter omnes saluādos. Vnde enim constare posset omnes fuisse condignam pœnitentiam acturos: & post illam fuisse pro aliquo tempore vsq; ad finem vitæ in gratia perseueraturos. Nulla enim maior ratio est ad hoc asserendum generaliter de omnibus pro aliqua temporis parte, quam de toto tempore vitæ. Et ideo tota quæstio versatur de dono perseuerantiæ totius vitæ cum impossibilitate quadam peccandi. Dico ergo primo, etiamsi Adam non peccasset, posseri eius geniti in gratia, & iustitia peccare possent, & gratiam amittere. Hæc est sententia D. Tho. 1. p. q. 100. art. 2. & quodl. 5. n. 8. & in 2. d. 20. q 2. art. 3. ad 5. vbi idem tenet Durand. q. 5. n. 9. Indicat Ægid. q. 2. a. 4. 5. aduertendum, & in solut. ad 2. & Richard. ibi a. 2. q. 3. dicit, quod filij Adæ innocentis possent peccare, & non peccare: sed addit, quod fortasse nullus peccaret: sed in hoc vltimo diuinat, vt dicemus. Eandem sententiam sequuntur Caiet. & moderni ad 1. p. D. Thomæ, suprà: Zumel. Molin. & Valent. qui omnes illam ex Augustino sumunt lib. 4. de Ciuit. c. 10. quatenus sub conditione dicit futuros fuisse homines felices in illo statu: *Si nec primi homines malum, quod in posteros traiecerunt: nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet.* Vbi satis indicat, tam possibile hoc posterius fuisse, sicut fuit prius. Vnde statim subdit, securitatem non peccandi solum in statu gloriæ esse potuisse. Et simili modo loquitur l. 1. Retract. cap. 13. ad fin. & l. 9. Genes. ad lit. c. 3. dicens, omnes in vitam beatam sine modo transferendos fuisse: *si iustè omnes, obedienterq; viuerent.* Vnde Hugo de S. Vict. l. 1. de Sacr. p. 6. ca. 24. in eodem sensu dixit: si Adam non peccasset, filios eius in iustitia esse nasciturōs, sed non perfecta, donec vsque in finem seruarent illam.

Ratione probat veritatem hanc D. Thomas. Quia homo viator ab intrinseco est mutabilis ad peccandum, sed filij Adæ in illo statu nascerentur viatores: ergo ex vi status possent peccare, & gratiam amittere. Maior certa est, quia omnis creata voluntas in persona creata, est mutabilis de se ad peccandum: nec potest ab intrinseco confirmari in bono, nisi per visionem claram Dei, vt supra de Angelis ostensum est. Minor etiam est certa: quia primi homines non sunt creati videntes Deum, imo nec in corpore animali illum videre possent, licet non peccarent, vt per se notum est. Circa cōsequentiam vero dubitari potest, quia solum potest inde concludi, filios Adæ non fuisse futuros impeccabiles ab intrinseco: quod etiam authores prioris sententiæ fatentur. Sed affirmant nihilominus fuisse confirmandos per speciale donum gratiæ extrinsecus à Deo collatum, sicut supra diximus, in eodem innocentiæ statu omnes fuisse ab omni peccato veniali præseruādos: quādiu mortaliter non peccarent. Vel sicut Apostoli in gratia confirmati sunt in die Pentecostes. Vel saltem sicut multis iustificatis in infantia datur etiam nunc perseuerantiæ donum vsque ad mortem, siue fit diuersum à confirmatione, siue non: quia in hoc non est nunc controuersia. Et ita prioris sententię authores facile concedent, in illo statu homines futuros fuisse potentes peccare, nisi eis concedatur ex dono Dei infallibiliter fuisse perseueraturos ac proinde in sensu composito talis doni, non potuisse peccare.

Sed hanc euasionem tacite exclusit D. Thomas dicens, hoc donum confirmationis esse priuilegium speciale ex Dei voluntate pendens. Hoc enim non solum de lapsa natura, sed etiam de integra verum est. Nam licet homo in natura integra posset per communia gratiæ auxilia diu in gratia perseuerare: nihilominus donum infallibiliter perseuerandi specialissimum esset, & non debitum illi statui, sed ex libero Dei dono pendens: ergo ex vi illius status originalis iustitiæ colligi, aut affirmari non potest, quod illo perseuerante, omnibus daretur perseuerantiæ donum, seu confirmatio in gratia, & innocentia. Et in hoc sensu accipiendum est, quod D. Thomas supra dicit: *non videri possibile,*

1. *Assertio contra sententiam Anselmi in n. 1.*

Probatur ex August. & Hugone.

4 *Probatur deinde ex ratione D. Thom.*

Euasio.

5 *Excluditur*

Exponitur D. Thom.

quod pueri in statu innocentiæ nascerentur in iustitia confirmati. Loquitur enim de possibili secundum ordinariam potestatem, & communem legem, vt paulo post explicat. Meritoque supponit, de illo statu iudicandum esse secundum communem legem illi consenteneam, & quasi connaturalem: nam specialia priuilegia non sunt omnibus communia. Nec possunt cum fundamento affirmari, nisi vel ex aliquo effectu iam cognito, vel ex speciali promissione Dei. In præsenti autem nullum est testimonium, vel authoritas, ex qua de tali promissione constet. Neque aliud eius indicium, quin potius ex his, quæ in Adamo, & Eua contigerunt, euidens est, statui innocentiæ, vt sic, non esse debitum, nec consequens donum impeccabilitatis, etiam illo modo, quo per confirmationem in gratia interdum datur. Et inde vlterius infertur, non fuisse dandum omnibus: tum quia non est promissum, tum etiam, quia non est verisimile, maiora dona gratiæ fuisse danda toti posteritati, quam primis parentibus data fuerint.

6 *2 Assertio contra Scotum in n. 1.*

Secundò addendum est, quod statu innocentiæ durante homines ex lege communi non acciperẽt confirmationem in gratia post victoriam alicuius primæ tentationis: imo nec in toto tempore vitæ, sed in termino eius. Hanc etiam assertionem intendit D. Thomas. Et probatur, quia ipse Adam, licet vicisset tentationem serpentis, non statim mansisset in gratia confirmatus, sed posset peccare quandiu viueret in animali corpore. Ergo idem cum proportione de filijs dicendum est. Consequentia probata iam est: quia nec authoritate ostendi potest, nec per se est verisimile, maiora dona gratiæ fuisse promissa posteris Adæ primam tẽtationem vincentibus, quam ipsi Adę. Quod etiam Scotus, & alij supponunt. Antecedens ergo probatur, quia talis confirmatio, etiam post primam victoriam non sequeretur ab intrinseco ex vi illius actus deliberati, quo voluntas adhæreret Deo, eiusque obedientiam eligeret, quia voluntas hominis etiam in statu innocentiæ mutabilis esset ex natura sua, etiam post primum actum plene deliberatum, vt à fortiori constat ex his, quæ de Angelis supra diximus. Quia de voluntate humana multo certius est habere hanc mutabilitatem connaturalem, quam gratia, vel iustitia originalis non auferebant, vt iam dictum est. Nec etiam illa confirmatio daretur ab intrinseco, quasi præmiũ illius primæ victoriæ, quia neque hoc præmium ex natura rei est debitum, nec ostendi potest, in eo statu fuisse promissum Adæ, aut Euæ: vbi enim talis promissio ostendi potest?

Probatur.

7 *Confirmatur 1. à simile.*

Quocirca, sicut nunc non potest iustus mereri de condigno confirmationem in gratia, seu infallibile perseuerantiæ donum, non solum per vnius tentationis victoriam, sed etiam per quotcunque merita: ita nec in statu innocentiæ id posset, quia ex natura rei eadem est ratio: & de alio genere præuidentiæ, vel promissionis diuinæ pro statu innocentiæ nihil cum fundamento affirmari potest. Si autem Adam sibi hoc donum promereri non potuit, multo minus suis posteris illud meruit. Et eadem ratione, nec vnusquisque filiorum Adæ, illud sibi mereri potuisset. Neque etiam dici potest, saltem de congruo potuisse illud mereri. Tum quia meritum de congruo non sufficit ad infallibilem consecutionem, nisi ostendatur promissio, quæ in præsenti non inuenitur. Tum etiam, quia nunc non datur omnibus hominibus hoc donum non obstante infinito merito Christi. Cur ergo credendum est fuisse dandum, vel omnibus propter vnum actum Adami vincendi primam tentationem: vel vnicuique propter primam victoriam similem? Tandem cõfirmari hoc potest verbis illis Dei, *In quacunq; die comederis, &c.* Genes. 2. Nã illis significatur, non tantum statim in prima tentatione, sed postea quocunque tempore potuisse hominem ex cibo vetito comedere, & peccare, ac subinde potuisse prius tentationem vincere: & postea ab alia simili, vel maiori superari. Nam hoc plane in illa generali comminatione, *In quacunque die*, &c. indicatum est.

Confirm. 2. ex verbis Gen. 2.

Ad Anselmum ergo respondet D. Thomas, non omnino asserendo, sed dubitãdo, locutum fuisse. Nihilominus tamen negari non potest, quin in eã partem inclinauerit. Sed ratio ei⁹, (vt idem D. Th. notauit) non cogit. Solum enim concludit, quod sicut natura humana per primam inobedientiam primi hominis in seruitutem redacta est, ita per obedientiam in libertate & iustitia conseruaretur. Veruntamen sicut per culpam Adæ non ita sumus oẽs in captiuitatem redacti, vt non possimus per libertatẽ arbitrij in libertatem vindicari: ita etiã licet per Adæ obedientiã originalem iustitiã quasi hæreditario iure haberemus, nihilominus illã per liberum arbitrium amittere possemus. Est tamen differentia quod iustitiam semel amissam solis viribus liberi arbitrij, nisi nos Deus sua gratia præueniat, & adiuuet, recupare non possumus: iustitiam autem obedientiæ deriuatam, modo superi⁹ declarato, de nostro, & solo libero arbitrio amittere possemus. Hoc a. non est, quia fortior sit culpa ad inducendam seruitutem, quam obedientia ad iustitiam, & libertatem conseruandam: sed ex infirmitate, & fragilitate nostrę naturę prouenit. Est n. potentior de se ad malum, quam ad bonum, & facilius à Deo, quã à creatura auertitur: quia difficilius ad Deum, quam ad creaturam cõuertitur. Vnde fit etiam, vt vna inobedientia momentanea (vt sic dicam) totam naturam ita deiecerit, vt à lapsu per se solam resurgere non posset, absq; gratia: vna autem obedientia non esset sufficiens ad conseruandam iustitiam pro tota natura: ita vt postea per eiusdem præcepti transgressionem amitti non posset. Reddiq; potest ratio, tum quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocunq; defectu, ideoque ad destruendam iustitiam sufficit semel peccare: ad conseruandam autem iustitiam non satis est semel obedire, sed etiam in obedientia perseuerare. Tum etiam, quia potentior est homo de se ad cadendum, quam ad resurgendum, vel in bono perseuerandum: & ideo post custoditum semel præceptum, potuit facile sequi culpa sufficiẽs ad maculandam totam naturam: post primam autem inobedientiam non potuit amplius primus parens totam naturam in pristinum statum restituere: de quo latius in tom. de Incar. in princ.

Ad hoc. 8 *rationem n. 1.*

9 *ad Gregor. eadem n. 1. respondet D. Thom.*

Ad Gregorium etiam respondet D. Thom. solum voluisse docere, quod si Adam non peccaret, non generaret filios gehennæ, id est, peccatores, & dignos gehenna, sicut modo illos generat: nihilominus tamen non negare Gregorium, quin ipsi filij Adæ etiam iusti geniti possent postea per propria peccata filij gehennæ fieri. Quæ responsio satisfaceret, si Gregorius tantum diceret, *Nunquam ex se filios gehennæ generaret*: ac non ibi sistit, sed adiungit, *Sed hi, qui nunc per redemptionem saluandi sunt, soli ab illo electi nascerentur.* Propter quod addit D. Thom. d. q. 100. a. 2. ad 1. quod si forte, durante statu innocentiæ, homines nõ peccarẽt, non id esset, *quia essent in iustitia confirmati, sed propter diuinam prouidentiam, per quam à peccato conseruarentur immunes.* Sed hoc non satisfacit, quia (vt diximus) hic non est contentio de propria confirmatione ab intrinseco: nec de modo præseruationis à peccato, sed absolutè: an ex certa lege omnes præseruarentur à peccato, seu damnatione. Quod si Gregorius asserere voluit, ex speciali dono Dei, quodcunque illud fit, omnes fuisse in perpetua iustitia conseruandos, plane contra nostram

Instatur. 1. distinguitur. Obtenditur ex D. Thom.

Instatur.

sententiam

sententiam docuit. Vnde D. Thom. d. quodlib. a. 8. aliter respondet, videlicet, quod Gregorius cum dicit, *soli electi nascerentur*, non intelligit absolute, *sed quantum est ex ratione originis*. Obstant vero sequentia verba Gregorij, *Soli ab illo electi nascerentur, eosdem electos aspiciat* (vtique vir sanctus) *atque cum eis quomodo quiescere potuisset, intendat*. Quibus posterioribus verbis aperte declarat, in prioribus se loqui de electis, non solum quantum est ex vi originis, quomodo omnes baptizati dici possunt electi quantum est ex vi Baptismi, & omnes fideles solent vocari electi, vtique ad fidem: sed loqui de electis simpliciter, vt cum effectu saluētur, seu gloriam consequantur. Nam ad hos electos aspicere debemus, vt cum illis quiescere optemus.

10. In Pa. Et ideo dixerunt alij significasse Gregorium illis verbis: si neque Adam, neque posteritas eius peccasset, futurum esse, vt tales electi tantummodo nascerentur, quales nunc per Christum saluantur. Ita Valent. & tribuit D. Thomæ in d. quodlib. At D. Thomas nihil aliud, præter id, quod retuli, dicit. Neque Gregor. ponit illam conditionalem, *si neque Adam, nec posteritas eius*, peccaret: sed tantum dicit: *Si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet soli electi ab eo nascerentur*. Quare probabile censeo, quod Molina etiam dixit, Gregorium in ea fuisse sententia, vt crederet, Adamo non peccante omnes eius filios saluos futuros fuisse. Quod potuit quidem facere Deus. Vnde autem sciri possit, ita fuisse futurum, ignoramus. Eademque ratio, vel maior est, vt dixi, de immunitate ab omni peccato: ideoque solum dicimus, ex vi illius status potuisse filios Adæ peccare, quamuis posset Deus, quos vellet, ab omni peccato præseruare.

CAPVT X.

Dubia nonnulla circa doctrinam superioris capitis expediuntur.

1 Difficultas. PRæcipua difficultas circa superiorem resolutionem est, quia posito lapsu aliquorum hominum, videtur difficile ad explicandum, quomodo illis fuisset prouidendum, tam in ordine ad Deum, quam in ordine ad cæteros homines innocentes. Nam in primis sequitur, eos, qui peccarunt, amissuros fuisse originalem iustitiam simul cum gratia: ergo fierent mortales: ergo eijciendi essent extra Paradisum. Hinc autem aliæ perplexitates orirentur. Quid enim, si maritus peccaret, & non vxor: vel mater habens filium innocētem, & infantem, nunquid filius eijciendus esset cum matre, vel ab illa esset separandus? Vtrumque enim incommodum est. Deinde sequeretur, statum peccati, aut gratiæ notum fuisse futurum & ipsis peccantibus, & alijs, quia status originalis iustitię per effectus, & signa facile innotescere posset. Consequens autem inconueniens videtur, quia possent peccata esse merè interna, quæ non expedit omnibus esse nota: & similiter non expediebat, vt semel peccans, postea de sua pœnitentia, & peccatorum remissione statim certus fieret.

In hoc dubio, si vera esset sententia dicentium illo in statu amitti potuisse gratiam, non amissa originali iustitia, consequenter dici posset, perseuerante Adamo in Dei obedientia, filios eius, qui peccarent, amissuros fuisse gratiam: non vero originalem iustitiam. Quod tribui potest Catherino: nam in opusc. de peccat. Orig. disput. 4. in fin. dicit, quod licet Eua peccasset, & gratiam amisisset, non priuaretur originali iustitia, si Adamus non peccasset. Ergo à fortiori idem dicturus fuisset de filijs Adæ, si patre non peccante, ipsi peccarent: imo fortasse idem diceret de Adamo, si seruaret præceptum non comedēdi de ligno sciētiæ, & cōtra alia peccaret. Potestque hoc suaderi, quia donum iustitiæ erat in eo statu naturale, sed dona naturalia non amitterentur per peccatum: ergo nec donum iustitiæ per quodlibet peccatum amitteretur: sed solum propter peccatum totius naturæ iuxta cōminationem Dei. Vnde supponendo hanc sententiam dicendum esset, homines non fuisse morituros, etiamsi peccarent, & consequenter nec fuisse extra Paradisum emittendos. Et ita cessarent aliæ dubitationes, quæ ex contraria positione inferebantur.

Sed illa sententia supponit falsum fundamentum. In superioribus enim demonstratum est, iustitiam originalem nunquam permanere sine gratia, & oppositum diuinę institutioni repugnare. Deinde illo fundamento permisso, alia maiora incommoda oriuntur. Nam incredibile est, homines rebelles Deo per peccatum, habituros fuisse corpora impassibilia, & immortalia, & appetitum inferiorem plene subiectum superiori: & similia priuilegia, quæ originalis iustitia secum afferebat. Deinde, vel homines semel peccantes in illo statu agere possent pœnitentiam, vel non? Si non possent, consequenter non possent in gratiam redire: quod miserrimum esset. Si autem eam agere possent: quomodo permanente iustitia originali possent pro peccatis satisfacere: cum donum illud ab omni pœna, & dolore hominem præseruaret. Item si homo poterat in illo statu peccare, posset etiam sæpius id facere, & consuetudine peccandi prauos habitus acquirere: talis autem dispositio repugnat cum rectitudine iustitiæ originalis. Denique licet iustitia originalis ex ea parte, qua perficiebat, & quasi integrabat naturam intra suum ordinem, dicatur quodammodo naturale donum: nihilominus simpliciter non erat naturæ debita, nec dabatur, nisi gratis, & in ordine ad perfectionem gratiæ: ergo non erat magis inamissibilis per peccatum, quam ipsa gratia.

3 *Dictarefutatio reiicitur multipliciter.*

Dicendum ergo est; si Adamus non peccasset, posteros eius non magis fuisse nascituros confirmatos in iustitia originali, quam in gratia: ac proinde, si peccarent, vt reuera potuissent, vtramque amissuros fuisse. Quomodo autem Deus tunc prouidisset hominibus peccantibus, tam quoad salutem animæ, & felicitatis consecutionem, quam quoad reliquum tempus status viæ, incertum nobis est. Priorem partem probant ea, quæ hactenus adduximus. Quia vero aliud est loqui de potestate aliud de facto, solum possumus certo affirmare, ex parte status, & donorum gratiæ, & iustitiæ, quæ in illo data sunt pro tota posteritate, potuisse homines gratiam, & consequenter etiam iustitiam peccando amittere: & non fuisse vnam sine alia amissuros propter connexionem earum inter se. Quod vero de facto Deus permitteret aliquos peccare, sicut non possumus absolute negare, ita neque cū certitudine affirmare possumus. Quia posset facile Deus nullum aliud peccatum in toto genere humano permittere, si primus homo primam peccati occasionem vicisset, & dare omnibus hominibus auxilium efficax ad vitanda omnia, & singula peccata etiamsi tale auxilium non esset debitum, nec promissum pro tali statu, sed solum ex libera prouidentia datum, sicut supra diximus, & insinuauit D. Thomas 1. p. q. 100. articul. 2. ad 1. in responsione prima ad testimonium Gregorij. Nec est reuelatum, vel aliter certum non fuisse id facturum Deum: si autem id fecisset, cessassent difficultates, & perplexitates, quæ in illo statu oriri viderentur, si aliqui homines in eo peccarent. Et hæc videtur esse potissima coniectura vt credibile fiat Deum ita fuisse prouisurum in illo statu hominibus, vt in eo nemo peccaret, licet posset.

4 *Verior resolutio bipartita.* *Prior pars tractatur.* *Perplexitates allatæ.* *1. coniectura videntur fatere quod tunc non peccarētur.*

Nihilominus tamen hæc sola coniectura insufficiens est, vt definite asserere possimus, Deum

5 *Est tamen*

inefficax coniectura, & plures sunt in contrarium.

fuisse prædestinatorum omnes homines vel ad gloriam, vel etiam ad perpetuam innocentiam pro statu viæ, si præuidisset, Adamum non fuisse peccaturum. Imo oppositum fit credibilius maioribus coniecturis. *Primo*, quia in omni statu fuit conueniens, gratiam Dei, eiusque liberalem donationem in hominibus manifestari: sed hoc maximè fit per gratuitam electionem quorundam præ alijs, & per efficaciam vocationis in illis, & nō in istis: ergo hoc genus prouidentiæ seruaret Deus cum hominibus, etiamsi Adam non peccasset. *Secundo*, quia hoc modo etiam ostenditur maxima libertas humani arbitrij, eiusque ab auxilijs gratiæ dependentia. *Tertio*, quia per eundem prouidentiæ modum non solum gratia, sed etiam iustitia Dei, non distributiua tantum, verum etiam vindicatiua declaratur. *Quarto*, quia propter has rationes non prædestinauit Deus omnes Angelos, nec etiam duobus primis hominibus donum perseuerantiæ in prima innocentia dedit: ergo, quantum coniecturis assequi possumus, idem cum hominibus faceret, etiam si primus homo Dei mandatum non violasset.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

6 *Satisfit difficultati in dum. 1. explicatur que per varias quæstiun cvlas.*

Denique non obstat ratio, quę ex difficultatibus propositis desumitur: quia quod apud homines difficile apparet, posset Deus facile componere, & conuenientem prouidentiæ modum pro illis occasionibus ordinare. Quod declaratur à simili: nam si Eua peccante, Adam illi nō cōsensisset, nec peccaret, etiam est nobis explicatu difficile quid agendum esset, id est, an Eua ejcienda esset de Paradiso, & tunc, an creanda esset alia mulier, ex qua homines innocentes in Paradiso nascerentur. Vel si Eua, non obstante peccato, intra Paradisum propter coniugium cum Adamo relinqueretur, an ibi posset pœnitentiam agere, & pœnam aliquam saltem voluntariè assumere. Et ad hunc modum ex simili hypothesi possunt varia dubia excitari, propter quæ vitanda, recurrendum non est ad negationem hypothesis: quasi non potuerit Deus, non peccante Adamo in alijs hominibus peccata permittere: & nihilominus modum conuenientem prouidere, quo possent homines in tali statu, & euentu gubernari. Quod per breues interrogationes facile explicatur.

7 *Pro posteriori parte resolutionis in num. 4. posite, quæstiuncula prima.*

Prima est, an peccans in illo statu posset ad gratiam redire, & veniam peccati consequi, vel statim reprobus fieret? Ad quam dicendum omnino videtur, potuisse tunc etiam peccatores in gratiam redire. Probatur, quia non statim transferrentur viui ex hac vita in infernum, & quandiu in hac vita existerent, haberent liberum arbitrium de se flexibile ad bonum: ergo possent in gratiam Dei redire. Maior probatur, quia status vię haberet tunc ex Dei ordinatione certam durationem, quæ non finiretur propter superueniens peccatum. Item, qui semel, aut iterum bene operaretur, non statim transferretur ad gloriam communi lege: ergo seruata proportione, qui semel peccaret, non statim damnaretur, vel extra statum viæ constitueretur. Minor etiam nota est, & à fortiori ostendi potest ex suprà dictis, de natura angelica. Nam inter illam, & humanam discrimen communiter constituitur, quod angelica natura est quodammodo inflexibilis in electione semel facta: humana vero facile post electionem mutare: quæ differentia cum in naturali proprietate fundetur, etiam in natura humana in statu innocentiæ spectata locum habet. Et nihilominus diximus, inflexibilitatem illam naturæ angelicæ, non rigorosè, sed morali quodam modo esse accipiendam: ergo homo in statu naturę integræ non solum physicè, sed etiam moraliter conuertibilis esset ad bonum, ac subinde ex parte sua capax esset pœnitentię, & remissionis peccati. Præsertim, quia per peccatum ab illa integritate, & perfectione naturæ caderet, atque ita suum errorem, & fragilitatem facile posset agnoscere. Vnde probatur tandem prima consequentia. Tum quia Deus in illo statu, & ex communi eius lege homini semel bene operanti non statim daret perseuerantiæ donum: ergo nec male operantem statim desereret, & quasi desperatum relinqueret. Tum etiam, quia magis repugnat statui viatoris non posse resurgere, quam non posse cadere. Tum denique, quia hoc est magis consentaneum diuinæ misericordiæ, bonitati, ac sapientiæ.

Hinc nascitur secunda interrogatio, quæ plures includit, scilicet, quænam remedia instituerentur tunc à Deo in remedium peccati? In qua re vnum videtur certum, scilicet, necessariam fuisse dilectionem Dei ex vera charitate cum detestatione peccati, seu contritione. Nam hæc dispositio quasi connaturalis est ad infusionem gratiæ cum remissione peccati. An vero præter hoc medium internum prouideret Deus aliud externum in illo statu per modum sacramenti, incertum est, vt dixi in 3. tom. 3. part. disputat. 3. sect. 3. in fine. vbi partem negantem probabiliorem duxi. Interrogari etiam potest, an tunc remitterentur peccata per Christum Redemptorem? De qua re videri possunt dicta in primo tomo tertia parte disputat. 5. sect. vltim. Tandem interrogatur, an homines tunc peccantes indigerent externis operibus pœnitentiæ, & satisfactionis pro peccatis? Ad quam interrogationem post resolutionem puncti sequentis commodius respondebimus in numero 12.

1 *Secunda quæstiuncula pars compositiua.*

Tertio ergo interrogari potest: an in eo euentu, recuperata per pœnitentiam gratia, etiam originalis iustitia restitueretur? Pars etenim negans suaderi potest: quia licet iustitia non fuerit vnquam sine gratia, quia in ea fundatur: tamen gratia sine originali iustitia esse potest, quia est perfectio extra naturam gratiæ, & illi superaddita. Et ita videmus restitutam esse Adamo gratiam sine iustitia, sicut & nunc in iustificatione datur. Ergo idem esset in hominibus peccantibus in statu innocentiæ. Probatur consequentia, tum quia eadem ratio militat: tum etiam, quia contritio per se solum disponit ad gratiam, & habitus, qui illam consequuntur, non vero ad originalem iustitiam: ergo non est cur pœnitentibus restitueretur. Vnde confirmatur primo, quia illa iustitia datur gratis, tanquam peculiare donum innocentium, ideo enim dicebatur innocentiæ statum constituere: innocentia autem restitui non poterat: ergo non erat, cur originalis iustitia restitueretur. Tandem confirmatur, quia alias homo pœnitens statim de sua iustificatione certus fieret, quod videtur inconueniens. Et sequela probatur, quia donum iustitiæ originalis tale erat, vt posset experimento cognosci per carentiam fomitis, & alios eius effectus in superioribus numeratos. Sicut Adam, & Eua experti sunt deordinationem suam, quando aperti sunt oculi eorum, & erubescere cœperunt. Ex quo effectu euidenter cognoscere potuerunt peccatum suum, quod quidem in culpa non est inconueniens, quia nos etiam optimè scimus, quando peccamus: secus vero est de gratię certitudine.

2 *Resolutio.*

Confirm. 1.

Confirm. 2.

Pro parte vero affirmante facit primo, quia ordo, & rectitudo originalis iustitiæ esset in illo statu annexa gratiæ per modum proprietatis eius: ergo restitueretur simul cum gratia. Quia per singulorum hominum personalia peccata non fieret mutatio in toto statu innocentiæ, sicut per peccatum Adæ facta est: sed solum particularis persona peccans ab illo statu caderet: ergo non est verisimile nocumentum illud, durante viæ tempore, in

16 *Pars affirmans ostenditur primo.*

illo statu irreparabile fuisse. Et declaratur. Nam si Eua peccante, Adam non peccasset, verisimilius est, potuisse Euã per conuersionem ad Deum, ad pristinum statum iustitiæ, & felicitatis Paradisi redire: quia vix posset aliter coniugium illud, & socialis vita inter Adamum, & Euam cum tanta morum & affectuum dissimilitudine recte subsistere. Ergo idem in cæteris seruaretur. Denique vtrumque possibile fuit, vt est per se notum: & licèt fit incertum, quia ex voluntate Dei pendet, illud tamen de Deo credendum est, quod liberalitati eius, & hominum innocentium conditioni, & iusto desiderio magis esset consentaneum.

Et ita potest facile vtraque pars defendi. Aduerti autem potest, sicut nunc contigit consequi remissionem culpæ, manente aliquo reatu pœnæ temporalis, ita etiam in illo statu, seu tempore accidere potuisse: quia non omnes homines æque feruenter de peccato dolerent, cùm hoc ex libertate pendeat. Si ergo homo integrè iustificaretur à peccato, quoad culpam, totumq; pœnæ reatum, credibile est etiam originalem iustitiam fuisse recuperaturum. Nec referret, quòd illi non restitueretur innocentia, quatenus negat omnem culpã, etiam præteritam. Quia illa iustitia de se non postulabat talem innocentiam licet de facto solùm innocentibus data, & in eis solis inuenta fuerit. Neque etiam esset tunc inconueniens, q̃ peccatores de sua perfecta iustificatione possent aliquãdo esse certi ex effectu recuperatæ iustitiæ, quia hæc certitudo esset illi statui consentanea: vt patet in innocentibus qui nunquam peccarent, quia certò scire possent, se nunquam amisisse iustitiam, & consequenter neque gratiam. Ergo idem posset conferri peccantibus post perfectam remissionem consecutam.

At vero, si remissio culpæ in aliquo fieret sine perfecta remissione reatus pœnæ, pro illo tẽpore verisimilius est, non fuisse originalem iustitiam simul cum gratia restituendã. Quia talis homo adhuc esset pœna dignus: ergo à fortiori esset pœnæ capax secundum præsentem statum. Ergo pro tũc erat incapax doni originalis iustitiæ, q̃ omnem pœnalitatem excludebat. Et iuxta hoc facilè expeditur vltima interrogatio in præcedenti pũcto in fine numeri 8 relicta. Dicendum est enim, potuisse hominem in illo statu peccãtem indigere extremis pœnis satisfactorijs, quandiu pro reatu tẽporalis pœnæ nõ plenè satisfaceret: vel per feruentem cõtritionem plenam illius remissionem consequeretur. Quia cum careret dono iustitiæ, esset in statu pœnali, & consequenter esset capax huiusmodi satisfactionis, quę semper est debita, quandiu peccatum quoad oẽm reatum, nõ est plene remissum.

Quarta interrogatio est, an homines tunc peccantes statim de Paradiso eiecti fuissent: vtrumque enim potuit Deus ordinare: & incertum est, quid faceret. Nunc enim nullum decretum habuit diuina voluntas, quod nobis innotescat, ex quo alterutram partem definire possimus. Quid autem Deus tunc decreuisset, vix potest per coniecturas diuinari. Nam si peccantes statim è Paradiso eijcerentur: frequenter coniux à coniuge, pater à filijs, & filia à matre separari debuisset: quod sine aliqua perturbatione, & incommodo innocentium vix fieri posset. Item talis lex veluti instantis exilij non videtur illi statui necessaria. Nam si intra Paradisum peccata committi poterant, cur non posset etiam contritio de peccatis ibidem exerceri, & aliquæ etiam pœnalitates sustineri: Itẽ possent peccatores ibi manentes ab esu ligni vitæ arceri, & vnam rempublicam cum innocentibus constituere: in qua legibus suo statu proportionatis gubernarentur. Ad hunc ergo modum facilè potest hæc pars defendi. Quòd si contraria lectori placuerit, non deerunt congruentiæ. Quia homo peccando fieret mortalis, cùm iustitiam originalem amitteret: Paradisus autem erat locus cuiusdam immortalitatis (vt sic dicam) ac felicitatis. Homo etiam peccando fieret illo loco indignus, & quasi ad illum ineptus. Quia proprietates loci debent esse accommodatæ conditioni locati. At homo peccator pœnalitatibus, & ærumnis eo ipso subijcitur: locus autẽ ille ab his omnibus imperfectionibus, & incommoditatibus erat immunis. Igitur, qui peccarent fortasse diuina vi, vel ministerio Angelorum, statim extra Paradisum fierent: facta autem perfecta pœnitentia, & iustitia recuperata, ad illum restituerentur. Et ita possent facilè incõmoda insinuata vitari: præterquam quòd facilè esset diuinæ prouidentiæ innumeris modis alijs omnia illa componere: & conuenienter ordinare.

CAPVT XI.

Vtrum in statu innocentiæ, si perseueraret, excellentior esset hominum sanctificatio, quam sit, in statu lapsæ naturæ.

SVppono in primis, triplicem hic fieri posse comparationem: vna est inter primas sanctificationes vtriusque status: alia inter auxilia, & gratiæ, vel charitatis abundantiam, quæ ad merendum essentiale præmium in vtroque statu hominibus daretur: tertia esse potest inter vltimam sanctificationem, quæ in termino viæ per gratiam & gloriam consummabitur. Secundò suppono, totam quæstionem hanc multum pendere ex illa controuersia, an perseuerante innocentiæ statu, Verbum caro fieret, & consequenter, an gratia status innocentiæ esset ex meritis Christi, necne. Nam si non esset ex Christo, verisimile est, non fuisse futuram tam abundantem, sicut nunc est propter Christi dignitatem, & infinita merita: si autem in vtroq; statu omnis hominum gratia esset ex Christo, res magis est dubia. Et hanc partem nos, vt probabiliorem supponimus, iuxta ea, quæ in 1. tom. de Incarnat. tradidimus.

1 *1. Suppositio triplicis cõparationis in sanctitate vtriusque status.*

2 *2. Suppositio de futura incarnatione esse Adã nõ peccante.*

In prima verò comparatione omittimus primam sanctificationem primorum parẽtum, nam illa singularem excellentiam habuit, propter peculiarem dignitatem, & munus illorum, in quo ab ipso Deo, tanquam totius naturæ, & gratiæ principia, creati, & sanctificati sunt. Et ideo de illorum excellentia in superioribus dictum est. Nunc ergo solam primam sanctificationem filiorum Adæ in vtroq; statu comparamus. Potest autem vlteriùs distingui duplex sanctificatio prima. Vna est infãtium, quæ sine illorum dispositione fit: alia adultorum, quæ fit per eorum dispositiones. Vtraque ex his frequens est, & ordinaria in statu naturæ lapsæ: in statu autem innocentiæ sola prior per se loquendo locum haberet. Quia omnes sanctificarẽtur in ipsa conceptione: & ita nullus adultus gratiam primã acciperet: nisi forte post lapsum, quando iam propriè ad statum innocentiæ non pertineret.

2 *Pro 1. comparatione notatio*

Igitur prima quęstio in præsenti est, vtrùm gratia primæ sanctificationis infantium futura esset maior in statu innocentiæ, si duraret, quàm postea fuerit: vtique in intensione, & gradibus qualitatis gratiæ. Nam sub alijs respectibus potest gratia naturæ lapsæ dici maior, quatenus includit remissionem culpæ, & fit ex subiecto magis indigno, & auerso à Deo E. contrario verò gratia innocentiæ excederet: tum in eo, quòd donum iustitiæ originalis haberet concomitans: tum etiam, quia haberet donum innocẽtiæ adiunctum, de quo generalis controuersia est, an sit maior

3 *1. Comparatio ad infãtes vtriusque status reducta expeditur*

Vide tom. 4. de pœnit. diſp. 13 ſect. 3. num. 11.

Dei miſericordia, quàm donum pœnitentiæ? quæ res alibi diſputanda eſt. De ipſa verò gratia ſanctificante quoad propriam intenſionem, & gradus eius, incertiſsima res eſt: quia determinatio ad talem gradum ex ſola Dei voluntate pendet, quæ nobis reuelata non eſt: & vix poſſumus per coniecturas aliquid ſuſpicari. Nam quòd in ſtatu innocentiæ ſanctificatio infantium cum maiori abundantia gratiæ fieret, ſolùm habere videtur cõgruitatem cum excellentia illius ſtatus, & cum dote innocentiæ, ac iuſtitiæ originalis. E contrario verò, quòd poſt naturæ lapſum maior gratia conferatur ad delendum ſolum originale peccatũ, videtur habere congruitatem ex oſtenſione diuinæ miſericordiæ, & ex merito paſsionis Chriſti. Nam licèt in ſtatu innocentiæ danda eſſet illa gratia ex meritis Chriſti: non tamen ex paſsione, vel morte eius. Et ex hac parte videtur ſumi aliqua ratio abundantioris gratiæ in præſenti ſtatu. Et conſonant verba Chriſti Ioan. 10. dicentis, *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.*

Coniectura pro alterutra parte comparationis.

4. Predictus locus non conuincit.

Sed in primis hæc verba parum probant. Quia vel in ipſis nulla fit comparatio, vt Maldon. ſentit: ſed eſt tantum poſitiua aſſertio abundantis gratiæ, quæ in omni ſtatu per Chriſtum danda eſſet. Vel ſi eſt comparatiua locutio, vt verba ſonant, non fit comparatio inter ſtatus innocentiæ, & naturæ lapſæ: nulla enim de hac re ibi facta fuerat mentio: ſed eſt, vel inter ſtatum Eccleſiæ poſt Chriſti aduentum, & ante illum: vel inter ſtatum viæ, & patriæ: vel inter diuerſos ſtatus eorundem hominum iuſtorum, ac viatorum. Nam Chriſtus venit, vt vitam gratiæ haberent, & in illa reſcerent, & abundantius haberent, benè per illam operando. Et ita poſſent illa verba cum eadem proportione ad ſtatum innocentiæ applicari. Reliquæ verò coniecturæ pro vtraque parte debiles ſunt, & ideo rem hanc, vt incertam relinquo. Solùm aduerto, quòd ſicut nunc in lege gratiæ omnes infantes baptizati æqualem gratiam recipiunt, vt probabilior opinio fert: quia datur ſine diſpoſitione recipientium, & ita ex parte illorum non poteſt variari ſacramenti effectus, & aliunde in cæteris cauſis, & in lege Dei ordinaria eſt æqualitas: ita in ſtatu innocentiæ verisimilius eſt, omnes infantes fuiſſe cum æquali gratia concipiendos, ſecundùm ordinariam legem: quia etiam illi iuſtificarentur ſine diſpoſitione propria, quia naturaliter non erant capaces illius, & non ſunt fingenda miracula ſine fundamento: & in reliquis cauſis gratiæ, ac communi lege eſſet æqualitas.

Neque vtrilibet parti coniectura, vnde reſolutio comparationis incerta manet.

Quid tamen certi habeatur in eadẽ cõparatione.

5. Id vero cum limitatione accipiendũ.

Solùm poſſet probabiliter adhiberi limitatio, ſeu diſtinctio cum proportione ad ſtatum naturæ lapſæ, ac diuerſa eius tempora. Nam licèt poſt Chriſti aduentum omnibus infantibus baptizatis æqualis gratia conferatur, nihilominus credimus, illam eſſe maiorem, quam quæ ante aduentum Chriſti per circumciſionem, vel remedium legis naturæ infantibus conferebatur: quia merita Chriſti iam exhibita ex parte ſua videntur magis applicata ad gratiam conferendam. Sic ergo in ſtatu innocentiæ, (in quo ſupponimus venturum fuiſſe Chriſtum, vt iuſtificatorem abſque redemptione) diſtingui poſſunt duo ſimilia tempora: vnum ante incarnationem, & aliud poſt illam: & in hoc poſteriori dandam fuiſſe infantibus abundantiorem gratiam primam, quam in priori, quia ratio ex parte Chriſti deſumpta cum eadem proportione applicari poteſt. Quòd ſi hoc verum eſt, cõparatio fieri debet cum partitione accommoda. Et ſic probabile eſt, gratiam baptiſmalem, quæ nunc datur infantibus, non eſſe minorem quacunque gratia danda infantibus innocentiæ, ſiue ante, ſiue poſt incarnationem Chriſti in illo ſtatu. Quia ex parte recipientium non eſt inæqualitas in diſpoſitione poſitiua: cùm in illis omnibus nulla detur: & licet in hoc ſtatu videantur infantes magis indiſpoſiti ratione culpæ originalis, hoc impedimentum ſuperatur aliunde, ſcilicet, ex paſsione Chriſti: ideoque probabile eſt, non eſſe minorem gratiam, quæ infantibus conferetur in hoc ſtatu, quam fuiſſet in quolibet tempore ſtatus innocentiæ, quantum ex cauſis gratiæ colligere poſſumus. An verò ex ſpeciali priuilegio in aliquibus, vel in omnibus ex lege communi: Deus ſua voluntate aliud ordinaſſet, ipſe ſolus ſcit, & cui voluerit reuelare. Et ſimilia ſunt multa, quæ in hac collatione talium gratiarum, ſecundum illa diuerſa tempora cogitari poſſunt, quæ idcirco prudens omitto.

6. Dubium de adulterum iuſtificatione in ſtatu innocentiæ.

Sed quæret fortaſſe aliquis, quid dicendum eſſet de prima gratia, quæ daretur adulto in ſtatu innocentiæ, Adamo non peccante? Reſpondeo tunc non potuiſſe primam iuſtificationem in adulto locum habere, niſi poſt lapſum perſonalem eius, quia omnes conciperentur in gratia, & cum illa peruenirẽt ad ætatem adultam: ergo non poſſent in adulta ætate iterum primam gratiam recipere, niſi prorem antea perderent. Iam ergo non eſſet illa prima iuſtificatio ſtatus innocentiæ, ſed lapſæ ſaltem in tali perſona: nec fieret abſque perſonali diſpoſitione propria recipientis. Item licèt talis gratia eſſet prima ex parte ſubiecti, quia tunc in eo non ſupponeretur gratia: nihilominus non eſſet purè prima (vt ſic dicam) quia iuxta probabiliorem ſententiam reuiuiſceret tota gratia, quæ priùs amiſſa fuiſſet: ſicut credimus reuiuixiſſe in Adamo, quando pœnitentiam egit. Et ideo ex hac parte magis incertum eſt, quanta futura eſſet illa prima gratia hominis reſurgentis à perſonali peccato in ſtatu naturæ non lapſæ in Adamo, tum quia ignoratur quanta, & quali diſpoſitione reſurgeret; tum etiam quia non minus ignotum eſt, quantam gratiam amiſſam recuperaret. Non poſſumus ergo de illa iuſtificatione peccatoris, niſi per proportionem ad illam, quæ nunc fit, ratiocinari: vnde dicere poſſumus, futuram fuiſſe eiuſdem rationis, & æqualem ſaltem æqualitate proportionis quatenus per ſe iuxta exigentiam diſpoſitionis: ex accidenti verò iuxta proportionem gratiæ priùs amiſſæ, fieret: ſicut nunc etiam fit.

Reſolutio.

7. 2. Comparatio tribus aſſertionibus explicatur à D. Thom. primo.

Secunda comparatio eſt in dignitate, ſeu efficacia operum vtriuſque ſtatus ad merendum maius gratiæ augmentum, maiuſque eſſentiale præmium. Quam tractat D. Thomas 1. p. q. 95. art. 4. Et in ſumma tribus aſſertionibus reſpondet. Prima eſt, *Homines in ſtatu innocentiæ maiorem gratiam, & gloriam eſſentialem per merita conſequerentur, quam in ſtatu naturæ lapſæ.* Ratio eius eſt, quia qualitas meriti in ordine ad eſſentiale præmium ſumitur ex quantitate gratiæ, & charitatis, à qua procedit, ſed in ſtatu innocentiæ copioſior fuiſſet gratia, nullo obſtaculo in natura humana inuento: ergo. Secunda aſſertio eſt: *In ſtatu innocentiæ opera eſſent maioris meriti quoad præmium accidentale, ſi ſecundum abſolutam quantitatem conſiderentur.* Probat, quia in illo ſtatu maiora fuiſſent hominum opera, quia eſſent maioris virtutis. Sed quantitati operis reſpondet accidentale præmium, quod eſt gaudium de bono creato: ergo hoc meritum eſſet maius in ſtatu innocentiæ. Tertia concluſio eſt, *In ſtatu naturæ lapſæ opera ſunt magis meritoria præmii accidentalis ex quantitate proportionali operis.* Probat, quia in hoc ſtatu homines ſunt imbecilliores ad operandam virtutem, & ideo minus opus in illo maioris eſt meriti præmij accidentalis, quàm maius opus eſſet in potentiori.

Secunda aſſertio explicatur à D. Thom.

Tertio.

8. Difficultas.

Hæc doctrina D. Thomæ ſatis difficilis eſt, multa verò attingit ad materiam de merito pertinentia, quæ ab hoc loco aliena ſunt. Ideoque ſolùm de his, quæ ad punctum propoſitum explicandum neceſſa-

Pars illa confirmatur à D. Thom.

necessaria fuerint, dicemus. Alij ergo Scholastici in 2. dist. 29. aliter in hoc puncto sentiunt. Nam Durand. q. 3. dixit, in vtroque statu merita fuisse futura æqualia, quia ad eandem gloriam ordinarentur. Sed mouetur ex leui fundamento, scilicet, quòd homines in vtroque statu ad reparandas Angelorum sedes ordinarentur: & consequenter ad eandem gloriam essent destinati: sed illud fundamentum in eo sensu falsum est, vt diximus lib. 1. de prædest. cap. 12. num. 2. Bonauent. verò art. 3. q. 2. & Gabr. art. 2. existimant, in statu naturæ lapsæ futura esse maiora hominum merita, & essentialia præmia, quod fortasse probabilius est, licèt incertum.

Vt ergo rem declaremus, supponamus priùs, quæ vtriq; statui communia sunt. Primò, in vtroque statu, possent iusti per sua bona opera, seu meritis proprijs in gratia crescere. Hoc extra controuersiam est inter catholicos. Nam de hoc nostro statu res est definita in Concil. Trid. habet autem rationem eandē in statu innocentiæ. Sicut etiam de Angelis diximus. Secundò, in vtroq; statu meritum hoc per opera libera fieret. vnde non inciperet vsque ad ætatem adultam. Prior pars demonstratur in materia de merito, quia opus non liberum non tribuitur operanti tanquam domino eius, & ideo non est meritorium. Et inde probatur secunda pars, quia infantes etiam in statu innocētiæ non haberent vsum rationis, vt suprà dictum est: ac proinde nec libertatem. Tertiò: gratia, & cōsequenter essentialis gloria in vtroq; statu meritoriè augeretur per quodlibet bonum opus morale aliquo modo ordinatum ad supernaturalem finē, siue illud sit elicitum ab ipsa virtute charitatis, siue ab alijs virtutibus. Hoc probatum est latè in materia de merit. l. 12. de grat. c. 8. 9. 10. & in relectione 2. de reuiuiscent. merit. disp. 2. sect. 1. quantū ad præsentem statum spectant. Habet tamen eandem rationem in statu innocentiæ, vt per se notum est. Vnde nullus est author, qui in hoc differentiam constituat inter vtrumque statum, licèt de vtroq; illorum alij aliter sentiant, cum quibus in illis locis disputatum est, vbi etiam hunc locum D. Thomæ exposuimus. His ergo positis comparatio inter opera vtriusque status, innocentiæ, videlicet, & præsentis, fieri potest, vel in perfectione, ac dignitate vniuscuiusque operis ad meritum, considerata differentia talium statuum, vel inter multitudinem, vel magnitudinem operum bonorum vtriusque status.

Dico ergo primò, idem opus, v. g. actus charitatis elicitus in statu innocētiæ neq; ex vi status, neque ex parte grat. aut charitatis fuisset efficacior, ad meritum augmenti gratiæ, vel præmij essentialis, quā sit factus in statu naturæ lapsæ. Probatur, quia duobus modis intelligi potest illa maior efficacitas. Primò, quòd idem opus bonum æquale in obiecto, intensione, & alijs circunstantijs, excepta solùm circunstantia status, factum in statu innocentiæ, esset magis meritorium essentialis præmij, & augmenti gratiæ, quàm sit nunc factum in statu naturæ lapsæ. Alius modus, seu sensus est, quòd opera ipsa bona in statu innocētiæ ex maiori charitate procederent, ideoq; efficaciora essent ad præ dictum meritum. At verò vterque modus non solùm incertus, sed etiā minus probabilis videtur.

De priori probatur: quia differentia inter vtrūque statum integræ, vel lapsæ naturæ, suppositio status gratiæ in personis vtriusque status, non est in his rebus, vel perfectionibus, quæ ad diuinā amicitiam, vel iustitiam coram Deo pertinent: nec per se conferunt ad maiorem, vel minorem bonitatem operum, si in cæteris paria sint: ergo nec potest conferre ad maiorem, vel minorem efficacitatem operis, in ratione meriti, augmenti, gratiæ, vel essentialis præmij. Consequentia videtur nota: quia meritum huiusmodi non augetur, nisi vel ex morali bonitate operis, vel ex dignitate personæ operantis apud Deum: quæ ex gratia, & charitate in personis creatis consurgit. Antecedens autem quoad priorem partē, probatur, quia omnia, quæ addebat status innocentiæ vltra statum gratiæ, pertinebant, ad quandam naturę integritatē, & dona, seu beneficia Dei impedientia quosdam defectus consequentes puram hominis naturam, vt mortem, dolorem, deceptionem, & similes. Hęc autem beneficia per se nō faciunt personam sanctiorem, aut à Deo magis dilectā in ordine ad vitam æternam: si alioqui gratia, & charitas in tali persona maior non est: non erat autem necessariò coniuncta maior sanctitas, seu gratia vel charitas cum perfectione status innocētiæ, vt est per se notum: nam homo lapsus, & habens fomitem peccàti potest esse sanctior, & gratior Deo: quàm homo in statu innocētiæ existens. Ergo posita æqualitate gratiæ sanctificātis in hominibus, vtriusq; status esset equalis dignitas personę, in ordine ad meritū. *Probatur prima pars antecedē.*

12 Quoad alteram verò idem probatur, quia si iustus in natura lapsa eliciat actum amoris Dei, vel proximi æquè intensum, & sub eadem ratione ex parte obiecti, & aliarum circunstantiarum, equalis bonitatis erit in vtroque homine, quia illa integritas naturæ, & bona compositio potentiarum cum alijs priuilegijs illius status, si non redundent in aliquod augmentū boni operis per intensionē, durationem, aut multiplicationē, vel aliquid huiusmodi, nō sunt propriæ circūstantiæ ipsius operis, nec eius bonitatem augent, aut mutant. Ergo ex illo statu, si opus aliàs idem sit, vel equale, non potest augeri meritum, vel eius efficacitas. Quin potiùs in illo casu videtur augeri meritum ex parte status naturæ lapsæ, quia tunc habet locum cōsideratio D. Thomæ, quòd secundùm quantitatem proportionalem plus operatur homo lapsus, quia cum sit debilior, & infirmior ratione corporis mortalis, & fomitis, nihilominus æquale opus facit, vt supponitur. Sed in primis discrimen hoc non semper, vel per se est necessarium, quia interdum potest iustus in natura lapsa actum amoris Dei elicere cum tanta promptitudine, quanta in homine integro esse posset, sine vlla vtique repugnantia corporis, aut fomitis pro breui tempore. Deinde quando differentia illa intercedit, non augetur meritum in homine lapso, nisi quatenus, vel obiectum operis mutatur, & fit laudabilius: quia vel homo vult maiorem difficultatem vincere, vel per occasionem fortiùs, & constantiùs operatur: vel certè, quia in tali occasione homo cum maiori libertate operatur bonum: sicut enim concupiscentia, vel timor minuit libertatem in consensu mali: ita è contrario auget libertatem in bonum, volendo contra cōcupiscentiam, timorem, aut aliam corporis repugnantiam. Et ita non status personæ, sed maior libertas, conducet ad meriti augmentum, vt dixi in lib. 12. de Gratia, c. 3. & tunc illud augmentum non solùm est in ordine ad accidentale præmium, sed etiam ad essentiale, vt *ibidem* dixi. Quanuis autem in statu innocentiæ talis occasio, seu difficultas deesset, nihilominus posset voluntas sibi illam obiectiuè proponere, & cum æquali libertate idem opus amplecti, & exequi. Neque enim beatissima Virgo cum minori libertate, neque ex ea parte, cum minori merito castitatem amabat, quia fomitem non sentiebat, quàm cæteri concupiscentiam patientes. *Probatur 2. pars.*

Non semper opus bonum in natura lapsa est difficilius, quàm in integra.

13 Venio ad alterum modum, quòd opera iustorum in statu innocentiæ essent efficaciora ad meritum, quia ex maiori gratia & charitate procederent: & interrogo, an sit fermo de maiori gratia, & charitate habituali, an de maiori defluxu actuali, *Refellitur ista posterior modus duos complectens sensus,*

Quoad primum sensum impugnatur

actuali, vel virtuali charitatis. Si de habituali tantum, incertum in primis est, an solus excessus in habituali gratia, cæteris paribus, augeat meritum operis. Nos vero illud admittimus. Vnde autem constat in statu innocentiæ, habitualem gratiam futuram fuisse maiorem in singulis iustis: Id planè sciri non potest. Neque satis colligitur ex eo, quòd in natura lapsa plura sunt gratiæ obstacula: nam possunt etiam esse plura, & fortiora remedia, *Nam vbi abundauit delictum superabundauit & gratia.* Quod multo credibilius est, si in statu innocentiæ non daretur gratia ex meritis Christi: quia non interueniente peccato, non esset carnem sumpturus, vt Thomistæ sentiunt. Veruntamen etiamsi tunc venturus esset impassibilis, nunc propter passionem, & mortem eius potuit copiosior gratia dari hominibus. Vel saltem, vt in prima comparatione dixi, loquendo de prima gratia sanctificante, probabile est, non minorem gratiam dari hominibus baptizatis, quàm in prima iustificatione daretur hominibus in statu innocentiæ: ergo in vtroque statu possent homines iusti cum æquali gratia, & charitate habituali sua merita inchoare. Ergo ex hac parte non essent ad meritum efficaciora opera status innocentiæ, per se loquendo, & ex vi status, contingenter autē in vtroque statu accidere posset, vt nunc cum maiori, nunc cum minori gratia homines operarentur.

14 Impugnatur etiam quoad secundū conseruandō actualem influxum ex parte Dei.

Quòd si sermo sit de maiori gratia, quantum ad actualem influxum gratiæ, & charitatis, ille influxus considerari potest, vel ex parte Dei mouentis, & excitantis hominem: vel ex parte hominis cooperantis. Priori modo sine fundamento dicitur copiosiorem futuram fuisse gratiam in statu innocentiæ, quàm in natura lapsa, præcipuè in tempore legis euangelicæ. Nam licèt nunc ex parte nostra sit maior indignitas, ex parte Christi data est nobis efficaciof causa gratiæ. Quia vel in statu innocentiæ merita eius non fuissent, vel saltem non essent per passionem, & mortem illius, propter quem maximè voluit Deus diuitias gratiæ suæ in homines effundere, vt optimè considerat, & ex Scripturis, ac Patribus deducit Perer. in d. lib. 5. disp. de Gratia status innoc. q. vlt. maximè verò id declarat August. lib. de Corrept. & grat. cap. 11. vbi de Adam ait, *habuisse quidem gratiam, sed disparem*, quia non indiguit sanguine Christi, sicut nos indigemus, nec illi necessaria fuit illa gratia, qua nos contra concupiscentias carnis pugnamus. *Proinde* (inquit) *etsi non interim latior nunc, veruntamen potentiori gratia indigemus.* De qua potentiori gratia dicit inferius, dari nobis in secundo Adam: eamque maiorem, & efficaciorem appellat. Vnde etiam dixit Bern. *in serm. signum magnum*, &c. *Prudentissimus, & clementissimus artifex quod quassatum fuerat, non confregit, sed vilius omnino refecit.* Igitur ex parte Dei, & Christi etiam actualis, & mouens gratia vel est copiosior in hoc statu, vel certè non minor.

15 Item considerando illū ex parte hominis cooperantiū.

Denique licèt ex parte hominis sint nunc maiora impedimenta, quæ motionem gratiæ cassam reddere possint, & inde fieri aliquando valeat, vt opera non procedant ex tam efficaci actuali gratia: nihilominus tanta est gratiæ redemptricis efficacitas, vt hæc etiā impedimenta vincat, & superet. Vt enim ait August. supra, *Per hanc gratiam fit, vt homo velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluptatem contrariam concupiscentem, voluntate spiritus vincat.* Ergo ex influxu gratiæ, & charitatis non sunt minus efficacia ad meritum opera iustorum in statu naturæ lapsæ, quàm innocentiæ. Et declaratur. Nam actualis influxus gratiæ datur homini vel medio auxilio præueniente, vel cooperante. Prius ex beneplacito Dei distribuitur, quia non pendet ex libera hominis cooperatione, nec ex præuia dispositione, generatim loquendo, sed in eo sola gratia Dei operatur. Et hoc sine dubio est maius, & efficacius in lapsa natura. Imò iuxta doctrinam Augustini, *in loco citato*, in ipsomet Adamo maius fuit hoc auxilium post peccatū, quàm ante illud. Ex hoc autem auxilio opportuno tempore dato prouenit, vt non obstantibus obstaculis corruptæ naturæ, voluntas etiam cum auxilio concomitantis gratiæ feruenter operetur: ergo corruptio naturæ non impedit, quominus opera iustorum in hoc statu ex æquè magno vel maiori influxu gratiæ procedant: ac subinde sint ad meritum augmenti gratiæ, & essentialis præmij efficaciora, vel saltem non inferiora.

Confirm. 1.

Tandem confirmatur, quia propter Christum datæ sunt plures gratiæ gratis datæ in statu naturæ lapsæ, quàm in statu innocentiæ darentur: ergo etiam auxilia gratiæ gratum facientis possunt esse in hoc statu copiosiora. Antecedens manifestum est, quia aliquæ gratiæ gratis datæ supponunt imperfectionem repugnantem statui innocentiæ, vt gratia sanitatum supponit ægritudinem, restitutio vitæ, aut visus, supponit mortem, vel cæcitatem: donum linguarum supponit earum diuisionem. Hæ igitur gratiæ in illo statu non essent, licèt in hoc dentur. Vnde probatur consequentia ex rationis proportione: nunc enim ideo plures ex illis gratijs dantur, quia hic status pluribus indiget: sed pluribus etiam, & maioribus auxilijs gratiæ sanctificantis indiget: ergo verisimile est per Christi mortem dari. Igitur propter solam status conditionem non possumus dicere efficaciora fuisse futura opera status innocentiæ ad meritum præmij essentialis, quàm sint in lapsa natura, saltē in præcipuo statu eius, qui est in lege gratiæ: comparatio enim inter ea, quæ maxima sunt in vtroque statu fieri debet, vt sine æquiuocatione procedatur. 16 Confirm.

Assertio circa illam comparationem imperfectam.

Secundo assero, statum innocentiæ, licèt exaliqua parte fuerit aptior ad bona merita multiplicanda, vel maiora efficienda, non tamen simpliciter: nam aliunde potest præsens status esse commodior. Vnde euentus consecutus, est ad vtramque partem contingens: quanuis verisimile sit plura merita, non tantum accidentalis præmij, sed etiam essentialis nunc in sanctis hominibus inueniri, quàm in statu innocentiæ multiplicarentur. Declaratur, & probatur assertio per singulas partes. Et in primis in statu innocentiæ multæ conditiones considerari possunt, ex quibus ad multiplicanda merita redderetur aptissimus. Homo enim in Paradiso ab omnibus corporis necessitatibus liber erat, & in eo sine vlla temporalium rerum solicitudine habitare poterat. Ac proinde totus ille viuendi modus esset veluti quidam status vitæ contemplatiuæ, qui ad merita multiplicanda aptissimus est. Præterea non possent homines in illo statu (ipso vtique durante) venialiter peccare, & in eo possent facillimo negotio conseruari, mortalia peccata vitando: ergo moraliter loquendo, quoties in illo statu liberè agerent, mererentur, quia semper benè operarentur, & facillimè possent ex fide, & per gratiæ auxilia semper operari: ergo ex his omnibus aptior fuisset ille status ad meritum, quàm sit præsens. Probatur 1. pars prima. Secundo.

Aliunde verò status naturæ lapsæ, quanuis secluſa gratia Dei ad bene operandum, & meren-dum coram Deo sit ineptissimus: nihilominus adiuncta Christi redemptione & gratia, multo plures habet occasiones exercendi virtutes omnes, & perficiendi actus earum, merita multiplicando. Nam in hoc statu merita fidei magis ampla, magisque ardua, saltem, quoad mysteria humanitatis Christi inuenitur. Et quo natura lapsa ad vitanda peccata, & consequendam salutem minus est idonea, eo magis crescit spes, & plures occasiones occurrunt 18 Probatur 2. pars.

currunt multiplicandi actus eius. Actus etiã charitatis Dei licèt vtrique statui de se cõmunes sint, tamen, quo in hoc statu sunt difficiliores, eo sunt firmiores, & per occasionem, seu antiperistasim, vt sic dicam, fiunt ardentiores, & præterea plures, & magnos habent effectus alijs virtutibus moralibus imperando. Quæ morales virtutes multo excellentiores actus in hoc statu habere possunt: vt fortitudinis in martyrio, pàtientiæ in alijs laboribus, & infirmitatibus sustinendis, misericordiæ, beneficẽtiæ, & similibus. Est etiã hic status aptior ad exercendam, & conseruandam humilitatem, & submissionem ad Deum: & coercendi superbiam, quæ prioris ruinæ initium fuit. Sic igitur, quanuis naturæ corruptio de se impedire, vel minuere merita videatur, nihilominus virtus gratiæ Dei inde occasionem sumpsit merita multiplicandi.

Cùm ergo hi duo status tanquam excedens, & excessum in hoc negotio inter se comparentur, cõtingere profectò posset, vt quidã in vno: quidam verò in altero plura merita multiplicarent. Quid autem eueniret, si status innocentiæ duraret, diuinæ scientiæ reseruatum est: neque nobis est reuelatum. Si autem coniectura vti licèt, duo verisimiliora esse videntur. Vnum est, in statu innocẽtiæ, si duraret, communem, ac vulgarem hominum multitudinem plura, & maiora fuisse habituram merita, quàm ordinariè in hominibus lapsis, cõmuni modo viuentibus inueniantur: sicut è contrario pauciores essent peccatores in statu innocentiæ, quàm nunc sint, vt suprà dictũ est, quia omnes homines communiter minores, & rariores peccandi occasiones, & plures bene operandi haberent. Aliud est, in statu naturę lapsæ magnam iustorum collectionẽ inueniri, quæ in excellentia, multitudine, & varietate meritorum superet totam hominum collectionem in statu innocentiæ futuram si duraret, in hac comparatione nullam de Christo, aut Virgine mentionem facere necesse est: tamen vt per eos ad cæteros descendamus, aduertimus, q; si Christus non fuisset venturus in statu innocentiæ, nullus homo purus posset in meritis illi comparari, vt est per se notum, ob infinitam Christi dignitatem. Et ob eandem, nullus posset merita Virginis attingere: imò licèt denuo, illammet fœminam futuram fuisse in illo statu, si non esset futura mater Dei, tot merita non haberet, quot illi nunc propter dignitatem matris ex peculiari priuilegio fuere concessa. Si verò Christus venturus esset, etiamsi Adam non peccaret, eandem quidem haberet multitudinem, & infinitatem meritorum: nihilominus occasione peccati, & carnis mortalis assumptæ, quodammodo illustriora fecit opera, quæ ex parte ipsorum, & non considerata infinita dignitate operantis, maioris meriti erant capacia. Idemque cum proportione de beatissima Virgine considerari potest, nam licèt eandem quantitatẽ meritorum in vtroq; statu haberet propter excellentiam diuinæ maternitatis, tamen in varietate, & magnitudine actuũ diuersarum virtutum, merita huius status mirabiliora fuisse videntur, propter redemptionis occasionem, & maiorem cum filio conformitatem, vt facilè consideranti patebit.

Hinc ergo de cæteris sanctis, qui propter singularem cum Christo coniunctionem, & cooperationem circa hominum redemptionem, aut propter alias occultas causas diuinæ voluntatis, singularem sanctæ vitæ modum, ac excellentiam acceperunt. Dicimus, in magna illorum multitudine plura, & excellentiora merita inueniri, quàm in toto hominum genere, Adamo non peccante, inuenirentur, vt in Ioanne Baptista, Apostolis, excellentibus Martyribus, multis Confessoribus, ac Virginibus, qui mirabile vitæ genus, & opera virtutum stupenda fecerunt. Hic enim plane videtur esse quasi proprius, & singularis effectus, non tantùm Incarnationis, sed etiam passionis, & redemptionis Christi. Et per hoc etiam commendatur diuina bonitas, & sapientia Dei, quæ non permittit mala, nisi vt occasionem operandi maiora bona inde sumat. Ac denique discursus factus de pluribus occasionibus multiplicandi merita in præsenti statu hoc confirmat.

Quòd autem hic excessus in multiplicatione, & magnitudine meritorum non tantùm sit in ordine ad accidentale præmium, sed etiam quoad substantiale, ex alio principio probandum est: omnium, quòd non tantùm actus à charitate elicìti, sed etiam proprij actus aliarum virtutum per se merentur gratiæ, & gloriæ essentialis augmentũ. Quod in tractatu de gratia lib. 12. cap. 1. latè tractatum est, habetque eandem rationem in statu innocentiæ, & in præsenti, imò etiam in Angelis, idem in superioribus diximus. Ex hoc autem principio sequitur, quòd virtutis opus fuerit in suo genere maius, seu mélius, eo esse magis meritorum præmij essentialis, etiamsi cætera intrinseca paria ex parte gratiæ, vel influxus charitatis. Nam si propria bonitas actus confert ad essentiale meritum, maior bonitas per se, ac, cæteris paribus, magis confert: quia sicut simpliciter ad simpliciter: ita magis ad magis, vt in eodem etiam loco probatum est. Hoc autem èquè procedit in quantitate absoluta, & respectiua operis, dummodo maior moralis bonitas inde consurgat. Quia tunc ratio maioris meriti in maiori bonitate morali operis proximè fundatur: & ideo parum refert, quòd talis bonitatis augmentum ex absoluta, vel respectiua quãtitate oriatur. Nam idem etiam erit, si ex alijs circunstantijs consurgat. Quid autem D. Thomas in d. q. 95. docere voluerit, dicens, quantitati boni operis respondere præmiũ accidẽtale, explicatu difficile est: in d. vero relectione illũ, vt valui declaraui.

Superest tertia comparatio, quę est de termino, seu de toto cumulo omnium meritorum huius vitæ, an scilicet, futurus esset maior in omnibus, & singulis hominibus perseuerantibus in statu innocentiæ, quàm nunc sit, vel è conuerso: vel denique an esset in vtroq; statu æqualis. Quæ interrogatio, & de possibili fieri potest, & de facto, & in priori sensu resoluta est ex præcedenti puncto. Nã dicendum est vtrumq; fuisse possibile, & contingens: quia non obstante conditione status, hoc pẽdet ex vsu libertatis cum gratia Dei. Poterat ergo aliqui homines in statu innocentiæ peruenire per merita ad maiorem gloriam, quàm omnes homines nunc assequantur in natura lapsa. Et è conuerso multi ex hominibus lapsis possent excellere omnes innocentes. Et ita comparando maximum ad maximum in vtroque extremo, seu statu contingens erat excessus. Et quidem spectando ad cõditiones vtriusque status, magis contingens videtur, vt in natura integra ad excellentiorem terminum per merita peruenirẽtur, ex parte verò gratiæ contrarium possibile fuit in natura lapsa, vt satis in superiori puncto declaratum est.

At verò loquendo de facto, res tota pendet ex prædestinatione diuina. Et in primis, si Christus futurus esset, & nasceretur ex matre, quanuis Adam non peccaret, quoad illas duas personas in vtroque statu esset æqualitas. Quia Christus, & non habuit essentialem gloriam per merita, sed ratione suæ personæ, & ideo eandem haberet in vtroque statu. Et quanuis habuisset per merita, hæc in vtroque statu essent æqualia, quia essent infinita. Et eadem ratio cum proportione est de beatissima Virgine. Nam licèt proximè habuerit gloriam per sua merita, tamen radicaliter propter dignitatem matris singulari gratia præuenta est: & ita

21 *Nec solum de excessu præmij accidentalis, sed etiam essentialis positiuè pronunciatè verificatur.*

Ad D. Thomam relatè in num. 7.

22 *3. Comparatio tractatur primo de possibili.*

Eius resolutio.

23 *Deinde de facto quoad Christum, & matrem.*

ita æqualiter fuisset sanctificata, & adiecta. Vnde ad eundem cumulum meritorum, & gloriæ, seu gratiæ cõsummatæ peruenisset. Iuxta positionem autem negãtem Christum fuisse venturũ, Adamo non peccante, consequenter dicendum ꝙ nullius hominis merita in statu innocentiæ, peruenissent ad cumulum meritorum in aliquibus hominibus nunc inuentum: quia in nullo inuenta essent merita infinita, nec etiam vllus ascenderet ad cumulum gratiæ, & meritorum, qui nunc in Virgine inuentus est, quia in dignitate matris Dei radicatur, quæ dignitas tunc non esset, vt suppono.

24 *Item quoad alios iustos.*

De cæteris verò supponere possumus, in vtroque statu futuram fuisse inæqualitatẽ inter ipsos homines iustos, & in bonis meritis vsque ad viæ finem perseuerantes. Quod quidem in præsenti statu de fide certum est: idem verò de statu innocentiæ credendum est: quia licèt omnes posteri Adæ in gratia æquales crearentur, quia illam acciperent sine dispositione libera: & quasi per modũ naturæ: postea vnusquisque suo arbitrio viueret, & ideo inæqualiter possent mereri, & de facto mererentur, quia ea, quæ cõtingenter eueniunt, nunquam vniformiter fiunt. Præterquam quòd Deus in statu innocentiæ sua libera volũtate distribueret auxilia gratiæ suæ: & ideo nõ æqualiter omnibus ea tribueret, quantum credibile est, ne ex aliqua lege, aut debito, & non gratis illa tribuere videretur. Hac ergo stante inæqualitate, consequens est, vt in vtroque statu quidam homines peruenirent ad finem viæ cum magna meritorum multitudine: alij cum minori, & inde, (quantum coniectare possumus) oriretur mutuus excessus inter homines vtriusque status: nam qui in statu innocentiæ, v.g. essent summi, excederent eos, qui nunc sunt inferiores in meritis: & è conuerso insignes sancti, qui nunc aliquando fuere, vel futuri sunt, inferiores sanctos status innocentiæ superarent. Comparando autem supremos inter se, videtur probabile, maiora inueniri merita in aliquibus sanctis in hoc statu, quàm in statu innocẽtiæ futura fuissent, propter abundantiorem gratiam, & maiores occasiones ad insignia opera exercenda: ac denique ad difficultates superandas gratiam efficaciorem.

Conferendo iustiores vnius status cum minus iustis alterius.

Et supremos iustos inter se, ex vtroque statu.

25 *At similiter infimos inter se.*

At verò è contrario comparando eos, qui in vtroque statu minima habuissent merita, certius videtur, aliquos esse nunc inferiores in meritis illis omnibus, qui in statu innocentiæ fuissent. Nam aliqui iusti nunc ad finem viæ sine vllis meritis perueniunt: illi nimirum, qui ante vsum rationis moriuntur: in statu autem innocentiæ nullus à statu viæ sine meritis discederet: quia tunc neque status viæ iustorum morte finiretur, sicut nunc: nec translatio aliquorum fieret ante ætatem adultam, vt credibile est, sicut infrà videbimus. Præterea ex his, qui nunc decedũt in adulta ætate, multi habent paucissima merita: vel quia in puerili ætate decedunt: vel quia propè mortem baptizantur: vel quia licèt diu post Baptismũ viuant, ferè totum vitæ tempus in statu peccati exigunt. In statu autem innocentiæ omnes diuturnum vitæ tẽpus haberent: & in illo semper merita multiplicarent. Quod de perseuerantibus in innocentia intelligẽdum est: nam si qui fortè peccarent, & ante transitum ex vita animali à peccato resurgerẽt, possent fortasse cum paucis meritis viam finire, & cum aliquibus peccatoribus huius temporis comparari. Quanuis ratio prouidentiæ futuræ cum hominibus in illo statu peccantibus, ignota nobis sit, vt in superioribus dixi.

26 *Denique quemquem-*

Denique, si supponamus, eosdem numero homines, qui in statu naturæ lapsæ aliquando sunt, vel omnes, vel eorum aliquos futuros fuisse in statu innocentiæ, de singulis illorum quæri potest, an plura merita habituri essent in vno statu, quàm in alio, & in quo, vel in vtroq; essent æqualia, licèt per diuersa virtutum opera herent. Et quia saltem certum est, Adam, & Euam potuisse statum innocentiæ conseruare, in illis maximè habet locum interrogatio, vtrùm Adam, si non peccasset, plura merita habuisset, quàm nunc habuit postquam ad gratiam rediit: idemq; potest de Eua interrogari, & de cæteris, qui in vtroq; statu futuri, & saluandi essent. In huiusmodi ergo interrogatione duplex consideratio fieri potest: vna est spectando præcisè ad rerum executionem, eiusque circunstantias: alia, & altior est sub diuina electione, & prædestinatione res contemplando. Priori modo licèt res incerta sit, eo ꝙ sit contingens, & pendens à libero arbitrio: nihilominus apparet credibilius, plura merita habiturum fuisse Adam in statu innocentiæ, si nunquam peccasset, quam nunc de facto habuit, propter circunstantias, quas suprà considerauimus, quia operationes eius in illo semper essent bonæ, & aptæ ad meritum, & possent esse frequentiores, quia necessitates corporis illas non impedirent: & feruentiores propter carentiam fomitis, & propter animi tranquillitatem: & ex maiori, seu meliori relatione charitatis, propter maiorem vitæ contemplatiuæ assiduitatem. Alii etiam addunt tempus viæ, & aptum ad merẽdum futurum fuisse diuturnius, quam nunc fuerit, sed hoc incertum est, vt postea dicam.

quæ sectum, posita quod autem esse eo vtroque statu fuisse, Adam, & Eua fuerit.

Idque vel tum ratione.

27 *Vel diuina electione.*

At verò sub diuina electione rem considerãdo, omninò incerta nobis est. Quia si electio hominis facta est post præuisum originale peccatũ per absolutam prescientiam futurorum, nescimus, qualis futura esset, si Deus præsciuisset Adam non fuisse peccaturum: nam tũc etiam potuisset Deus vel ad eundem gradũ gloriæ, & ad sola merita illi termino proportionata Adamum prædestinare: vel etiam posset ad maiorem gloriam & pauciora merita illum præordinare, & tẽpus, modum, & gradum, seu principia promerendi, illi fini accommodare. Facile enim id facere posset, non obstantibus alijs prærogatiuis status innocentiæ, vt per se consideranti patebit. Vel è cõtrario posset in statu naturę lapsæ tot auxilia gratiæ multiplicare, vt oẽs alias status innocentiæ cõmoditates superarent.

28 *Sine tali lapsu futura.*

Itemque ferè procedit, etiamsi dicamus Adam fuisse electum ad certum gradum gloriæ ante prescientiam absolutam originalis peccati. Quia, vt suprà tetigi, saltem supponit illa electio præscientiam conditionatam originalis peccati: & ita faciè posset quis dicere, ꝙ si Deus per illam præsciisset, Adam non fuisse peccaturum, illum ad maiorem gloriam elegisset: quod sane non repugnat: tamen etiam potuisset Deus eligere illum ad tantam gloriam independenter ab omni præscientia futuri peccati, etiam conditionata: quid enim obstat: Et ita ex vi diuinæ electionis incertum relinquitur, in quo statu recepisset Adam tempus, & vires gratiæ ad plura merita multiplicanda. Vnde cùm alia omnia media, & commoditates ad merendum diuinæ prædestinationi subordinata sint, fit, vt simpliciter sit nobis ignotum, quid in prædicto euentu futurum in hac parte esset. Et quod de Adamo dictum est, in cæteris locum habet.

ante præscientiam originalis peccati.

Si non peccasset futura.

29 *Quid discriminis inter vtrum que statum quoad gratiam intercedat.*

Vltimo loco posset hic alia comparatio fieri in gratia, quæ hominibus nunc ex opere operato datur: & gloria, quæ illi correspondet, nimirum, an in statu innocentiæ daretur hic sanctificationis modus: & an in illo statu darentur sacramenta, vel sacrificia: & consequenter qualis futurus esset tunc Ecclesiæ status, quoad regimen, quoad sacerdotium, & similia, de quibus amplissimus posset fieri discursus. Veruntamẽ de rebus nobis nõ reuelatis, ideoq; incertis, vel potius ignotis sufficere visa sunt, quę de illis attigimus in 3. t. 3. part. disp. 3.

præmium essentiale.

& gloria accidentalis.

Quid discriminis inter vtrumque statum.

CAPVT

CAPVT XII.

An statu innocentiæ durante longo tempore homines in illo permanerent: & quomodo ad cælestem gloriam transferrentur.

PRimum omnium supponendum est, in statu innocentiæ, si duraret, hominum viam fuisse certum terminum habituram, sicut in angelis habuit: tum quia de ratione viæ est, vt per illam ad terminum perueniatur, ac subinde, vt non sit perpetua: tum etiam, quia non erant homines semper ambulaturi per fidem, tanquam semper addiscentes: & ad cognitionem claram veritatis nunquam peruenientes. Secundo supponendū est, illam viam non fuisse per mortem finiendam, quia mors in illo statu non fuisset, vt suprà l. 3. c. 14. de fide ostensum est. Hinc ergo tertio concluditur, viam illam per translationem ad statum gloriæ fuisse terminandam. Et ita docent Augustinus & omnes Theologi in locis citandis.

Hinc igitur varia oriuntur dubia de hac translatione, quæ mouere cœpit Aug. l. 9. Gen. ad lit. c. 4. & occasionem nobis tribuit, ea operosius inquirendi. Primum est, quam esset diuturna via hominum in illo statu, id est, quot annis viuerent homines in corpore animali: priusquam spiritale, vel glorioſum reciperent, & ad claram Dei visionem transferrentur. De quo dubio nihil inuenio ex professo scriptum. Benedictus tamen Pereyra, aliud agens lib. 5. in Gen. disp. de secunda excellentia status innocentiæ, q. 5. sic ait, *In illo statu longiorem triplo vel quadruplo vitam degissent homines, quam nunc degimus, vixissent enim, (vt verisimile est) ad tria, vel quatuor annorum millia.* Hanc autem verisimilitudinem nulla authoritate confirmat, sed hac sola coniectura, quia ante diluuium etiam in statu mortali, homines ferè per mille annos viuebât: ergo non interueniente peccato, per plura annorū milliaria vixissent.

Hæc vero coniectura nullam mihi verisimilitudinem facit, quia in hoc statu naturæ lapsæ diuturnitas aut breuitas vitæ, quamuis primario ab illius prouidentia pendeat, *qui vnicuique terminos vitæ constituit, qui præteriri non poterunt*, Iob 14. nihilominus ex eiusdem prouidentia, iuxta vniuscuiusque complexionem, vitæ modum, aliasque occurrentes causas breuior, vel proxilior est vitę periodus: & ita ante diluuiū vita mortalis erat diuturnior, quia natura ipsa erat robustior: & fructus terræ meliores, & salubriores erant, & ob alias similes causas. At vero in statu innocentiæ duratio viæ non poterat ex hominis complexione, vel ex influxu causarum secundarum mensurari, quia quilibet homo tunc perpetuo viueret, si in innocentia perseueraret. Nam licet non omnes æqualis virtutis, vel eiusdem complexionis futuri essent: nihilominus ita fuerant à Deo causæ dispositæ, vt vnius immortalitatis perpetuæ, possent vniuersi homines esse participes. Quapropter non potest certa viæ duratio ex inferioribus causis longa, aut breuis censeri, sed per solam diuinam legem, ac voluntatem præfinienda foret. Vnde cum de tali voluntate, nec reuelationem scriptam habeamus, nec etiam traditionem, quæ per manus sanctorū Patrum ad nos peruenerint, nihil de ea re affirmare possumus, sed absolutè nobis esse ignotum fateri debemus. Atq; ita ingenuè fatetur idem author l. 3. in Gen. disp. de ligno vitæ, in fin. Et priorem sententiam declarat de duratione, quæ tunc ex parte cibi arboris vitæ esse potuisset. At suprà ostendi, illam non esse plurium annorum, sed cuiuscunque temporis sine termino, & ideo neq; in illo sensu opinio locum habet.

Nihilominus tamen aliqua possumus cū probabili coniectura de illo tempore viæ affirmare. Primum est, omnes homines in illo statu peruenturos fuisse ad ætatem adultam: in qua vti ratione, & liberè operari possent. Hoc videntur supponere D. Thomas, & omnes, qui de illo statu loquūtur. Nam D. Th. 1. p. q. 99. a. 2. ad 3. ait, omnes homines in illo statu peruenturos fuisse ad ætatem, in qua filios generarent, quod facere non possent, nisi in ętate adulta. Idemque sentiunt reliqui. Et Scot. in 2. d. 20. q. 2. dicit, omnes filios Adæ in illo statu, priusquam in gratia confirmarentur, fuisse probandos, an saltem primam tentationem vincerent, Deoque obedirent: ergo supponit in omnibus rationis vsum. Ratio autem est, quia naturalis conditio hominis hoc postulat: & quod nunc prę- *Assertionis ratio.*
maturæ mortes accidant infantibus, est quædam pœna peccati originalis, in illo statu non esset talis pœna, & naturalis perfectio suo tempore non deesset. Vnde licet posset Deus sine interuentu mortis aliquos infantes transferre ad statum gloriæ, subito eorum corpora, tam in quantitate, quā in qualitatibus gloriæ perficiendo: non est tamen verisimile, id fuisse facturum, quia nec ipsi naturę, nec perfectioni illius status consentaneum est. Multo enim decentius esset, vt omnes prius per suam obedientiam probarentur, & per propria merita ad statum gloriæ transferrentur. Solum potest ex ordine diuinæ prædestinationis argumentum in contrarium sumi, si verum est, homines ex vi immutabilis propositi diuini assumendos esse ad easdem sedes gloriæ in statu innocentiæ, quas nunc consequuntur. Sed iam diximus, hoc non esse necessarium, vt satis in capite præcedenti declaratum est.

Secundo dicendum est, oēs homines in statu in- 5
nocentiæ permansuros fuisse in via vsq; ad statum *2. Assertio.*
consistendi, id est, vsq; ad perfectum proportionati corporis augmentum, quod vnusquisq; sua naturali virtute consequi posset. Et primo quidem *Suadetur 1.*
hoc fit verisimile ex ratione diuinæ, ac generalis prouidentiæ, quia in statu beatitudinis habituri essent oēs homines corpora perfectæ magnitudinis, vnusquisq; iuxta peculiarem virtutem, & indiuiduam capacitatem suam: ergo non transferrentur ad statum gloriæ, donec propria actione, ac virtute naturali talia corpora sibi acquirerent. Probatur consecutio, quia id est magis consentaneum ordini diuinæ prouidentię: tum, vt quę naturali modo commode fieri possunt, ita fiant: tum etiam, vt creatura ad suæ perfectionis statū, quantum commode potest, cooperetur. Secundo fit et- *Suadetur 2.*
iam hoc magis credibile ex augmento in omnibus animę perfectionibus, vt sunt scientia, prudentia, virtus, & præsertim gratiæ, ac meritorum. Nam ordinariè non acquirunt homines perfectam scientiam, & prudentiam vsq; ad maturam ætatem, quæ in illo statu incipere videtur: & per id tempus virtus maximè augeri, & gratia cū meritis multū augeri posset: ergo saltem illud tempus fuisse necessarium, vel maxime conueniēs, vt saltem per toto illo in statu innocentiæ hominum via duraret.

Tertio addimus, incertum esse, quanto tempore mansissent homines in via postquam ad termi- 6
num augmenti, seu statum consistendi peruenirent, verisimile tamen est, nec statim, nec post annorum millia, sed intra mediocrem durationem à *3. Assertio tripartita.*
Deo præfiniendam, transferēdos fuisse. Prima pars *Vnde constet pars prior.*
huius assertionis sufficienter probata est ex dictis, quia hęc temporis definitio ex solo Dei decreto penderet, sine fundamento speciali in causis secūdis, vt declaratum est. De illo a Dei decreto reuelationem non habemus. Secunda vero pars, quod *Ostenditur secunda.*
non statim fieret translatio, per se videtur probabilis, quia tempus aliquod viæ concedi debuit in statu maximè perfecto secundum naturam ad perfectissima opera virtutis, ac meriti exercenda. Et hoc videtur significasse Aug. l. 9. Gen. ad lit. c. 6. dicens:

cens : *Poterunt homines genitu filiis, perfectaq; humani officij iustitia, hinc ad meliora transferri, non per mortē, sed per aliquam commutationem.* Vbi illa tantū verba cōsidero, *perfectaq; humani officij iustitia.* Nam hoc officium, vt humano modo expleatur, tēpus aliq; requirit, & in virili, ac perfecta ætate perfectius consummatur. Et inde suadetur tertia pars, nimirū, non fuisse futurum tempus illud multorum millium annorū, quia neq; ad perfecte obeundū viatoris officiū, tanta mora erat necessaria, neq; in fauorem vel vtilitatē hominū cederet tāta cælestis beatitudinis dilatio, cum carētia diuinæ visionis, aliarumq; pfectionum, quæ ad illam consequētur.

Obiicitur tertia.

7 Dicitur fortasse illam viæ diuturnitatē ad meritorum, & gloriæ augmentum potuisse conferre. Respondemus autem, hoc modo posse in infinitū procedi, quia post quamcunq; dilationem, & numerum annorum millium, poterunt augeri merita, si tempus viæ augeatur: & in Angelis etiam differenda fuisset præmij collatio, vt meritum augeretur: necesse est ergo dicere, Deum definire durationem viæ vnicuiq; personæ vel naturæ, quæ & conditioni, & statui illius accommodata sit, & ad acquirendum viæ terminum, ad quem talis creatura destinata est, sufficiat. Vnde quia intentio finis est prior, & quasi regula electionis mediorum, hoc etiam, modo nostro intelligendi, in Deo locum habet. Ideoq; iuxta gradum gloriæ, ad quem vnumquemque prædestinatorum elegit, concedit etiam tempus ad illud merendum sufficiens : sed huius temporis plenitudo non annorum numero computatur, sed diuinæ gratiæ abundantia, cuius vberiorib. auxilijs fit, vt iust⁹ *breui consummatus expleat tempora multa.* Atq; hoc modo Angeli breuissima mora ad excelsum beatitudinis locum peruenerunt. Idem ergo cum proportione haberent homines in statu innocētię, intra mediocre temp⁹ ętatis pfectę: quantum vero illud fuisset, Deus scit.

Obiectio soluitur.

8 Vnde colligimus, non minus esse incertum tempus viæ in toto genere humano, id est, quādiu durarent hominum generationes à prima, vsque ad vltimam, in statu innocentię, si duraret. Quamuis enim sit certum tempus viæ totius humani generis non minus tunc, quam nunc in lapsa natura, habiturum fuisse terminum : quia numerus prædestinatorum in quolibet statu fuisset certus : ac definitus : ac subinde illo completo cessarent generationes: nihilominus ignotum nobis est, intra quot annos ille numerus compleretur. Nam si de statu præsenti hoc nescimus, quanto magis de illo à sensibus nostris magis remoto, id ignorabimus. Possumus autem verisimiliter coniectare hoc tēpus viæ totius humani generis non fuisse futurū diuturnius in statu innocentiæ, quam nunc futurum sit. Cur enim numerus prædestinatorum tardius, aut morosius impleretur in hominibus innocentibus, quā in peccatoribus ? Atq; hinc etiam coniecturam sumimus in vnoquoq; prædestinato fuisse complenda merita termino suæ electionis adæquata, durante statu innocentiæ, in tempore fortè breuiore, quam nunc pro æquali termino compleantur: quia perfectio illius status ad multiplicanda & perficienda merita magis iuuaret: ergo non solum non esset tempus illud plurium annorum millium, verum fortasse millenarium non attingeret, vel centenarium non excederet.

Consectarium de fine humanarum generationū si status innocen. duraret.

9 Potest vero secundo interrogari, an in illo statu tempus viæ in omnibus hominibus esset æquale: sicut in omnibus Angelis æqualis fuit viæ mora ? Nunc enim, quia via hominum finitur, & mors non eodem tempore ætatis hominibus contingit, secundum communem naturæ cursum quem in hoc Deus seruare voluit : via etiam hominis in hoc statu æqualis non est. At vero in statu innocentiæ non posset esse inæqualis ex parte hominum, vel causarum naturalium, vt dixi. Et ideo, neq; ex parte Dei credendum est, futuram fuisse inæqualem. Nam in hoc videntur homines in eo statu angelis, quoad rationis similitudinē, cōparari. Vnde nō obstat quod non oēs homines tūc essent ad æqualem gloriā prædestinati, quia etiam Angeli non fuerunt æqualem gloriā consecuti, sed in eadem mora, quidam plus alijs meruerunt, & maiori gratia præuenti sunt, quod etiam in hominibus fieri potuisset.

2. Dubium an in statu innocen. tēpus viæ esset æquale in omnibus hominibus.

Sed quanquam fuerit possibile, & probabile fit, ita futurum fuisse, nihilominus dico, non esse certum, quia fieri potuit, vt, v.g. ex duobus hominibus ad æqualem gloriam prædestinatis, vnus remissior esset in merendo, quam alius, ex quo necessario fieret, vt qui feruentius operaretur, breuiori tempore suam vitam finiret, quam alius: & ad hunc modum potest de cęteris cogitari. Vnde in hoc inuenitur differentia inter naturam angelicam, & humanam : tum quia Angelis data est gratia vniformiter difformis secundum capacitatem naturalium, quod in hominibus non seruatur: nec in statu innocentiæ seruaretur. Est n. eadē ratio. Item oēs angeli subito operantur secundum totum suum conatum : & ideo omnes in eadem mora negotium suum expleuerunt : vnusquisq; iuxta capacitatem suam. At vero homines cum maiori mutabilitate, & varietate operantur: & ideo quidam velocius, alij tardius iter peragunt, etiam in ordine ad æqualem terminum. Pender ergo hæc res tota ex modo diuinæ prædestinationis hominum: & ex varia gratiarum distributione q̄ tunc etiam Spiritus sanctus faceret : prout vellet. Et ideo incertum est, qualis esset distributio (vt sic dicam) durationis viæ in ætate perfecta : & an esset inæqualis, vel eadem in omnibus.

Dubitat Augustinus.

Quod

Vnde interrogari tertio potest, an omnes homines tunc essent simul transferendi ad statum gloriæ: vel per decessiones, & successiones : ita vt vnusquisque suo tempore impleto ad gloriam transferretur. In quo puncto Moses Barcephas in p. de parad. cap. 24. sentit, omnes simul fuisse transferendos. At vero August. supra docet plane, hunc transitum hominum ab statu viæ ad statum Patriæ, non simul sed successiue fuisse complendum. Quod sine dubio est longe verisimillimum. Primo quidem, quia satis probabile est tempus viæ in omnibus hominibus, vel saltem ordinarie fuisse futurum æquale: sed non inciperent omnes simul esse viatores, sed per successiones generationū, vt constat: ergo neq; simul viam finirent, sed cum proportionali successione. Et præterea licet demus, viam non fuisse futuram æqualis durationis in omnibus: nihilominus non est credibile, omnes homines, qui per innumeras generationes successiuè inciperent, simul in eodem statu fuisse permansuros in hoc inferiori mundo cum corporibus animalibus, cibo, & potu indigentibus, & consequēter etiam generationi vacantibus Sicn. vix capere posset terra omnes homines simul in ea existentes: nam infinita (vt sic dicam) esset hominum multiplicatio. Et (vt supra dicebamus) sine causa detinerentur homines tanto tempore ab ingressu patriæ : vt, v.g. Adam à principio creationis, vsq; ad vltimam hominis generationem : quod plane incredibile est : & eadem ratio est cum proportione de reliquis. Merito ergo August. tanquam certum statuit, homines non simul, sed per successiones fuisse ab statu viæ transferendos.

Dubitat autem Augustinus, an essent immediate transferendi ad statum gloriæ in corpore, & animo, vel ad statum medium inter illum, quem habebant, & glorioſum. Et rem dubiam relinquere videtur. Nam, quod transferri potuerint immediatè ad gloriam, tanquam manifestum relinquit.

Quòd verò etiam potuerit transferri priùs ad statum medium, exemplis Eliæ, & Enoch, persuadere conatur. Vnde si transitus ille immediatè futurus erat ad gloriam, clarum est, non simul, sed successiuè homines tam corpore, quàm animo glorificandos fuisse. Quia via omnium non simul, sed successiuè terminanda erat, vt ostendimus. Ergo si terminus extrinsecus viæ, & immediatus erat gloria, vt supponitur: assumptio omnium ad statum gloriæ non erat simul, sed cum successione futura. *Si tamen* (inquit) *gloriam illam dari non oportebat nisi omnib. simul in seculi fine*, necesse est dicere, successiuè trãsferendos fuisse homines ad statum inferiorem illo, quem habebunt in gloria: & illo meliorem, quem in statu innocentię habebant. Quòd autem oportuerit statum gloriæ simul omnibus dari, suaderi potest, tum exemplo angelorum, tum etiam exemplo futuræ resurrectionis, & consummatæ glorificationis omnium hominum electorum. Tum etiam, quia etiam in illo statu debuisset præcedere vniuersale iudicium omnium hominum, ante electorum consummationem.

13. Nihilominus tamen asserendum videtur, homines in statu innocentiæ viam, & meritum consummantes, immediatè ad statũ essentialis beatitudinis transferendos fuisse. Ita videntur supponere communiter Scholastici. Et Patres antiquos allegando, rectè docet Moses Barcepha 1. p. de Paradis. c. 22. Et probatur, quia omnes, qui cum merito gloriæ ad terminum viæ perueniunt, statim recipiunt præmium, nisi per aliquam culpam, vel reatum ab illa relictum, impediantur: sed homines in eo statu peruenientes ad finem viæ in statu gratiæ, haberent merita gloriæ: & nullũ haberent impedimẽtum: ergo statim illam reciperent. Maior inductione probari potest in angelis, & in animabus iustis, & puris ab omni culpæ reatu, post Christi mortem ab hac vita trãseuntibus. Imo etiam in omnib. alijs iustis, quia si aliqui retardantur ab ingressu gloriæ, semper est propter aliquod impedimentum ex peccato originali, vel personali prouenies, vt ex tract. de Beatitud. & de Incarn. manifestum est. Ratio etiam id suadet: quia beatitudo debetur tanquam merces laboris, & ideo ratio iustitiæ obligat, vt non differatur mercedis solutio, quando ex parte merentis non est impedimentum. Præsertim cùm talis dilatio magnum sit nocumentum, & ex se non possit animam non affligere, & contristrare. Deniq; Deus pronior est ad præmium cõferendum, quàm pœnam, sed non differt punire in peccato morientem: ergo nec præmium conferre.

14 Altera verò propositio assumpta, scilic. ex parte hominum non fuisse tunc futurum impedimentum gloriæ: clara est ex dictis. Quia in illo statu innocentiæ non essent peccata venialia, vt supra dictum est: multoq; minus essent originale, vel mortale: aliàs innocentia non duraret: ergo nullum esset impedimentum: quia in termino viæ sola culpa, vel aliquid ab illa relictum potest gloriam impedire. Vnde potest assertio confirmari, quia ille status medius inter innocentiam, & gloriã, non esset status alicuius purgatorij: quia illi homines nulla purgatione indigerent: alius autem nec facile cogitari, nec aliqua eius ratio, vel vtilitas inueniri potest. Vt paulo pòst explicabimus: ergo frustra talis status confingeretur. Non omittam autem obiter aduertere, hoc maximè procedere in hominibus, qui in illo statu perpetuam innocẽtiam sine interruptione seruassent. Nam si aliquis fortè mortaliter peccaret, & illius remissionem non obtineret, ille (vt probabilius est) per mortem vitam finiret: & ad terminũ damnationis statim peruenireț, saltem quoad animam: cui postea corpus in eadem damnatione iungeretur, tempore à Deo præscribendo. Si autem sic peccans à peccato resurgeret cum plena satisfactione, & remissione peccatorum, tunc eadem esset ratio de illo, quę de cęteris innocẽtibus, quia iam nullum haberet impedimentum: & verisimilius est, illũ fuisse ad statum originalis iustitiæ restituendum: ac subindè sine interuentu mortis fuisse ad statum glorię immediatè transferendum. Si autem remissionem culpæ mortalis obtineret, manente reatu aliquo pœnæ temporalis: & in illo ad terminum viæ perueniret, indigeret sine dubio purgatione: & ideo non transferretur immediatè ad gloriam, & fortasse mortem non euaderet, & gloriam corporis vsq; ad finem seculi non obtineret. Nos autem (vt dixi) de seruantibus statum innocentię loquimur.

Vnde addimus secundò, illum transitum fuisse futurum immediatè ad statum gloriæ, non solùm animarum, sed etiam corporum. Probatur primò ratione iam facta, quia totum illud præmium debetur meritis, & nullum impedimentum gloriæ corporis, magis, quàm animæ haberent. Secundò, quia quaando anima est corpori vnita, ex gloria animæ quasi naturaliter redundat gloria in corpus, nec potest sine miraculo detineri: nullum autem est fundamentum ad fingendum tale miraculum generale: & in detrimentum innocentum, sine aliorũ vtilitate. Et hinc colligimus primò, non posse commodè intelligi statum illum medium. Non quia sit absolutè impossibilis, sed quia nõ est consentaneus diuinæ prouidentiæ. Posset n. cogitari status medius ex parte corporum tantùm, vt si anima transferretur ad gloriam, & non corpus. Et hoc esset miraculosum, sine vtilitate, vt dixi, vel esset cum totali carentia gloriæ animæ, & corporis: & sic etiam esset infructuosus: & in terra vix posset felicior status, quàm innocentiæ, & Paradisi terrestris cogitari: nec est verisimile, homines nondum beatos supra cœlos euandos fuisse. Et ideo non est similis ratio de Elia, & Enoch, quia & illi in aliqua terræ regione habitãt (vt creditur) & nondum consummarunt merita sua. Nam licet nunc nõ mereantur, vt est probabilius, expectant tempus, in quo sua merita cõsumment secundum ordinem diuinæ prouidentiæ: secus verò esset de hominibus in statu innocentiæ, vt constat.

15. 2. *assert. cõ. ea ide Aug. dubium.* *probatur 1. 2.*

1. *Cõtra illum gloriosum inferiorem.*

Ad exemplũ Eliæ & Enoch. in n. 12.

Vnde tandem concluditur homines in statu innocentiæ non simul, sed successiuè fuisse transferendos ad statum gloriæ, tam animæ, quàm corporis, quia viæ singulorum successiuè finirentur, & vnusquisque in termino suæ viæ integrum præmium reciperet. Neque oportet, vt in hoc essent Angelis similes, quia via Angelorum, sicut in omnibus simul incepit, ita etiam simul terminata est. Nec est etiam similis ratio de hominib. lapsis, quia horum via per mortem finitur, & corpus separatum ab anima est incapax gloriæ, donec resurgat: & hanc incapacitatem per peccatum meruerunt, & non tollitur, nisi secundum ordinem à Deo præscriptum, qui vniuersalem resurrectionem voluit vsque ad finem mundi reseruari. Homines autem innocentes non indiguissent resurrectione. Et si fortè futurum tunc esset vniuersale iudicium, non aliter homines in eo iudicarentur, quàm nunc Angeli iudicabuntur.

16 2. *Cõfectarium de successiua adeptione gloriæ in statu innocent. & satisfit triplici suasioni in fine nũ. 2.*

F I N I S.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC TRACTATV PER OCCASIONEM explicantur.

Ex Genesi.

Cap. 1. 2. & 3. TRia priora capita libri Geneseos per quatuor priores libros author fusè exponit: quapropter superuacaneũ duximus loca ex eis sigillatim indicare.

9. *Terror vester & tremor sit super cuncta animalia terræ. Lib.3.cap.16.num.11.& 12.*

Ex lib. Exodi.

33. *Non videbit me homo, & viuet. Lib.3.cap.17.num.2.*

Ex lib.3.Regum.

3. *Dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum, vt nullus ante te similis tui fuerit. Lib.3.cap.9.num.30.*

Ex Psalm.

28. *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit. Libro 2. cap.4.num.21.*

32. *Qui finxit sigillatim corda eorum. Lib.3.cap.7.num.11.*

103. *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegit aquis superiora eius. Lib. 2. cap.4.num.23.*

Ibid. Illic reptilia quorum non est numerus: animalia pusilla cum magnis. Lib.2.cap.10.num.9.

148. *Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ omnes, quæ super cœlos sunt. Lib.2.cap.4.num.23.*

Ex Prouerb.

8. *Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum. Lib.2.cap.4.num.21.*

Ex Ecclesiaste.

7. *Deus fecit hominem rectum. Lib.3.cap.9.num.3.& cap.11.num.2.& cap.12.num.5.& cap.17.num.10.*

Ex lib. Sapient.

2. *Fecit Deus hominem inexterminabilem, ad imaginem similitudinis suæ. Lib.3.cap.16.num.11.*

10. *Hæc illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo. Lib.4.cap.9.num.7.& 19.*

Ibid. Dedit illi virtutem continendi omnia. Lib.4.cap.9.num.12.

11. *Omnipotens manus tuæ creauit orbem terræ ex materia inuisa. Lib.1.cap.8.num.20.*

Ex Ecclesiastico.

17. *Dedit illi potestatem eorum quæ sunt super terram, posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum, &c. Lib.3.cap.16.num.11.& 12.*

Ibid. Disciplina intellectus repleuit illos, creauit illis scientiam spiritus, &c. Lib.3.cap.9.num.3.

18. *Qui viuit in æternum creauit omnia simul. Lib.1.cap.5. numer.22.*

24. *Et quasi nebula texi omnem terram. Lib.2.cap.5.nu.16*

39. *Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt, &c. Lib.1.cap.1.num.16.*

Ezechiel.

28. *Tu signaculum similitudinis. Lib.3.cap.8.nu.18.& 19.*

Daniel.

13. *Species decepit te, & subuertit cor tuum. Lib.4.c.4.n.19*

Matth.

25. *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Lib.1.cap.4.num.5.*

Ioan.

5. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Lib.2. cap.11.num.6.*

10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. Lib.5.cap.11.num.3.& 4.*

17. *Clarifica me Pater claritate, quam habui priusquam mundus esset apud te. Lib.1.cap.2.num.2.*

Ad Rom.

7. *Peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me. Lib.4.cap.4.num.19.*

Ibid. Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Lib.3.cap.12.num.6.

Ibid. Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Lib.3.cap.12.num.1.

8. *Quos prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Lib.3.cap.8.num.9.*

Ad Corinth.1.

3. *Omnia enim nostra sunt. Lib.cap.7.num.15.*

11. *Non debet velare caput suum, quia imago Dei est. Lib.3. cap.8.num.22.*

15. *Sicut portauimus imaginem terreni, sic portemus imaginem cœlestis. Lib.3.cap.8.num.28.*

Ad Galat.

6. *Qui existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Lib.4.cap.4.num.19.*

Ad Colossens.

3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creauit illum. Lib.3.cap.8. numer.21.*

Ad Timoth.1.

2. *Adam non est seductus: mulier autem seducta in prævaricatione fuit. Lib.4.cap.4.latè à num.1.*

Ad Hebr.

21. *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Lib.1.cap.8.num.21.*

INDEX RERVM.

A.

Adam.

1. ADam quoad corpus, non ex nihilo, sed de limo terræ formatus fuit. Lib.3.cap.1.num.2.
2. Adæ corpus à solo Deo productum fuit. ibid.num.3. successiuéne, an in instanti. ibid. à n.7 vsque ad 13
3. Ad corpus Adæ formandum Angelos etiam cõcurrisse, qui putent. lib.3.c.1.nu.4. refutantur si de organizatione loquantur, num.6.& 14. imò etsi loquantur de aggregatione limi. eodem numero 14. & 15
4. Adæ corpus creatum cum omni perfectione essentiali, ad animam rationalem requisita. eod. cap.1.num.16. cur non ex cælesti, aut nobiliori materia? ibid.
5. Adami corpus an monstrosum fuerit antequã ab eo costa auferretur: an verò postea mancũ? lib.3.cap.2. à num.7
6. Adæ productionem præcessisse ad Euæ formationem contra Caietanum demonstratur. eodem cap.2. numer. 15. vide etiam *Eua*, & verbo *Costa*.
7. Adæ soporem non metaphoricũ, sed proprium fuisse stabilitur contra Caietanum. ibid. nu.16. qualis fuerit. n.17.& 18
8. Adamum & Euam cæcos fuisse ante peccatum stultissimus error reprobatur. lib.3.cap.3.nu.2. Cur post peccatum dicantur eorum oculi aperti. ibid.
9. Adam & Eua integri sunt conditi quoad internos sensus,& externos,atque in perfectæ ætatis membris & organis. eod.cap.3.n.3.& 4
10. Adam cùm conditus est, quam ætatem repræsentabat,& cuius fuerit staturæ. ibid. à num. 5. quæ illius habitudo corporis, & an in ea fuerit Christo par.n.8.& 9
11. Adæ corpus an passibile,& mortale. n. 10
12. Adamus creatus fuit post bruta.lib.3.cap.4.n.1 cur vltimò creatus cùm fuerit cæteris nobilior, rationes variæ ex Patribus à num.3
13. Cur eodem die cum brutis conditus.ibid.n.6
14. Adamum duas habuisse vxores, quarum Euã, simul cum illo creatam eiusq; lateri copulatam Iudæi fabulantur.lib.3.c.4.n.8.& 9
15. Adam prius tempore creatus est, quàm Eua. ibid.n.10. Qua hora diei sextæ productus.n.15.& lib.4. c.8. n.15
16. Adam extra,Eua intra paradisum condita.lib. 2.c.5.n.3
17. Adam quo in loco conditus.ibid.n.4.quo modo in Paradisum translatus.nu.5.& quoto post creationem tempore.lib.4.c.8.n.2
18. Adam cur extra Paradisum conditus. lib.2.c.5. num. 8
19. Adamo datum præceptum de non comedendo ex ligno ante formatam Euam.ibid.n.12
20. Spiraculum in faciem Adami non fuit diuina substantia,aut eius portio.lib.3.c.7.nu.1.fuit anima rationalis, quàm tunc primò Deus creauit & infudit.à n.6
21. Adæ anima quàm perfecta in naturalibus. lib. 3.c.7.n.13
22. Adami scientia, vide *Scientia*. An decipi potuerit, vide *Deceptio*.
23. Adamum innocentem fuisse creatum, de fide est,lib.3.c.11.n.2
24. Adam in primo instanti non peccauit, nec peccare potuit de lege ordinaria.eodem cap.11.numero 4
25. Adam in primo instanti habuit omnes virtutes bonosq; habitus morales per accidens infusos.ibid.n.5.& 6. vide verbo *Virtus*.
26. Adam quamdiu non peccaret mortaliter, nullos sentiret motus appetitus contra rationem. lib.3.c.12.à n.4 quo Dei dono id fieret, vide verbo *Appetitus*.
27. Adam venialiter peccando in statu innocent. an,& quomodo amitteret iustitiam orig. lib. 3. c.13.n.10.& 12
28. Non potuit prius peccare venialiter, quã mortaliter.ibid.n.17.& 21
29. Adamum æquè mortalem fuisse ante & post peccatum error Pelagij. lib.3.c.14.n.1. Eum ante peccatum non fuisse moriturum de fide est. à n.3.fuit tamen ex vi suæ compositionis mortalis etiam ante peccatum, sed dono Dei aliquo modo immortalis.n.8
30. Adami innocentis corpus fuisse impassibile per inditam qualitatem qui putent. nu. 10. qui per inditam animæ. num. 11. vtrique refelluntur à n.12
31. Adami dominium, vide *Dominium*.
32. Adamum ante lapsum habuisse gratiam, de fide est. lib.3.c.17.à n.2. Qui putent non habuisse in primo instanti.n.5. probabilius oppositum à n. 9. vsque ad 15
33. Adam ante lapsum non vidit Deum clarè.lib.3 c.18.à n.1
34. Adami cognitio supernaturalium, vide *Cognitio*.
35. Adam in primo instanti proprijs actibus sanctificatus. lib. 3. c.19.n.3. per illos se disposuit ad iustitiam habitualem. num.8. eamq; meruit de congruo, & gloriam correspondentem de condigno.ibid.
36. Probabile est creuisse in iustitia ante lapsum. ibidem n.13
37. Adamus conditus in iustitia orig. lib.3.cap.20. num.1
38. Adami pactum, vide *Præceptum*, à n.8
39. Adami peccatum, vide *Peccatum*, & Adami pœna in verbo *Pœna*.
40. Adam & Eua quanto tempore fuerint in paradiso, vide *Paradisus*. à n.14
41. Adam veniam obtinuit primę transgressionis. lib.4.c.9.à n.7. Intra Paradisum imperfectè saltem pœnitere cœpit, ac paulo pòst iustificatus est.n.9
42. Adamum & Euam finaliter damnatos esse error Tatiani. nu.10. redemptum fuisse per Christum quoad sufficientiam de fide concluditur contra Tatianum.nu.14.efficaciter fuisse saluatum Scriptura non conuincitur.n.15. est tamen vt minimum erroneum.à n.16. an eadem certitudine dicendum sit de Eua.n.20
43. Adamo non peccante qualis futurus esset hominum status, vide *Innocentiæ status*.
44. An in statu innocentiæ futurus fuisset Rex posterorum dum esset in via. libro 5. capite 7. num. 14

Aer.

Aeris elementum perfectum, ac simul cum cœlis creatum fuit. lib.1.c.7.à n.3. Et à Moyse nomine cœli, Gen.1. comprehensum est. à n.5. speciatim n.14

Æternum.

Ab æterno quæ res esse, vel non esse potuerint, vide *Mundus*.

Alimentum.

Quibus alimentis homines in statu innocentiæ vescerentur, vide verbo *Cibus*, & verbo *Carnes*.

Angelus.

1. Angelorum mentionem nullam fieri à Moyse qui dicant. lib. 1. cap. 6. numer. 2. Solos Angelos comprehendi illis verbis, *In principio creauit Deus cœlum*: qui velint num. 3. vtrique impugnantur, & ostenditur nomine cœli implicitè comprehendi Angelos, à n. 6
2. Angeli an concurrerint ad formandum corpus Adæ, vide *Adam* n. 3.
3. Angeli ad imaginem Dei conditi. lib. 3. cap. 8. nu. 18. & 19

Vide etiam *Cognitio matutina*, &c.

Anima.

1. Anima primi hominis non fuit substantia diuina. vide *Adam*, n. 20. statim ac creata est vnita fuit corpori. ibid. quàm fuerit perfecta, vide *Adam*, n. 21
2. Animæ omnes præter rationalem de materia eductæ. lib. 2. c. 10. n. 4

Animal.

1. Animalia bruta, non in semine tantùm, sed in seipsis producta sunt in quinta, & sexta die creationis. lib. 2. c. 10. num. 2. non facta ex nihilo, sed ex præiacente materia. num. 3
2. Ad animalium creationem terra, & aqua materialiter solùm concurrerunt. eod. n. 3
3. Animalium prima creatio quo facta dicatur modo, authoris naturæ proprio. ibidem numero 4

Animalia quintæ, & sextæ diei, producta sunt in statu perfecto quoad individua & species. num. 5

5. Quot animalia in qualibet specie, & in qua perfectione Deus produxerit. ibid.
6. Animalia omnia cum vi generatiua similium à Deo sunt producta. nu. 6. eorum tres sunt ordines generici inæqualis perfectionis natatilium, volatilium, terrestrium. num. 7. quisque ordo non successiuè, sed simul fuit productus à Deo. ibid. imò natatilia, & volatilia simul fuisse producta, credibilius est. n. 8. & sub vnoquoque genere multæ species. n. 9
7. Animalia imperfecta an etiam à Deo in quinta, & sexta die fuerint producta. libro 2. cap. 10. numero 11
8. Bruta quæ per adulterinam generationem nascuntur, vt leopardus, mulus, &c. an fuerint etiam tunc à Deo immediatè producta. ibid. n. 12
9. Volatilia an ex aquis sint producta. ibid. à nu. 13 ad 17
10. Animalia nulla ex igne producta, & cur. numero 18
11. Animalia ad Adamum adducta sunt non in individuo omnia, sed in specie. lib. 3. c. 4. nu. 16. An prius adducta, quàm Eua crearetur? nu. 17. Eis propriè, non metaphoricè Adamus imposuisse nomina dicendum est, idque sexto die ante Euæ productionem. n. 18
12. Animalia introducta sunt in Paradisum vt eis Adam nomina imponeret. lib. 3. cap. 5. numer. 10 in statu innocentiæ in Paradiso etiam vagarentur. ibid.
13. Animalia an, & quomodo homini vt domino subderentur. vide *Dominium* n. 4
14. Animalia bruta an carnibus vescerentur Adamo non peccante. lib. 5. cap. 6. à numer. 19. vsque 25

Annus.

Quo anni tempore creatus mundus. lib. 2. cap. 7 num. 17

Appetitus.

1. Appetitus sensitiuus in statu innocentiæ perfectè subderetur rationi. lib. 3. cap. 12. à nu. 4. Quo dono id formaliter fieret, variæ sententiæ referuntur, ac refelluntur. à numer. 11. fieret partim per internos habitus, & actus: partim per externam Dei protectionem. num. 18. & 19. neque in singulis potentijs vnus sufficeret habitus. n. 20. & 21
2. Ad hæc appetitus subiectionem sufficerent ne virtutes naturales, an requirerentur infusæ per se? num. 24. an etiam præter hoc necessarius esset habitus alius. n. 25. an tale donum naturale esset, an supernaturale. n. 26
3. Appetitus passiones, vide *Passiones*.

Aqua.

1. Aquæ elementum in propria formâ, & loco, & à terra distinctum creatũ est in eodem instanti cum cœlo & terra. lib. 1. cap. 8. numer. 16. non repleuisse spatium totum inter terram ac cœlum empyreum contra aliquos concluditur. num. 18
2. Aquas super firmamentum creatas non esse angelos ostenditur. lib. 2. c. 4. n. 3. neque corpus aliquod cæleste, nempe crystallinum, à num. 5. Neque item aquas elementares, quæ sint super octauam sphæram. nu. 19. sed elementares aquas nubium, ac similium impressionum, quæ supra cœlum aëreum, id est, in superiori eius regione fiunt. à n. 20

Vide etiam *Firmamentum*.

3. Aquæ super firmamentum positæ secundo die, quomodo illuc eleuatæ. lib. 1. cap. 5. à n. 19
4. In aquis nulla transmutatio substantialis facta est tertio die, dum in vnum locum congregarentur. lib. 2. c. 6. à n. 3
5. Aquarum congregatio quomodo facta fit, discutitur à n. 5. vera resolutio. à n. 15
6. Aqua tertio die congregata, addensata etiam est. n. 19. & salsedine imbuta. n. 20. & 21
7. Aquarum confluentia ad concaua terræ, fuit ab ipsa earum grauitate, vel ab appetitu replendi vacuum, addito fortè peculiari Dei adiutorio. lib. 2. c. 6. n. 25
8. Aquæ etiam dulces in peculiarem locum ita confluxere, vt neque humor aqueus intra terram reliquus sit. ib. n. 29
9. Aquæ omnes quo sensu dicantur in vnum locum congregatæ, cùm tamen non vnum, sed plura sint maria. n. 30
10. Aquæ omnes continuè currentes, & cum Oceano, & inter se alicubi continuantur. ibid.
11. Aquæ guttulæ cur in sphæram conglobentur. lib. 2. c. 6. n. 11

Arbor; vide etiam Vegetabilia.

1. Arborem Adamo vetitam veram fuisse, de fide est. lib. 3. cap. 21. num. 2. non fuit ficulnea. num. 4. nec seges, aut vitis. num. 5. credibile fuisse alterius speciei perfectioris, à vulgo notis. ibid. Cur dicatur arbor scientiæ boni, & mali. numero 6. non fuit vetita, quia nociua. n. 7
2. Arbor vitæ, vide *Lignum vitæ*.

Astra.

1. Astra non significant ea quorum non sunt causa. lib. 2. cap. 9. nu. 5. & 6. neque omnia futura significant, cum non omnia causent. num. 7. quo sensu dicantur facta esse in signa. n. 8

Aues, vide etiam Animalia.

Aues in 1. molitione ex qua materia productæ. lib. 2. c. 10. à n. 13. vsque ad 17

Bru-

B.

Brutum, vide Animal.

C.

Caro.

1. CArnium vsum non futurum in statu innocentiæ communis resolutio expenditur. lib. 5. c. 6. à n. 4.
2. Carnes non comederunt primi parentes in Paradiso. ibid. num. 11. nec illis egerent, licet diutissimè in innocentia durarent. nu. 12. Imò non fuisse honestum esum carnium probabile, supposito tali statu. n. 13. & 14
3. Carnibus in statu innocentiæ nullus homo vesceretur. num. 15. an bruta vescerentur. à numero 19.
4. Carnibus vesci licuit à lapsu, vsque ad diluuium, imò iusti etiam aliqui ijs vescebantur, non tamen ordinariè, à numero 27. vsque ad 30.

Charitas, vide Gratia. n. 7.

Cibus.

1. Cibus infantium in statu innocent. fuisset lac maternum. lib. 5. c. 6. nu. 2. Adultorum semina, & fructus arborum. n. 3
2. Nec pane, nec alio cibo arte confecto, imò nec ouis aut lacte animalium vterentur. n. 16. an etiam carnibus, vide *Caro.*

Cœlum.

1. Cœlum ab æterno moueri non posse demonstratur. lib. 1. cap. 2. à num. 15
2. In primo mundi instanti creati sunt omnes cœli à primo mobili vsque ad lunam inclusiuè. lib. 1. cap. 3. à n. 5
3. Cœlorum incorruptibilitas multipliciter suadetur. num. 6
4. Nomine cœli illis verbis, *In principio creauit Deus cœlum*, non potest significari materia informis, ex qua sint postea cœli producti. n. 9
5. Præter cœlos mobiles dari aliud immobile & præstantius, id est, Empyreum, contra Caietan. omnino certum. lib 1. c. 4. à n. 2
6. Eugubini sententia de cœli Empyrei æternitate discutitur, & impugnatur. ibid. à n. 6
7. Empyreum non est ab æterno ab intrinseco, neque per æternam productionem à Deo. ibid. & nu. 10. neque factum ante illud principium, de quo Gen. 1. ibid. nu. 11. neque post alios cœlos & terram. n. 12. & 13
8. Cœlum empyr. à Moyse comprehensum est illis verbis, *Creauit Deus cœlum*, n. 15. & 16
9. Cœlum empyreum materia, & forma constat. libro 1. capite 5. numero 1. De eius materia variæ opiniones. numer. 1. & 2. vera resolutio. numero 3.
10. Cœli empyrei forma non est anima. n. 4. quomodo dicatur immobile. n. 5. solidum est. num. 6. & 7
11. Cœlum empyr. influere in hæc inferiora, probabilius. lib. 1. c. 5. à nu. 9. quæ, & qualis sit influentia. n. 17
12. Nomine *Cœli* Moyses comprehendit creationem Angelorum. lib. 5. c. 6. à n. 16
13. Cœli an moueri cœperint initio suæ creationis. lib. 1. c. 9. n. 9. & 10
14. Cœli initio suæ creationis connaturali ordine collocati. lib. 1. c. 10. nu. 9. & 10. idque in figura sphærica. n. 13. quod etiam de empyr. verum est. num. 16.
15. Cœli in primo instanti quas nacti sint connaturales proprietates. n. 17. & 18
16. Cœlum 8. & planetarum orbes proprijs motibus ab occasu in ortum die quarta cœperunt moueri. lib. 2. c. 8. n. 16

Cognitio.

1. Cognitio aliqua supernaturalium mysteriorum infusa fuit Adamo ante peccatum. lib. 3. cap. 18. num. 3. fuisse de mysterijs Trinitatis absolutis, ac etiam relatiuis. à num. 4. item de Verbo incarnato. num. 8. quæ de hoc mysterio nouerit. num. 10. qualis fuerit hæc cognitio. nu. 11 & 12. vera resolutio n. 14
2. Cognitio matutina Angelorum iuxta Augustinum quæ? libro 1. cap. 11 à numero 8. quæ item vespertina. à numer. 12. vtraque iuxta Augustinum in obiecto conuenit, & in solo actu, & medio cognoscendi differt. numero 16. non potest in Deo distingui vespertina, à matutina. num. 17 imò neque in visione beata Angelorum, à num. 18. vtra fuerit in eis prior iuxta Augustinum. à num. 21

Communitas.

Communitas hominum œconomica, aut politica an in statu innocent. fuissent, vide *Innocentiæ status.* n. 25

Compositum, Corpus.

1. Composita physica non nisi per creationem fiunt in prima & totali productione. lib. 1. cap. 1. num. 12.
2. Composita omnia, etiam mixta in eodem instanti fuisse initio condita, qui velint. lib. 10. nu. 4. & 5. refelluntur. à n. 6
3. Corpus Adæ, vide *Adam*, à n. 1.

Costa.

Costa vnde formata Eua, fueritne superflua in Adamo. libro 3. cap. 2. à num. 7. pro costa quid, & vnde suppletum sit. n. 12. An costa extracta fuerit vestita carne. n 22.

Creatio mundi, &c. vide Mundus.

D.

Deceptio, seu falsitas.

1. DEcipi non potuit homo in statu innocentiæ ante peccatum, in veritatibus naturalibus, etiam sibi non euidentibus. libro 3. capite 10. à numero 3. quo Dei dono protegeretur ab erroribus. num. 7
2. Quomodo non prius decepta Eua, quàm peccatrix. ibidem numer. 10. Quomodo non deceptus Adam. numero 11. & latius libro 4. cap. 4. à num. 1
3. Deceptio voluntaria & mortalis potuit absolute esse in primis parentibus prius quàm peccatum aliud. eod. cap. 10. n. 15. moraliter autem loquendo, non item n. 16
4. Decepta non fuit virgo Maria putando filium esse in comitatu lib. 3. capite 10. n. 11. remissiuè.

Dies.

1. Sex dies creationis mundi quales intellexerit Augustinus. lib. 11. cap. 11. num 32. opposita sententia communior, & verior probatur latè. à num. 33
2. Dies naturales creationis mundi sex fuisse sicut in Genesi numerantur, latè contra Caietanum & Canum. lib. 1. c. 12. à n. 3
3. Diei primæ opus, productio lucis fuit. lib. 2. c. 1. n. 1. vide etiam *Lux.*
4. Primum diem & mane & vesperam habuisse ostenditur. lib. 2. c. 2. n. 4
5. Diei secundæ cur non addita benedictio? lib. 2. c. 5. num. 21
6. Die septimo nihil à Deo productum. lib. 2. cap. 11 num. 2. Eius diei requies, quo pacto intelligenda. ibid. num. 5. & 6. eiusdem benedictio, & sanctificatio qualis. à n. 8

Dominium.

1. Dominij capacitas naturaliter competit homini ex eo quod sit ad Dei imaginem. lib. 3. cap. 16. num. 6.

num. 6. illud habuit homo in bruta ex vi creationis, nec amisit ob peccatum. num. 8. & 9. altiori tamen modo illud habuit in statu innoc. à n. 10.
2. Dominium hoc in statu innocent. extenderetur ad omnia omnino bruta contra Theodoretum ostenditur n. 13. & ad alia inferiora brutis. num. 14. An ad Angelos. num. 15. vel saltem ad alios. num. 16. & 17.
3. Dominium hominis in bruta quantũ ad vsum, aliquomodo maius post, quam ante peccatum Adæ. n. 18. fuisset tamen ante peccatum regulariter nobilius. ibid.
4. Quomodo ad nutum obedirent animantia homini in statu innoc. eodem c. 16. n. 12.
5. Dominij in bruta, & res alias inferiores discrimen. num. 14.
6. Dominium viri in vxorem an in statu innoc. & cur post peccatum dictum sit Euæ, *& ipse dominabitur tui*. n. 17.
7. Dominium proprietatis hominis in hominem non fuisset in statu innocen. lib. 5. c. 7. n. 10. bene tamen dominium directiuũ, imo & iurisdictionis. n. 11. & 12.
8. Dominium œconomicum à politico in quo differant. n. 13.
9. Dominium iurisdictionis an habuisset Adam viator, si homines ita multiplicarentur vt ciuitatem conflarent. n. 14.
10. Dominium herile non fuisset in statu innocen. num. 16.
11. Dominia priuata, seu diuisiones bonorum an fuissent in statu innoc. n. 17. & 18.

Duratio, vide *Tempus*.

E

Elementa, vide Terra, Aër.

Elementa omnia in sua naturali dispositione & in suis locis fuerunt initio collocata. l. 1. ca. 10. n. 11. & 12. idque in rotunda figura. n. 14. quas alias proprietates tunc obtinuerint. numer. 17. & 18.

Empyreum, vide *Cœlum*.

Error, vide *Deceptio*.

Eua.

1. Euam simul cum Adamo, non autem ex eius costa productam docuit Caietan. libr. 3. cap. 2. num. 1. catholica assertio contraria stabilitur. à num. 3.
2. Eua producta est ex costa Adæ suppleta materia ex vicina terra, vel aere, non ipsa costa per rarefactionem, aut situalem repetitionem multiplicata. n. 12.
3. In formatione corporis Euæ an Angeli ministrarint. n. 24.
4. Euam simul cum Adamo productam & ipsius lateri copulatam fabulantur Iudæi, lib. 3. cap. 2. num. 9.
5. Eua post Adamum creata. nu. 10. eodem tamen sexto die. n. 12. & intra paradisum l. 3. c. 5. n. 6. & cur? num. 8.
6. Eua quantam habuerit scientiam ante peccatum, vide *Scientia*.
7. Eua non prius decepta, quam peccatrix, lib. 3. c. 10. n. 10.
8. Eua interius peccando ante Euam ligni totam iustitiam amisit. lib. 3. cap. 13. num. 6. cur statim post peccatum non erubuerit. num. 6. & 7.
9. Euæ tentatio, vide *Tentatio, & serpens*.
10. Euæ quodnam fuerit initium peccandi: & quis progressus in multiplicandis peccatis, vide verbo *Peccatum*.
11. Euam delicti veniam, & æternam sit consecuta salutem, vide *Adam*, à n. 41.
12. Euæ pœna, vide *Pœna*.

Eucharistia.

Eucharistia an futura in statu innocentiæ. libr. 5. cap. 6. n. 17.

F

Falsitas, vide Deceptio.

Fides.

Fidem an perdiderit Eua, vide *Peccatum*, num. 4 An etiam Adam. ibid. n. 5.
2. An, & qualem mysteriorum fidem diuinam habuerit Adam, vide *Cognitio*, num. 1.
3. Fidem Christi explicitam an habuerit Adam in 1. creationis instanti. libr. 3. ca. 19. à num. 9.

Filij.

Filij in statu innocentiæ quo pacto, & in quali perfectione procrearentur, vide *Innocentia status*.

Firmamentum.

1. Firmamentum secundo die factum ad diuidendas aquas ab aquis, fuisse cœlum æthereum in eo die substantialiter productum, qui dicant. lib. 2. c. 5. n. 1. Quid in ea sententia consequenter dicendum. à num. 2.
2. Firmamentum illud aerem esse, seu aliquã eius partem verior sententia. nu. 7. & 8.
3. Quæ aeris regio sit proprie firmamentum à n. 9.
4. Firmamentum non fuit factum quoad substantiam in 2. die per illa verba, *fiat firmamentum*: sed tantum aer iam productus firmamenti munus accepit. n. 17.

Fœmina.

1. Fœminas in statu innocentiæ non futuras, hæresis Almerici confutatur l. 5. c. 3. à num. 7.
2. Fœminæ productio non est monstrosa, aut per accidens in specie humana. ibid. num. 9.
3. Fœminæ productio esset intenta ab ipso generante in statu innocentiæ. num. 10. fœminas aut mares procrearent quoties ipsi generantes intenderent. num. 10. & 11.
4. Fœminæ in stat. innoc. an totidem quot mares. late à num. 14. authoris iudicium. num. 22.
5. Fœmina, vide *Polygamia*.

G

Generatio.

1. Generationum & corruptionum successionẽ non potuisse esse ab æterno demonstratur. l. 1. c. 2. à n. 9.
2. Generationis modus duplex specierum imperfectarum. ibid. num. 13.
3. Generatione naturali homines in statu innoc. multiplicarentur l. 5. c. 1. à n. 6. & per singulos actus generandi singuli generarentur. l. 5. c. 3. n. 2. vide *Fœmina*, n. 3.
4. In qua perfectione generandi essent homines in statu innoc. vide, *Innocentia status*.

Gratia.

1. Gratiam sanctificantem Adamo collatam, ante lapsum, fides docet. l. 3. c. 17. à n. 2. Non fuisse collatam in 1. instanti qui velint. nu. 5. oppositum probatur à nu. 9. imo & omnes virtutes gratiæ comites tunc recepisse. l. 3. c. 18. nu. 1. non tamen gratiam consummatam. n. 3.
2. Nullos actus gratiæ elicuisse Adamum in 1. instanti, qui putent. l. 3. cap. 19. n. 2. proprijs tamen actibus in instanti fuisse iustificatum, verius n. 3. qui actus ab habitibus non fuere eliciti, sed per actualia auxilia. n. 8. & de congruo meruere primam gratiam habitualem, & gloriam de condigno. ibid.
3. Per gratiam Christi quomodo sanctificatus Adam. l. 3. c. 19. n. 10. & 11.

4. In gratia crescere potuit Adam toto tempore ante lapsum eiusque augmentum, & gloriam de condigno mereri. nu. 12. imò de facto id sæpe fecisse credibile est. n. 13
5. In gratia nascerentur omnes in statu innoc. lib. 5. c. 8. à n. 2. non tamen in gratia confirmati: imò nec confirmarentur post primam tentationem superatam. ibid. à n. 6
6. Prima gratia infantium in statu innoc. foret ne intensior, quàm in hoc statu. lib. 5. cap. 11. à numero 3. quid de 1. gratia iustificante adultorum. num. 6
7. Actus charitatis in statu innoc. neque ex vi status, neque ex parte gratiæ fuisset efficacior ad meritum, quàm modò. eod. c. 11. à n. 10. vide etiam *Innocentiæ status*, à n. 27
8. Gratia ex opere operato an vberior in statu innoc. quàm nunc. eod. c. 11. n. 29.

H.

Habitus, vide Scientia, Spes, Virtus.

Herba.

HErbæ virentes, arbores, & cætera vegetabilia à Deo tertia die in propria specie, non in semine tantum producta sunt. l. 2. c. 7. à n. 2
Vide etiam *Vegetabilia*.

Homo.

1. Homo quomodo ad imaginem Dei factus, vide *Imago*.
2. Homo primus, vide *Adam*.
Homines in statu innocentiæ, & immortalitatis multiplicarentur. lib. 5. c. 1. n. 1. & 2
3. Homines in statu innocentiæ immediatè à Deo creandos, non generatione propagandos qui Patres dixerint. lib. 5. c. 1. n. 4. oppositum ostenditur latè à n. 6

I.

Ignis, vide Animal, num. 10.

Imago.

IMago Dei homini impressa est quid creatum in ipso. lib. 3. cap. 8. à n. 2. Eam in corpore illius fundari, variæ sententiæ, quæ refelluntur à nu. 10. in anima fundari, catholica assertio. num. 14. non esse in corpore proprie & formaliter, remote tamen, & veluti in signo, admitti potest. num. 16.
2. Ad imaginem Dei Angeli quoque sunt conditi. à num. 18.
3. Imaginem Dei in muliere qui negauerint. n. 21. concluditur tamen in ea reperiri. nu. 22. & in anima separata. n. 23.
4. Imago Dei in homine, seu anima quoad naturã ipsius, etiam ante gratiam reperitur. eodem ca. 8. num. 24.
5. Imaginem Dei nulla creatura infra hominem habet. num. 25.
6. Imago Dei in homine & Angelo reperitur ratione substantiarum, potentiarum, & actuum, atque ex his omnibus imago completur. à n. 26.
7. Inter imaginem, & similitudinem Dei quid interfit. eodem c. 8. à n. 29.
8. Imaginem Dei naturalem homo non amisit per peccatum. num. 32. amisit tamen similitudinem per gratiam. n. 33.
9. Homo ad imaginem Dei vt vnus est, atque item vt Trinus. n. 24. & 25. An hæc Trinitatis imago consistat in amore Dei solius, an etiam aliarum rerum, atque in actibus etiam imperfectis. ibid.
10. Imago Dei in homine non refertur ad aliquam personam ex diuinis, secundum peculiarem aliquam eius proprietatem. eodem capite 8. numero 36.

Immortalis.

1. Immortales, an & quomodo fuissent homines in stat. innoc. vide in verbo *Adam*. à n. 29.
2. Immortalitas in statu innoc. fuisset entitatiuè naturalis, & supernaturalis quoad modum. lib. 3. c. 15. n. 13. & 14.
3. Immortalitas Adami quoad impassibilitatem corporis, à prudenti illius diligentia, iunctа Dei peculiari custodia pendebat. lib. 3. c. 14. à nu. 12. nec reddebatur immortalis per qualitatem inhærentem. num. 20.
4. Corpus Adæ fuit transmutabile quoad aliquas eius partieulas. nu. 21.
5. Adam quomodo dicatur potuisse non mori, & non potuisse mori. n. 22. & 23.
6. In Adamo quomodo subueniretur perditioni humidi ex actione calidi. eodem n. 23. quomodo item amissioni caloris, ex repassione ab alimento. n. 24. & 25.

Infans.

Infans qualiter nasceretur in statu innoc. vide *Innocentiæ status*. à n. 12. & à nu. 19.

Innocentiæ status.

1. In statu innocentiæ an decipi possent homines, vide *Receptio*. Quas virtutes morales haberent, vide *Virtus*. An daretur perfecta subiectio appetitus, vide *Appetitus*.
2. In statu innoc. peccatum mortale distinctum ab esu ligni posset committi. libr. 3. cap. 13. num. 2. per id peccatum non fore amittendum illum statum qui velint. numer. 3. oppositum probatur. à num. 4.
3. In eo statu nullum potuit peccatum veniale ex surreptione inueniri. num. 17. nec item ex perfecta deliberatione. nu. 21. hæc impotentia peccandi venialiter vide proueniret. n. 24. & 27.
4. Qualis tunc fuisset hominum immortalitas, vide *Immortalitas*.
5. Quomodo caperet paradisus homines procreandos in stat. innoc. vide *Paradisus*.
6. In statu innocen. an homo peculiare dominium acciperet vt proprium illius status, vide *Dominium*.
7. In eo statu homines naturaliter multiplicarentur, vide *Generatio*, nu. 2. non omnes matrimonium inirent, sed aliquos virgines futuros probabile. lib. 5. c. 1. num. 12.
8. In eo statu non futuras fœminas error. libr. 5. ca. 3. n. 7. vide alia in verbo *Fœminæ*.
9. In statu innoc. polygamia simultanea non fuisset libr. 5. cap. 3 à num. 14. nec successiua. nu. 18. & 20.
10. An ijdem tunc fuissent qui nunc vsq; ad diem iudicij nascentur. variæ sententiæ. libr. 5. cap. 4. à num. 1. probabilius. futuros eosdem quoad animas, non quoad corpora. ibid. à n. 8.
11. Tunc non fuissent pauciores electi, quam nunc. eodem c. 4. nu. 15. imo ijdem quoad animas qui nunc sunt electi. ibid. an præter hos alios etiam tunc Deus elegisset, incertum. ibid.
12. In statu innocentiæ proles generaretur perfecta cum omnibus facultatibus, partib. ac membris. libr. 5. cap. 5. num. 1. & 2. Non omnes tamen fuissent in hac perfectione æquales. num. 3. Imo quilibet pro diuersis ætatibus diuersam haberent. n. 4.
13. In eo statu infantes generarentur cum paruitate corporis illi ætati accommodata. ibid. n. 5. imo cum imbecillitate virium. nu. 6. & vsu rationis carerent. n. 11.
14. In statu innocentiæ quibus alimentis homines vitam conseruarent? vide verbo *Cibus*.

15. An in eo ſtatu ſaltem bruta carnibus veſcerentur. lib.5.c.6.à n.19
16. In ſtatu innocentiæ futura eſſet ſocietas domeſtica quoad liberorum procreationem. lib.5 c.7.n.2. non quoad ſeruorum miniſterium. ib. item futura ſocietas politica, ſicut in ciuitate, vel regno.num.6.& 7. & an vna vel plures tales ſocietates? n. 8
17. In ſtatu innocẽtiæ quódnam foret dominium vnius hominis in alium, & in bruta animantia? vide *Dominium*.
18. In ſtatu innocentiæ vita hominis vtplurimum fuiſſet contemplatiua, & aliqua ex parte actiua. lib.5.c.7.n.20.& 21
19. In ſtatu innocentiæ homines generandi eſſent in gratia.lib.5.c.8.n.2. Imò in naturæ integritate, & originali iuſtitia. à nu. 7. non tamen cum ſcientijs alijs perfectionibus intellectus, præter habitum fidei. à n. 17. nec item cum virtutibus infuſis per accidens. à n.23
20. In ſtatu innocentiæ naſcituros omnes in gratia confirmatos, atque adeò prædeſtinatos, qui velint. lib.5.c.9.n.1. oppoſitum verius. à num.3. imò non omnes acciperent donum confirmationis etiam poſt victoriam alicuius tentationis. à n.6
21. Poſteros Adami in ſtatu innocentiæ, ſi peccarent, amiſſuros gratiam, non iuſtitiam originalem, putat Catherinus. lib.5.cap.10.nu.2. refellitur.num.3.& 4
22. Potuiſſe homines in eo ſtatu peccare, certum, an de facto peccarent incertum. eod.nu.4. Credibilius tamen aliquos eſſe peccaturos.n.5. Sic peccantes non ſtatim fierent reprobi, ſed potuiſſent ad gratiam Dei redire.n.7. Quibus medijs redirent? num. 8
23. In ſtatu innocentiæ an peccatoribus reſtituta gratia, etiam iuſtitia origin. reſtitueretur. à numero 9
24. In eo ſtatu peccantes an à Paradiſo excluderentur. num. 13
25. Foret ne tunc excellentior ſanctificatio paruulorum quàm modò. lib.5.c.11.à nu.3. Qui de prima adultorum ſanctificatione. n.6
26. In ſtatu innocent. actus charitatis non fuiſſet ex vi ſtatus maioris meriti quàm in natura lapſa. eod.c.11.à n.10. Neque item quòd ex maiori gratia vel charitate habituali vel actuali procederet. à num.13
27. Dictus ſtatus fuit aliqua ex parte aptior ad merita multiplicãda, vel maiora efficienda, quam ſtatus naturæ lapſæ, ibid.n. 17. non tamen ſimpliciter.num.18
28. In ſtatu innocen. ſi duraret vulgaris hominum multitudo, plura, & maiora habuiſſet merita, quàm nunc ordinariè in lapſis inueniantur. lib. 5.cap.11.num.19
29. In ſtatu naturæ lapſæ collectio iuſtorum ſanctior de facto eſt, quàm foret tota hominum collectio in ſtatu innocent. ibidem numero 20. & 21
30. In ſtatu innocen. an fuiſſet maior cumulus meritorum, in omnibus, & ſingulis hominibus, quàm nunc ſit, vel è contra, aut etiam æquales. ibid. latè à num.22. Quid de Chriſto D. & virgine matre in vtroque ſtatu? num.23. Quid de alijs iuſtis variè inter ſe, & in vtroq; ſtatu comparatis. latè ibid. à num.24
31. In ſtatu innocentiæ an gratia ex opere operato foret vberior, quàm in natura lapſa. ibidem numero 29
32. In eo ſtatu hominum via certum haberet terminum, non per mortem, ſed per tranſlationem ad gloriam. lib.5.c.12.n.1
33. In eo ſtatu omnes homines peruenirent ad ætatem adultã, in qua liberè operari poſſent. n.4. imò permanerent in via vſque ad ſtatum conſiſtentiæ. n.5. quin etiam, nec ſtatim poſt conſiſtentiam, ſed nec poſt annorum millia, ſed intra mediocrem durationem à Deo præfiniendam transferrentur. n.6
34. In ſtatu innocent. an tempus viæ futurum eſſet æquale in omnibus. n.9.& 10. An alij ante alios transferrentur in gloriam. nu.11. in eo ſtatu non transferrentur prius homines ad ſtatum medium, ſed immediatè ad gloriam, etiam corporum. à nu.13. Idque non ſimul, ſed ſucceſsiuè in tempore à Deo præſtituto. n.16

Inſula.

Inſulæ tertio die in mari à Deo factæ. lib.2.cap.6 num.17

Iuſtitia origin.

1. Iuſtitia origin. in quo conſiſtat, variæ opiniones. lib.3.c.20.à n.2. Non eſt vnus peculiaris habitus ſimpliciter ſumpta. n.9.& 10. includit gratiam, ac virtutes illius comites, & virtutes morales acquiſibiles. à nu.12. nec non actualia Dei auxilia, & alia extrinſeca beneficia. n.19
2. Iuſtitia origin. quaſi primaria, & fundamentum reliquorum donorum fuit gratia ſanctificans. eodem cap.20.à n.20
3. In iuſtitia origin. non requiri alium habitum naturalem, aut ſupernaturalem, prætergratiam, qui in eſſentia animæ inhæreret, concluditur eodem.c.20.num.24.& 25. Non etiam habitum intellectualem diſtinctum ab ijs qui de facto infunduntur. num.26.& 27. Neque habitum voluntatis per accidens infuſum præter virtutes naturales. à num.28
4. Iuſtitia origin. naturalis ne ſit, an ſupernatur. num. 42. & 43. Iuſtitiam originalem conſiſtere in vtriuſque appetitus habitibus, qui à virtutibus ſint diſtincti, falsò dixit Scotus, eodem cap.20. à num.33
5. Iuſtitiæ origin. ſubiectum quodnam ſit. numero 41.
6. Iuſtitiæ original. cum varijs ſtatibus humanæ naturæ conſideratio multiplex. eodem cap. 20. à num.44
7. Iuſtitiam original non fuiſſe amittendam per peccatum poſterorum Adæ, licet amitteretur gratia, opinatur Catherin. lib.5. cap.10.num.2 refellitur num.3.& 4
8. Iuſtitia origin. cum veniali conſiſtere potuiſſe qui dicant. lib.3. cap.13.num.9. Non poſſe integram cum veniali permanere, bene tamen quoad pleraque priuilegia talis ſtatus. eodem cap.13 à num.10
9. In ſtatu iuſtitiæ originalis, an poſſet committi prius veniale quàm mortale, vide *Innocentia ſtatus*, num. 3
10. Iuſtitia originalis an reſtitueretur cum gratia poſteris Adæ in ſtatu innocentiæ, ſi poſt peccatum mort. pœnitentiam agerent. libro 3.cap.19 à numero 9.

L.

Lignum vita.

1. LIgnum vitæ in ſtatu innocent. repararet diminutionem caloris naturalis. lib.3.cap.14. numer.25. quomodo paſsiones corruptiuas, ac mortem impediret. ibid.
2. Lignum vitæ fuit vera arbor, verumque fructum ſenſibilem præferens naturaliter. libro 3. cap.15. num.1. Eius quoque ad reparandas vires efficacia naturalis fuit. ibidem numer.2 & 3 dicta efficacia erat ad perpetuò reparandam vitam. numero 4. ad id tamen non ſemel, ſed aliquoties fuiſſet guſtandum. numer.5. & ſequentibus.

3. Lignum vitæ etiam frequenter sumptum non posse conseruare corpus omnino immortale, sed ad longum duntaxat tempus, opinio Scoti & Caiet. n. 9. & 10. refellitur n. 11. & 12
4. Lignum vitæ quo sensu post lapsum hominis minus efficax quàm antea fuisset? eod. n. 12
5. De eo ligno an comederint primi parentes ante peccatum. lib. 4. c. 8. n. 9
6. Lignum vetitum, vide *Arbor*.

Limus.

Limus ex quo Adam formatus qualis fuerit. libro 3. c. 1. n. 2

Luna.

1. Luna cur dicta secundum luminare magnum. lib. 1. c. 9. n. 9
2. Luna an in plenilunio, vel in alio statu facta. num. 10. vide etiam *Astrum*, & *Sol*. n. 3

Lux.

1. Lux in primo die creata quid iuxta Augustinū? lib. 2. c. 1. à n. 2
2. Lucem primo die creatam non spiritualem, sed sensibilem esse, latè ostenditur à n. 4
3. De illius lucis subiecto, loco, & tempore creationis, variæ opiniones latè referuntur ac refelluntur. lib 2. cap. 2. à numer. 4. vera resolutio. à num. 15. ad 19
4. Lucem primo die creatam quomodo antecesserint tenebræ super faciem abysi? ibid. à n. 26
5. Lux primo die facta ex vi illius imperij, *Fiat lux*, immediatè post primum instans creationis mundi intrinsecè neri cœpit. lib. 1. cap. 3. à num. 7. Quo in loco, & situ orbis primò cœperit irradiare? ibid. à n. 10.

M.

Maledictio.

SErpentis maledictio, vide *Serpens*. Maledictio terræ, vide *Terra*.

Mare.

1. Mari salsedo vnde, & quando indita? vide *Terra*, & *Aqua*.

Maria Virgo.

1. Virgo Maria non potuit à dæmone tentari per internam imitationem phantasiæ. lib. 4. cap. 5. numer. 8. Habuit peculiarem statum naturæ lapsæ coniunctum cum statu gratiæ & perfectæ innocentiæ, &c. non autem iustitiæ origin. libro 3. c. 20. n. 47
2. Inter Mariam & dæmonem per serpentem repræsentatum inimicitiæ maximæ. lib. 4. cap. 7. num. 10
Vide etiam *Deceptio*, num. 4. *Innocentiæ status*, numero 30

Materia.

1. Materia informis quid? variæ sententiæ, quæ refelluntur. lib. 1. c. 8. à n. 1
2. Materia prima altera pars substantialis compositi physici à Deo creata ex nihilo. ibidem numero 8
3. Materia prima non fuit creata in aliqua reali duratione ante cœlum, & terram. num. 9. nec post illa. ibid.
4. Materia prima non fuit creata informis, id est, absque forma substantiali. num. 10. & sequent. potuit tamen ita creari. num. 11. nec fuit creata cum sola forma corporeitatis. n. 13
5. Materia terræ, & aquæ sub propriis formis earum creata. num. 15. & 16
6. Materia cælestis, & sublunaris an specie differant. lib. 1. cap. 5. num. 1. remissiuè.

Matrimonium.

Matrimonium an præstaret virginitati in statu innocen. vide *Virginitas*. In eo statu fuisset etiam consummatum. lib. 5. c. 1. à nu. 6. per consummationem amitteretur virginitas in statu innocen. cap. 2. n. 3

Metallum.

Metalla, seu mineralia, an tertia die à Deo immediatè creata. lib. 2. cap. 8. num. 8. & 19
Mixta, vide *Mundus* num. 6.

Montes.

Montes ante diluuium extitisse, & ad opus tertiæ diei pertinere ostenditur. lib. 2. cap. 6. numero 16

Mors.

Mors, vel mortalitas, vide verbo *Adam*, à num. 3 aut *Immortalis*.

Motus.

1. Motum continuum non potuisse dari ab æterno ostenditur. lib. 1. cap. 2. num. 9. 15. & sequentibus.
2. Motus primi mobilis, atque adeò tempus an inceperit cum rebus primò creatis. lib. 1. cap. 9. num. 9. & 10
3. Motus proprius in cœlis planetarum & octauæ sphæræ die quarto incepit. lib. 2. cap. 8. n. 16

Mundus.

1. De mundi creatione, & existentia quid senserit Aristoteles, & Plato. lib. 1. cap. 1. num. 2. Varij errores circa mundi creationem proponuntur. ibid. à num. 4
2. Mundum visibilem à Deo esse per veram creationem, fides docet. ibid. num. 10. & sequentib. non per occasionem peccati, sed ex primaria voluntate Deus illum creauit. à num. 13. idque nullo ascito cooperatore, aut instrumento. numero 17. quamuis absolutè instrumento vti posset. num. 18
3. Mundus non fuit ab æterno, sed suæ creationis principium habuit. lib. 1. cap. 2. num. 2
4. Non esse impossibile mundum in tempore incepisse, demonstrari potest. ibid. à num. 4. Imò non potuisse esse æternum quoad successionem generationum, & corruptionum, vel alias quasuis successiuas alterationes discretas, demonstratur. à numer. 9. neque etiam quoad motum localem cœlorum, aut tempus continuum. latè à num 15
5. Non potest absolutè demonstrari omnes res mundi fuisse in tempore, & non ab æterno creatas. ibid. num. 21. hoc tamen esse conuenientius efficaciter ostenditur. num 22
6. Mundum etiam quoad mixtā, eiusque dispositionem in eodem momento cum cœlis & elementis factum esse qui putent. libro 1. capite 10. numero 4. & 5. contrarium astruitur. à numero 6.
7. Mundus aliquam formationem in 1. instanti; aliam successu temporis acquisiuit. ibid. numero 19. & 20. Circa eius informitatem vt concordent Patres reliqui cum Augustino. numero vigesimo primo.
8. Mundum cur DEVS successiuè creauerit, cùm potuerit vnico instanti vniuersum creare. ibid. num. 25
9. Mundus quo anni tempore cœperit. lib. 2. cap. 7 num. 7.

O.

Opinio.

OPinantium iudicium, aut coniecturale an habere possent homines in statu innocent. libro 3. cap. 10. num. 8. 9. & 14.

Originale.

Originale peccatum, vide *Peccatum*. originalis iustitia, vide *Iustitia origin.*

P.

Pactum.

1. PActum Dei cum Adamo, vide *Præceptum.* à numero 6
2. Pacta alia & obligationes inter Deum & homines enucleantur. lib.3. c.21. num.25.& 26

Paradisus.

1. Paradisus terrestris, tertia die plantatus. lib. 2. c.7.numer.13.& 14. In eo non fuissent tribuli,& spinæ, aut aliæ herbæ noxiæ, Adamo non peccante.eodem num.14
2. In paradiso an Adam,& Eua creati, vide verbo *Adam,& Eua.*
3. Paradisum quem Deus dicitur plantasse, non fuisse locum terrestrem, & quæ de illo scribuntur metaphoricè esse intelligenda, qui velint. lib.3.cap.6.num.2.& 3.contraria veritas catholica latè stabilitur.à num.5
4. Paradisus fuit locus particularis, in determinata orbis regione situs. ibid.num.15. Quanta illius magnitudo.num.19
5. Paradisus non magna terræ portio, quomodo omnes homines in statu innocentiæ caperet. ibid.latè à num.20
6. De paradisi situ opiniones contrariæ.à num.26
7. Paradisus non solum cœlum lunæ, sed neque secundam aëris regionem attingebat. num. 30. verisimilius tamen est in loco sublimi fuisse, & prope secundam aeris regionem, collibus interdum modicè assurgentibus. num.31
8. Paradisus in qua mundi plaga fuerit.eod.cap.6. num.34. An sub æquinoctiali.num.36. non fuit diluuio destructus, sed adhuc extat in suo statu in quo plantatus fuit. num.38
9. Paradisus cur à nullo exploratus. num. 40. nec regio in qua est,vlli cognita est positiuè. numero 41
10. In paradiso non fuisse primos parentes integrum diem,qui velint. lib.4. c.8. num. 3. verius tamen fuisse ibi vltra diem naturalem.latè ibidem à num. 7. totos dies octo ibi commoratos diuinat Pererius num.13
11. E paradiso electos fuisse primos parentes altero die post creationem verosimilius. eod.num. 13. ibi permansisse semper virgines dicendum est. ibid.
12. Paradiso an excluderetur posteri Adam si peccarent ipsi. lib.5.cap.10.num.13

Passiones.

Passiones quæ darentur in statu innocent.lib.3. cap.12. num.27.& 29. quæ non darentur. num. 28.& 29

Peccatum.

1. Peccare non potuit Adam de lege ordinaria in primo instanti suæ creationis. lib.3. cap.11. numero 4
2. Quolibet mortali perderetur status innocent. vide *Innocentiæ status,* num.2. veniale tamen non præcederet omne mortale,vide ibid.num.3
3. Peccasse Euam antequam tentaretur à serpente refellitur. lib.4.cap.2.à nu. 1. peccasse saltem antequam audito serpente responderet,qui dicant.num.4. non peccasse antequam responderet, nec in ipsa responsione, probatur à num.5. peccauit tamen cum audiuit, *Nequaquam moriemini,sed eritis sicut dij,* num.9.& 10
4. Primum Euæ peccatum fuit superbia eodem cap. 2. à num.14. quomodo ante hoc peccatum non præcesserit infidelitas, aut iudicium erroneum. num. 20. secundum peccatum Euæ fuit infidelitas. num.23. probabileque est fuisse hæresim.num.24. probabilius non attigisse hæresim.numer.25.tertium peccatum fuit comestio vetita: quartum scandalum: quintò excusatio, saltem venialis. ibid.
5. Adamus antequam ab Eua tentaretur,non peccauit.lib.4.cap.3.num.5. primum eius primum peccatum fuisse inordinatum affectum erga vxorem putat Scotus. eodem cap.3. num.1. fuisse superbiam communius & verius. num. 4.& 12. Peccasse etiam per infidelitatem qui Patres dixerint.lib.4.cap.3.à num.4. Nec fuisse infidelitatem propriam cum pertinacia, & hæresi, imò nec cum ignorantia culpabili verius videtur.ibid.num.18. secundum peccatum Adæ fuit affectus inordinatus erga Euam. num. 23. prædictus affectus non fuit per se peccatum. ibid. sed quatenus fuit causa omissionis debiti officij, non reprehendendo Euam ob transgressionem. num. 24. Tertium Adami peccatum esus vetitus. numer.25. quot in eo deformitates distingui soleant.ibid.Alia Adamo peccata tribui solita expenduntur à num.26
6. Peccatum Euæ grauius fuisse peccato Adami qui dicant.lib.4.cap.4.nu.1.qui oppositum sentiant. num. 2. comparantur latè vtriusque parentis peccato in numero,& grauitate.à num.3 vera resolutio fuisse simpliciter grauius Euæ peccatum. num.10
7. Peccatum primorum parentum non fuisse simpliciter grauius peccatis posterorum, sed tantùm secundum quid,ex circunstantia nimirum status, opinio D.Thom.quæ expenditur.lib.4. cap.6.à num. 1
8. Peccata primorum parentum collata cum peccatis Angelorum fuerit simpliciter minus grauia. ibid. num. 7. quid si conferantur cum peccatis posterorum. ibid.
9. Peccasse primos parentes ipso sexto die quo cõditi sunt, multorum opinio.lib.4.cap.8.num.3. oppositum latè probatur. à num.7. peccasse octauo die à sua creatione diuinat Pererius numero 13. verisimilius peccasse altero die à creatione.eodem num.13
10. Peccatum Adami non fuisse irremissibile de potentia absoluta.lib.4. cap.9. nu.1. imò nec de ordinaria, de fide constat. num.3. idque etiam quoad pœnam alterius vitæ. numer.5. Quid de pœnis huius vitæ,speciatim de amissione iustitiæ origin. ibid. quid de exilio à paradiso? numero 6
11. Peccatum Adami non fuisse remissum qui dixerint. eodem cap.9.numero 7. oppositum latè probatur. ibid.& num.sequentib.

Vide verb. *Adam,* à num.41

Phantasma.

Cum recursu ad phantasmata intelligerent homines in statu innocent.lib.3.cap.9.num.7

Pisces.

1. Pisces & aues simul producta à Deo probabilius.lib.2.cap.10.num.8
2. Pisces ex suo genere mole vincunt cætera animantia.ibid.num.9.fortè etiam numero,& varietate specierum.ibid.vide etiam *Animal.*

Plantæ, vide Vegetabilia.

Pœna primorum parentum.

1. Præcipua pœna, cæteraque includens fuit priuatio iustitiæ origin. lib.4.cap.7.num.12
2. Prima pœna mulieris de multiplicatione æruminarum in concipiendo qualis. ibid.num.13.& 14. qualis secunda de dolore in partu. numer.15 qualis tertia de subiectione ad virum. num.16
3. Pœna viri triplex. 1. terræ maledictio qualis. numer.17.& 18. qualis secunda de germinandis spinis. num. 19. qualis tertia de labore,& sudore in conquirendis cibis.num.20

Polygamia.

Polygamia vxorum simul in statu innocētiæ non esset. lib.5.c.3. à num.14. imò nec bigamia successiua, post translationem alterius coniugis. num.18.& 20

Potestas publica, vide Dominium.

Præceptum.

1. Præceptum non edendi de ligno scientiæ Adamo impositum antè formatam Euam.lib.3.cap. 5. num.12
2. Nullum præceptum Adamo in statu innocent. impositum error hæret.refellitur.lib.3.c.21.n.1. id præceptum habuit pro materia remota arborem scientiæ,pro proxima comestionem. n.2 & 6. Quænam fuerit Deo ratio imponendi hoc præceptum? à num. 7.
3. Præceptum primis parentibus impositum,graue fuisse,& fides,& ratio suadet.ibid.num.10
4. Præceptum hoc an obligationem tantum obedientiæ contineat,vel etiam iustitiæ,& temperantiæ? eod.cap.21.numer.11.& 12. Non potuit venialiter tantum violari ex paruitate materiæ. numer.14.id intelligendum de comestione non de aspectu,& tactu.numer.15. Quid de sola masticatione. ibid.
5. Præceptum non manducandi de ligno vetito non solis primis parentibus, sed posteris etiam impositum esset,si status ille durasset. n.16.& 17
6. Præceptum illud an incluserit pactum Dei cum Adamo.numer.18. An solo ipso præcepto,an ex addito nouo pacto posteri Adæ fuerint in ipso capite obligati. à num. 19
7. Nouit Adam se accepisse præceptum etiam vt caput totius posteritatis.num.29.ea tamen notitia non requirebatur, vt præceptum posteros obligaret.num.28
8. Præceptum illud vt Adamum & posteros obligaret, non postulabatur consensus Adami vt capitis virtute continētis totam posteritatem. eodem cap.21.num.24

Prædestinatus.

Prædestinati plures,an pauciores: ijdem,an diuersi forent in statu innocentiæ vel naturæ lapsæ.vide verbo *Innocentia status*, num.11

Principium.

1. Vocis *Principium* multiplex significatio.lib.1.c.2. num. 23
2. Verba illa Genes.1. *In principio creauit*, &c. de fide probant mundum non ab æterno, sed in tempore,vel cum tempore conditum.ibid.num.26

R.

REquies diei septimæ, vide *Dies.*
Rosa, vide *Vegetabile.*

S.

Sabbathum.

LEgem de seruando Sabbato die septimo latam qui dixerint.lib.2.c.11.num.9.refelluntur.ibid. Sabbatum quomodo sanctificatum. num.11

Salsedo.

Salsedò mari quando, & vnde indita. lib.2, c.6. num.20.21

Sanctitas.

1. Sanctiores ne essent homines in statu innocentiæ, quàm in natura lapsa, vide *Innocentia status.* à num.25
2. Sanctificatio Adami, vide *Gratia.*

Scientia.

1. Scientiam naturalem à Deo inditam habuit Adamus.lib.3.c.9.n.2.& sequen. Hæc scientia fuit eiusdem speciei cum nostra acquisita. Fuit etiam cum dependentia à phantas. nu.6.& 7. species intelligibiles huius scientiæ in Adamo tales fuerunt, quales acquisitæ per sensus. eod.n.7
2. Scientia hæc infusa Adamo ad omnia materialia extendebatur. à nu. 8. non tamen fuit comprehensiua,aut quidditatiua,aut equaliter perfecta de omnibus. num.11. imò se non extendebat ad futura libera.num.12. quousque ad effectus causales se extenderit.ibid.quousque ad præterita.num.13.quousque ad præsentia materialia in communi,& singularia. num.14. quousque ad internas cogitationes. num. 15
3. Scientia Adæ infusa Deum sub suo obiecto cōprehendit. eod.cap.9. num.16. non per speciem directè,sed ex visibilib.ipsum cognoscendo. ib.
4. Scientia Adæ de Deo fuit solùm accidentaliter perfectior,quàm sit nostra acquisita. n.18. quomodo Angelos attingebat.num.20
5. Huius scientiæ actus cuius fuerit perfectionis essentialis,& accidentalis.ibid.numer.21.fuerit ne discursiua, à num.22
6. Hæc scientia quoad habitum an fuerit simplex qualitas. num.26
7. In hac scientia an profecerit Adam plura successiuè cognoscendo.nu.27. an profecerit quoad intensionem habitus ei infusi.num.28.quomodo profecerit in scientia experimentali.n.27 An maior fuerit scientia Adami quàm Salomonis.num.29.& 30

Vide etiam verbo *Cognitio.*

Serpens.

1. Serpentis maledictio post peccatum Adæ quomodo in dæmonem directa. lib.3.cap.2. num.23
2. Serpentem hunc fuisse Christum error Origenarum stultissimus.lib.4.c.1.n.2.fuisse dæmonem sine vllo corpore assumpto, qui per solam suggestionem internam deceperit Euam,error Caietan.ibid.
3. Serpens ille verus fuit, & sensibili sono ad Euā locutus. ibid.à nu.3. Hunc serpentem fuisse verum animal virtute saltem supernaturali pro eo tempore facultate loquendi, & intelligendi præditum aliorum est error.eod.c.1.n.10.& 10
4. Dæmonem fuisse qui sub specie serpentis visibili Euam tentauerit asserti catholica.num.12
5. Serpens ille verus fuit,non apparens tantùm.à num.13. Cuius fuerit speciei ignotum.num.17
6. Cur serpentem Eua non horruerit. nu. 18. quomodo illum potuit ad colloquium admittere. à num. 19
7. Serpens cur dictus callidior omnibus animantibus. lib.4.cap.1.num.9
8. Serpentem ante Dei maledictionem pedes habuisse, & ob peccatum illis fuisse priuatum qui putent.lib.4.cap.7.num.2.improbantur. n.3
9. Serpentis maledictio an ipsi animali,an dæmoni inflicta.ibid.à num.4. Explicatur hæc maledictio. à num.5
10. Inter serpentem & mulierem inimicitiæ quales. num.8.9.& 10
11. Nulla serpenti, aut dæmoni ex maledictione illa noua pœna indicta est. num.11

Seruitus.

Seruitus in statu innocentiæ nulla foret. lib.5. cap.7. num.2.& 10

Similitudo.

Similitudo Dei in homine, vide *Imago.*

Sol.

1. Sol quo in loco,& situ orbis primò productus? vnde moueri cœpit.lib.2.c.3.à num.10
2. Solis diurnus motus cum primo mobili, incepit immediatè post primum instans creationis mundi.lib.2.cap.3.à num.7
3. Sol & reliqua astra non sunt à Deo creata substantialiter die quarto. lib.2.cap.8.num.2. Neq; eodem 4. die ex præiacente materia producta. num. 4. imò nec quoad accidentalem condensationem,quæ materiam multum transmutat. num. 6.

num.6.& 7. Neq; item per additas determinatas virtutes ad influendum in sublunaria.nu.9. & 10. Neque per additionem nouæ lucis.nu.10. Non deniq; per intensionem lucis iam præhabitæ.n.12.& 13.Sed solùm quoad proprios locales motus quos in quarto die Deus cælis tribuit. nu.16.& 17. sine vlla noua qualitate addita, vel intensione in præhabitis. à n.18

4. Sol astrorum maximum. lib.2. cap.9.n.9

Sopor, vide Adam *num.7*

Spes.

Spes naturalis habitum infusum accepit Adam in primo suæ creationis instanti. lib.3.c.18.nu.3

An etiam spei actum tunc elicuerit. cap.19. à n.1

Spinæ tribuli.

1. Spinas terra germinaret, etiam non peccante Adamo. lib.3.c.7.n.11.& lib.4.c.7.n.19. tunc tamen non essent homini pœnales. ibid.
2. Spinarum germinatio cur inter pœnas Adami numeretur. eod.num.19

Spiraculum, vide Adam.*num.20*

Stellæ, vide Astrum.

T.

Tempus, duratio.

1. DVratio aliqua non æterna fuit aliqualiter cum Angelis, cœlo, & terra, concreata. Eaque fuit principium omnis durationis creata.lib.1.c.9.n.5
2. Aliquod initium proprij temporis successiui, discreti tamen, cum substantijs primò creatis, est concreatum. ibid.n.8
3. An, & quomodo initium temporis etiam continui & successiui, sit coæuum creationi cæli, & terræ. ibid. n.9.& 10

Tenebræ.

Tenebræ super faciem abyssi, an, aut quo tempore præcesserint primam lucis creationem. libro 2. c. 2, à n.26

Tentatio.

1. Tentationem serpentis, qua Euam ad peccandum induxit per suggestionem tantùm internam erroneè putat Caietan. lib.4.c.1.n.2. fuisse externam, & per auditum corporis factam, communis, & vera sententia à num.3
2. Tentari non possent homines à dæmone in statu innocentiæ per solam phantasiæ mutationem. ibid.num.8
3. Cur tentauerit dæmon vero potius, quàm ficto animali. num.16

Vide etiam, *Serpens.*

4. Adamus non fuit immediatè à serpente tentatus.lib.4.c.3.n.6.sed ab Eua.n.7
5. Eua dum tentaret Adamum narrauit promissiones sibi à serpente factas.ibid.à n.9
6. Tentationis Adami ordo. ib. n.15

Vacuum.

Vacuum extra cœlum nunc creatum nec datur, nec ante mundi creationem in spatio imaginario dabatur. lib.1.c.2. n.8. potest tamen diuinitus intra cœli ambitum dari. ibid.

Vegetabile.

1. Vegetabilia actu, & in propria specie, non tantùm in semine, tertio die creata. lib.2.c.7.à n.1
2. Vegetabilia post segregationem aquarum cur producta. ibid. n.5. à Deo immediatè tanquam à causa totali, ex terra producta sunt.n.7
3. Vegetabilium, quæ species tertio die productæ. nu. 8. quot eorum species, & in quibus regionibus. ibid.
4. Vegetabilia nociua & venenosa, non nisi post Adæ peccatum & in eius pœnam producta esse qui velint. n.9. oppositum verius quoad venenosa.n.10.quoad tribulos & spinas. n.11
5. Quæ vegetabilia sint hoc die tertio producta in actu, quæ in potentia tantùm.eod.n.11
6. Vegetabilia nociua non fuissent in paradiso, Adamo ibi non peccante. n.14
7. Vegetabilia quo in statu, augmento, seu dispositione fuerint creata.n.16

Vestes.

Vestibus an vterentur homines in statu innocentiæ. lib.5.c.6.n.1

Via.

Via hominum in statu innocentiæ, vide *Innocentia status.* à n.32

Virginitas.

1. Virginitas cum matrimonio consummato, neque in statu innoc. consistit. lib.5.c.2.à n.3
2. Virginitatem perpetuam in statu innocen. non potuisse licitè seruari qui velint. nu.9. refelluntur. num. 10
3. Virginitate matrimonium in statu innocentiæ præstantius futurum verisimile est. n.11. oppositum etiam satis probabile.n.12.& 13
4. Virginitas in statu innocent. seruata fuit quoad materiale, per occasionem.ibid.nu.14. Non tamen quoad formale. ibid.
5. Virginitatem plurimi colerent in statu innoc. si diu perseueraret.eod.n.12

Virgo Maria, vide Maria.

Virtus.

1. Virtutes omnes morales ordinis naturalis, habuit Adamus in primo instanti concreatas. lib. 3. cap.11.nu.5. etiam eas quæ circa propias passiones versantur.num.7
2. Virtutes has omnes non solùm quoad habitus datas esse, sed quoad aliquos etiam earũ actus in Adamo dari tunc potuisse ostenditur, speciatim pœnitentiam & misericordiam. ibid.nu.10 Item eas quę Deum respiciunt vt obiectum cui, qualis est religio, &c.n.11
3. Adamus innocens in voluntate habuit virtutem beneuolentiæ naturalis circa Deum, non solùm quoad eius actum. nu.11. sed etiam quoad habitum.num.13. Quid de virtute spei naturalis. eod.n.13
4. Virtutes morales per se infusas gratiæ comites habuit Adamus in primo instanti creationis. lib.3.c.18.nu.1. Item spei de futura beatitudine. nu. 3. nec non fidem supernaturalem plurimorum mysteriorum, quæ ei ante peccatum sunt reuelata.num.14

Volatile, vide Aues.

FINIS.